# JULII CAPONI,

JURISC. NEAPOLITANI, THEOLOGI,
PHILOSOPHI, AC COMITIS PALATINI;

# INSTITUTIONES CANONICÆ,

*JUXTA*

FAMILIARIEM TRACTANDI JURIS CANONICI
Rationem & Methodum, ac vulgarem ipsius in plurimos tùm
TITULOS, tùm PARAGRAPHOS distributionem ordinatæ.

*IN QUIBUS*

QUIDQUID AD NATURAM, ESSENTIAM, VARIASQUE
JURIS ejusdem Proprietates atque Divisiones refertur, sedulò
tractatur & abundè cumulatèque discutitur.

*Opus in* QUATUOR LIBROS, TOMOS *verò* DUOS *distributum, omnibusque*
JURIS CANONICI *Studiosis nedùm satis utile, sed etiam omninò necessarium.*

Cum Duplici INDICE locupletissimo tam SUMMARIORUM, quàm RERUM in Corpore descriptarum.


EDITIO NOVA DENUO REVISA, EMENDATA, ATQUE AUCTA.

TOMUS SECUNDUS.






COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & Soc. Bibliop. & Typograph.
MDCCXXIV.



# INSTITUTIONUM CANONICARUM

*AUCTORE*

# JULIO CAPONE,

JURISCONSULTO NEAPOLITANO.

## LIBER TERTIUS.

### *TITULUS PRIMUS.*

### De Judiciis, et illorum divisione.



GITUR in hoc Tertio Libro de Judiciis pecuniariis, seù civilibus: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, hoc nomen Judicii diversas habere in jure significationes, quas explicant *Maranta par. 1. de ordine judiciorum à num. 1. Menochius de arbitr. q. 81. num. 14.* communiter tamen ex *glossa in §. prætereà, instit. quibus non est permissum facere testam.* quam commendant *Decius in rub. de judic. lect. 1. n. 50. Perez in rub. tit. 1. lib. 3.* ethimologatur, ut sit legitima rei controversæ inter litigantes apud Judicem disceptatio, seù tractatio, quam ethimologiam approbat *Vessembechius in paratitis fff. &c. & Hermannus Ultejus de jurisprudentia Romanorum, lib. 2. cap. 1. arg. tex. in cap. forus de verb. signif.* Definitur verò diversimodè, sed meliùs definitio est, ut sit actus trium personarum, Judicis, Actoris, & Rei in judicio contendentium, ità *Goffredus in summa de Judiciis, Hostiensis in eodem tit. §. 1. Bald. in rubrica, ff. de judiciis, Abbas in rubrica extrà eodem*: post alios *Camillus Borrellus in summa decisionum tit. 43. num. 10. Pater Fragosius de Republica christiana lib. 5. disp. 12. §. 1. num. 1.*

Dices, solet quandòque esse Judicium sine Actore, ut quandò Judex ex officio inquirit, *cap. qualiter, & quandò il. 2. de accusat.* quandòque solet esse sine Reo, ut quandò Judex inquirit generaliter super notorio crimine ad inveniendum malefactorem, non contrà certam personam, ut declarat *Innocentius in cap. bonæ de electione*, ergò mala definitio.

Respondeo primò, quòd debet accipi judicium ex communiter accidentibus, nam communiter solent tres personæ adesse; undè meritò per frequentiora datur definitio, argum. *l. nam ad ea. ff. de legibus.*

Respondeo secundò, quia quandò proceditur per Inquisitionem saltem fama succedit loco accusatoris, ut in *d. cap. qualiter, & quandò.* & sic extat ex juris fictione talis accusator, & deficiente fama, sunt alia indicia loco accusatoris, & actoris, quæ indicia si sint urgentia; inducunt indicium sufficiens ad torturam, & si ille confitetur, nullus est major accusator, quàm ipse sui ipsius, *cap. 1. de confessis in 6. cap. 1. & 2. de accus. in 6.* quòd si non sint alia indicia, neque fama, neque accusator, neque denunciator, nullo modo erit judicium, & sic dicta definitio non procedit.

Dices secundò, obstat tex. *in cap. forus de verb. signif. & in c. 1. 4. q. 4.* ubi habetur, quatuor personas in judicio esse necessarias, videlicet Judicem, Actorem,

torem, Reum, & testes, quia actore non probante reus absolvitur, *l. actor, C. de probat. cap. fin. de jurejurando*, & ne actor succumbat sunt producendi testes.

Respondeo, quòd de necessitate in judicio tantùm suprà dictæ personæ intervenire debent, sine quibus nullum esset judicium, ut *in c. forus cit.* ad benè esse tamen requiruntur ad defendendum actorem, & reum Advocati, & Procuratores, de quibus infrà *de Procuratoribus*, requiruntur etiam alii ad fidelitet conservanda acta judiciaria, qui habeant sub se scribas, & isti sunt actuarii, de quibus DD. *in cap. quoniam contrà de probat.* alia sunt requisita ad probandum ea, quæ incumbunt actori, & reo, & isti sunt testes, de quibus dicemus infrà *in tit. de probationibus*, undè benè dicit *Bald. in l. is apud quem, C. de edendo*, probationes non esse de substantia judicii, quo fit, ut judicium, & sententia mero jure sustineantur sine testibus, & probationibus, ut benè post alios *P. Fragosius ubi sup. num.* 1.

Sciendum secundo est, quòd judicium multa requirit. Primo requirit acta judiciaria, *d. cap. quoniam contrà, de probat.* quæ acta judiciaria, alia sunt præparatoria, alia formatoria, alia probatoria, alia decisoria: acta præparatoria dicuntur illa, quæ fiunt antè contestationem litis, & incipiunt à libelli oblatione usque ad litis contestationem, quia ista acta præparant judicium, ut sunt libelli oblatio, *Auth. offeratur, C. de litis contestat.* citatio, *ut in tit. de in jus vocando*, responsiones, seù exceptiones reorum, & replicationes actorum: hæc enim omnia dicuntur præparatoria. Formatoria verò acta consistunt in litis contestatione, quæ litis contestatio, tunc propriè dicitur, quandò coram Judice actor, & reus interveniunt, coram quo actor proponit, & reus respondet, & vocatur hic actus litis contestatio, quia simul partes contestantur, *ut in d. cap. forus, notant* DD. Acta verò probatoria sunt probationes, & fiunt multis modis, ut per testes, per scripturas, &c. quæ acta vocantur etiam instructoria, eo quòd Judicis mentem instruunt, quemadmodùm possit judicare secundùm allegata, & probata, ut dicemus infra; & ista quatuor actorum genera sunt partes integrantes judiciorum: continet etiam judicium suas quatuor causas: quarum Prima est efficiens, & est principalis litigans: instrumentalis verò causa efficiens est procurator, *Abbas in proem. decretalium col. fin.* Causa materialis judicii est ipsa causa, quæ in eo introducitur, causa formalis est ordo, & solemnitas judicii: causa finalis est illa; ad cujus finem actus ordinatur, scilicet judicium: verbi gratia ordinatur judicium, ut definiatur actus per sententiam; meritò sententia diffinitiva est causa finalis judicii.

## *De Judice.*

Agendum peculiariter est de tribus omnibus personis, quæ principaliter in judicio intervenire debent, scilicet de Judice, Actore, & Reo, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo Magistratus, & Judices non esse, nec nobiles, nec doctos principaliter constituendos, sed dignos, *Simancas de Republica lib.* 5. *cap.* 4. tunc enim nobilitas est attendenda, quandò cum ea concurrit virtus, ac doctrina conjuncta, tunc cæteris paribus nobiles sunt præferendi, ut *in Auth. de defensorib. Civitatum §.* 1. *& §. interim, & in ultimo. Regens Tapia de Officialibus Regni num.* 13. *Fragosius de Republica christiana lib.* 4. *disp.* 9. *num.* 15. debent autem Judices non esse crudeles, sed ad mansuetudinem potiùs inclinare debent, *Eccles.* 4. *Paris de Puteo in tract. de Syndicatu, in verb. Crudelitas*, nec debent esse præcipites in expediendis causis, ac sententiis pronunciandis *Matthiensis dialogo* 3. *cap.* 39. nimia enim præcipitatio est noverca justitiæ, *Cerm. pastoralis, §. verùm.* ubi DD. *de re judicata, cap. inter hæc. col.* 1. *de pænit. dist.* 3. ideò nulla est sententia, quandò fertur in tàm brevi tempore, quòd præsumi possit, acta non fuisse benè visa, *per tex. in cap. non ex litteris de in integr. restitut. Bart. in l. stipulationes, C. de sententiis*, legas *Mastrillum de magistratibus lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 3. *& aliis sequentibus.* Requiritur etiam in magistratibus, & Judicibus ordinariis scientia, qua rectè sciant suo muneri fungi, eo quia quilibet scire tenetur, quæ pertinent ad proprium officium; undè *Civilistæ in tit. de obligationib. quæ ex quasi delicto nascuntur*, obligant Judicem ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis ob imperitiam malè judicandi: immò talis Judex non est absolvendus, nisi facta officii renunciatione, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *Cajet. in summa, verb. Judicis peccata*: de communi *Farinaceus in praxi criminali par.* 3. *q.* 111. *art.* 16. Ratio est, quia nullus potest officium retinere, cujus onera non possit exequi, sed ità esset in casu nostro; ergo. Neque dicas, illiteratum posse esse Judicem: *glossa in l.* 2. *ff. quod quisque juris, & in l. fin. in verb. proferant, C. de sententiis ex breviloquo recitandis, Menoch. de arbitr. & q.* 23. & per illum textum in *l. certi juris, C. de Judiciis*, docent ibi DD. latissimè *Joannes Paulus Xamar. de officio Judicum, & Advocatorum par.* 1. *q.* 12. *per totam*: requiritur etiam in Judice conscientia, ut infra munera recipere non possunt Judices, aliique Officiales, *Farinaceus in quæstionibus variis, q.* 111. *num.* 125. *Molina, Rebellius*, & alii apud *Fragosium ubi suprà §.* 3. munera neque potest Officialis recipere, *Menochius casu* 342. *& casu* 517. nisi reciperet ab amicis intuitu amicitiæ. Esculenta, & poculenta, est quæstio an possit Judex recipere? Prima opinio negat, *Menoch. ubi sup.* Secunda opinio affirmat, legas *Xamar de Judice par.* 1. *q.* 20. *à num.* 15. dicuntur esculenta, & poculenta, quæ per paucos dies sunt consumptura, *l. plebiscito, ff. de offic. Præsidis*, ubi considerari debet qualitas dantis, quantitas rei, & tempus donationis, *Menoch. ubi sup. Xamar d. par.* 1 *q.* 20. *de Judice in fine*: quòd si detur aliquid Judici, testi, vel scribæ ad eos corrumpendos, tunc id est restituendum, vel danti secundùm unam opinionem, de qua *Corduba in suo quæstionario lib.* 1. *q.* 32. vel & meliùs dicunt aliqui, quandò delictum est jam commissum, nulla adest obligatio restituendi, *Covarr. in regula peccatum* 2. *par. §.* 2. *num.* 7. *Toletus lib.* 5. *cap.* 59. *num.* 6. sed Judices ipsi iniquè judicantes tenentur resarcire damnum, *Sylvester in verb. concussio q.* 3. *& in verb. Judex il.* 1. *q.* 12. in foro verò externo, quod datur testi, tabellioni, vel Judici animo eos corrumpendi, est Fisco restituendum, *l. multa, C. de modo multarum, l. Lutius, ff. de jure Fisci vel parti*, cujus injuria datur pecunia, *l. in hæredem, ff. de calumniatoribus, l.* 3. *ff. de condict. ob turpem causam*, ubi *glossa, Fragosius ubi sup. num.* 33.

Sed petas, an si quis det alicui Judici, vel testi, ut malè judicet, vel deponat, & illi juridicè se habeant, sit restituendum?

Vera opinio dicit esse restituendum danti, *Navarr. Lopez, & Medina*, quia donavit ille ob consequendam extorsionem, quia non fuit effectus secutus, licèt enim in foro externo denegetur actio; tamen in foro conscientiæ dominium non amisit, *Fragosius num.* 36. *in fine*, & à fortiori obtento fine turpi in conscientia non tenetur, qui accepit restituere: *Lessius lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *à num.* 51. *usque ad* 56.

Scien-

Sciendum secundo est, quòd Judex, qui habet liberum arbitrium judicandi, v. g. secundùm unam opinionem communem, vel probabilem, aut judicare secundùm aliam; si pecunia accepta judicet secundùm unam opinionem, & non secundum aliam, est quæstio an peccet? Prima opinio dicit non posse pecuniam prædictam recipere. sic post aliquos *Fragosius ubi sup. num.* 42. Secunda opinio affirmat posse fieri: ità *Lessius lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *num.* 64. *Diana tract.* 5. *resol.* 55. quia pretium accipitur pro illa electione, quæ est pretio æstimabilis, sicuti neque peccat accipiendo pecuniam, ut expediat causam unius antè causam alterius, *Layman. in Theologia morali lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 9. est tamen notandum valdè expedire Reipublicæ habere Officiales stipendiatos eo salario, quod labori correspondeat, *cap. charitatem* 12. *q.* 2. *§. si quis autem, Auth. de Judicibus, l. unica. C. de prab. salario lib.* 10. ubi *Rebuffus, Xamar loco citato*, & ministri Ecclesiastici tenentur de suo providere Officialibus de salario, *cap. inter catera de offic. ordinarii*, & si Officialis debeat expedire negotium regulariter eundo per decem dies, & expediat in minori tempore debet dari salarium decem dierum, *glossa, & DD. in l. eos, ff. de falsis. Paris de Puteo, in verb. Judex in tract. de Syndicatu*, eodem modo regulariter, quandò quis eligitur ad duo officia compatibilia duo salaria habere debet, legas DD. communiter apud *Fragosium ubi sup. num.* 58. *disp.* 9. *§.* 4. & si contingat Judicem mori infrà annum, tunc debetur suo hæredi integrum salarium, *Bart. in l.* 1. *§. Divus num.* 10 *ff. de officio assessoris.* Sed in praxi apud nos non servatur *Masullus de Magistratibus lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 51. & si sit remotus officialis ob culpam alterius, si posteà absolvatur, debetur salarium etiam pro eo tempore, quo non servivit: sed si fuerit remotus ob suspicionem culpæ propriæ, non habebit salarium, nisi pro tempore, quo servivit, *Masullus ad Capicium dec.* 126. *num.* 2. *Fragosius loc. cit. num.* 67. Idem dicas de assessore remoto; quandò verò possint recipi sportulæ. legas *Fragosium ubi sup.*

Sciendum tertio est, Judicem non posse judicare sine jurisdictione, quæ jurisdictio alia est ordinaria, alia delegata: ordinaria radicaliter residet in Principi, *l.* 1. *ff. de constit. Principum, Bart. in l.* 1. *ff. de jurisd. omn. Judicum*; ideòque ad Principem spectat creare Judices ordinarios, *cap.* 1. *§. Judex de pace tenendâ in usibus feudorum, Maranta par.* 4. *distinction.* 5. Est etiam jurisdictio ordinaria, quæ datur ad universitatem causarum, delegata est, quandò fit concessio ad causas particulares: est etiam quæstio an sit ordinaria, vel delegata illa jurisdictio, quæ adhæret alicui officio, seù dignitati ex privilegio perpetuo, v. g. Episcopus ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. habet privilegium casus pontificios occultos absolvendi per se, vel per suos Vicarios ad id deputatos, quandò sunt occulti, est quæstio an sit talis jurisdictio ordinaria, an delegata, & dico esse ordinariam, quia conceditur sine præfinitione temporis, ergo ordinaria, & delegabilis, *Navarr. cons.* 2. *de foro competenti, Sylvester in verb. Delegatus q.* 8. *dist.* 1. *Henriquez de senten. excommun. lib.* 13. *cap.* 24. *num.* 2. quia commissio perpetua facit ordinariam; tùm quia jurisdictio competens non personæ, sed dignitati perpetuò ex Principis indulto est ordinaria, ex *Bart. in l. ambitiosa num.* 34. *ff. de decret. ab ordine faciendis*; est tamen quæstio vulgaris, an quandò Princeps jubet Judici ordinario, ut aliquod executioni mandet videatur jurisdictionem delegare, an verò officium illius excitare, scilicet an ex ordinario officiali constituat eum delegatum? & responsio est, quòd si ex modo mandandi non constet delegare, dicendum est excitari tantùm jurisdictionem, *cap. licèt in corrigendis. de offic. ordinarii*, quia mandatum Principis exhortativum non derogat juri communi, *Bart. in l. sæpè audivi, ff. de officio Præsidis*, quòd si Princeps in litteris utatur illis verbis; auctoritate nostra cognoscat, seù causam tibi committimus, negotium delegamus, vel si dicat, committimus tibi causam omni appellatione remota, censetur delegata jurisdictio, *DD. in d. cap. licèt.* jurisdictio assessoris est eadem ac Judicis, & Gubernatoris, ideò ab assessore, vel à Judice inter eos non appellatur: sic jurisdictio Vicarii eadem est, ac Episcopi, & per consequens à Vicario non appellatur ad Episcopum, *DD. in cap.* 1. *de officio Vicarii in* 6. & Proreges habent jurisdictionem ordinariam, non delegatam: post alios *Maranta par.* 4. *dist.* 5. *num.* 10. *Mastrillus de Magistratibus lib.* 5. *cap.* 6. *num* 33. mortuo Prorege officium Proregis non expirat, *cap. legatos de offic. legati, Mastrillus ubi sup. num.* 114. licèt *Cancerius lib.* 3. *var. resol. cap.* 3. *num.* 327. dicat, Proregem esse delegatum, contraria enim consuetudine servatur esse ordinarium. Neque dicas à sententia Proregis appellari ad Regem, quod non fit, quandò est idem Tribunal, *cap.* 2. *de offic. Vicarii*, appellatur enim quia, Rex non habet superiorem, *Mastrillus ubi sup.* neque expirat jurisdictio Proregis per præsentiam Regis, *Mastrillus d. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 250. cùm sit jurisdictio ordinaria.

Sciendum est quarto, Judicem ordinarium dici eum, qui ex suo munere exercet: delegatus verò Judex est ille, cui à Principe, vel ab alio ordinario, vel à delegato Principis causa committitur, *l.* 1. *§. qui mandato ff. de offic. ejus.* Delegatus dicitur habere usum jurisdictionis; ordinarius non potest procedere extra suam jurisdictionem, & territorium, sed delegatus potest extrà procedere, *cap. grave de officio ordinarii*, nomine verò jurisdictionis, venit ordinaria, non delegata; & ordinaria ampliatur, delegata verò restringitur, *cap. cùm dilecti. de arbitris, cap. penul.* ubi *glossa de officio delegati*, potest tamen delegatus, quamvis non exprimatur, cognoscere de causâ reconventionis, nec non de compensatione, *Bald. in l. pen. C. si à non competenti Judice, Gregor. Lopez in l.* 47. *tit.* 18. *par.* 3. *l.* 4. *&* 5. & si quis habeat jurisdictionem ordinariam, & delegatam, & utatur ea, censetur uti ordinaria, quæ est favorabilior, non delegata, *Bart. in l. pupillus: ff. ad l. falcidiam, Decianus lib.* 4. *criminalium. cap.* 25. *num.* 24. sed poterit, si voluerit, omissa ordinaria uti delegata, legas *Fragosium ubi sup. num.* 108. qui ponit multas conjecturas, quibus ordinarius fit delegatus ex commissione: si verò causa committatur Caio, Petro, & Paulo sub nomine proprio, & unus, vel alter delegatorum moriatur, tota delegatio quoad alios extinguitur, *cap. uno delegatorum de offic. delegati*, ubi communiter DD. *Decius in cap. causam matrimonii de officio delegati*; secùs, si causa committatur eisdem sub nomine appellativo, tunc enim morte unius, non extinguitur delegatio, sed perseverat apud superstites; donec alius loco defuncti substituatur, *Felinus in d. cap. uno delegatorum*, quia quandò fit delegatio personæ incertæ, non censetur electa industria personæ, *Menoch. de arbitr. casu* 64. *num.* 17. *Sanchez lib.* 8. *de matr. disp.* 27. *num.* 43. qui concludit Vicarium Episcopi, cui committitur dispensatio, posse committere examen testium & informationem, non verò dispensationem, cùm sit actus jurisdictionis, ubi est electa industria personæ. Idem dico, quandò causa est gravis, & committitur

mittitur constitutn in dignitate; tunc quia videtur electa industria personæ, non poterit alteri subdelegari, *cap. is, cui. de offic. deleg. in 6.* latè *Barb. in d. cap. quamvis de offic. deleg.* Delegatus verò datus ad cognoscendum de causa aliqua, est quæstio an sit datus ad pronunciandum, & exequendum? *glossa in l. à Divo Pio, ff. de re judicata*, negat posse exequi suam sententiam, sequitur *Cynus*, & *Fulgosius in l. jubere cavere, ff. de jurisd. omn. Judic.* quibus adhæret *Menoch. de arbitr. q. 74. num. 57.* quia delegatio est stricti juris, ergo non est largè accipienda, *cap. cùm dilecta de rescriptis*, sed veritas est, delegatum Principis de jure civili datum ad cognoscendum, posse pronunciare suam sententiam, eamque exequi ex *l. fin. C. de judiciis, §. si verò Auth. de exhibendis reis*, *Bart. & Alex. in d. l. à Divo Pio. Franciscus Marcus. par. 1. dec. 284. Cevallos communes contrà communes. q. 632.* quia executio sententiæ est pars jurisdictionis ipsius causæ, *cap. si delegatus §. fin. de offic. deleg. in 6.* & per solam sententiam definitivam antè executionem non expiravit jurisdictio commissa, juxtà *textum in cap. in litteris de offic. delegati*, & constat ex *l. ultima in fine. C. de judiciis*: immò delegatus Principis potest præcipere ordinario, ut suam sententiam mandet executioni, & tenetur obedire, & potest ad hoc implorare auxilium brachii sæcularis, quandò est Judex ecclesiasticus, post alios *Fragosius de Republica christiana lib. 4. disp. 10. num. 126.* non tamen potest delegatus Papæ uti armata manu ad exequendam sententiam suam, secundùm *Abbatem in cap. significasti num. 9. de offic. deleg.* ubi *Felynus num. 3. & Innocentius num. 3.* Delegatus verò ab inferiore Principis est quæstio an possit exequi suam sententiam, negat *Bart. in d. l. à Divo Pio de re judicata num. 19.* ubi vult executionem sententiæ pertinere ad delegantem, quia post latam sententiam delegatus functus est officio suo, *l. si ut proponis, C. quomodo, & quandò Judex l. 1.* alii dicunt posse exequi, legas *Fragosium ubi suprà num. 127. in fine.*

Est tamen notanda differentia inter delegatum ad universalitatem Causarum, & ad generalitatem ipsarum, delegatus enim ad universalitatem causarum dicitur, cui committitur certum genus Causarum, etiamsi non fiat mentio specifici territorii: Delegatus verò ad generalitatem causarum est ille, cui committuntur omnes causæ, quæ controvertuntur inter Petrum, & Paulum, & dicitur generalis delegatio quoad causas, limitata verò quoad personas, ideò delegatus dicitur generalis, non verò universalis, quandò limitantur personæ, & talis delegatus non poterit unam causam subdelegare, & delegatus ad universalitatem causarum dicitur ordinarius, & proinde potest subdelegare *glossa in l. 1. §. ab eo. ff. quis & à quo.* Colligitur ex *cap. cùm causam. de appellat. Bart. in l. more, ff. de jurisdict. omn. Judicum*, *Maranta par 4. dist. 5. num. 27. & 55. Garsia par. 5. de Beneficiis cap. 8. num. 35.* non tamen poterit delegatus ad universalitatem causarum totam suam delegationem subdelegare, sed unam, vel alteram causam, *Hostiensis in summa de offic. delegati, §. quis possit*, *Maranta d. num. 55.* Verùm in foro pœnitentiali confessarii, quibus committitur universitas causarum ab Episcopo in illo foro in tota Diœcesi, juxtà *textum in cap. inter cæteras. de officio ordinarii.* non possunt aliis delegare, nec unius pœnitentis absolutionem, *Sylvester in verb. confessio il. 1. §. 4.* & habetur *in cap. ult. de officio delegati.* De Canonico verò pœnitentiario est quæstio an possit ipse delegare alteri Confessario absolutionem casus Episcopalis. Prima opinio negat, ità *Valerus in differen. utriusque fori in verb. jurisdictio diff. 2. nu. 3. Riccius in praxi aurea resol. 179.* quia delegatus ad nudum ministerium, subdelegare non potest, *cap. ult. §. cæterùm de offic. delegati*, sequitur *Fragosius ubi sup. num. 142.* Secunda opinio dicit posse pœnitentiarium prædictum hanc facultatem alteri pro uno occurrenti casu delegare, *Angelus in verb. Confessio il. 3. §. 14. Bossius in discept. moralibus, discep. 1. num. 57.* inclinat *Barb. de canonicis cap. 26. nu. 18.* quia est delegatus ad universitatem causarum, & à casibus, quos Episcopus sibi reservavit, potest ipse absolvere, etiamsi id non dixerit Episcopus, quia id ei competit ex officio, ut post *Piasecium*, & alios id dicit *Barb. d. cap. 26. num. 16. Homobonus, Bossius*. & alii apud ipsum: etenim pœnitentiarius eo ipso, quòd talis eligitur, absque nova approbatione est Parochus totius Diœcesis, quem eligere ad solum Episcopum spectat non ad capitulum etiam, nisi vacaret præbenda in mense Apostolico, quia tunc ad Papam pertinet electio, *Seraph. dec. 1218.* qui eligi debet Doctor. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 8.* & si sit ignarus licèt Doctor, titulus non sufficit ut rescripsit Sacra Congregatio Episcopo Capuano apud *Barb. ubi suprà num. 9.* & debet esse ætatis 40. annorum, vel aliàs idoneus, *Garsia par. 7. cap. 4. num. 32.* quos 40. annos debere esse completos dicunt *Garsia par. 7. cap. 4. Barb. alleg. 55. num. 9.* contrà *Azorium lib. 5. cap. 5.* existimantes sufficere inchoatos.

Sciendum est quinto, Judicem debere esse certum de sua jurisdictione, antequàm procedat ad aliquem actum, quia defectus jurisdictionis dicitur insanabilis, ex quo omnes actus corruunt, *l. 1. §. fin. ff. ad Sen. Cons. Tertullianum l. 1. §. hac autem. ff. quod quisque juris*: undè jurisdictio ordinaria nunquam præsumitur, nisi de ejus collatione publica appareat scriptura, quia jurisdictio est qualitas, quæ homini naturaliter non inest, ergo debet Judex facere fidem de sua potestate: *glossa in cap. si fortè de elect. in 6. & in l. unica, C. de mand. Principum*, & ostendere debet Judex litteras suæ potestatis, *cap. 1. quis dicatur Judex in usibus feudorum, cap. fundamenta, vers. Marchio*, ubi *glossa in verb. litteras de elect. in 6.* Idem dicas de Judice delegato, argum. *cap. cùm in jure. de offic. deleg. Guido Papa singul. 550. Anna alleg. 24. per totam & alleg. 143.* & colligitur pro ecclesiasticis ex *extravag. injunctæ de elect.* potest etiam Judex cognoscere de omni exceptione, quæ opponitur per partem contrà seipsum, & suam jurisdictionem, nisi sit exceptio, quòd sit infamis, vel excommunicatus, *DD. in l. quidam consulebant, ff. de re judic. Julius Clarus in § fin. q. 43. Tuschus*, & alii apud *Fragosium num. 150. Gabedus dec. 41. par 1. & 2. par. d. 76.*

Secundo, Judex debet ultrà jurisdictionem timere Deum, ut faciat justitiam, nam, qui timet hominem facilè deviat à justitia, & citò corruit, qui verò sperat in Domino, sublevabitur, *Prover. cap. 29.* legas *textum in cap. 1. de re judic. in 6. & Eccles. 7.* dicitur *Noli fieri Judex, si virtute non vales irrumpere iniquitates Malorum*, & ad hoc est notabile exemplum cujusdam Pagani apud *S. Antoninum, 3. par. tit. 9. cap. 1.* qui in judicando sibi vehementer cavit ab omni injustitia; mortuus fuit in infidelitate sua præservatus tamen per longissima tempora à damnatione æterna, evenit quòd Agricola aperiebat in agro suo foveam, fuit vox audita, percute leviter, ne mihi noceas: rogatus ab Agricola quisnam esset, respondit, se fuisse Gentilem, qui per multum tempus Judicis officio functus, propter justitiam, quam integram administravit, à Deo fuit præservatus, quònsque baptizaretur, & rogavit, ut rem ad Episcopum deduceret, accessit Episcopus & inve-

& invenit Calvariam illius integram, & linguam in eo viventem; statim fuit baptizatus, & mortuus fuit, quod etiam exemplum refert *Pater Fragosius loco citato num.* 153.

Ex quo nota à contrario deberi, & ipsis officialibus maximam reverentiam, cùm sint loco Dei, etiamsi sint in Syndicatu, quia gaudent eisdem privilegiis eo tempore, *Paris de Puteo de syndicatu fol.* 21. *num.* 16. *Marsilius singulari* 179. & notoriè Judex offensus potest de tali offensa cognoscere, quia dicitur potiùs executor juris, *cap. manifesta* 2. *q.* 1. *DD. cit.*

Rogabis: Judex privata scientia novit aliquem innocentem, sed ex probationibus in actis constat esse nocentem, an possit secundùm conscientiam judicare an verò secundùm allegata, & probata?

Respondeo, duas esse opiniones. Prima quòd Judex non possit hunc talem condemnare: ità *Nicolaus de Lyra in Exodum cap.* 23. *Hostiensis, & Abbas in cap. pastoralis de officio deleg. Petrus Navarr. de restitut. cap.* 3. *num.* 161. *Lessius lib.* 2. *de justitiâ cap.* 29. *dub.* 10. *num.* 78. Secunda opinio dicit, Judicem posse id facere tàm in criminalibus, quàm in civilibus, & posse secundùm prædicta allegata, & probata judicare contrà veritatem sibi privatim notam: ità *S. Thomas* 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. ubi *Salonus, Aragonia, & Bannes, Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 4. *Cajetanus d. q.* 67. *art.* 3. *ad* 2. *Sotus de justitia lib.* 5. *q.* 4. *tit.* 3. *Sayrus in clavi regia lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 13. *Mastrillus de magistratibus lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 117. *Bovadilla in Politica lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 32. *Morla in Emporio juris tit.* 2. *par.* 1. *q.* 1. *&* 2. sequitur *Fragosius disp.* 10. *num.* 162. *Toletus lib.* 5. *summæ cap.* 56. *Valentia tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *p.* 2. probatur, tùm quia Judices in judicando non utuntur auctoritate privata, sed publica; ergo secundùm illam, & secundùm scientiam publicam, quam leges approbant, debet judicare, quamvis ei notum sit reum à petitis esse immunem, tùm quia si non secundùm processus deberet Judex judicare, sed secundùm privatam scientiam, perturbaretur tranquillitas Reipublicæ, & populus pateretur scandalum, dùm videret Judices probationes factas in judicio respuere, tùm quia scientia, quàm habent Judices privatim, non est juridica, ergò tenetur judicare secundùm allegata, & probata.

Hanc tamen doctrinam limita in conferendis officiis publicis, & aliis quæ arbitrio Judicum remittuntur, in quibus, si Judices certò sciant de meritis oppositorum, quamvis per publicas testium probationes cognoscant alios esse digniores, possunt conferre secundùm scientias potiùs privatas: quàm secundùm probationes publicas, *l.* 1. *&* 2. ubi *DD. ff. de jurisd. omn. Judic. Sylvester in verbo Judex* 2. 2. *q.* 5. *Salonius* 2. 2. *q.* 67. *ar.* 2. Idem dicas de dispensante, vel exequente dispensationem, si enim ex scientia publica sciat non esse impedimentum, & ex scientiâ privatâ videat esse impedimentum, poterit denegare dispensationem, quia Judex in distribuendis officiis, non est propriè Judex, sed distributor; ergo, &c.

Rogabis secundo, quid facere debeat Judex, quandò privatim constat quisnam fuerit delinquens, & secundùm allegata, & probata innocens condemnatur?

Respondeo, teneri priùs omnes vias capere, quibus liberetur innocens Secundo potest carcerem aperire, ut fugiat, si commodè fieri possit. Non tamen tenetur officium deponere, quia leges charitatis non obligant cum tanto incommodo amissionis officii, DD. ubi suprà.

Rogabis tertio, an possit Princeps condemnare delinquentem, quem ex propria, ac privata scientia esse verè nocentem cognoscit, sed qui ex allegatis, & probatis appareat innocens.

Respondeo duas esse opiniones: Prima est posse: ità *Cynus, Bart.* & alii, *in l.* 1. *C. quæ desunt Advocatis, &c.* Secunda opinio est non posse Principem condemnare illum talem, quandò crimen est omninò secretum, vel improbabile: tùm quia Princeps non potest tollere ea, quæ sunt de solemnitate judicii, qualia sunt defensio rei, & testium probatio, & auditio partium, quæ sunt debita de jure naturali, vel saltem de jure gentium, *Sylvester in verb. Judex* 2. *cap.* 5. Secundo, quia tenetur Judex judicare secundùm allegata, & probata, ergo, legas *Fragosium, Sayrum, Lessium,* & alios ubi suprà *& Filiuccium tract.* 28. *cap.* 8. *q.* 4.

Rogabis quarto, an Judex debeat judicare secundùm opinionem probabilem, an secundùm probabiliorem.

Respondeo affirmativè, & pro intelligentia suppono, opinionem probabilem dici, quæ habet rationes alicujus momenti: ità ut pro contraria parte nihil sit convincens, *Vasquez* 1. 2. *q.* 16. *ar.* 6. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 8. *Valentia ibidem disp.* 2. *q.* 12. *puncto* 5. *q.* 1. *Sayrus lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. *Fragosius disp.* 10. *§.* 3. qui omnes dicunt, quòd ad videndum, an aliqua opinio sit probabilis, tria inspici debent. Primo quinam sint DD. qui eam defendunt, an sint prudentes, timentes Deum, litterati, & in ea materia multùm versati, nec regulariter sufficit, quòd unus, vel alius Doctor eam docuerit: Dixi regulariter, quia aliquandò unius auctoritas timoratæ conscientiæ, ac periti facit opinionem probabilem, *Navarr. in manuali cap.* 27. *num.* 88. *Angelus in verb. opinio* ubi *Sylvester q.* 1. *Emmanuel Sà in verb. dubium nu.* 3. *Valentia disp.* 12. *q.* 4. *puncto* 4. *D. Thom. quodlib.* 3. *art.* 10. qui etiam dicit posse discipulum adhærere opinioni sui Magistri relicta communi DD. sententia, & qui ità judicat, excusatur per *Abbatem in cap.* 1. *de postul. Prælatorum, Rebuffus de privilegiis scholarum, privil.* 72. & excusatur Judex sic judicans in syndicatu, post eos *Mastrillus lib.* 6. *de magistratibus cap.* 10. *num.* 99. *Gerardus de Petra sancta singul.* 62. dummodò Magister sit solemnis Doctor: ad quod facit *Arist.* 1. *topic. cap.* 1. *& lib.* 1. *&* 2. *cap.* 4. ubi ait probabile dici, quod omnibus, aut pluribus, aut cuique suæ artis perito videtur, sequitur *Azorius lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 4. *&* 6. Secundo requiritur, ut aliqua opinio sit probabilis, quòd expendatur ratio, & argumentum, quod pro, & contrà fieri potest: his enim consideratis, de facili potest cognosci, quæ securitas sit in opinione. Tertio videndum est, an talis opinio contineat errorem, vel an sit antiquata, quia tunc non est licitum secundùm illam operari, jam quòd in praxi non est: inter probabiles verò opiniones illa præsumitur verior, quæ à majori parte DD. probatur. *Afflictus dec.* 1. *num.* 3. & ad hoc facit *textus in cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte capituli, & textus in cap. si transitus* 79. *dist.* ubi plurium suffragia præferuntur, quia quod plures faciunt censetur Canonicum, teste *glossa ultima in cap. cùm olim de re judicata*: inter duas verò opiniones probabiles una potest esse alterâ securior: erit verò securior illa, quæ judicat id, de quo controvertitur, esse peccatum; minùs secura verò, quæ judicat id, de quo controvertitur, non esse peccatum v. g. eligere minùs dignum omisso digniore, est minùs securum, sed eligere magis dignum omisso digno est securius, quia in hac electione exponitur periculo peccandi; potest tamen aliquandò contingere, ut minùs tuta opinio sit probabilior, si melioribus firmetur rationibus, non

nec semper est sequendum, quod censetur tutius, nisi vallatum sit firmiori ratione, *Sanchez*, & alii apud *Fragosium disp.* 10. *§.* 3. *num.* 179. Si verò petas, quæ dicatur communis sententia. Respondet *Menoch. lib.* 2. *de præsumpt. præs.* 71. *num.* 39. *&* 40. eam dici, quæ habet plures auctores eam asserentes arguendo, & disputando, non verò eam, quæ plures habet DD. eam asserentes nulla disputatione præmissa, sed persunctoriè simpliciter, & per transennam sequentes, *Cavallos in præfatione ad practicas quæstiones. Sanchez de matrim. lib.* 3. *disp.* 44. *num.* 2. *& Navarr. in manuali cap.* 27. *num.* 289. scribit opinionem communiorem existimandam, quæ habet septem, aut sex Doctores classicos rem ex professò tractantes; dicit verò illos censeri classicos ac majoris auctoritatis, quorum scripta in tribunalibus magis accepta sunt, *Nevizanus in sylva nuptiali lib.* 5. *num.* 5. *Menoch. ubi sup. Glossæ* opinio præfertur, posteà opinio *Bartoli* & in tota Hispania opinio *Bart.* habetur pro lege, *Marta de jurisdic. par.* 1. *cap.* 26. *num.* 12. *& voto* 6. *num.* 5 *Cavallos* verò ubi suprà *num.* 62. dicit non esse recedendum ab opinione glossarum, nisi praxis usu recepta sit in contrarium, tunc enim potest Judex à glossis, sicut à lege ob consuetudinem contrariam recedere. Leges Hispanæ extrà Regna Hispaniarum habent auctoritatem unius gravissimi Doctoris, quia plerùmque sunt conformes juri communi, *Burgos in leges Tauri l.* 1. *num.* 451. ubi *Gomesius num.* 8. & apud Hispanos deficientibus legibus recurritur ad jus canonicum, *Suarez de Pax in praxi in princ. annot.* 5. quandò verò id, de quo agitur est clarum de jure civili, & clarum de jure canonico, tunc in foro laicali servatur jus civile, & in foro canonico jus canonicum, *cap.* 1. *de novi operis nunciatione*, *DD. ubi suprà.*

Confessarius verò potest sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, ut contra *Cordubam in suo quæstionario lib.* 2. *q.* 3. *Corradum de contractibus tract.* 7. *q.* 110. *concl.* 1. *Sylvestrum in verb. dubium q.* 2. *S. Antoninum par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. *§.* 10. *regul.* 4 docent *Valentia*, *Vasquez*, *Suarez*. *Henriquez*, *Lessius*, *Azorius*, & alii, quos sequitur *Gutierez lib.* 1. *quæstionum canonicarum*, *cap.* 13. *num.* 23. quia ille dicitur peccare, qui contrà conscientiam operatur, sed qui sequitur opinionem probabilem operatur contrà conscientiam, ergo: idem dicunt *Fragosius num.* 196. *in fine & Sanchez de præceptis lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14.

Potest etiam Judex modò secundùm unam opinionem probabilem, modò secundùm alteram judicare, *Sanchez num.* 45. & si ego habeo unam sententiam, possum consulere secundùm aliam, quam alii probabilem putant, licèt sit illa contrà meam sententiam, & hoc etiam licere confessariis, dicit *Sanchez ubi sup.* possunt enim viri docti non solum consulere contrà propriam opinionem, sed etiam operari contrà eam, *Fragosius ubi sup. à num.* 203. *cum sequentibus.*

Rogabis quinto, an possit Judex ordinarius suam sententiam semel latam revocare, corrigere, & declarare?

Respondeo, quòd sententiam definitivam non potest mutare, vel emendare, *l. actorum ff. de re judicata*, ubi *Bart. num.* 1. putant aliqui ex incontinenti posse emendare, vel corrigere. *Alex. consil.* 118. *vol.* 3. *& cons.* 90. *vol.* 1. sed communis est in oppositum, *Romanus cons.* 14. & alii communiter apud *Fragosium disp.* 10. *num.* 216. *Gratianus cap.* 147. sicuti neque testis potest suam depositionem declarare, quandò declaratio sapit novam depositionem, *Socinus senior cons.* 214. *vol.* 2. neque potest Judex de partium consensu sententiam definitivam corrigere, postquàm eam pronunciavit ex *glossa in l. si diversa C. de transactionib. Rebuffus ad leges Gallicas de sentent. ar.* 3. *glossa unica num.* 9. & si sententia sit facta nulliter, & partes sint præsentes, eamque approbent, valet, *Menochius cons.* 381. *num.* 17. *& cons.* 208. *num.* 81. non tamen observabitur tanquam sententia, sed tanquàm conventio, & pactum, *l.* 2. *C. commun. utriusque judicii*, ubi *Bald. Jason in d. l si adversa*, *Decius cons* 475. *num.* 35. *Afflict. dec.* 118. *num.* 6. Sententia verò interlocutoria potest semel lata revocari, quia remanet post eam latam Judex quoad sequentia, *l. post sententiam*, *C. de sententiis*, & potest semel, & pluriès revocare, *Gratianus cap.* 147. *num.* 11. *& cap.* 155. *num.* 16. eamque potest revocare sine causa: *glossa in l. quod semel. ff. de decretis ab ordine faciendis*, *Bart. in l. quod jussit*, *ff. de re judic.* ubi *Jason num.* 49. à qua revocatione non potest appellari. *Felynus in cap. exceptionem num.* 5. *ff. de exceptionib.* Immò potest fieri revocatio absente parte, *Decius in l. qui potest num.* 22. *ff. de regulis juris.* Interlocutoria verò geminata non potest revocari, *glossa in Clem. fin. de re judicata.* Postquam verò interlocutoria tradita fuit executioni Judex in præjudicium partis appellantis, non potest illam revocare, *glossa in l.* 1. *§. fin. ff. de prætoriis stipulationibus*, ubi *Bart. num.* 4. *Romanus cons.* 226 *Caldas Pegueira lib.* 1. *quæstion. forens. q.* 9. Si petas, an sententia super possessorio sit definitiva, an interlocutoria; dico esse definitivam, quia in possessorio fertur definitivè, *glossa*, *Bart.* & alii *in l. unica*, *C. si de momentanea possess. fuerit appell. glossa Bart. & Bald. in l. post sententiam. C. de senten. & interlocut. omn. Jud. gloss. in cap. cùm ad sedem de restit. spoliat. cap. ult. de judiciis*, *in verb. super poss.* & confirmatur *ex Clem.* 1. *de sequest. possess. & fruct. in verb. contrà possessorem*, intellige in possessorio ordinario, secùs si in possessorium summariissimum, quia tunc erit interlocutoria, sed non erit licitum revocare, *Velasquez consult.* 79. *num.* 18. *Menoch. de retinenda poss. remed. ult. nu.* 56. *Covarr. pract. q.* 17. est etiam quæstio, an liceat appellare à sententia lata in possessorio summariissimo? affirmant aliqui, de quibus *Menoch. ubi suprà*, quia tale judicium possessorium exigit celeritatem *l.* 2. *C. quorum appellatio non recipiatur*, ubi DD. alii dicunt appellari posse, legas *Rebuffum de possessoriis ar.* 1. *glossa* 1. *num.* 23. *Gutierez canonicar. quæstion. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 119. *Fragosius disp.* 10. *in fine.*

Rogabis sexto, an Magistratus possint augere, vel minuere pœnas à lege, vel consuetudine statutas?

Respondeo primo, quòd Magistratus, qui pœnas à jure statutas augent, eandem pœnam incurrunt, quàm qui injustè imponunt, *l. lex Julia §.* 1. *ff ad legem Juliam repetund.* quem *textum* valdè extollit *Bald. in l.* 1. *col.* 4. *C. ex delicto defuncti juvat textus in l.* 1. *ff. ad leg. Cornel de Sicariis*, ex quo probatur, Judicem injustè punientem subjici *Legi Corneliæ de Sicariis*, quem *textum* allegat *Bald. in cap.* 2. *de re judicata*, qui dicit capitali pœna esse judicem puniendum, qui punit aliquem capitali pœna, causa non examinata, qui verò nocentes liberant, tàm grande facinus committunt, quàm Rei ipsi, & fiunt infames, *l. servos in fine*, *C. de vi publica*, ex causa verò possunt Judices delinquentibus pœnas minuere, vel augere pro suo arbitrio, *Bald. cons.* 34. *vol.* 1. *& in l. milites*. *C. de testam. militum.* Causa verò esse potest, vel ætas, *ex l. auxilium*, *§. in delictis*. *ff. de minoribus*, *cap. canta* 86. *dist. Clarus in §. fin. q.* 60. sic ex circumstantia delicti potest minui pœna, puta si commissum sit absque dolo, *l.*

*absentem*

*absentem*, *§. fin. ff. de pœnis*, vel si dolus sit minor, vel saltem levis, vel si quis ex rusticitate, offendit. *d. cap. tanta 86. dist.* sic ob paupertatem pœna pecuniaria est minuenda, aut remittenda *l. illicitas*, *§. ultimo. ff. de offic. Præsidis*, *Abbas in cap. nisi specialis de offic. delegati. Tiraquell. de pœnis temperandis causa 32.* possunt etiam Judices pœnas arbitrarias à lege inductas temperare ratione amicitiæ, mitiùs agendo cum amico secundùm conscientiæ motum, *glossa in cap. nisi specialis de offic. delegati*, *Julius Clarus in §. fin. q. 60. num. 35.* dummodò non agatur de præjudicio tertii, *Tiraquell. de pœnis in præfat. num. 22.* posset verò pœna minui ante sententiam, non verò post, *glossa in l. quid ergo*, *§. pœna gravior*, *ff. de infamibus*. *Clarus in §. fin. q. 85. num. 10.* quia tunc non possunt magistratus mutare pœnam inconsulto Principe. Minores verò Magistratus, neque ex causa possunt pœnas minuere, vel alio pacto alterare, nisi consulto Principe, *Menoch. de arbitr. q. 96. num. 18.* dicuntur minores in hac materia, qui causas civiles decidunt, v. g. ad certas quantitates, *l. si tibi de mandatis Principum*.

Respondeo secundo, Principes non posse gratias facere de delictis, puta de homicidio deliberato, & similibus parte non concordata, quia esset præjudicare tertio. & ad propositum est legendus *Menoch. de arbitr. q. 48.*

Respondeo tertio, non posse pro pœnis delictorum agere contrà hæredem defuncti eo mortuo, *l. pupillus*, *§. in hæredem ff. de regulis juris*, *l. in Senatus*. *§. si propter mortem. ff. ad Turpill. Duennas regul. 13. & 137.* qui loquuntur non solùm de pœna corporali, sed etiam privativa status, ac de pœna pecuniaria, tùm quia pœna punitiva corporis morte delinquentis finitur, *l. 3. & l. defuncto*, *ff. de publicis Judiciis*, tùm quia illa pœna est sensûs, defunctus autem non sentit, ergo non debet puniri: hinc est, quòd si criminosus post sententiam naturaliter decedat, non deberet puniri. *Gomesius de delictis cap. 1. num. 78. Vagonius contr. illustrium cap. 96. Peregrinus de jure fisci lib. 4. tit. 5.* qui extendit regulam tam ad delicta publica, quàm privata. Hoc limita in crimine læsæ majestatis, tàm humanæ, quàm divinæ, in quo est speciale, post mortem procedi posse, & de illo cognosci, & quidem de crimine læsæ majestatis humanæ dicit *textus in l. Papinianus*, *§. rei*, *ff. de acqu. hæred. l. fin. C. ad legem Juliam majestatis*, *Julius Clarus in §. fin. q. 51. num. 13. & in læsæ Majestatis nu. 16. Mascardus concl. 348. num. 35. Peregrinus ubi suprà. num. 19.* de crimine hæresis, quòd scilicet possit post mortem puniri; est *tex. in l. Manichæos*, *C. de hæreticis cap. si quis Episcopus. eodem tit. Auth Gazaros*, *C. de hæreticis*. *cap. à nobis de præscript. cap. excommunicamus il. 1, de hæreticis*, *cap. accusatus*, *§. in eo verò casu de hæreticis in 6.* ubi habetur de crimine hæresis posse inquiri etiam post mortem, *Julius Clarus in §. hæresis num. 21. Peregrinus ubi suprà num. 29.* quod procedit, quandò constat defunctum fuisse hæreticum, secùs, si solùm erat præsumptio de hæresi: tunc enim potest inquiri de illo, non tamen bona sunt confiscanda, quia non confiscantur, quandò reperitur suspectus de hæresi, *Vivius cap. accusatus*, *§. porrò. de hæreticis*: potest tamen inquiri post mortem de hæretico præsumpto, hoc est de illo, qui citatus in causa fidei fuit contumax per annum, & deindè mortuus fuit, *Bellamera dec. 677. & seq.* in quo casu sunt vocandi hæredes defuncti, *Clarus in §. hæresis num. 21.* non tamen locum habet accusatio post mortem contrà fautores, defensores, & receptatores hæreticorum, defunctos, si non sint hæretici ipsi receptatores, defensores, & fautores, DD. ubi suprà; durat etiam post mortem pœna delicti repetundarum, *l. 1. ff. ad leg. Jul repetund.* quoad pœnam bonorum. *l. ex judiciorum ff. de accusat.* ubi *glossa*. *& DD.* sic in crimine peculatûs, *l. 2. ff. ad leg. Juliam peculatus*, ubi *Julius Clarus in §. fin. q. 51. num. 13. Gomesius de delictis cap. 1. num. 80.*

Rogabis septimo, quinam possint pœnas remittere, ac gratias de delictis concedere?

Respondeo, facultatem indulgendi delicta, & gratias concedendi esse de regalibus, & reservari Principi non recognoscenti superiorem, *l. 2. C. de bonis damnatorum. l. relegati l. ad bestias*, *§. ex provincia*, *ff. de pœnis*, & in hoc omnes conveniunt: teste *Afflicto in tit. quæ sint regalia num. 13. Mastrillus de indultu generali cap. 2. Peregrinus de jure fisci lib. 5. tit. 2. Marta de judic. p. 1. c. 44.* undè sequitur, non posse Principes inferiores pœnas remittere, vel gratias concedere de delictis capitalibus quoad pœnam corporalem, eo quòd id convenit Principi supremo, quamvis quoad bona, & pœnas, quæ ipsis applicantur, secùs sit dicendum, nam bona, & pœnas eorum ærario applicatas, possunt remittere Principes inferiores, *Decianus tract. crim. in tit. de ambitionibus num. 94. Farinaceus de inquisit. q. 6. num. 2. Mastrillus d. cap. 2. num. 17. Osaschus dec. 101.* quia remittere peccata, est suprà legem, *Matth. cap. 10. Marc. cap. 2. Lucæ cap. 5.* remittere verò pœnam, est contra legem, & naturam. *Innocentius in cap. cùm tabellio de fide instr.* sed à legibus solus supremus Princeps, seù qui supremi jura habet, solutus est, *l. Princeps. ff. de legibus*, *l. digna vox. C. eodem* ergo pœnas remittere, & gratias facere supremo Principi tantùm pertinet, decisum refert *Osascus d. dec. 101.* ut autem gratiæ concessæ à Principe subditis pro commissis delictis non sint subreptitiæ plura requiruntur. Primo, ut non solùm sint proposita Principi delicta, sed eorum circumstantiæ, & qualitates aggravantes, præsertim quæ Principis animum verisimiliter retrahere potuissent à concedenda gratia, si hæc omnia scivisset, *Ancharanus cons. 160. col. 3. Jason in l. nec. damnosa*, *C. de precib. Imper. offeren. Clarus in §. fin. q. 59. Romanus cons. 449. Menoch. de arbitr. casu 203.* colligitur ex *cap. si proponente, de rescriptis*: debet exprimi autor criminis, & si delictum sit proditoriè commissum, *Farinaceus d. q. 6. num. 6.* nec sufficit afferere unum delictum, & se referre ad alia, de quibus in processu; sed requiritur specifica mentio ipsorum, quia ex generalitate illa oritur quædam confusio, ob quam veritas Principi non patet, *l. fin. C. de dotis promiss.* quia licet paria sint esse aliquod certum in se, & per relationem ad aliud, *Decius in l. certum*, *ff. si certum petatur*, locum non tamen hæc regula in rescripto gratioso locum non habet, in quo requiritur specifica, & particularis expressio delictorum, & qualitatum, *Dec. in d. l. certum*, *Afflictus dec. 220. num. 15. & 16.* non tamen est subreptitium, quandò non exprimuntur alia delicta, de quibus tamen Princeps habebat scientiam, *Felynus in cap. super literis num. 8. & in c. nostra de rescriptis*, *Jason cons. 183. lib. 2.* nec est subreptitium ex taciturnitate illorum, quæ si expressisset, adhuc concessisset, *Alciatus cons. 632. Rota dec. 31. & dec 21. Farinaceus tom. 1. q. 6. num. 48. cons. 93.*

N[illegible] tamen, quòd nonnisi ex causa justa, ac Reipublicæ utili rescripta, ac remissiones delictorum sunt concedenda, & raro per text. in d. l. rele-

*rrlegari*, & *in d. l. ad bestias §. planè instit. de jure naturali, Gentium, & civili, Farinaceus d. q.* 6. *num.* 19. *Mastrillus de magistratibus lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. obi gravissimè peccare dicit Principem sine causa pœnas delictorum remittentem, quia facilitate remittendi occasionem affert delinquendi, teste *S. Ambrosio*, de quo *glossa in cap. Injusta* 23. *q.* 4. & *Molina de Justitia disp.* 88. *to.* 1. *tract.* 3. ait, violatur auro justitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.

Nota secundò, quæstionem esse, an delicti gratia sit subreptitia, eo quòd homicidium, v. g. commissum appensatè, non fuerit explicatum sic fuisse factum? Prima opinio affirmat cum *Cravetta cons.* 12. qui tamen *num.* 14. addit non esse tale, quandò constat, Principem voluisse concedere. Secunda opinio dicit esse faciendam mentionem de tali qualitate, ità *Jason*, *Bald.* & alii in *l. nec damnosas C. de precib. Imper. offer. Menoch de arbitr. casu* 203. *num.* 28. *Gomesius de tonura rrorum*, *cap.* 13. *num.* 33. qui etiam dicunt delinquentem, qui in petitione indultûs non expressit esse in carceribus detentum, subreptitiè petiisse, *Mastrillus de indulto cap.* 12. *num.* 3. *Clarus in §. fin. q.* 59. *num.* 9. ex quo etiam nulla est gratia concessa ob homicidium nulla facta mentione de priori homicidio ex *l.* 3. *C. de Episcopali audientia*: præsumitur enim voluisse Principem remittere delictum iteratum, nisi expressa reiterationis gratiæ mentione facta gratiam concedat *Martius singul.* 378. *Gomesius tom.* 3. *cap.* 3. *nu.* 60. *Navarr. cons.* 1. *de constit. q.* 19. *Menochius d. casu* 203. *num.* 32. *Sanchez lib.* 8. *de matrim disp.* 22. leg:s *Fragosium disp.* 11. *lib.* 50. *in fine.*

Nota tertio, periculum esse, apud Judicem intercedere pro liberatione delinquentis, quandò non dependet ea arbitrio Judicis, quia fieri potest, ut petatur à Judice illicitè pœnæ relaxatio, erit ergo tutius agere cum parte, & ab ea obtinere remissionem, qua obtenta pro liberatione intercedere, tunc enim non adest periculum inferendi injuriam parti, cùm ipsa juri suo cesserit, *Valentia tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *Sayrus in clavi regia lib.* 2. *cap.* 12. *Salonius* 2. 2. *q.* 67. *ar.* 4. *concl.* 2. *Sotus de Just. & Jure lib.* 5. *q.* 4. *ar.* 4.

Nota quarto, quæstionem esse inter DD. an Judex possit pœnam condonare, vel teneatur ad mortem condemnare illum, à quo ipse, vel ejus ministri veritatem criminis commissi extorserunt promissâ impunitate, seù fictis promissionibus, aut minis, & deceptionibus. Prima opinio dicit posse Judicem hunc talem condemnare, quia non tenetur illam promissionem servare, utpotè perniciosam Reipublicæ, & Reus sibi imputare debet, quòd tali promissioni fidem præstiterit, *Clarus in §. fin q.* 55. Secunda opinio dicit, non posse condemnare, *Navarr. Salonius, Covarr. Gomesius*, & alii apud *Decianum lib.* 7. *criminalium cap.* 45. *num.* 22. *Farinaceus in praxi crim. par.* 3. *q.* 81. *num.* 276. *Filiuccius tract.* 40. *cap.* 6. *q.* 14. qui dicunt, Reum non posse condemnari tali casu, nisi destitutus spe promissionis adhuc perseveret in confessione delicti, vel nisi magnum immineat damnum Reipublicæ: tùm quia confessio illa fuit extorta per dolum, ergo: tùm quia fieri potest, ut Reus crimen non commiserit, sed fortè illud confessus sit, ut liberationem faciliùs obtineret; quòd si Reus post primam confessionem expressè ratificaverit liberè, & voluntariè, tunc poterit condemnari *Farinaceus ubi suprà*, aut nisi crimen esset maximè præjudiciale Reipublicæ, ut est crimen hæresis.

### *De Actore, & Reo.*

Vidimus de una persona requisita in judicio, scilicet de Judice; videndum erat de aliis, ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quòd actor est similis accusatori, nam sicut accusator movet judicium in criminalibus, ità actor proponit in judicio jus, quod sibi debetur, & dicitur accusator in criminalibus; actor verò in civilibus, *Alciatus in l. pecunia*, *§. actoris ff. de verb. sign. l. in omnibus*, *ff. de Judiciis. glossa in l. qui accusare. C. de edendo*: regulariter tria sunt necessaria in actore. Primo scilicet obligatio agendi. Secundo, veritas. Tertio, persecutio; obligatio agendi est primum requisitum, quia licèt nemo invitus cogatur agere, *Bar. in l.* 1. *ff. de obligat. & action.* & unusquisque sit rei suæ moderator, & arbiter, tamen regula fallit in multis casibus, signanter quandò jus agendi competeret alicui, & utilitas consequenda competeret tertio, juxtà terminos *tex. in l. cùm in plures. §. messem, ff. locati*, quare potest primogenitus cogi à secundogenito, ut agat super feudo pro recuperanda dote materna, & deindè ei dare portionem, *Francus dec.* 41. *num.* 1. sic quandò quis cœpit agere, potest cogi à reo ad prosequendum judicium, cui in hoc est jus quæsitum, *Afflictus dec.* 173. *Surdus dec.* 332. *nu.* 6. sic ille, qui se jactat habere aliquod jus contrà Titium, poterit ipse Titius diffamatus præveniendo ipsum cogi facere ad proponenda ejus jura, causa imponendi ei perpetuum silentium, secundùm dispositionem *text. in l. diffamarè, C. de ingenuis manumissis*, *Capycius dec.* 18. *Ossaschus dec.* 151. *Bert. dec.* 155. & datur terminus ad proponenda jura absque alia cognitione præcedente circà diffamationem secundùm ultimam opinionem, de qua *Mysingerius lib.* 1. *obser.* 78. *num.* 5. tenetur etiam quis agere in foro conscientiæ, quandò esset negligens ad res recuperandas, si ex tali negligentia maximum oriretur damnum sibi, vel suæ familiæ, essetque peccatum omissionis, & reduceretur ad peccatum mortale accidiæ: ità *Sotus de regendo, membro* 2. *q.* 5. *concl.* 2. sic quis tenetur agere, quandò est Procurator alterius, vel Syndicus Universitatis, vel tutor pupilli, vel alius, cui ex officio ratione administrationis agere tenetur, aliàs peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, *Sotus ubi sup. l. si tutor*, *ff. de admin. tutor. l. ultima ff. de tutelis.* Secundo requiritur in actore veritas, aliàs esset calumnia, & peccaret mortaliter cum onere restituendi omnia damna, & interesse parti læsæ, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 68. *ar.* 3. *cap. siquidem. §.* 1. 2. *q.* 3. undè debet habere veras probationes, & falsis producens peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem, & tot peccata mortalia facit, quot testes producit, & licèt non peccet contrà justitiam commutativam, quia id, quod petit, sibi debetur, tamen peccat contrà justitiam legalem, & contrà juramentum, *Cajetanus in verb. litigare*, *Abbas, Imola*, & alii in *cap.* 1. *de probat. Navarr. in manuali cap.* 25. *num.* 24. Requiritur etiam tertio in actore prosequutio in criminalibus, quod hodie neque requiritur, cùm Fiscus succedat loco accusatoris, in civilibus verò nec agere, nec prosequi tenetur quis, quia unusquisque jura sua remittere potest.

Sciendum secundo est, quòd omnis potest esse actor, nisi à lege prohibeatur; ex triplici verò capite potest prohiberi. Primo respectu actionis. Secundo respectu temporis. Tertio respectu personæ. Primo respectu actionis, quia, qui caret actione, non potest esse in judicio, *l. si quid possessor. §. sicut, ff. de petitione hæreditatis*, *l. si pupillus*. *§. videamus*, *ff. de negotiis gestis*; sicut è contrà, quandò actio est popularis, quilibet de populo in ea potest esse actor, ut circà educationem pupillorum. *DD. in l.* 1. *C. ubi pupillus educari debeat. Jason, & alii in rit. instit. de action.* qui verò intentat actionem incompe-

tentem

tentem dicitur ineptè agere, ejusque instantiam poterit Judex ex officio repellere, *Menoch. lib. 2. præs. 48. num. 22.* & si permiserit Judex aliquem agere in judicio sine actione, tenebitur parti ad interesse, *Menoch. de arbitr. q. 16.* & sic si quis petat in judicio aliquod, quod nulla actione sibi debetur, & porrigat memoriale S. E. & obtineat decretationem, quod M. C. vel Sacrum Consilium super supplicatis de justitia provideat, intelligitur, si petita debentur aliqua actione, ut per adducta à *Franco dec. 700. Thorus in verb. clausula in memorialibus.* Respectu temporis etiam est illicitum agere interdùm, ut si quis velit agere tempore feriarum, quia tunc prohibetur, *cap. fin. de feriis,* ubi DD. vel si actor agat antè tempus rei præstandæ, *l. antè diem ff. de regulis juris, Afflict. dec. 279.* potest tamen antè tempus agi, ut adveniente tempore restituat, & interim caveat, patet in dote restituenda post annum, quæ in mobilibus consistit, *Afflictus ubi sup. Thorus in verb. agere antè tempus, Francus dec. 218.* Idem dicimus de legatario, & fideicommissario conditionali, *Anna cons. 126.* non tamen potest agere antè tempus ille, qui vocatur ad aliquam successionem, puta in feudo, vel fideicommisso antequàm dies venerit, *Molina lib. 3. de fideicommissis cap. 14. Minadous cons. 23.* ex justa causa posset agi, puta si dissiparentur bona, *Molina ubi suprà.* & octo causas enumerat, *Peregr. de fideicommissis ar. 41. Paschalis par. 4. c. 10. num. 34.* sicuti posset instare idem possessor majoratus declarari post ejus mortem, ad quem spectet successio ipsius, *Fabius de Anna d. cons. 126.* ultimò respectu personæ id prohibetur ut pupillus sine tutore, ut in *ritu 42. Gizzarellus dec. 12. Galluppus in praxi par. 1. cap. 5. per totum.*

Sciendum est tertiò, quòd reus dupliciter nominatur. Primò à re, vel à reatu: reus à re dicitur in causa civili quandò conventus est de aliqua re, *l. inter stipulantem, §. sticchus, ff. de verb. oblig. & in tit. Instit. de duobus reis.* Reus à reatu dicitur ille, qui commisit crimen, & tale crimen defertur in judicio per accusationem, denunciationem, vel inquisitionem. In reo tria requiruntur. Primò obligatio respondendi. Secundò veritas. Tertiò obedientia.

Quod totum, ut intelligas, scias mendacium *ex S. Augustino lib. 1. de mendacio cap. 4. & in Enchiridio cap. 18.* esse falsam vocis significationem cum intentione fallendi, seù falsum dicendi. Dividitur in mendacium Jocosum, officiosum, & perniciosum. Jocosum est, quod dicitur causa voluptatis, & nulli nocet, officiosum, quod profertur, ut alicui prosit, vel ad bonum acquirendum, vel ad malum evitandum sine alicujus injuria. Perniciosum est, quod dicitur cum alterius nocumento, sivè illud sit in spiritualibus, sivè in corporalibus, *Navarr. in Enchiridio cap. 18.* quod ex suo genere est mortale, quia opponitur dilectioni Dei, & proximi. *Cajetanus in verb. mendacium,* & sic verum est illud *Psal. 4. Et perdes omnes, qui loquuntur mendacium: & Sap. 1. Os, quod mentitur, occidit animam.* sic mendacium perniciosum est contrà veritatem fidei, ut si quis dicat, quod verè peccatum est non esse peccatum, *S. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 4. Emmanuel Sà in verb. prædicare num. 4.* Sic graviter peccat prædicator, qui falsa miracula prædicat, vel ea fingeret aliter quàm sint, quia quantùm in se est miraculorum Christi, & Sanctorum veritatem evacuat, & facit, ut quæ vera sunt, ficta, aut falsa esse censeantur, *Cajetanus in verb. mendacium,* dicit, omne mendacium concionatoris contrà veritatem, quæ pertinet ad ejus officium (quod est auditores suos erudire, arguere, suadere, ac benè monere) ex suo genere est peccatum mortale, quòd si mentiatur non quidem circà veritatem, quæ ad ejus officium spectat, sed circà res extraneas impertinenter insertas, non peccat mortaliter sublato scandalo, quòd si Prædicator mentiatur in citandis auctoribus, & nominibus eorum, peccat venialiter, quia mentitur præter veritatem, non contrà veritatem, & falli in talibus, non est falli in doctrina, sed in ejus accidentibus, *Sylvester in verb. mendacium q. 4.* nunquàm ergo licitum est mentiri *Arist. 4. Eth. cap. 7. S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3.* Neque pro evitando alterius injuria, neque pro tuenda vita propria, aut aliena; immò neque pro sempiterna salute, ad quam nemo deferendus est opitulante mendacio, *cap. primum. §. est igitur 22. q. 2. cap. super eo. de usuris, Sylvester in verb. mendacium q. 2.* Neque dicas, Abraham dixisse *Genes. 22.* se reversurum cum filio, quod non intendebat. *& Gen. 12.* dixit de Sara uxore sua, quòd esset soror sua, *& Gen. 27.* Jacob Patri roganti, respondit, *Ego sum filius tuus primogenitus Esau,* ergo mendacium est licitum; ad quæ argumenta deducta ex sacra pagina respondet *Nicolaus de Lyra Gen. 27.* non esse necesse excusare Abraham patrem, Jacob, & alios à mendacio maximè officioso, quia Apostoli fuerunt perfectiores, non tamen fuerunt immunes à peccato veniali, sed meliùs in hac re, respondet *S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. ex S. Augustino in lib. de quæstionibus Evangelii,* non omne quod fingimus mendacium esse, sed quandò fingitur id, quod nihil significat, tunc esse mendacium; undè, cùm fictio nostra versatur ad aliquam significationem, est figura veritatis, non mendacium; & ideò quandò Abraham dixit servis suis se rediturum cum filio, non fuit mentitus sed prophetavit, quod ignorabat, nam ipse apud se disposuerat redire immolato filio, Dominus tamen per os ejus locutus est, quod de reverat, *Genes.* verò *20.* quandò dixit, Saram esse sororem suam, cùm esset uxor, non fuit mentitus sumendo sororis nomen pro consanguinea, sicuti suscepit nomen patris pro consanguineo, *Gen. 13.* cum ad Loth dixit, *Fratres enim sumus*; & ità respondet *S. Augustinus in cap. quæritur 22. q. 2.* quem sequitur *S. Thomas q. 110. ar. 3. ad 3.* & sic dicit *Augustinus,* quòd ibi voluit Abraham veritatem celare, non verò mendacium dicere, nec mendacium dixit Jacob, quandò ait se primogenitum, quia ab Esau emerat pro esculentis, & poculentis, quamvis non fuisset primogenitus nativitate, *S. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 3.*

Ex quibus infertur primò, teneri reum respondere in judicio legitimè interroganti, sivè sit lis civilis, sivè criminalis, alioquin peccat mortaliter; *S. Thom. 2. 2. q. 96. ar. 1.* quia reus est Judici subditus ratione delicti, ergo ei legitimè interroganti tenetur respondere. *Abbas & alii in cap. 1. de testibus cogendis; Covarr. lib. 1. var. cap. 2. Sotus de just. & jure lib. 5. q. 6. ar. 1.* si verò non juridicè interrogetur, non peccat non dicendo veritatem, puta, si interrogetur nulla præcedente infamia, vel indiciis, *Lessius lib. 2. de Justitia cap. 31. dub. 3. num. 10. Azorius par. 3. lib. 13. cap. 25. dub. 3.* sic non dicitur juridicè interrogatus, quandò delictum est occultum, DD. ubi suprà.

Infertur secundò ad quæstionem, an reus peccet mortaliter, mentiendo in judicio circà rem levem, secluso juramento, affirmat *Cajet. 2. 2. q. 69. art. 1.* sequitur *Sylvester in verb. mendacium,* qui dicunt omne mendacium, excepto jocoso, quod dicitur in judicio, vel in Sacramento Pœnitentiæ, esse peccatum mortale. Secunda opinio probabilior dicit, non esse peccatum, nisi veniale; si materia sit levis. Pater, qu[illegible] licet falsitatem simpliciter ex suo genere sit pecca-

peccatum mortale, tamen furari rem levem in Ecclesia est veniale, ergo multò magis mentiri in Judicio in re levi, erit etiam veniale; ita *Sotus lib. 5. de justitia q. 6. ar. 1. Valentina tom. 3. disp. 5. q. 13. punct. 1. Sà in verb. mendacium*: sic violans votum de re levi, est peccatum veniale: puta, si quis faceret votum de dicenda Salutatione Angelica, *Navarr. in manuali cap. 12. num. 40. contrà Cajetanum q. 89. de juramento ar. 7. & Angelum in verbo votum il. 3. §. ult. Sanchez de praeceptis lib. 1. cap. 4.* Est tamen dubium, an in materia Fidei possit esse peccatum veniale, videlicet, si quis leve verbum proferat, an sit hæresis tantùm venialis? affirmat *Sayrus lib. 2. cap. 2. num. 19.* Negant alii, quos sequitur *Diana par 5. tract. 5. resol. 18. & Fragosini disp. 12. num. 28.* In comestione verò carnium in diebus prohibitis datur parvitas materiæ, ut si quis tantillum carnis comederit in his diebus. *Diana par 2. tract. 12. resol. 43. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 17. Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. num. 11.* & post *Sanchez* dicit *Diana ubi sup. resol. 32. in fine*, eos, qui inserviunt infirmis, posse aliquid comedere in die jejunii etiam ex carnibus, quandò videret id esse commodum ad excitandum appetitum infirmorum, qui patiuntur fastidium, quia id postulat charitas, & Ecclesia non intendit impedire opera charitatis.

Infertur tertio ad quæstionem, an Reus juridicè interrogatus teneatur fateri suum crimen, etiam in causa capitali? negant *Sylvester in verb. Confessio delicti q. 1. Angelus, & Armilla eodem verbo. Abbas in cap. cùm super. de confessis, Navarr. de restit. lib. 2. cap. 4. num. 142. Emmanuel Rodriquez tom. 2. regular. quæstion. q. 19. ar. 1. Emmanuel Sà in verbo reus, Lessius lib. 2. de Justitia cap. 31. dub. 3. num. 12. Reginaldus lib. 24. cap. 3. sect. 3. num 37.* qui omnes dicunt in causa criminis non esse improbabile non peccare mortaliter negando Reum suum crimen, quandò illud non est plenè probatum, putà, quia probatum sit per unicum testem, per infamiam sufficientem, vel per indicia expressa: ille verò Judex, qui dubitat, an justè, vel injustè procedat, non potest interrogare, nec reus tenetur respondere, & non puto improbabilem eorum opinionem, qui dicunt, Reum non peccare mortaliter negando crimen, quod commisit, & id tàm in causis capitalibus, quàm non capitalibus, in quibus imponeretur gravis pœna corporalis v. g. condematio ad triremes, vel ad carcerem perpetuum, confiscatio bonorum, &c. modò adsit spes evadendi negato crimine, vel si delictum ità sit occultum, ut aliundè cognitio haberi nequeat ad condemnandum Reum, quàm ex confessione ipsius Rei, & modò Reus non juraverit absolutè se dicturum veritatem, *Lessius, Navarrus, & alii ubi sup. Filmccius tract. 40. cap. 9. q. 4. num. 266.* tùm quia naturaliter homo inclinat ad sui defensionem, & conservationem. Neque dicas, quòd Judex juridicè interrogat, & justè præcipit Reo veritatem aperire, aut comparere, ergo Reus tenetur obedire, & veritatem manifestare. Respondeo negando consequentiam, quia uterque utitur jure suo, Judex enim justè & juridicè interrogat ob commune bonum, Reus veritatem negat, ut propriam vitam servet, ad quam servandam maximum jus accepit à natura, quamdiù spem habet vitæ servandæ.

Est tamen quæstio quid dicendum, quandò Reus in torturis positus falsum crimen sibi imponit, ut tormenta evadat? Prima opinio dicit peccare venialiter, ità *Navarr. lib. 2. de restit. cap. 4. par. 2. num. 135. Sotus de tegendo secreto membr. 3. q. 4. concl. 10. & lib. 5. de Justit. q. 10. art. 2.* quia non tenetur vitam propriam tueri cum tanto incommodo, sed potest breviorem mortem eligere, ac mitiorem, quàm tam acerbam, & incompatibilem subire. Secunda opinio dicit esse peccatum mortale, quandò metu mortis, vel tormentorum, imponit sibi crimen falsum. Patet, quia si illud imponeret alteri peccaret mortaliter, ergo etiam, si sibi imponit, *Falynus in cap. 1. de testibus cogendis, Archidiaconus in cap. non est 23. q. 5. Abbas in cap. ex parte de sepulturis. Cajetanus in summa, in verbo detractio, & 2. 2. q. 73. art. 2.* habet enim homo liberam disponendi facultatem de bonis suis, immò & de fama, teste *S. Th. 2. 2. q. 129. ar. 1. cap. si non licet. 23. q. 5.* non tamen super vita, ideòque potest quis pecunia, vel gratis restitutionem bonorum, vel famæ remittere, non tamen potest vitam pretio vendere, vel pecunia membrorum amissionem commutare: quo fit, ut occidendo seipsum, peccet contrà justitiam respectu Reipublicæ, cujus est vita hominis, sed prodendo famam peccat contrà charitatem impropriè, non propriè: cùm charitas sui ipsius propriè non obliget nisi in his solùm, quæ sunt necessaria ad spiritualem salutem. Ego puto cum *Fragosio disp. 12. lib. 5. num. 304. in fine*, quòd Reus, qui vi tormentorum pressus imponit sibi falsò crimen, non directè operatur sui ipsius mortem, sed permittit mitiorem mortem, ut longam, & acerbam per torturam evadat, quod potest facere, nec damnum sibi infert notabile, ex hac famæ proditione: ergo hæc infamatio facta cum mendacio, erit peccatum veniale, quia saltem erit mendacium officiosum, ut omnes fatentur, *Sotus, Navarrus, Sylvester*, & alii ubi suprà *Covarr. lib. 1. var. cap. 2. num. 8.*

Rogabis, an Confessarius teneatur cogere Reum ad retractandum dictum, dùm Reus interrogatus veritatem negavit in judicio, qua manifestata, fuisset condemnatus?

Respondeo negativè cum *Azorio par. 3. lib. 13. cap. 25. Sanchez in summâ lib. 3. cap. 7. Layman. lib. 3. tract. 6. cap. 5. num. 3.* Ratio est, quia Sacerdos non debet cogere Reum ad se prodendum, nullus enim tenetur seipsum prodere. *l. nimis grave, ff. de testibus*: tenetur tamen illum admonere, ut veritatem aperiat, si iterùm interrogetur, & Confessarius credat admonitionem profuturam, nam tenetur Reus veritatem dicere, dùm legitimè interrogatur, ergo Reus, qui non est paratus in genere dicere veritatem Judici legitimè interroganti, non est absolvendus, quia non habet sufficiens propositum vitandi peccata in futurum: nisi velis dicere, ut suprà dixi, quandò gravissima imponitur pœna, Reum non teneri.

Rogabis secundo, an Judici liceat, uti simulationibus, ut veritatem à Reo, vel Actore rei apud se dubiæ extorqueat?

Prima opinio negat: ità *Fragosius num. 303.* Secunda opinio affirmat *Scaccia de Judiciis lib. 1. cap. 68. num. 35.* Patet exemplo Salomonis *3. Reg. 3.* de quo in *cap. afferte mihi gladium de præsumpt.* qui simulavit occisionem infantis, ut indè colligeret veritatem rei, ergo licitum erit in aliquo casu Judici, uti æquivocatione, & simulatione ad veritatem cognoscendam, sequitur *Farinacin. prax. crim. par. 3. q. 8. num. 304.*

Rogabis tertio, an possit Reus tàm in criminalibus, quàm in civilibus renunciare suis defensionibus, & termino probatorio sibi concesso?

Respondeo in criminalibus non posse, ex quibus sibi venit imponenda pœna corporalis, ex *glossa singulari in l. pactum inter heredem. ff. de pactis, in verb. cùm liceat*, quia hæc renunciatio est in præjudicium suæ personæ, vel status, arg. *tex. in l. liber homo. ff. ad leg. Aquiliam.* In illis verò delictis, ubi non imponitur pœna corporalis, sed pecuniaria, vel alia,

quæ

quæ non importat infamiam, benè potest Reus renunciare suis defensionibus, ne termino probatorio, & habere testes pro reproductis, seù ratificatis, *Gomesius tom. 3. var. cap. 13. de tortura Reorum num. 33. Suarez de Paz in praxi par. 5. tom. 1. cap. 3. §. 9. num. 4.* quòd si petas, an si contumax non comparendo, & dicendo se nolle venire, censeatur suis defensionibus renunciare? Prima opinio affirmat. Secunda opinio negat, *Paulus de Castro cons. 38. Rolandus cons. 60. nu. 24. vol. 2. Fragosius num. 306.* Contumax tamen habetur pro confesso posita Judicis sententia, *l. 2. §. quid si actor, C. de jucam. calumniæ,* quia quis non dicitur contumax, nisi contumacia accusetur, *Rebuffus ad leges Gallicas in tit. de contumacia ar. 1. glossa unica num. 23. per textum in l. properandum, §. & si quidem, C. de Judiciis,* ubi *Jasen in notab. 5.* ergo requiritur Judiciis pronunciatio, ut habeatur pro confesso *Marsilius singul. 239.* minor verò excusatur etiam contumax, cùm non censeatur esse in dolo vero, sed præsumpto ille, qui est contumax, à quo dolo præsumpto minor excusatur, DD. suprà cit. inter pœnas contumaciæ una est, quòd si quis ob eam fuerit excommunicatus, non absolvitur donec reficiat expensas, *Hostiensis in summa de sent. excommun. §. & qualiter, cap. venerabilem de sentent. excomm.* vel ut saltem præstet cautionem de parendo mandatis in posterùm, *cap. ex parte il. 1. de verb. signif. l. sancimus C. de Judiciis* & putat *Alex. cons. 16. num. 11. vol. 6.* quem sequitur *Borrellus in tit. 46. de contumacia num. 105.* quòd si maritus perseveret in excommunicatione per annum, nec curet de absolutione, posset uxor procurare divortium, & petere dotem: sed hæc opinio est falsa, quia contumacia in quacumque excommunicatione non præbet causam divertendi, excepto caso hæresis ex ea ratione, quòd uxor non tenetur abstinere à participatione cum viro excommunicato, ut in *cap. quoniam multos 11. q. 13. Sanchez lib. 9. de matr. disp. 14.* quo privilegio non gaudet sponsa de futuro communicandi cum sponso de futuro excommunicato: & idem dicit *Sanchez de uxore excommunicata,* ut participare cum ea possit vir sine ullo scrupulo, & addit *Sanchez num. 16.* teneri maritum uxorem fraterna correctione corrigere, ut petat absolutionem, quod sequitur *Fragosius num. 321. disp. 12. lib. 5.*

Rogabis quarto, an Reus teneatur sub peccato mortali revelare, vel edere instrumenta actori potenti, si præcipiatur sub censura?

Respondetur non teneri ea manifestare cum gravi damno sui ipsius, *cap. 1. de probat. Gabriel tom. 1. lib. 9. in tit. de instrumentorum editione,* & abscondentes tales scripturas non ligantur eo monitorio, quamvis scripturæ contineant jus adversarii etiam collitigantis, quia finis censuræ prædictæ est, ut detentor scripturarum à peccato amoveatur, & reddat Domino, quod detinet injustè, sed abscondens proprias scripturas non peccat, cùm non retineat rem alienam, ergo non poterit contrà eum procedi per *textum in cap. novit. de Judiciis.* Adde, quòd etiamsi instrumenta contineant utilitatem partis contrariæ, tamen non tenentur ex vi monitorii collitigantes restituere, & revelare, qui non tenentur manifestare arma contrà se, *Felynus in cap. si duobus col. fin. de appellat.* Si verò quis retineat scripturas, & ex manifestatione sit passurus grave damnum, tunc non tenetur eas revelare, licèt pars contraria, quæ eas petit, æquale damnum sit passurus ex occultatione: sicuti testis etiam juridicè interrogatus non tenetur respondere si ex probato testimonio sibi timet grave damnum; neque Judex Ecclesiasticus potest eum obligare ad deponendum, neque ad manifestandum instrumentum occultum sub excommunicatione, nisi possidens illud sit manifestus. Quòd si scriptura petatur manifestari sub censura ad tabellionem puniendum pœna falsi, seù quòd eam fecerit vitiatam, in hoc eventu non incurritur censura ex illius detentione, cùm nec tabellio, nec possidens nec sciens teneantur illam detegere, nisi in casibus, in quibus tenentur respondere, dùm legitimè interrogantur in processu criminali. Ità *Avila de censuris disp. 4. dub. 1. concl. 4.* Quòd si emphiteuta non neget, rem emphiteoticam esse talem, sed neget scripturas, vel instrumentum emphiteoticum, putant aliqui, quòd possit expelli à Domino directo, quia præsumitur extincta emphiteusis, *Bald. in l. prætor ait, §. 1. ff. de edendo.* Sed puto oppositum, quia potest emphiteuta se tueri allegando se per 30. vel 40. annos pensionem uniformem semper solvendo, ex quo dico posse emphiteutam cogi ad ostendenda instrumenta, quia hæc sunt communia tàm Domino, quàm emphyteutæ ratione communis utilitatis, quæ utrique versitur, & quæ sunt in utilitatem multorum, sunt eis communia, *l. Prætor ait, §. 1.* ubi *Angelus, ff. de edendo.*

Rogabis quinto, an possit Reus justè carceratus aufugere à carceribus?

Respondeo, duas esse opiniones. Prima est non posse aufugere: ità *Covarr. lib. 1. var. cap. 2. Sylvester in verb. accusatio q. 15. Tabiena in verb. accusatio q. 10.* quia *ex l. 1. ff. de effractoribus, & l. milites, §. eius, ff. de re militari. & ex l. in rei, ff. de custod. & exhib. reorum,* constat graves pœnas ultrà pœnam capitis, sic effugientibus imponi, quamvis alioquin in causa principali innocentes reperiantur. Secunda opinio dicit Reum antè, & post comprehensionem posse aufugere à carcere, nulla illata vi, nec resistentia custodi carceris. *Cajet. 2. 2. q. 69. art. 4. dub. 3. Bannes dub. 2. concl. 3. Aragonia ibid. dub. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 13. puncto 4. concl. 3. Toletus lib. 5. cap. 58. Sà de Reo num. 9. Fragosius disp. 12. lib. 5. num. 359.* qui dicunt, justè condemnatum ad mortem posse aufugere, sed non teneri, injustè verò condemnatum teneri aufugere, quia, sicuti potest aufugere, ne à magistris justitiæ capiatur, ità poterit, ne in carcere detineatur, quod amplia in carcerato ob debita, quia militat eadem ratio, licèt talis teneatur data opportunitate satisfacere. Amplia secundo etiamsi custodes carceris ob ipsius fugam grave patiantur damnum, nam fugiendo utitur jure suo, sed qui utitur jure suo, nulli facit injuriam, ergo illud damnum, quod deindè custodi sequitur, per accidens sequitur, nec Reo fugiendo imputandum est, præcisâ obligatione charitatis; *Cajetanus 2. 2. q. 64. ar. 4. Lessius dub. 50. num. 31. Fragosius ubi sup. Sanchez in summa lib. 6. cap. 8. num. 15.* Amplia etiam in damnato ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, qui posset aufugere, DD. ubi suprà. *Fragosius num. 377.* licèt fuerit Religiosus, qui non per hoc diceretur fugitivus. *Lessius num. 39.* & posset Reus licitè carceres perfringere ad hoc, ut aufugiat: ratio est, quia, cui licitus est finis, sunt licita media ad finem: sed finis est fuga, medium ad fugam est fractio carceris, ergo cui licita est fuga, erit licita fractio carceris DD. ubi suprà. Neque dicas per fractionem carceris fieri injuriam Reipublicæ, & justitiæ, quia Respublica, & justitia non consistit in vinculis, & lapidibus: sed in Judice, & ministris, quibus non licet vim, & injuriam inferre: sicut re ipsa non infertur per solam carceris effractionem. Amplia, ut neque teneatur Reus ad refectionem fracti carceris, in quo justè detinebatur, *Fragosius num. 365. Valentina,* & alii, de quibus *Sayrus in clavi Regiâ lib. 12. cap. 18. num. 31.* Ratio est, tùm quia non constat, ex quâ

quâ radice teneatur: tùm etiam, quia licitè aufugit, ergo non videtur Reus restitutionis. Amplia etiam, ut neque teneatur ad restitutionem Reipublicæ, vel actoribus, dùm occasione carceris fracti ab ipso, cæteri aufugerunt, quia fuga aliorum sequitur per accidens ex facto Rei, qui utitur jure suo fugiendo, nec ex justitia tenebatur aliorum fugam impedire, *Salonius 2. 2. q. 69. art. 4. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 5. Fragosius & alii ubi sup.* Amplia etiam, ut possit alius Reo fugam consulere, modò non sit officialis & minister justitiæ, quia licitum est suadere alteri id, ad quod ille habet jus: ministri non poterunt, quia ipsis incumbit ex justitia impedire fugam, *Filiuccius tract. 40. cap. 9. quæst. 7. num. 271.* licitumque erit præbere instrumenta Reo, quibus vincula, & carceres perfringat, quamvis exponat se præbens periculo pœnæ, DD. communiter ubi suprà aliter dicimus in foro externo, *Maranta in verbo fugiens fugere in his singularibus.*

Est etiam licitum carcerato decipere custodem, ut capiat opportunitatem fugiendi, ei tradendo cibum, vel potum, ut somno corripiatur, vel aliquod aliud faciendo, ut custos absens fiat, dummodò id fiat sine fraude, & violentia. Ratio est, quia Reus habet jus fugiendi, ergo licitè potest adhibere media licita ad fugiendum præcisa vi, & injuria in custode: per vim enim, & injuriam non dicet, quia habet custos jus retinendi Reum in carceribus, quod violaretur, dùm vis, aut injuria illi inferretur, ergò non licet custodem decipere per vim, & injuriam, DD. ubi suprà & ideò ille, qui dedit custodi pecuniam, vel munus intentione conciliandi sibi ejus benevolentiam, ut indè occasionem capiat fugiendi, non peccat mortaliter. Ratio est, tùm quia utitur jure suo ad vitam servandam, tùm quia non infert vim custodi, nec illi facit injuriam, cùm scienti, & volenti non fiat injuria: secùs si tradat pecuniam, ut sibi fugam concedat, quia tunc petit rem, quam alter concedere nequit sine peccato, & sic videtur inducere ad peccatum alterum, DD. ubi suprà. non tamen excusaretur Reus, si custodes ligat, vel ejus obturat os, ne clament, vel alio damno afficit, ut fugere possit, nam hoc casu esset vim inferre.

Ille verò, qui eximit carceratum captum pro debito civili, committit crimen *legis Juliæ de vi privata, l. legis Juliæ. ff. ad leg. Juliam de vi privata;* & in Regno punitur hic talis ad interesse, parti solvendum, & ad triremes per biennium, si fuerit plebeius, si verò nobilis, punitur pœna relegationis, *l. quotiès, C. de exact. tribut. lib. 10. Francus dec. 442.* & multotiès fuerunt isti tales jussu Proregis suspensi, *Caravita in Ritu M. C. 160.*

Si verò quis fuerit injustè carceratus, & fiat decretum deberi relaxari, posset ad creditoris instantiam detineri, & in Curia Archiepiscopali sic practicatur, *Riccius Collect. 1385.* Sed in S. C. fuit decisum non posse detineri, *Francus dec. 415.* ob rationem, quia fuit captura à principio nulla, ergo non poterit postea detineri, legas *Farinaceum de carceribus q. 27. num. 156.*

Quòd si captus sit Reus pendente tempore securitatis, seù guidatici non est condemnandus, sed reponitur in pristinum, idque ex eo, ne illi, quibus securitas datur, decipiatur. quandò autem infrà tempora securitatis delinquunt, & capiuntur, eos solet Magna Curia retinere, & punire de delictis commissis, tàm antè securitatem, quàm posteà, quod tunc procedit, quandò delictum commissum tempore securitatis est verè punibile. secùs si quid leve commissum sit, *Francus dec. 158.* & ampliatur doctrina etiam si ille, qui concedit securitatem, potestatem non habeat concedendi indultum, & guidaticum; nam adhuc pristinæ libertati est restituendus, ut decisum refert *Thorus in verb. Captus Riccius ad Francum ubi suprà, Rovitus in prag. 1. de Guidaticis.* Ex quo nota quòd sententia lata contrà Reum, pendente assecuratione, & guidatico est nulla, ut pluriès decisum refert *Francus dec. 673.* nisi pendente assecuratione deliquerit, *Francus decis. 717,* legas eundem in *decis. 590.*

Est quæstio, an, si feratur sententia, ut Reo utraque manus abscindatur à carnifice, vel una tantum, si ipse sibi eam amputet, an peccat mortaliter? Affirmat *Sotus lib. 5. de justitia q. 6. ar. 4.* qui dicit posse eam extendere, vel utramque, ut abscindatur à carnifice, sed non sibi ipsi amputare. Negat *Navarr. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 100.* quia Judex constituit in hoc casu Reum carnificem sui ipsius, & amisit jus ad illam manum habendam, sequitur *Fragosius num. 386. in fin. d. disp. 12.* qui etiam disputat, an possit præcipi duobus ad mortem damnatis ut se mutuò interfi iant pugnando, & respondet probabiliter id posse fieri, quia per Judicem unus potest constitui carnifex alterius; sed ex christiana pietate hoc non est licitum, est etiam inter nostros disputatio, si quis suspendatur, & nodus rumpatur, & Reus illæsus cadat in terram, an sit liberandus? Respondeo cum communi, quòd si à majore parte circumstantium dicatur fuisse injustè condemnatum, tunc poterit etiam per Clericos eripi de manibus laicorum, *Bernardinus Diaz in praxi crim. canonica cap. 102.* sicut, si ille protestetur de sua innocentia, & res miraculo tribuatur, suspendi non debet, sed maturiùs rem considerare, ut de facto accidisse refert *Gomesius tom. 3. var. cap. 13. num. 37.* potest tamen interdùm per veneficia, & incantationes laqueus rumpi, & ideò videndum est, quo casu sit fractum, in dubio tamen præsumitur miraculosè fractum, *Tiraquell. de pœnis temperandis causa 64. Menochius lib. 5. de præsump. q. 48. num. 19. Julius Clarus in §. fin. q. 98. num 9. Boerius q. 217. n. 18.* Rogabis sexto, quomodò esse debeat confessio Rei.

Respondeo, Reum nullo modo posse condemnari, nisi confiteatur, *cap. 1. cap. nos in quemquam, cap. primates 2. q. 1. l. qui sententiam, C. de pœnis,* quæ confessio facta coram Judice incompetente non sufficit ad condemnandum, *cap. at si Clerici de Judiciis,* ubi *Bald. Abbas num. 50. Clarus in §. fin. q. 55. Mascardus concl. 252.* quod etiam procedit, si potuisset prorogari jurisdictio *Ferous in d. cap. at si Clerici. num. 38. Bossius de confessis nu. 52.* qui etiam dicit, quòd confessio clerici de delicto coram laico Judice facta, non est ipso jure nulla, Ex quo insurgit quæstio, an aliquid operetur talis confessio. Prima opinio dicit? sufficere ad torquendum, & habere vim confessionis extrajudicialis, & posse cogi sic confitentem coram suo competenti Judice ratificare: sequitur *Paulus de Castro in l. magistratibus,* ubi *Jason,* & *alii. ff. de jurisd. omn. Judic. glossa in l. capite quinto, ff. de adulteriis,* ubi *Bart.* ait, hoc menti tenendum, *Boer. dec. 90. Clarus in §. fin. q. 21. num. 32.* quòd si confessio facta sit coram Judice incompetenti, & deindè revocetur à Reo, postquàm delatus fuit ad Judicem suum, quæstio est, an possit ex vi illius torqueri? Prima opinio est *Bald. in l. unica nu. 96. C. de confessis,* qui dicit, ex vi talis confessionis revocatæ non posse torqueri, sed oppositum servatur in praxi, teste *Boer. dec. 90.* qui sic decisum refert, nisi Reus revocando confessionem de errore doceat, vel nisi asserat confessionem coram Judice incompetenti fuisse factam metu tormentorum, hoc enim casu poterit talis revocatio illi prodesse, sed, si de hoc non doceat, licèt illam revocet, semper faciet indicium ad torturam coram suo Ecclesiastico competente,

# INDEX TITULORUM,

Qui in Duobus Libris Posterioribus hujusce Tomi Secundi continentur.

## LIBER TERTIUS.



## LIBER QUARTUS.



TITU-

# INDEX TITULORUM.





INSTITU-

petente, ut dicunt *Clarus in d. q. 21. Boer. d. dec. 90. Fragosius disp. 12. num. 390.* Intellige tamen quandò coram Judice laico fuit facta confessio Clerici præcedentibus indiciis ad torturam, secùs si nulla erant indicia, quia ex dicta confessione junctis indiciis antecedentibus, semiplena probatio est inducta, *Boer. d. dec. 90. Farinaceus de reo confesso quæst. 81. cap. 6. num. 217.*

Sed petas quid dicendum, si confessio extrajudicialis fieret sine causa, Putat *Butreue in d. cap. at si Clerici num. 28.* non esse sufficiens indicium ad torturam, & sic de communi *Mascardus, concl. 345.* quia sine causa confessio non est verisimilis; immò confessio extrajudicialis, ut sit sufficiens ad torturam, non sufficit si fiat generaliter, sed requiritur ut fiat specificè; quare non sufficit dicere se occidisse, vel furtum commisisse; sed opus est dicere, quem occiderit, vel spoliaverit, quo in loco, & quo tempore *Franciscus Brunus de indiciis, & tortura q. 3. num. 14. Foller in praxi crim. in verb. & si confitebuntur. 2. par. num. 10. Mascardus concl. 35. num 16. Farinaceus de reo confesso q. 81. num. 31. & q. 82. num. 36. & q. 29. Menoch. de præsump. lib. 1. q. 89. num. 20. Bernard. Diaz in regula 125.* qui dicit confessionem informem, & non certam, nec qualificatam, nec continentem locum commissi criminis, nec tempus, non sufficere ad torquendum.

Hæc tamen confessio extrajudicialis probari debet per duos testes, & taliter probata facit semiplenam probationem: *glossa in d. l. capite quinto* ubi *Bart. & Angelus ad legem Juliam de adulter. Bertellac tom. 2 in tit de confessis num. 72.* undè non sufficiunt testes singulares, qui deponant de tali confessione, *Farinaceus d. q. 82.* Si verò revocetur confessio extrajudicialiter facta, antequàm acceptetur ab altera parte, vel à Judice, est quæstio, an faciat indicium. Prima opinio dicit confessionem taliter revocatam non facere indicium. Secunda, & verior sic, legas *Fragosium num. 395. Clarus in d. §. fin q. 2. Farinaceus d. q. 81. num. 216.* nota tamen, quòd si confessio non sit à parte acceptata, poterit revocari etiamsi non doceatur de errore, sed revocatio fieri potest incontinenti scilicet antequàm sit scripta in actis, aliàs posteà non poterit revocari, *Follerius in verb. & confitebuntur par. 1. num. 138.* Undè secundo notes, confessionem extrajudicialem etiam factam parte præsente, nunquàm sufficere ad condemnandum criminaliter, sed tantùm ad torquendum. *Genetius d. tom. 2. cap. 13. num. 8. Mascardus concl. 346.* Si petas quid si confessio extrajudicialis geminetur, putans multi posse de crimine puniri ac si in judicio confessus esset: ità *Bar. in l. cùm scimus C. de agric. & censitis lib. 10.* relatus per *Fælinum in cap. ad hoc. de simonia Paulus in l. Publia. ff. depositi. Paris de Puteo de Syndicatu, in verbo tortus cap. 1. n. 27. Foller. ubi sup. num. 37. Mascard. concl. 497. num. 16.* Sed opinio ista posset in civilibus procedere, secùs in criminalibus *Farinaceus d. q. 82. num. 14. Fragosius num. 397. in fine.* Si verò quis in articulo mortis confiteatur se fuisse usurarium, putat *Bald. in l. 1. num. 3. C. de falsa causa adjecta legato.* etiam parte absente probare crimen, sequitur *Follerius ubi sup. num. 38.* dummodò explicet personas, à quibus usuras accepit, & valebit in vim legati, *Farinaceus ubi sup.* Dubium tamen est, quid de confessione morientis, quandò agitur de tertii præjudicio, cui quæsitum est jus? Respondet *Alciatus regula 3. præs. 4.* non valere; undè non creditur Judici morienti, si dicat, se falsam sententiam tulisse, nec testi dicenti, se tulisse falsum testimonium, cùm in præjudicium eorum, quibus jam jus quæsitum est, non credatur, *Menoch. lib. 5. præs. 5. cap. 18.* quia non omnis moriens, ut notat *Bald in tit. de pace constantiæ. in verb. Vassalli* præsumitur S. Joannes Baptista. Verùm putat *Alciatus* valere talem confessionem si adstatur juramentum à moriente, quia pro tali statu non præsumitur pejerasse, *l. cùm quis decedens. §. Codicillis, ff. de leg. 3.* ubi *Bart. & Bald.* sicut valet confessio testatoris, si est jurata, quia non præsumitur moriens immemor salutis æternæ, *Menoch. lib. 2. præs. 60. num 8. Afflictus dec. 168. num. 3.* ubi ait confessionem debiti factam in morte non nocere hæredi, nisi sit jurata, nam sine juramento præsumitur fictè, & simulatè facta, ex *l. qui testamentum ff. de testamentis & glossa in l. cùm quis §. Titia, ff. de leg. 3.*

Quòd si quis confiteatur se debere mille Caio, non tamen explicat ex causa mutui, depositi, vel ex causa certæ, & individuæ emptionis, talis confessio non nocet, & nihil probat contrà confitentem, *l. cùm de indebito. §. fin. ff. de probat. glossa in l. 1. in verb. apud. ff. de interrog. action. cap. si cautio,* ubi *D D. de fid. instrum.* facit tamen aliqualem probationem talis confessio contrà confitentem, per *textum in l. instrumenta,* ubi *glossa, C. de probationibus,* nec sufficit, si exprimatur causa emptionis in genere, sed debet exprimi pro emptione talis fundi, tali, vel tali loco consistentis, *Alex. cons. 181. lib. 2.* qui dicit idem esse causam non exprimere, & in genere exprimere, quia non dicit certum, qui dicit aliquid generaliter, *l. generaliter, C. de non numer. pecun.* ubi *Bald. q. 4.* Sed petas, quid si quis confiteatur in scriptis se debere mille Petrò, an talis confessio præjudicet confitenti; Respondet *Alex. cons. 145.* aliàs *83. vol. 1.* non valere talem confessionem. Idem ait *cons. 4. & cons. 13. eod lib. & in l. Creditores. C. de pactis, Mascardus concl. 335. num. 64. & seq.* sed *Bart. in l. 2. §. Circà, ff. de doli mali except.* ad partem disputans concludit confessionem prædictam, factam in scriptis sine causa obligare confitentem, & satis esse pro causa liberalitatem, & præsumi donationem, per *textum in l. si divortio, ff. de verb. oblig. glossa in l. quòd si maritus §. 1. ff. de constituta pecunia, Maranta de confessione num. 20.* Sicut fallit favore piæ causæ, *Trid. de piis causa. privil. 109.* sicut etiam confessio facta absque causa in instrumento quarantagiato probat, *Bald. in l. sicut, C. de repud. hæred. Romanus cons. 76. Bald. in l. cùm unus, C. de bonis auctor. Jud possid.* quia executio hujus instrumenti adæquat executionem rei judicatæ; sicuti valet confessio sine causa, quandò accedit confessioni juramentum in civilibus: licèt verò non valeat confessio sine causa, tamen inducit semiplenam probationem & onus probandi contrarium transfertur in confitentem, & locus est juramento suppletorio in supplementum probationis: sed si fiat in Judicio, tunc sine causa præjudicat confitenti, *Camillus Borellus in summa decision. de confess. & confesso num. 140. Fragosius d. disp. 120. §. ultimo, num. 403. cum seqq.*

Est quæstio, quæ dicatur propriè confessio judicialis, Respondeo, illam dici, quæ fit Judice sedente pro tribunali, & in causa requirente: quare si fiat coram scriba, non dicitur judicialis, *Maranta par. 6. de confess. num. 30. post Fælynum. in cap. quoniam contrà col. 25. de probat.* & sic confessio facta coram Judice non sedente pro Tribunali, non dicitur judicialis, sed extrà, & facta dicitur, ut coram privato, nec habet vim plenæ probationis, *l. jubemus* ubi *glossa C. de liberali causa. Mascar. concl. 344. num. 7. & 351:* quòd si fiat confessio coram abitratore, dicitur extrajudicialis, *Romanus cons. 346. col. 2. Alex. cons. 13. col. 3. & cons. 96. col. 4.* quòd si coram arbitro, est judicialis, si arbiter procedat servata

servata forma juris ad instar Judicis, *Bart. in l. 1. C. de confessis, Maranta num. 31. Mascard. n. 10. d. concl. 344.* quia arbiter malè judicans punitur tanquàm Judex, *glossa in §. 1. in verb. litem suam de obligat. quæ ex quasi delicto nascuntur.*

Ex quo nota primo, quòd si quis confiteatur in judicio se promisisse mille, solvisse tamen, vel conventum fuisse inter se de non petendo: tunc confessio erit exequenda, quia actor potest partem confessionis sibi utilem acceptare, & sibi contrariam respuere, ità *Bart. in l. Aurelius, §. idemque fiat, ff. de liber. causa, Boer. dec. 243. num. 3. ex l. perfecta, C. de donat.* ergo, quia fatetur se promisisse, ideò poterit hanc partem acceptare, quæ ab alia dividi poterit, post alios *Gutierez lib. 1. pract. q. 126. Fragosius disp. 12. §. 12. num. 6.*

Nota secundo, quòd confessus in judicio civili nullo facto processu, vel alterius contestatione habetur pro condemnato. Nec exigitur alia sententia, *l. 1. C. de confessis*, & non expectatur aliud, nisi præceptum de solvendo, & talis confessio superat omnes probationes factas per testes & instrumenta in favorem ipsius confitentis, *Maranta de ordine judiciorum par. 2. actu 5. num. 21.* dicitur tamen impropriè condemnatus, undè stante statuto, ut condemnatus aliquod solvat, talis nihil tenetur solvere, *Barb. in l. si debitori num. 35. ff. de Judiciis*, qui *num.* 138. addit in præcepto de solvendo, ferendam esse sententiam in scriptis. Regulariter verò confessio facta in judicio ab aliquo spontè, probat plenè, quia est firmissima probatio, & nulla est major illa, *l. cùm te, C. de transact. l. fin. C. de fidejuss. Gama dec. 165. Caball. resol. crimin. 68.* diciturque probatio superlativa, *Camillus Borrellus de confessis num. 9. & de prob. num. 39. Gabedus dec. 33. num* 11, dicens, confessionem habere vim scripturæ publicæ.

Nota tertio, quòd confessio facta in judicio summario præjudicat confitenti licèt fiat coram Judice non sedente pro tribunali; sed in itinere, *Joseph Cumia in ritibus Siciliæ cap. 37. num. 42. ex textu in l. 2. §. dies, ff. quis ordo in bon. poss. ff. servetur l. noluit, §. quod ait Prætor, ff. de interrogat. action.* ubi *glossa, Corsetus in singul. in verb. confessio facta super crimine, Maranta ubi sup. num 28.* quandò verò confessio est facta coram Judice, licèt Actuarius eam non scribat in actis, poterit Judex virtute illius judicare, *glossa in l. quotiès, §. ult. ff. de prob. Bald. in l. 1. C. de manumissis vindicta*, sed putat *Fragosius ubi sup. num. 12. in fine.* id in foro externo non esse admittendum, quia Judex debet procedere secundùm allegata, & probata. Quòd si confessio fiat absque Judicis mandato, est quæstio an præjudicet confitenti: puta, quia solùm coram Tabellione facta fuit? negant communiter cum *Baldo in Auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. offer.* quia tabellio non potest recipere instrumenta absque mandato Judicis, nec dare aliquod ex actis, nec potest acta conficere, quòd si per Scribam accipiatur confessio Judice absente sine mandato ipsius, confessio non nocet, ex *glossa in l. jubemus. C. de liber. causa, Afflictus dec. 317.* immò non creditur Scribæ attestanti sibi fuisse commissum per Judicem ordinarium super receptione testium, ut post *Hostiensem* tradit *Abbas in cap. quoniam contrà. col. 17. de prob.*

Nota quarto quæstionem esse, an confessio facta in judicio summario probet in plenario, seù ordinario?

Vera opinio affirmat, ità *Mascard. concl. 348. nu. 9. Felynus in cap. denique de except. num. 6. Alex. in l. 3. C. de edendo, Decius in cap. At si Clerici num. 209. de Judiciis, Abbas in cap. 2. num. 12. de confessis*, dummodò utraque tendat ad eundem finem, quamvis aliæ probationes præter confessionem factæ in judicio summario, non probent in judicio plenario, ut dicit *Abbas in cap. 2. num. 12. de confessis*, facit *text. in cap. veniens il. 2. de testibus & glossa in l. penult. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. Juris, Verallus dec. 208. par. 2. & dec. 190. par. 1.* Confessio defuncti præjudicat hæredi sicut præjudicaret defuncto, si viveret, *l. generaliter, C. de non numerata pecunia Afflictus dec. 129. Alex. cons. 129. vol. 5. Camillus Borrellus in tit. de confessis num. 185.* à fortiori si præsente parte sit facta; poterit tamen hæres revocare confessionem defuncti ostendendo contrarium ejus, quod confessus fuit, *Afflictus dec. 233.* quia hæres, & defunctus reputantur una persona, *§. 1. auth. de jurejurando à moriente præstito*; sed defunctus poterat in vita doctus de errore revocare confessionem, ergo etiam hæres. Confessio facta per Prælatum Ecclesiæ regulariter Ecclesiæ, vel successori non præjudicat, *glossa in cap. dudùm il. 2. in verb. de veritate de elect. Afflictus dec. 168.* Secundùm ea, quæ notantur in *cap. præsenti de offic. ordin. in 6.* Interdùm tamen præjudicat, ut dixit *Rota* apud *Bellameram dec. 695. Mascar. concl. 367. Camillus Borrellus ubi sup. num. 47.* præsertim quandò Prælatus confiteretur aliquod, ut procurator ab Ecclesia constitutus, vel ut testis, *Mascard. d. concl. 367. à num. 16.* qui addit, quòd si deindè Ecclesia ex tali confessione læditur, danda erit ei restitutio in integrum, *Borrell. num. 42.*

Nota quinto, quòd confessio dotis receptæ à viro constante matrimonio facta: si maritus renunciavit in dicta confessione exceptioni non numeratæ dotis, vel si lapsa sint tempora opponendi dictam exceptionem, tunc nocebit, & præjudicabit creditoribus, & femina gaudebit privilegio dotis, *Bart. in l. assiduis, C. qui pot. in pign. hab.* ubi *Bald. Salycetus*, & alii, *Velascus consult. 6. Borrellus ubi suprà num. 210.*

Confessio verò tutoris asserentis, se recepisse pecuniam pro pupillo si aliter constet de numeratione illius, tunc præjudicat pupillo, *Bart. Paulus*, & alii in *l. 1. §. fin. ff. si cert. petat. Emmanuel Suar. communiter recept. in §. confessio n. 251. Borrell. num. 166.* qui addit, idem dicendum de confessione tutoris jurata; præsertim quandò alia haberet adminicula: hoc enim casu præjudicaretur pupillo, *Ruinus cons. 71. vol. 5.* Sed alii putant, quòd sola confessio jurata tutoris non præjudicat pupillo, nisi alia adminicula habeat, legas *Fragosium disp. 12. §. 22. num. 25.* Confessio verò procuratoris constituti à Republica, si fiat legitimè, qua scilicet confiteatur, se recepisse pecuniam, præjudicat Reipublicæ, *Roman. cons. 352. ex l. in contractibus, §. sed quoniam, C. de non numerata pecunia, & ex l. omnes, §. ad hæc, C. de quatriennali præscript.* nisi Respublica ostendat, rem aliter se habere, *cap. suborta*, ubi *glossa de re judicata, Felynus in cap. 1. ut lite non contestata, Tiraquellus in tract. de retractu §. 1. gloss. 18.* qui communiter dicunt confessionem procuratoris probare regulariter loquendo contrà Dominum. Neque dicas obstare textum in *l. certum, §. sed an & ipsos, ff. de confessis*: ubi confessio procuratoris Domino non nocet, ut benè ponderat *Bart.* ibi, quia respondeo intelligi de confessione facta à procuratore ex abrupto, & voluntariè; secùs verò, si fiat in modum contentiosæ jurisdictionis, puta quandò litigat in judicio, nam tunc Domino nocere dicit. *Bart. ubi suprà*, sequitur *Ossschus dec. 38. & Menoch. cons. 31. vol. 1.* poterit tamen Dominus revocare confessionem quolibet tempore antè sententiam, aliter sibi præjudicabit *glossa in cap. olim in verb. protinùs de officio delegati, Decius cons. 437.* quare Dominus sciens confessionem procuratoris, potest illam incontinenti revocare, nihil doctus de

errore

dicitur, si antequam in scriptis redigitur, revocetur. *cap. olim de censibus*, *Hostiensis*, *& Azo in cap. ex literis de divortiis*, *Fragosius disp. 12. §. 12. à num. 28. cum seqq.*

Confessio facta in tormentis, vel tormentorum metu sine indiciis, nihil nocet confitenti, *l. 1. §. si quis ultrò*, ubi *gloss. ff. de quæstionib. l. 2. C. quorum appell. non recipiunt. Mascardus conclus.* 1185. quod procedit etiamsi talis confessio ratificetur iterùm atque iterùm, & firmetur juramento, & in ea confessus perseveret, *l. 1.* ubi *Bart. ff. de quæstion. Farinaceus de reo confesso q.* 83. nec nocet confessio facta in carcere nullis præcedentibus indiciis etiamsi confiteatur sine tormentis, vel sine minis de torquendo quia carcer est species torturæ, *Mascard. conclus.* 353. & 1383. tunc verò carcer est species torturæ, quandò est nimis durus, & atrox, ut fieSet subterraneus similis foveis, puteis, seù cavernis, *Farinaceus d. q. 83. cap. 2. num.* 44. Quandò verò confessio præcedentibus indiciis est facta metu tamen torturæ, vel in ipsa tortura præjudicat confitenti: dummodò à Reo ratificetur extrà tormenta ad bancum juris, *Boer. dec.* 163. *num.* 18. qui etiam erit, quòd si posteà neget, quæ confessus fuerit in tortura, potest iterùm torqueri sine novis indiciis, *& Bart. in l. unius §. 1. vers. quæro, ff. de quæstionibus*, *Paris de Puteo de Syndicatu, in verb. tortura*, & solet fieri ratificatio post diem à tortura, vel arbitrio Judicis; Inquisitores verò in tertiam diem admittunt ratificationem, *Farinaceus in praxi crim. q. 7. num.* 75. licèt possint post unum diem.

Rogabis, quæ indicia sufficiant ad Reum torquendum? Respondeo, quòd indicium est adminiculum demonstrativum delicti, dictum ab indicando, eo quòd indicat, & informat animum Judicis ad suspicandum, est indicium plenum, & indubitatum, & semiplenum, seù dubitativum. primum dicitur quandò arctat mentem Judicis, ità ut omninò credat, nec possit in contrarium inclinare. Secundum dicitur, quod fortiter movet animum Judicis ad aliquod credendum vel non credendum, *Boerius dec.* 164. *Mascard. concl.* 15. *Menoch. lib. 1. q. 7. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 17. num.* 149. dividitur etiam indicium, ut aliud sit leve probabile tamen, quod scilicet facit probabilem suspicionem de auctore delicti, aliud dicitur leve, sed probabilius, quod generat valdè probabilem suspicionem, *Julius Clar. in §. fin q.* 20. aliud est indicium gravissimum, quod alii necessarium, alii vehementissimum vocant, & ex eo elicitur necessariò fuisse commissum ab eo delictum, qui tale indicium dedit, *Abbas in cap. tertio loco de probat: num.* 9. ubi *Decius num.* 50. *Menoch. lib. 1. q. 7. num.* 56. His positis.

Dico primo, Indicia levia probalia tamen, quæ probabilem suspicionem faciunt de autore delicti, & indicia levia probabiliora, quæ faciunt præsumptionem, seù suspicionem valdè probabilem, sufficere ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, considerata qualitate personæ, ac reliquis circumstantiis benè consideratis, non tamen sufficere ad torturam. *Julius Clarius in §. fin. q. 20. Farinaceus tom. 1. tit. 5. q. 36. num.* 151, *Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 17. num.* 150. v. g. ad capturam sufficit assertio vulnerati morientis, si dicat, se à Titio fuisse vulneratum, vel gravis inimicitia cum eodem Titio, non tamen hæc sufficiunt ad torquendum.

Dico secundo: Reus non est torquendus, nisi propter crimina graviora, ex quibus, vel pœna mortis,



quam illa, quæ speratur ex eventu pro delicto, *l. edictum vers. 1: ff. de quæstion. Paris de Puteo de Syndicatu, in tit: unico de Judiciis, Gomesius tom. 3. cap. 13: Lessius ubi suprà num.* 151. *Alderete de tuenda disciplina regulari lib. 1. cap. 17. num. 9. Mascard. concl.* 1385: *Clarus in §. fin. q.* 22. & omne indicium probari debet per duos testes omni exceptione majores, & debent esse contestes non singulares, *Mascard. concl. 462. Menoch: lib. 1. præs.* 91: etiamsi simus in casu hæresis, *Farinaceus tom. 1, q. 37. Bald. cons: 515: vol. 5. Gomesius cap. 13. de tortura reorum num.* 18. alii putant, testes non omni exceptione majores sufficere ad probandum indicium, & ad torquendum, non verò ad puniendum, *Clarus in §. fin: q: 20. & Menoch. de præsumpt. lib. 1. q.* 881.

Dices in delictis enormibus, & exceptis admittuntur testes non integri, & infames, ut in crimine hæresis, *l. quoniam, C. de hæreticis, cap. urgentis. cap. in fidei favorem de hæreticis*, sic in crimine læsæ majestatis, *l. nullus. ff. ad leg. Juliam Majestatis*, item in crimine sacrilegii, *cap. hi, qui 16. q. 4. l. si quemquam, C. de Episcopis, & Clericis, & in crimine perduellionis l. fin. ff. ad legem Juliam Majestatis*, sic in crimine simoniæ, *cap. licet*, ubi *Falynus de simonia* qui casus excepti dicuntur, in quibus etiam inhabiles & infames admittuntur ad testificandum per *glossam in l. 3. §. lege Julia, in verb. palam; ff. de testibus*, *Campegius de testibus, regula 29. in 2. & 3: Fallentia Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 27. num. 7. Mascard: de probat. concl.* 1356.

Respondeo, quòd hoc procedit, quandò admittuntur ad ipsum principale crimen probandum, non autem ad probanda adminicula ipsius delicti, seù circumstantias, secundùm *textum in cap. tuas il. 1. de simonia, Bart. in l. in quæstionib. ff. ad leg. Juliam Majestatis, Bald. in Auth. si testis productus num, 7. ff. de testibus*, qui ait, quòd si caveatur statuto, quòd admittantur ad testificandum infames super adulterio, non debent admitti ad probandum matrimonium, ex cujus probatione dependet, an sit adulterium? Confirmatur exemplo *Bartoli*, dicentis Rectorem Provinciæ, si successorem non admittat, commisisse crimen læsæ Majestatis, ex *l. qui vè*, ubi *Angelus ff. ad legem Juliam Majestatis*, in quo eventu possunt esse testes infames, & admitti ad probandum, quòd Rector Provinciæ successorem non receperit, non tamen possunt admitti infames ad testificandum, seù probandum, quòd ille successor erat legitimus: ex quibus apparet, indicia remota non posse probari per testes non integros, vel inhabiles, vel infames, sed per integros, omnique exceptione majores. ut in crimine hæresis expressè probat nostram conclusionem *Mascardus de probat concl. 857, num. 35. & concl. 462. num.* 38.

Sed petas, quid dicendum de indiciis propinquis ac proximis? Respondeo, quòd indicia propinqua, & proxima sunt probanda per duos testes omni exceptione majores, *Mascard. de probat concl.* 894. Sed contraria opinio dicis, proxima indicia ad torturam probari [illegible] unicum testem, *Bald. in l. fin. C. fam. herc*isc. juncto *Bart. in l. si quis*, C. ad leg. *Juliam* [illegible] *Menoch. lib. 1. q.* 91. v. g. si Caius de[illegible] vidisse Mevium inferentem vulnera Sem[illegible] [illegible] sufficit hic solus testis, probatur, quia si indi[illegible] [illegible] proximum probatur per duos testes, non est [illegible] tortura quandò, ipsi duo testes depo[illegible] [illegible] visu ipsius maleficii, sed condemnatio fieri [illegible] concludenti probatione duorum testium de visu [illegible]

de visu. Atque ità dicendum, est si testis deponat immediatè de ipso delicto & de veritate illius, sufficiens erit illius testimonium tanquàm sufficiens indicium ad torturam, in quo eventu loquitur *glossa in d. l. si quis in verb. convictus, C. ad l. Juliam Majestatis*, quam sequitur *Boër. dec.* 163. *Julius Clarus in §. fin. q.* 22. *Farinaceus in praxi tit.* 5. *q.* 36. *num.* 45. ubi Indicium proximum vocat illud, quod respicit veritatem rei immediatè per sensum visûs, vel auditûs, juxtà qualitatem materiæ: remotum verò est illud, quod non respicit immediatè veritatem delicti, sed circumstantias: ideò, quandò Indicium est proximum, & tangit negotium, testis deponit immediatè de illo, & facit indicium, ad torturam sufficiens; contrà verò quandò testis non deponit de visu ipsius maleficii, v. g. non deponit de Titio blasphemante, sed de aliquo actu valdè proximo ipsi delicto, ex quo inferatur delictum commissum, tunc non sufficit unicum indicium ad probandum, & in hoc casu loquitur *glossa in d. l. fin. in verb. vel indiciis, C. fam. hercisc. Julius Clarus ubi suprà, Alciatus cons.* 455.

Indicis remota sufficientia ad torturam sunt plura, *ex Bart. in l. fin. num. 6. ff. de quæstionib.* & unum tantùm ad Reum torquendum non sufficit, *Bossius de indiciis num.* 71. licèt *Julius Clarus in §. q.* 64. *num.* 14. dicat sufficere unum indicium, sivè proximum, sivè remotum, ut Reus torturæ subjiciatur, quod nullo modo est dicendum de indicio remoto, nisi illi indicio addantur aliqua adminicula, puta fama publica, de autore criminis, quæ per se non sufficit ad torturam, quamvis per duos testes probata sit *Gomesius tom.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. juncta verò fama cum aliis adminiculis sufficit. *Jason. in l. admonendi num.* 252. *ff. de jure juran. Farinaceus tom.* 1. *tit.* 5. *q.* 47 *Lessius lib.* 2. *cap.* 29. *de Judiciis dub.* 17. *num.* 156. *Julius Clarus in §. fin. q.* 21. Hinc fama publica simul cum fuga delinquentis efficit contrà ipsum sufficiens indicium ad torturam, *Duennas regula* 301. *Mascardus concl.* 754. *num.* 10. cùm tamen constet, fugam solam non facere sufficiens indicium ad torturam, nisi cum aliquo indicio conjungatur per *textum in l. unica, C. de raptu virginum, & in l. lege Cornelia, ff. ad Syllanianum*, immò fuga delinquentis facit suspicionem non levem, secundùm communem, non tamen indicium sufficiens, *Farinaceus tit.* 8. *q.* 48. *Lessius ubi sup.* dicens, fugam esse indicium, quandò fit statim patrato delicto; verùm si posteà compareat, purgat omnem suspicionem, juncta tamen cum inimicitia gravi facit indicium: ista verò fuga poterit purgari multipliciter. Primo juramento fugientis, *Marsilius in praxi crim. §. diligenter num.* 43. & 44. ubi ait ex causa probabili excusari fugientem, & standum esse juramento illius in illis, quæ dependent ab animo ejusdem, *§. alia instituat. de actionib.* quia in dubio quis præsumitur abesse ex bona, & probabili causa, non propter conscientiam patrati delicti, *Brunus de indiciis, & tortura par.* 1. *q.* 3. *num.* 12. *Carrerius in praxi tract.* 2. *de indiciis, & tortura; §. tertium indicium; Mascardus concl.* 894. *num.* 18. *Diaz regula* 303. Diluitur etiam indicium fugæ per spontaneam reversionem, quia cessante causa, cessat effectus, *ex l.* 1. *C. de requirendis reis*, *Bart. in l. quis fugitivus, §.* 1. *Cepolla num.* 15. *ff. de ædil. edicto, Mascardus de probat. concl.* 819. & 1330. *Menochius lib.* 1. *q.* 89. *num.* 37. præsertim si abfuit vir probus, *Brunus de indiciis, & tortura q.* 3. *par.* 1. *num.* 22. *Farinaceus tom.* 1. *q.* 48. *num.* 56. dicens fugam non facere indicium ad torturam contrà hominem bonæ famæ: secùs si erat malæ famæ, quia tunc faceret indicium sufficiens ad torturam.

De confessione extrajudiciali est quæstio an sufficiat ad torturam; puta, quandò Reus extrà judicium confessus est, se delictum aliquod commisisse: *glossa in l. capite quinto, ff. ad leg. Juliam de adulteriis*, affirmat *Bart. in l. quoniam ff. de his, qui notantur infamia, Gomesius tom.* 3. *cap.* 13. *de tortura num.* 8. *Follerius in verbo & si confitebuntur in secunda parte tertia partis num.* 22. *Miranda de ordine judiciali q.* 17. *art.* 8. quia confessio extrajudicialis probat semiplenè, teste *Bar.* & aliis in *l. admonendi, ff. de jurejurando*; ergò multò magis facit sufficiens indicium ad torturam; dummodò hæc confessio sit facta seriò, non jocosè, *Foller. d.* 2. *par. num.* 10. & debet esse confessio de delicto certo tempore, & loco commisso. Sed est difficultas quid, si quis confiteatur delictum extrajudicialiter, & posteà ob confessionem prædictam subjiciatur quæstionibus, & ibi confiteatur, an sit necessaria posteà ratificatio, communior est requiri, legas *Mirandam d. ar.* 8. *concl.* 1. qui agunt de aliis indiciis ad torturam.

Nota primo, damnatum ad mortem non posse sibi eligere sepulturam, ut post alios *P. Fragosius disp.* 12. *lib.* 5. *num.* 69. qui tamen movetur ex eo, quòd fiat servus pœnæ, & privetur jure testandi. Verùm, quia hodie id non fit, ideò dicerem posse eligere sepulturam, ut possunt testari secundùm veriorem sententiam.

Nota secundo, quòd interdùm accidit condemnari ad mortem aliquem in arte sua peritissimum, qui est liberandus, *l. ad bestias, ff. de pœnis*, ubi dicitur damnatum ad bestias posse eximi ab illa pœna, quandò est utilis Reipublicæ, ac populo, & de quodam Barbitonsore, qui in arte scindendi venam erat peritissimus, ob eam rationem fuit liberatus à morte: id accidit Conimbricæ, teste *Fragosio ubi suprà unum, num.* 70. exceptis tamen criminibus læsæ Majestatis, maleficiorum, & incantatorum, *l. & si excepta, C. de maleficis, & mathematicis, Tiraquellus de pœnis temperandis causa* 50.

Nota tertio, quòd si quis habeat exilium ab aliqua Civitate, vel loco, eo durante tempore si moriatur, non potest indè adduci, undè exilium habuit, *l. penult. ff. de cadaverib. punit.* Ratio est, quia sicut, dùm vixerunt, non poterant ibi habitare, sic post mortem non possunt eorum corpora ibi sepeliri, quod verum est, quandò exilium fuisset perpetuum, secùs si fuisset ad tempus: quia tunc eo transacto possunt corpora, & ossa ad locum, à quo fuerunt relegati, adduci, & jura intelligunt DD. de misso in exilium in perpetuùm, non verò ad tempus, *Gomesius ubi suprà cap.* 14. *num.* 81.

Nota quarto, quòd *Bart. in l. fin. ff. de cadaverib. punitor. & Joannes de Anania in cap.* 21. *de furtis col.* 2. proposuerunt ad propositum nostrum quæstionem, eamque indecisam reliquerunt, an scilicet liceat corpora damnatorum concedere Medicis ad faciendam anatomiam ego dico non adesse repugnantiam, ut de facto fit ob publicam utilitatem, teste *Decio in l. Imperium num.* 18. *ff. de jurisd. omn. Judic Ripa in tractat. de peste in tit. de remediis præservativis contrà pestem nu.* 142. quia, quandò aliquid omnibus prodest in communi, præfertur utilitati privatæ *per textum notabilem in l. quod Reipublica ff. de injuriis*, ubi habes, Judicem nulli facere injuriam, si intuitu boni publici aliquod concedat, quod redundet in contumeliam alicujus privati: sequitur *Julius Clarus in §. fin. quæst. ultima* & de communi *Berdachinus in verb. cadavera num.* 50. *Gomesius de delictis cap.* 14. qui dicit id Carolum V. petiisse ab Universitate; seù studio Salmaticensi, & fuisse sibi responsum affirmativè, quod videas etiam apud *Menochium de arbitr. casu* 285. *Sylvestrum in summa, in verb. Medicus* 9. *per textum in d. l. quod Reipublica, Antonius*

*Scappus*

Rogatur, qui non possint torqueri? Respondeo primo, omnes posse torqueri; qui non sunt expressè prohibiti, qui autem sunt expressè prohibiti mox dicemus. Respondeo secundo, non solùm in gravibus delictis esse locum torturæ, sed etiam in levibus, dummodò tamen levis sit tortura, ut pœna respondeat delicto. *Albericus in l. edictum, ff. de quæstionibus, Julius Clarus in §. fin. q. 64.* Reo ad torturam veniendum est, nisi aliter veritas haberi possit. *Boer. dec.* 163. ideòque si aliter constet de delicto, nullo modo Reus torqueri debet, & malè faciunt Judices in hoc casu, & tenentur in Syndicatu. *Covarr. pract. quæstion. q.* 23. sic quandò crimen est plenè probatum per testes de visu omni exceptione majores, nullo modo Reus torqueri potest, quia tortura pro veritate eruenda fuit inventa in subsidium, & defectum probationum; ideò, si stantibus veris, & legitimis probationibus Reus torqueatur, Judex peccat mortaliter, & tenetur restituere damnum. & interesse Reo, *d. l. edictum, ff. de quæstionib. Gomesius cap.* 13. *n.* 20. & est *text. in l. Divus Pius ff. de quæstionib. & in l. quotiès & l. fin. C. de quæstionib. Miranda de ordine judiciorum q.* 27. *art.* 4. *concl. unica:* immo si Reus legitimis probationibus convictus subjiciatur torturæ, & in tortura delictum neget, tunc per illam negationem excluditur omnis contrà eum probatio, *Hippolytus Marsilius in praxi crim. in §. nunc videndum. num.* 76. & erit Reus absolvendus, *Cepolla cons.* 32. *Thomas de Ferrarijs, cautela* 5. Sed alia opinio dicit posse condemnari ex veris, & legitimis probationibus in processu receptis, quamvis Reus in tortura delictum negaverit: & quamvis Reus nihil protestetur circà probationes legitimas: legas pro hoc notabilem textum in *l.* 1. juncta *glossa. & de quæstionib.* ubi ait torturam injustè illatam & confessionem in ea pronunciatam non auferre vim legitimis probationibus in processu scriptis, neque earum effectum enervare; ità dicunt *Covarr. Gomesius;* & alii ubi suprà.

Respondeo tertiò, minores 14. annorum non posse torqueri *l.* 1. §. *impubere; ff. ad Syllanianum, l. ex libero; §.* 1. *ff. de quæstionibus, l. de minore, ff. de quæstionibus, Julius Clarus in §. fin. q.* 64. *Gomesius tom.* 3. *var. cap.* 1. *de delictis num.* 67. *& cap.* 13. *num.* 3. Verùm poterunt terreri, ferula cædi, vel aliter leviter torqueri, *Flaminius Carthar. in praxi interrogandi Reos lib.* 4. *c.* 1. *num.* 49. *& cap.* 2. *num.* 10. *Lessius lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. *num.* 152. Neque senes possunt torqueri, *l. si quis in grav. ff.* 19. *ff. ad Syllan. Gomes. cap.* 13. *nu.* 13. scilicet septuaginta annorum; *Julius Clarus d. q.* 64 *Grammaticus d.* 34. quòd si sint debiles senes etiam sexagenarii non poterunt torqueri, ne in tortura eos mori contingat, & ideò sit ne senex habilis; vel non remittitur arbitrio Judicis, qui vires considerare tenetur, *Farinaceus* 1. *tom. tit.* 5. *q.* 41. *num.* 107. *Lessius d. c.* 29. *n.* 154. Prægnans non potest torqueri *l. prægnantis ff. de pœnis Julius Clarus in §. fin. q.* 97. & non torquetur nisi post 40. dies à partu, *Clarus in d. §. fin. q.* 64. *n.* 23. Dubium verò est, an si femina conceipiat in carcere fraudulenter, ut evadat torturam, an sit torquenda? *Bajard ad Clarum in d. §. fin. q.* 64. *num.* 76. Affirmat non posse torqueri, si verè gravida est, quòd si dubitetur, consulantur Medici, & obstetrices, & eorum juramento standum est, *Bajardus, num.* 78. Caveas tamen à *Bajardo*, qui dicit esse credendam dicto feminæ asserentis, se esse gravidam, sed *Bart. in l. Tecopompus, ff. de dote prælegata; & Jason in l. de pu.*



[illegible] non poterit partus torqueri, quamvis partus non sit animatus. *Brunus de indiciis,* 2. *par. q.* 4. Clerici etiam hodie torquentur, sed non in publico solent torqueri in Curia nostra ecclesiastica, neque per Cursores ejusdem Curiæ, sed per laicos satellites, *Genuensis in praxi cap.* 35. nunquàm tamen Clericus torquetur, nisi sit infamatus, licèt mille indicia contra seipsum habeat, *Mascar. concl.* 352. *&* 35. *num.* 14. *& concl.* 497. *n.* 3. quia Clericatus dat præsumptionem bonitatis ipsi Clerico, mitiùs tamen sunt Clerici, quàm laici torquendi, *Clarus in d. §. fin. q.* 64. *num.* 24. *ex Abbate in cap. cùm in contemplation. num.* 6. *de regul. juris; Vivius in commun. opin. in verb. Clericus,* & facit *tex. in cap illi qui. q.* 5. ubi *glossa* dicit per Clericos esse torquendos. Doctores non sunt torquendi cum sint nobiles, qui torqueri non possunt, *Cynus, & Bart. in l. milites, C. de quæstionib.* milites verò licèt antiquitùs de jure communi non potuissent torqueri, tamen de jure hodierno milites nostri temporis non gaudent hoc privilegio; *Angelus,* & alii communiter, exceptis Ducibus, Equitibus seu Capitaneis, qui gaudent privilegiis, quibus antiquitùs veri milites gaudebant, *Julius Clarus in §. fin. q.* 64. *num.* 18. Verùm possunt isti omnes torqueri in crimine læsæ Majestatis, tàm divinæ, quàm humanæ, Sodomiæ, Lenocinii, & aliis similibus, *Farinaceus tit.* 5. *q.* 41. *num.* 56. *&* 100. excusantur verò in quibuscumque criminibus à tortura senes, & infirmi, qui tamen possunt verbaliter terreri, vel leviter torqueri, *Gomes. d. cap.* 13. *num.* 3. qui *nu.* 4. credit prohibitos torqueri territione reali, & propinqua, posse torqueri territione verbali, & remota, quæ fit per spoliationem, ligationem, & deductionem ad locum torturæ ac funis applicationem, argum. *tex. in l.* 1. *§. impuberi, ff. ad Syllanianum;* sed meliùs putat. *Berdaxolus cons.* 116. *num.* 31. *lib.* 1. hos non posse in funem, & in altum elevari, sed nec funigari poterit, præsertim quandò ligatura est valdè stricta, tunc enim assimilatur torturæ in qua reus elevatur, *Farinaceus d. tit.* 5. *q.* 38. *& q.* 41. *num.* 19. majores septennio infrà 14. nullo pacto possunt nec terreri, nec etiam cædi ferula: si verò sint majores 14. annis, tunc poterunt torqueri leviter tamen considerata semper qualitate personæ, & ætatis; *Farinaceus de testibus q.* 79. *num.* 30. post *Bart. in l. ex libero §.* 1. *ff. de quæstionib.* Illi verò, qui nequeunt torqueri ex eo, quia feminæ gravidæ, vel ob aliquam dignitatem, nec terreri poterunt; sed poterunt puniri pœna extraordinaria, si contrà eos urgeant indicia sufficientia, *Bald. in l. ult. num.* 8. *C. de probat. Grammaticus voto* 15. *num.* 15. *Gomesius cap.* 13. de tortura reorum num. 28. est quæstio an privilegium, ne torqueantur nobiles, extendatur ad eorum filios, affirmat post alios *Lessius ubi sup. dub.* 17. *n.* 154. *Gom. ubi suprà.*

De illis est quæstio, qui actu legunt, sed nullam habent dignitatem, ut Lectores Religionum, &c. an possint torqueri ob delictum? Respondeo negativè, quia Magistri non graduati, possunt etiam aperire literas Apostolicas, & dispensationes in eis contentas expedire in foro conscientiæ, dummodò sint approbati ab Ordinario loci ad audiendas confessiones, & doceant in aliqua publica Academia Jus Canonicum, aut Theologiam præsertim moralem, etiamsi non sint ad [illegible], vel Magisterium promoti, quia tales habent publicum testimonium suæ doctrinæ, ergò & de[illegible] solent tales dispensationes confessariis [illegible] si sint viri docti, & justà formam Tridentini.

dentini approbati ab ordinario ad audiendas confessiones, sequitur *Fragosius disp. 12. lib. 5. à num. 88.* contrà *Sanchez lib. 8. de dispensationibus disp. 34. num. 7.* Idem dicas de doctoratis in Religionibus. Sunt enim multæ Religiones, quæ habent auctoritatem faciendi suos Regulares Magistros, & Doctores, ut concessit Julius Tertius, & habent hanc facultatem doctorandi alios, Patres Societatis ex Gregorio 13. teste *Fragosio d. lib. 5. disp. 12. num.* 88. Surdum, & mutum à natura negat *Decianus cons. 18. num. 155. lib. 1.* posse torqueri, nisi sciat scribere, quia tunc posset per scripturam respondere, quo casu poterit etiam puniri pœna ordinaria, *Gomesius tom. 3. cap. 1. num. 69.* ubi refert, fuisse suspensum mutum cujusdam homicidii socium.

Rogabis ultimo, qua pœna sint puniendi delinquentes, qui non habent plenum judicium, ut infantes scilicet usque ad septennium inclusivè? ex *glossa in §. pupillus, Instit. de inutilib. & in Clem. 1. de homicidio, l. si in infanti, C. de jure delib. Menoch. casu 57.*

Respondeo, esse excusandos, & quidem ipso jure, non verò per restitutionem, *l. 1. C. si adversùs delicta*, ubi *Baldus num. 3. Bart. num. 1. Paulus num. 2. Covarr. in d. Clem. 1. par. 3. Gomesius cap. 1. de delictis num. 57.* si ultrà septennium, infantiæ tamen proximi, scilicet post septennium usque ad decimum annum cum dimidio, si est masculus, si femina usque ad novem annos cum dimidio, *Gomesius num. 57.* Tales possunt puniri pœna arbitraria, & proximos pubertati vocat *glossa in d. §. pupillus in verb. infantia proximus, instit. de inutiib. stipulat.* usque ad decimum annum cum dimidio si sit masculus, & usque ad novem annos cum dimidio, si sit femina: alii putant per sex menses antè pubertatem dici proximos pubertati, per *tex. in cap. continebatur de dispensatione impuberum, & in cap. attestationes eodem tit.* & facit notabiliter *textus in l. non tantùm, ff. de excusat. tutor. Igneus in l. 1. §. Impubes num. 8. usque ad num. 14. ff. ad Syllanianum*, sequitur *Bald. in l. excipimus, ff. ad Syllanianum, Caldas in d. l. Curatorem, in verb. adversarii dolo num. 53. C. de in integr. restitut.* tu dicas remitti arbitrio Judicis, *pragm. 1. de minorib.* ubi DD. & non minùs senectuti, quàm pueritiæ indulgendum est: teste *Decio in l. ferè num. 5. de regulis juris*, ut scilicet mitiùs puniantur, *glossa in d. l. ferè*, quia sicuti minores puniuntur mitiùs, eò quòd nondùm perfectum habeut consilium, ità seniores, quia bonam partem consilii, ac judicii amiserunt, *Menoch. casu 329. num. 2. Gomesius tom. 3. cap. 1. num. 68. ex l. 2. ff. de termino moto*: ubi *glossa in verb. miseratio*, senem vocamus sexagenarium, in hac materia, & benè dixit *glossa in l. senectus, C. de donation.* senes habere sensum puerilem, & *Archidiaconus in cap. tanta 86. dist.* addit, senes ità vocari eo quòd senescentes delirant præ nimia ætate, & repuerascere dicuntur quasi iterùm in pueritiam redeant, undè dicuntur bis pueri senes, ideò pueris nimiùm delectantur, quasi similes cum similibus, & probatur *ex cap. tanta 86. dist.* ubi Summus Pontifex pepercit seni delinquenti.

*De Actuariis, & Scribis.*

AD intelligentiam sciendum est, plura requiri in Actuario, vel Scriba, vel Notario. Primo enim requiritur conditio personæ. Secundo scientia. Tertio obligatio officii. Quarto fidelitas. Quinto justitia. Conditio personæ in Notario requisita: nam Actuarius, seù Notarius debet esse persona legitima, & integerrima, quæ legitimatio, & integritas in multis consistit.

Primu scilicet, ut non sit persona infamis, nec de jure, nec de facto, nam istis personis infamibus portæ dignitatis non aperiuntur, *cap. infamibus de regul. juris in 6.* undè licet de jure communi Notariatûs officium est vile, ut notat *glossa in l. Universos, C. de Decurionibus lib. 10.* & *Bart. in l. 1. C. de mandatis Principum ex textu in l. Generali, C. de tabellion. lib. 10.* idem docet, tamen de jure nostri Regni, per constitutionem, incipientem *Divinæ justitiæ in fine cum sequenti*, infamis ad Notariatûs officium admitti non potest, & *Covarr. practic. quæstion. cap. 19. Gutierrez lib. 1. practic. quæstion. q. 137. & Tiraquellus de nobilitate cap. 30. num. 6.* docent, Notarium non amittere nobilitatem per officium Notariatûs, & *Regens Rovitus in pragm. 1. de Notariis matriculandis num. 3.* docet, se vidisse quoddam privilegium, in quo dicebatur quidam Notarius de sedili hujus Civitatis, qui eodem tempore, quo exercebat officium Notarii, gaudebat honoribus ejusdem sedilis.

Secunda qualitas in Notario requisita est, ut non sit servilis, sed ingenuæ conditionis, *l. generali. C. de tabell. lib. 10.* nec obstat, quòd dicatur persona publica, *§. cùm autem instit. de adopt.* nam dicitur persona publica, quia deservit publicæ utilitati.

Tertia qualitas: debet esse de legitimo matrimonio natus, eo quia, cùm habeat fidem publicam, debet esse persona multum honesta, sæpè enim filius similis est patri, *l. quòd si mancipia*, ubi *glossa, ff. de ædil. edict.*

Quarta qualitas est ætas legitima, quæ ætas in Regno nostro solet practicari, ut ad officium Notariatûs assumptus, habeat ætatem 22. annorum, de jure verò communi nulla ætas taxatur.

Quinta qualitas est, ut Notarius non sit Monachus, sed potest esse presbyter, dummodò sit Notarius in foro Ecclesiastico: & ratio est, quia Monachus est tanquàm mortuus mundo, & ideò non potest Reipublicæ deservire, sed solùm Religioni, *cap. ut officium, §. ad conscribenda de hæret. in 6. cap. sciret nè Clerici, vel Monachi*, ubi *Abbas nu. 1.* & tam in causa civili, quàm criminali, verùm si de facto reperiatus aliquod instrumentum fecisse Clericum, vel Monachum, tunc tale instrumentum esset validum, nisi ei publicè fuisset interdictum facere instrumenta, quia tunc non valeret, dummodò tamen prohibitio ad notitiam populi pervenerit, secùs, si ad ejus notitiam non perveniat, quia tunc ignorantia excusabit.

Limitatur tamen in Clericis in minoribus constitutis, qui poterunt esse Notarii, nisi essent beneficiati, quia tunc non poterunt esse tales. *Abbas, in cap. sicut. nè Clerici, vel Monachi*, vel si essent Notarii in criminalibus causis, *Majolus de irregular. lib. 2. cap. 6. num. 50.*

Limittatur secundò in causa hæresis, quia ibi poterunt esse Notarii, *d. cap. ut officium de hæretic. in 6.* in quo casu etiam Monachi, & alii Religiosi Conventuales possunt esse Notarii.

Limitatur tertio in foro Ecclesiastico, ubi poterunt esse Notarii, *Abbas in d. cap. sicut num. 6.*

Limitatur quarto, quandò quis fuisset Notarius, antequàm efficeretur Clericus, quia tunc tenetur edere, & conficere instrumenta in publica forma priùs celebrata, & eorum abbreviaturas extendere, *glossa in d. cap. officium.* Sic servari in praxi docet *Mastrillus dec. 159. num. 11.* ubi ponit, qualiter contrà eum procedatur, & est notabilis decisio.

Limitatur quinto in causis spiritualibus, ut in causis decimæ, vel matrimonialibus, quia in eis Clerici poterunt esse Notarii, nisi pro eis fuisset constitu-

tus

Limitatur texto, quando Clericus non haberet undè commodè vivere posset, quia tunc poterit esse Notarius, vel quandò conficeret instrumentum in favorem suæ Ecclesiæ, vel ubi adesset consuetudo, ut Clericus id faceret, vel ubi à Papa ad hoc esset id dispensatum, quo casu dispensatus per Summum Pontificem, conficere poterit instrumenta per totum mundum, *cap. quidam* 5. *q.* 1. *cap. cuncta per mundum*, *cap. per principalem* 5. *q.* 3. Secùs, si constitutus esset per Episcopum, quia tunc ea posset tantùm conficere in sua Diœcesi, *Carolus de Grassis ubi sup.*

Sexta qualitas, ut Notarius eligatur ab eo, qui habet potestatem ipsum eligendi: undè in Regno nostro creatio Notariorum est de regalibus; undè fit a Collaterali hodie, & observa, quòd licèt Notarius, si efficiatur Judex ad contractus, non possit ampliùs exercere ad officium Notarii, tamen totum contrarium observatur in praxi Neapoli, ubi, ferè omnes Notarii sunt Judices ad contractus. *Rovitus in prag.* 2. *de contractibus.* Ex quibus habes, quòd licet olim Notarii teneantur matriculari, tamen hodie tenentur facere expediri privilegium sigillatum, & registratum in forma Regiæ Cancellariæ, de quo tenore debent fides authenticat in valvis ipsarum Curiarum affigere, *prag.* 5. *& 6. de Notariis*, quod tamen hodie non servatur quoad fides affixas in valvis, quòd si quis communiter reputetur Notarius, & tanquàm talis reputatur, faciat instrumentum, erit validum, non obstante defectu privilegii, *Rovitus ubi sup. pragm.* 1. *num.* 2.

Septima qualitas in Notario requisita, est scientia, quæ tamen non est necesse, ut sit legalis simpliciter loquendo, sed tantùm ad benè esse, ut in *d. l. generali*; requiritur tamen ea scientia, quæ spectat ad suum officium, aliàs peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem parti de eo, quod sua culpa illatum est; DD. in *d. cap. quoniam contrà de probat.* culpa enim est ignorare, quod pertinet ad proprium officium, *l. lata culpa*, *ff. de verbor. signif.* quamobrem tenetur scire clausulas, quæ in contractibus apponi consueverunt, aliæque solemnitates, quæ adhiberi, & servari solent. Solemnitates autem, quæ adhiberi in instrumentis solent, sunt invocatio nominis Dei, indictio, dies, mensis, in quo celebratur contractus, locus, in quo legitur instrumentum, testes, numen, & signum tabellionis: undè si ob Notarii negligentiam, vel ignorantiam, prætermissa est aliqua solemnitas, cujus omissione pars aliquod damnum patiatur, Notarius tenetur ad illius restitutionem, & ideò in *Triden. sess.* 22. *cap.* 10. Sancitum est, ut Episcopus valeat eorum sufficientiam scrutari, & minùs idoneos à negotiis Ecclesiasticis repellere, *Abbas in cap.* 1. *de fide instrum Covarr. practic. quæstion. cap.* 20. *Angelus in verb. Tabellio.*

Notandum tamen est primo, Notarium debere fideliter in scriptum referre, quæ à partibus asseruntur, modò desit mendacium, quamquàm non peccet, si, dùm partes fateantur se recepisse pecuniam, scribat, pecuniam acceptam fuisse, quamvis re ipsa accepta non sit, nam perindè est, ac si pecunia sit accepta, cum pars juri suo cedat, & Notarius non propriè asserat, pecuniam realiter acceptam fuisse, sed potiùs referat confessionem partium, *Navarrus cap.* 25. *num* 52. Secùs, si dicat pecuniam coram se exbursatam fuisse, cùm reverà coram se exbursata non fuerit ut in contractu censûs, in quo ad ipsius validitatem actualis solutio requiritur.

Notandum secundò est, Notarium graviter peccaquium omnium ex officio deputata, & consequenter teneri ad restitutionem damni, quod pars ex denegato sibi instrumento patitur, cùm faciat contrà proprium officium cum damno aliorum. Idem dic, si non collocet in registro. DD. suprà citati.

Notandum tertio, Notarium conficientem testamentum alicujus carentis judicio, seù non utentis ratione, peccare, & teneri ad restitutionem legitimis hæredibus, qui ab intestato successissent, censetur enim causa efficax damni legitimis hæredibus, qui ab intestato successissent, cùm efficiat testamentum invalidum, cujus causa hæredes damnum injustè patiuntur, tamen non id, si confecerit bona fide nesciens, testatorem judicio carere, quia tunc sicut à peccato excusatur, ità etiam ab obligatione restitutionis, cùm ex nulla radice appareat, quare ad restitutionem obligari debeat, *Sylvester verb. Tabellio. q.* 8. *Navarr. loco cit. num* 54. & alii citati.

Rogabis primo, an peccet Notarius conficiens instrumentum usurarium scienter?

Respondetur affirmativè, peccare scilicet, & teneri ad restitutionem, si ob id mutuatarius cogatur solvere usuras, sicut accidit, quandò Notarius palliavit usuram in contractu mutui, aut venditionis, & ob id mutuatarius compellitur usuras solvere. Quòd si Notarius conficiat instrumentum usurarium ad petitionem mutuatarii, non videtur obligandus ad restitutionem, quamvis graviter peccet contrà juramentum factum in munere tabellionatûs suscipiendo: nam solent præstare juramentum Notarii, quo promittunt, se purè, justè, & fideliter confecturos instrumenta, & scripturas ex officio faciendas, ità DD. apud *Filiuccium tractat.* 34. *par.* 2. *cap.* 7. *num.* 37.

Rogabis secundò, an Notarius scribens statutum, vel aliquod aliud contrà libertatem Ecclesiæ, sit excommunicatus?

Respondetur affirmativè. Ità est determinatum in *cap. noverit de sentent. excomm.* ubi excommunicantur primo Statutarii, & Scriptores talium statutorum, nisi fortè scribant in privatam formam. Secundò, qui faciunt servari statuta edicta, vel consuetudines introductas contrà libertatem Ecclesiæ, nisi prædicta statuta de suis libris fecerint amoveri. Tertiò, omnes concurrentes ad hujusmodi statuta facienda, *Reginaldus lib.* 9. *num.* 364. *Toletus lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 13. Quartò, qui secundùm illam præsumunt judicare, vel judicata in publicam formam scribere.

Observa tamen, differre excommunicationem, de qua in *d. cap. noverit* ab ea excommunicatione, quæ imponitur in Bulla Cœnæ contrà violantes libertatem Ecclesiæ.

Primo enim differt; quia excommunicatio cap. noverit, extenditur ad Scriptores statutorum, & adservantes consuetudinem contrà libertatem Ecclesiæ: in Bulla autem Cœnæ non est sermo de Scriptoribus, vel de servantibus consuetudinem, aliud enim est [illegible] consuetudinem, aliud ferre statutum, vel [illegible] prætextu consuetudinis; in Bulla autem [illegible] prohibetur; non Primum [illegible] excommunicatio cap. noverit, non est [illegible] excommunicatio verò [illegible] de jure communi; [illegible] cap. noverit excommunicantur, qui statuta [illegible] nisi illa de libris suis amoveri [illegible] excommunicantur, qui præfata [illegible] nec sit mentio de illis, qui ea [illegible]

 Notan-

Notandum quarto est, teneri Notarium manifestare legata, præsertim facta ad pias causas; nec poterit pretium injustum, aut aliquid ultrà taxam exigere, quandò pretium à lege taxatum est, vel aliquà consuetudine, nisi majus liberaliter donetur, & hic Neapoli est casus reservatus non manifestare legata pia infra duos menses, & sunt excommunicati, nec possunt absolvi. Ratio est, quia quilibet tenetur legem justum taxantem pretium servare, alioquin peccat contrà justitiam, & tenetur ad restitutionem, *l. si quis, ff. de quæstionib.* quandò verò pretium non est à jure, vel usu taxatum, tunc Notarius, Advocatus, vel Procurator tantum recipere possunt, quantum judicio prudentis viri justum videtur habita ratione laboris, dignitatis scientiæ Advocati, difficultatis Causæ, &c. nam omnia ista justam habent augendi pretii rationem.

Notandum quinto, teneri Notarium declarare partibus ignorantibus clausulas, nam potest accidere, quòd si partes scirent eas clausulas, non contraherent: nam si ille, qui fidejubet, sciret quid importaret renunciatio, *Auth. præsenti C. de fidejussoribus*, non fidejuberet: sic si mulier sciret, quid importet renunciare Velleiano, non se obligaret, & sic debet Notarius has omnes clausulas declarare partibus imperitis; & exprimere omnes difficultates lingua materna, & vulgari, antequàm Instrumentum conficiat.

Notandum sexto est, Notarium non posse conficere instrumentum filiisfamilias in Regno nostro sine consensu patris, vel nisi filiusfamilias fuisset emancipatus: ità habetur in *pragm. Regn.* incipiente *per excellentem sub tit. ad S. C. Macedonianum*, quòd si filiisfamilias se asserant patresfamilias in actu obligationis, vel asserant se esse emancipatos, vel seorsùm habitare, tunc excusabuntur Notarii, ut autem dicatur filiusfamilias seorsùm à patre habitare, sufficit si propriis expensis vivat, etiamsi simul cum patre habitet in una, eademque domo cum patre: quòd si filiusfamilias asserat se in uno filiumfamilias, non præjudicabit se in alio, *Angelus in l. de ætate. ff. de minoribus.*

Quod adeò verùm est, ut etiam habeat locum in filiofamilias legitimato per rescriptum Principis, quia adhuc hic talis filius non poterit sine patris consensu contrahere.

Limitatur tamen hoc primo in filio mercatore, qui poterit sine patris consensu contrahere, ut sic fuisse decisum in Sacro Consilio refert *Rovitus in prag. 1. num. 7.*

Secundo limita, si filiusfamilias obligatus, & effectus, posteà sui juris fuerit à suo creditore alteri delegatus, quia contrà hunc tertium creditorem non poterit opponere hanc exceptionem, *l. doli mali. in princ. ff. de novationibus.*

Tertio limita in filiabus feminis, *Ursill. ad Afflictum dec.* 308.

Quarto limita, si fuisset cum juramento, *d. pragm. renunciatum*, ut docet *Zasius in suis singularibus cap. 28. lib.* 2. cujus tamen contrarium docet *Caravita in d. prag. §. 10. num. 6.*

Rogabis primo, quid dicendum, si posteà superveniat patris consensus, vel antecesserit?

Respondetur, quòd non sufficit talem consensum patris antecedere, vel subsequi, sed debet in ipso actu intervenire, nam requiritur patris præsentia: sic decisum in Sacro Consilio refert *Rovitus in d. prag. 1. num.* 11.

Rogabis secundo, quid si filiusfamilias in hoc casu contraheret cum patre?

Respondetur, quòd hoc in casu requiritur, ut interponatur Judicis decretum; ut docent DD. citati.

Rogabis tertio, quid si filiusfamilias contraheret extrà Regnum, an opus esset tali consensu patris?

Respondetur negativè, quia est inspiciendus locus; ubi fit contractus, etenim per talem pragmaticam datur forma, quæ servari debet in contractibus, & sic adaptatur locu, ubi contrahitur. Sic decisum in S. C. refert *Francus dec.* 72. Regula enim est in jure nostro, regulari contractus secundùm leges loci, ubi conficiuntur, *l. si fundus, ff. de evictionib.* ob quam etiam rationem procedit, si contraheret in hoc Regno exterus, *Rovitus num.* 18.

Rogabis quarto, quid dicendum, si filiusfamilias esset Clericus?

Respondeo adhuc comprehendere ipsum tale statutum, & talis pragmatica per ea, quæ notabiliter notat *Felinus in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constitut. num.* 81. *vers. quartus casus est, Joannes Andreas de Georgio, allegat.* 44. *num.* 30. *Rovitus in d. prag. num. 3. Novarius ibidem, Riccius in addit. ad d. dec.* 72. Ratio est, quia statutum generaliter loquens, licèt sit laicorum, adhuc Clericos comprehendit, DD. citati.

Rogabis, an possit Notarius absque vitio falsitatis scribere in testamento sibi legatum à testatore relictum?

Respondetur affirmativè, quia, cùm possit ei aliquid à testatore relinqui, consequenter poterit illud scribere Notarius, ut benè *Sylvester in verb. Tabellio q.* 11.

Neque obstat, quòd id expressè prohibetur in *tit. C. de his, qui sibi in testamento aliquid adscribunt*, in quo titulo pœna falsi punitur, qui sibi aliquod in testamento adscribit, nam titulus ille, ut benè *Bald. & Salycetus*, ibi procedit, quandò Notarius fraude, vel precibus importunis id facit.

Rogabis, an Notarius possit vendere, vel donare sua protocolla?

Respondetur affirmativè: ità *Bart. in l. quadam, §. nihil, ff. de edendo.*

Illud verò controversum est, quid si maritus Notarius legaverit uxori suæ usumfructum omnium bonorum suorum, videatur legare illud, quod percipitur ex copia instrumentorum? qua in re *Bartolus in l. divortio, §. si vir. ff. sol. matr. & in l. quadam. num. 6. ff. de edendo*, concludit, quòd non spectat ad uxorem, sed ad heredes mariti. *Bartolum* sequuntur *Jason in d. §. si vir, Boerius dec.* 19. *num.* 50. & 244. communem esse opinionem testatur *Socinus cons.* 100. *vol. 1. num.* 4.

Probatur, quia nomine fructuum, illi tantùm fructus veniunt in vera significatione, qui renascuntur, ut in *d. §. si vir*, ex protocollo tantùm semel exscripta percipiuntur, ut in *l. si quis ex argentariis §. fin. ff. de edendo*, ergo pecunia, quæ percipitur ex reassumptione Instrumentorum ad uxorem non spectat, quia in legatis fit stricta interpretatio, *l. nummis, ff. de leg.* 3.

Alii verò, ut *Paulus de Castro, & Duarenus in d. l. divortio, §. si vir. ff. solut. matrim. Garsia de expensis, & meliorationibus num.* 47. tenent spectare ad uxorem.

Probant ex *textu in l. uxori.* 37. *ff. de usufruct. legato*, ubi in legato ususfructûs venit calendarium, id est liber, ubi nomina debitorum continebantur, *l. penul.* ubi notatur, *ff. si cert. petat*, sed debitum à debitore tantùm semel exigitur, ergo, &c.

Sed opinionem *Bartoli* defendendo dico, quòd *textus in d. l. uxori.* procedit in calendario, quod calendarium est liber, ubi continebantur nomina debitorum non semel exigibilia, sed singulis mensibus, ut advertit *glossa in l. lecta in verb. Calendarium ff. si cert. petat.* undè singulis mensibus usuræ præstantur: & successivè veniunt in legato ususfructûs: aliud tamen esset, si pro debito annuæ usuræ solvantur.

Tertia

nis, quæ ex protocollo percipitur in perpetuum, & irrevocabiliter spectet ad uxorem, & tunc vera est opinio *Bartoli*. Si verò loquamur, utrùm pertineat ad uxorem quoad potestatem fruendi, & tunc vera est secunda opinio, scilicet quòd spectet ad uxorem, ut ex *d. l. 1. C de usufructu legato*, colligitur, hanc distinctionem sequuntur *Alex.* & alii, quos sequitur *Gaspar Baeza de decima tutorum cap. 23. num. 23.*

Verùm adverte, quòd tenetur uxor præstare cautionem de restituenda pecunia finito usufructu, juxtà *textum in d. §. constituitur*, *Pinellus in tit. Codicis de bonis maternis par. 2. num. 41. Castillus lib. 1. rerum quotidianarum cap. 36.* immò etiamsi legaverit usumfructum protocolli, adhuc tenetur cautionem præstare, quia non videtur pecuniam legare, sed usum ipsius, ut benè *Pinellus, & Castillus ubi sup.*

Limitatur verò hoc, quandò testator legaverit usumfructum redituum, & obventionum, quia tunc non solùm venit illud, quod renascitur, sed etiam illud, quod semel percipitur, & hoc saltem sub appellatione redituum, & obventionum, *Angelus in rubrica, ff. de usuris num.* 50. & hoc, ne verba sint superflua contra *tex. in l. si quando, ff. de leg. 1.*

Limitatur secundò, secundùm opinionem Canonistarum, qui dicunt indistinctè mulieri non deberi, quia in illis est labor personalis feminis non adaptabilis, quia feminæ non possunt facere fidem scripturarum, *Canonistæ* communiter *in cap. cum Tabellio de fide instrum.* & hæc satis dicta sint de legum ministris, ac judiciorum.

*In §. Summa Divisio Judiciorum.*

COncluditur in hoc textu, quòd judicia aut sunt sæcularia, aut Ecclesiastica, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd Judicium, aut est divinum, aut humanum. Divinum est, quo Deus secretissima quæque judicat, undè multa puniuntur judicio divino in foro interiori, quæ non puniuntur in foro exteriori, quia judicium humanum non judicat de occultis, *cap. si omnia 6. q. 1.* & in hoc judicio divino, cùm Deus sit justissimus, ipse est testis, & Judex, & conscientia accusatrix, justitia est Fiscus, *cap. aliorum 9. q. 3.* Judicium humanum duplex est, publicum scilicet, & privatum. Judicium publicum, vel est publicum civile; vel est publicum criminale. Privatum, quandò quis judicat privatim de aliquo. Secundo dividitur in civile, criminale,& mixtum; Civile est in quo deducitur causa civilis; Criminale verò, in quo causa criminalis deducitur. Tertio dividitur, ut aliud sit summarium, aliud ordinarium; Summarium quandò proceditur non servato juris ordine, ordinarium verò, quandò juris ordine servato proceditur, v. g. causæ parvi præjudicii, ut sunt infrà summam ducatorum 30. de jure communi, *l. 1. de offic. ejus.* dicuntur summariæ, & hodie in causis parui præjudicii proceditur via valdè extraordinaria, *Galluppus in praxi par. 3. de appellat. & par. 1. num. 15. in princ.* Dividitur etiam judicium, ut aliud sit universale, aliud generale, aliud particulare, illud dicitur universale, in quo petitur universum jus, ut est petitio hæreditatis, *l. 1. ff. de rei vendic. l. item videndum cum sequenti. ff. de petit. hæredit.* Sic judicium dotis ex parte uxoris, & ejus hæredum dicitur universale, *l. quod dicitur, ff. de impensis in rebus dotalibus factis*, *Bart. in l. 1. ff. sol. matrim.* & in tali judicio utpotè universali veniunt fructus bona fide percepti, & omnes aliæ accessiones, & id jure actionis, *Afflictus dec. 140.* Judicium generale est

cium reconventionalis, depositi commodati, & similia. Dividitur etiam, ut aliud sit petitorium, alium possessorium. Petitorium est, in quo controvertitur de proprietate, & dominio rei, possessorium, in quo controvertitur de possessione, ut dicemus infrà in titulo de causa possessionis, & proprietatis: dividitur etiam, ut aliud sit conventionale, aliud reconventionale. Primum dicitur, quandò quis convenitur ad aliquod dandum, vel faciendum, quòd si Reus reconveniat actorem, dicitur reconventionale, ut dicemus cùm de mutuis petitionibus, & tandem aliud dicitur sæculare, aliud Ecclesiasticum.

*In §. Laicus cum sequenti.*

COnclusio horum jurium est, quòd jurisdictiones confundi non debent, sed distingui, ut causæ pertinentes ad Judices Ecclesiasticos, ab ipsis cognoscantur; pertinentes verò ad laicos, ab ipsis laicis, ad cujus perfectam cognitionem.

Rogabis de quo jure Clerici sint exempti à potestate laicali?

Pro intelligentia suppono dari libertatem christianam, & libertatem Ecclesiasticam: libertas christiana fideles liberat à servitute peccati, & à jugo ceremoniarum Mosaicæ legis, quæ tàm Clericis quàm laicis competit: libertas Ecclesiastica respicit privilegium personis Ecclesiasticis competens, & alio vocabulo appellatur immunitas Ecclesiastica, *Covarr. lib. 2. var. cap. 20.* nam sicut libertas naturalis est facultas faciendi quodlibet, nisi quis vi, aut jure prohibeatur, *l. libertas, ff. de statu hominum. §. libertas instit. de jure personarum*: ità libertas Ecclesiastica est Ecclesiæ facultas ejus, quod cuique facere libet; quia per eam Ecclesia lætatur in plenitudine juris sui, *cap. 1. de immun. Eccles. in 6.* notant *DD. in cap. inter alia de immun. Eccles.* Hoc posito.

Prima sententia docet, immunitatem Ecclesiasticam Clericorum esse de jure civili, & ortum habuisse ab Imperatoribus; ità *Michael de Palatio*, *Salgadus*, *Cevallos*, & alii, quos refert *Diana 5. tom. de immunit. tract. 1. resol. 21.*

Secunda opinio docet, esse de jure pontificio, & civili, non verò de jure divino, ità *Innocentius in cap. 2. de major. & obed. Petrus de Ferrariis in forma libelli in actione confessoria in verbo plenam*, *Alciatus in cap. cùm non ab homine de Judiciis*, *Covarr. lib. practic. quæstion. cap. 31. Sotus in 4. dist. 25. q. 2. ar. 2.*

Tertia opinio est, Clericos esse exemptos de jure divino: ità *glossa in cap. si Imperator 96. dist. & in cap. quamquàm de censibus in 6.* & ibi *Joannes Andreas*, *Hostiensis*, & alii, Rota Romana dec. 10. *de consuetudine in antiquis*, *Ambrosinus de immun. Eccles. cap. 16.* *Azorius par. 1. lib. 5. cap. 12. num. 3.* *Farinaceus de Inquis. q. 8. num. 2.* *Cevallos contra communes*, q. 150. *Bonacina de legibus disp. 10. §. 1.* puncto 1. propos. 2. num. 3. ego tamen pro vera hujus quæstionis decisione. Dico primo; personæ Ecclesiasticæ in causis, & rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis, jure divino sunt exemptæ, ut v. g. in Sacramentis administrandis, in obeundis divinis officiis, in prædicando verbi Dei, in ferendis, aut tollendis censuris, creandis Episcopis, & dividendis Parochiis, Diœcesibus, & in aliis hujusmodi, quæ ad Sacramenta, & ad gradus, & ad or[illegible] Ecclesiasticorum; & universaliter ad spiritualem administrationem Ecclesiæ; ità *Covarr. pract. quæstion.*

*quæstion. cap.* 31. *concl.* 1. *Suarez in defensione fidei contrà Regem Angliæ lib.* 4. *cap.* 2. *Bro ina disp.* 31. *concl* 2. *Azorius lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 1. *Salas disp.* 14. *sect.* 11. *num.* 127. & alii apud *Alterium lib.* 5. *de censuris disp.* 16. *cap.* 2. *§. in hac quæstione.*

Probatur. quia potestas Ecclesiastica, quæ per se, & directè respicit administrationem Ecclesiæ, & finem supernaturalem fuit à Christo immediatè tradita S. Petro, & in illo Apostolis, & successoribus, & potestas civilis non se extendit, nisi ad naturalia: undè Apostoli, & successores semper administrarunt Ecclesiam independenter à potestate civili, & ut dicitur in *d. cap. si Imperator dist.* 96. ad Sacerdotes Deus voluit pertinere, quæ in Ecclesia disponenda sunt, & non ad sæculi potestates, & in *cap. continua* 11. *q.* 1. *& in cap. Sacerdotibus eadem causa, & quæst. & in cap. futurum* 12. *q.* 1. refertur insigne factum Constantini Imperatoris in Nicæna Synodo: cùm enim aliqui Episcopi illi obtulissent quosdam libellos accusatorios, contrà alios Episcopos, coram omnibus libellos ipsos combussit, dicens, *Vobis dedit Deus potestatem judicandi; vos verò ab hominibus judicari non potestis; sed solius Dei judicio reservamini.*

Idem refertur de Carolo Magno apud *Platinam in vita Leonis III. & tom.* 3. *Conciliorum*, & apud *Suarez in defensione fidei cap.* 4. *lib.* 4. *num.* 4. qui, cùm venisset Romam ad sedandam seditionem, quæ tunc erat excitata contrà Pontificem, & in Basilica S. Petri vota, & sententias rogaret de vita, & moribus Papæ, ab hominibus una voce audivit. Sedem Apostolicam, & omnium Ecclesiarum caput à nemine esse judicandam.

Neque obstat, quòd in corpore juris civilis habentur plures leges Imperatoriæ de sacrosanctis Ecclesiis, de Episcopis, & Clericis, & similibus.

Respondetur enim, quòd tales constitutiones Justiniani quatenùs justæ sunt, & legitimæ, non sunt leges, vel sanctiones Ecclesiasticæ novi quidpiam ordinationes præscribentes, vel definientes circà fidem, disciplinamque Ecclesiasticam, sed sunt merè executiones canonum, jam antè in Conciliis legitimè constitutorum spectantes ad conservationem, & securiorem eorundem observationem, ut benè *Suarez lib.* 4. *de legibus cap.* 11. *num.* 16. *Baldellus de legibus disp.* 35. *num.* 2. *Diana tract. de immun. par.* 1. *resol.* 105. quòd si aliqua injusta fuerint per Justinianum condita, nullius sunt roboris. Justinianus enim nonnulla injusta constituit, ut ostendit *Baronius anno Christi* 528. *& anno* 549. qui ait, quòd, dùm dogmaticis Ecclesiasticis perscrutandis plùs, quàm Imperatorem decet, curiosè vacaret, universum destituit Imperium. Iniquæ ergò Justiniani leges circà personas, & causas Ecclesiasticas sancitæ, rectè fuerunt abrogatæ, ut in tota causa 11. *q.* 1. *& in cap. non minùs de immun. Eccles. & in cap. quandam, de censibus in* 6. *& in Bulla Cœnæ.*

Neque etiam dicas, adhuc laicis competere aliquod jus in rebus Ecclesiasticis, ut v. g. ad nominandos, & præsentandos Clericos, qui præficiantur Ecclesiis, & beneficiis.

Respondetur enim, tale jus competere ex concessione Ecclesiæ, quæ ex gratitudine, & propter subsidia temporalia ab illis accepta, id juris tribuit, ac proindè non potest ex hoc inferri, quòd potestas eligendi Episcopos, & conferendi beneficia non sit propria ipsius Ecclesiæ, & quantùm est ex se independens à laicis, undè Rex Franciæ, licèt laicus, canonicatus, & beneficia confert in Regno suo ex privilegio Apostolico, ut notavit *Diana de immunitate resol.* 6. & Respublica Veneta ex privilegio Summi Pontificis potest procedere in aliquibus causis contrà Clericos, teste *Deciano lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 66. & Rex noster Hispaniarum in Regno nostro in Provincia Terræ Laboris nominat Episcopum Acerrarum, Archiepiscopum Salernitanum, Episcopum Castri Maris de Stabia, Episcopum Arianensem, Archiepiscopum Lancianensem, & ex Hydruntina Provincia Episcopum Aquilanum, in Apulia nominat Episcopum Materanensem unitum Acherentino, Episcopum Potentinum, Archiepiscopum Tarentinum, Episcopum Mottulensem, Oritanum Episcopum, vulgò *Oria*, nunc unitum Brundusino Archiepiscopatui, Archiepiscopum Brundusinum, vulgò *Brindisi*, Monopolitanum, Archiepiscopum Hydruntinum, *Otranto*, Gallipolitanum Episcopum, Archiepiscopum Rheginensem, Episcopum Cottonensem, Tropiensem Episcopum Cassanensem.

Idem videmus in Abbatissa Sancti Sebastiani, & aliis in hac Civitate, quæ conferunt nonnulla beneficia ex privilegio Summi Pontificis.

An verò talia privilegia per Bullam Cœnæ sint revocata quærunt DD. dicas tu, non fuisse revocata, ut latè *Diana* 1. *par. de immun. resol.* 6. *& resol.* 95. *& par.* 3. *resol. ult. de immun.*

Putant verò *Salas ubi sup. Cajet. opusc.* 1. *de potestate Papæ cap.* 17. *tom.* 1. *Victoria relect.* 1. *art.* 1. quòd si Pontifex abuteretur potestate, quæ illi competit de jure divino, & in perniciem Ecclesiæ simoniacè conferret Episcopatus, & beneficia, possent Principes illi resistere, nec tenerentur obedire, & possessiones beneficiorum, & fructus iis auferre, quibus essent eo modo collata, quæ doctrina est temeraria, cùm Summus Pontifex non possit ab hominibus judicari, sed solius Dei judicio reservetur. Posset tamen Princeps submissè, & reverenter monere Pontificem, ut ex communi docet *Baldellus d. disput.* 35. *nu.* 3. prout in simili dicimus Principes, seù Ministros Regios posse facere litteras hortatorias ad Episcopos, ut ab aliqua mala determinatione desistant, prout est in usu in Regno nostro, quia ut benè *Cariolanus de excommunicatione in Bulla Cœnæ excomm.* 16. Hortatoria est litera amicabilis, ut desistat Episcopus facere aliquod contrà laicum; idem docet *Megala par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. nam verba hortatoria solùm consilium important, & necessitatem non inducunt, non tamen est vera limitatio, quam hujus rei tradit *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 54. dicens, quòd si tales ministri verbis uterentur non hortatoriis solùm, sed precatoriis, esset res valdè scrupulosa, nam preces Principum mandato æquiparantur: siquidem id verum est in subditis, non in aliis, ut esset in casu nostro, ergo laicos uti verbis præcatoriis in talibus litteris est res nullum habens scrupulum: an verò possint Episcopi hortatoriis non obedientes, vel aliæ personæ Ecclesiasticæ à Judicibus laicis expelli à Regnis eorum; quæstio est? Affirmant aliqui, ut *Castellus in legibus Federici Imperatoris cap.* 22. *notabili* 25. *num.* 5. *Castillus, Sotomajor de tertiis tom.* 7. *cap.* 41. *num.* 190. negant alii, ut est *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 17. *& par.* 3. *tract.* 1. *resol.* 27. *& par.* 5. *tract.* 1. *resol.* 5. *Valenzuola in defensione monitorii Pauli* 5. *par.* 4. *num.* 101, qui etiam dicunt, non posse eos sumere, ut transmittant Pontifici, qua de re cogitat?

Dico secundò: personæ Ecclesiasticæ sunt exemptæ de jure divino ab illis oneribus, seù obligationibus secularium Principum, quæ illorum statui non conveniunt, ut v. g. quòd perpetuò arma tractent, aut profanis negotiis perpetuò se implicent: ità *Azorius lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 5. *§. prætereà. Salas de legibus disp.* 14. *sect.* 11. *num.* 117. Ratio est, quia eo ipso, quòd Clerici sunt, & sacris usibus consecrati,

Deo dicatum [illegible] juris [illegible] tanquam regula ponitur, ut quod semel est Deo dicatum, non transferatur ulterius ad usus humanos, & in *cap. nulli* 12. *q.* 2. dicitur esse notum per se, & à nullo ignorari debere, quòd ea, quæ Domino consecrantur, sivè fuerit homo, sivè ager, sivè aliud quodcumque, Sanctum Sanctorum Domino est, & solùm pertinet ad jus Sacerdotum, & in *cap. prædicta eadem causa, & quæst.* dicitur sacrilegum esse, eum, qui prædia divinis usibus tradita à Domino subtrahit, ut sibi interveniant; ergo sicut juris divini est, ut vasa sacra, templa, altaria, &c. profanis usibus non inserviant, immò & vasa, quæ sunt deputata, ut immediatè deserviant cultui divino, nec licitè possunt tangi à personis non sacris, ità juris divini est, ut homines Deo dicati longè absint à profanis negotiis, & ministeriis sæcularium Principum.

Dico tertio probabilissimum esse, non omnium Clericorum exemptionem à potestate laicali, sivè quoad civilia, sivè quoad criminalia esse de jure divino, vel naturali primario: ità *Covarr. practic. quæst. cap.* 31. *num.* 2. *& lib.* 2. *var. cap.* 20. *Navarr. in manuali cap.* 27. *num.* 259. *Molina disp.* 31. *col.* 3. *Suarez lib.* 3. *de legibus cap.* 34. *num.* 2. *Salas de legibus disp.* 14. *sect.* 11. *num.* 158. *Bellarmin. de Clericis lib.* 1. *cap.* 28. *Sotus in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. 4. *&* 5. Theologi communiter apud *Azorium lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 1. & idem *S. Thom. in illud Pauli ad Romanos* 13. Ideò enim tributa præstatis: qui ait exemptionem Ecclesiasticorum à tributis habere æquitatem, non tamen esse de necessitate, quasi sit de jure divino. Hujus rei contrarium docent *Canonistæ*, teste *Baldello disp.* 35. *num.* 5. & teste *Diana par.* 1. *tract.* 20. *de immun. resol.* 1. *& par.* 5. *tractat.* 1. *de immun. resol.* 21.

Probatur conclusio, quia certum est initio nascentis Ecclesiæ etiam Ecclesiasticos fuisse subjectos Principibus laicis, nam ad *Roman.* 13. dicitur *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & ut notat *S. Chrysost. Theodoretus, Theophilactus*, & alii, ibi omnibus id præcipitur etiam Sacerdotibus, & Episcopis, & Monachis, neque ullus excipitur, etiamsi sit Apostolus, vel Evangelista, & ratio talis, & tam universalis subjectionis non refertur in scandalum, aut in majus aliquod damnum, & malum Ecclesiæ, quod fortè potest timeri si aliter fiat, sed in ipsam potestatem, quæ est à Deo, & Dei ministra: unde subditur, *Non est potestas, nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei potestati resistit*, & paulò post ait. *Ideò enim tributa præstatis, quia Principes sunt Dei ministri, in hoc ipsum servientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem.*

Quòd verò in dicto loco cùm sit sermo de potestate, & superioritate quasi in genere, ut aliqui volunt: ità ut sensus Apostoli solùm sit omnes debere esse subjectos suis superioribus, quicumque illi sint, id est laicos laicis, & Ecclesiasticos Ecclesiasticis, sed sermo sit specialiter, & expressè de potestatibus sæcularibus, & de Principibus laicis notat expressè *S. Irenæus lib.* 5. *cap.* 24. *S. Basilius de constitut. Monastica cap.* 23. *S. Augustinus epist.* 54. *ad Macedonium*, & alii apud *Tolstum cap.* 13. *ad Romanos annot.* 1. qui id colligunt ex eo, quia ibi subditur de tributis, & vectigalibus, quæ certè solis Principibus laicis eo tempore solvebantur, & loquitur ibi de gladio, quem similiter soli Principes laici tunc portabant tanquàm Dei ministri, &

2. Subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive *Regi, quasi præcellenti, sivè Ducibus, tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum.*
quæ verba similiter universalissima sunt, & ad omnes prolata.

Probatur tertio ex facto *S. Pauli Actor.* 25. qui ait, *ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari, Cæsarem appello*: nam S. Paulus ad Cæsarem non appellasset, si id fuisset contrà jus divinum, sed solùm permisisset se ab illo judicari, & patienter tulisset.

Probatur quarto ex illo facto *Matth.* 22. qui de tributis loquens ait, *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: quod clariùs explicans *S. Ambrosius in cap. si tributum* 11. *q.* 1. ait, *Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri Ecclesiæ solvant tributum*, & in *cap. tributum* 23. *q.* 8. *Urbanus Papa* ait, *quod in ore piscis inventum pro Petro, & Domino dari jubetur, quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitùs est pro pace, & quiete, quia nos defendere debent, Imperatoribus persolvendum est*. ergo si in primis illis temporibus Christus ipse, & Apostoli, & Summi Pontifices facto, & verbis docuerunt non solùm pro laicis, sed pro omnibus subjectionem ad Principes laicos; non videtur contraria exemptio ab illorum potestate posse dici de jure divino.

Neque dicas cum aliquibus, quos refert *Marius Alterius lib.* 5. *de censuris, disp.* 16. *cap.* 2. *Medic.* & *Barbosa in collect. tom.* 5. *causa* 11. *q.* 1. *in d. cap. si tributum, & Baldelius d. disp.* 35. *num.* 6. *in fine*, Ecclesiasticos etiam ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse exemptos jure divino à potestate laicorum, sed hanc exemptionem pro illis temporibus solùm habuisse, quasi in habitu, vel actu primo, & impeditam, non autem habuisse plenum usum, aut expeditum illius actum, & Apostolos prudenter præcepisse, & factis ipsis ostendisse subjectiones ad laicos, & Paganos, sub quibus erant, quia alioqui Fideles in Christo, & christiana Religio majus aliquod detrimentum passi fuissent: quod idem dicit *Rota Romana* coràm *Merlino sub die* 28. *Junii* 1630. de qua *Baldelius ubi sup. num.* 50. *in fine*, & *Suarez in defensione fidei contrà Regem Angliæ lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. qui ait habuisse Clericos temporibus Imperatorum immunitatem de jure, non de facto, quia non habuerunt usum, & exercitium immunitatis, & posteà christianos Imperatores non tàm concessisse immunitatem, quàm detexisse, & in eam, ut à Deo concessam, concessisse, ejusque exercitium præcepisse.

Respondetur enim, id dici non posse, attenta dicta auctoritate *S. Pauli ad Rom. cap.* 13. qui ait, subjectos omnes debere esse potestati laicali, & pro ra- [illegible]

*præter terram Sacerdotalem.* Solùm probat pietatem Joseph; & ad summum convenientiam, non verò necessitatem ex jure divino, & hinc est, quod colligitur ex *cap. non minùs. de immun. Eccles. in 6.* dùm dicitur non docere, Ecclesiam Dei minùs liberam esse tempore Principum Christianorum, quàm fuerit tempore Pharaonis.

Neque etiam obstat, quòd Christus Dominus *Matth. cap.* 17. occasione illius, qui Capharnai didragma accipiebat, ad evitandum scandalum, pecuniam in ore piscis inventam, pro tributo solverit, ibi, ut autem non scandalizemus eos, *vade ad mare, &c.* ergo præciso scandalo non tenentur Clerici ad tributa de jure divino.

Respondeo enim, quòd prædictum factum, solùm probat exemptionem ipsius Christi, qui erat verè Filius Dei, & ad summum etiam Petri, & Apostolorum, non autem omnium Clericorum, sicut nec omnium Christianorum, qui sæpiùs in scriptura appellantur filii, & domestici Dei.

Neque etiam obstat, quod dicitur in *Psal.* 104. *Nolite tangere Christos meos.* Respondetur enim id solùm probare, quòd Dei ministris non sit irroganda injuria, sivè illi sint Ecclesiastici, sivè laici, non verò, quòd de jure divino, vel naturali sint exempti à potestate laicali.

Neque dicas obstare traditionem Ecclesiæ, & testimonia Patrum, qui communiter dicunt, exemptionem prædictam esse de jure divino.

Respondeo enim, hanc traditionem esse contrarium, & tota natura statûs Ecclesiastici benè potest consistere cum subjectione in temporalibus ad Principes laicos, & per consequens neque ex ratione naturali potest probari exemptio, nam sicut Sacramentum Baptismi, & susceptio christianæ Religionis non liberat per se loquendo ab obligatione civili, qualis est obligatio servitutis, obedientiæ, & subjectionis ad Principes, ità neque ab illis liberat Sacramentum Ordinis, & susceptio statûs Ecclesiastici, & sicut bona, & prædia Ecclesiastica, quæ haberent aliquod onus seorsim sibi impositum non solvuntur à tali onere per hoc, quòd transeant ad Ecclesiam, sed transeunt simul cum illo, *cap. si quis laicus* 16. *q.* 1. *cap. ex Clericis de pignoribus*, ità personæ, quæ habent onus subjectionis ad Principes laicos, non solvuntur à tali onere per hoc, quòd transeant ad Ecclesiam, & ad statum Ecclesiasticum, sed possunt transire simul cum illo, & sicut Clericus non impeditur per Clericatum, quominùs civiliter contrahat cum laicis contractus emptionis, & venditionis, mutui, depositi, & similes, & quominùs ratione talium contractuum conveniat laicos coràm Judice laico, & coràm illo suam causam agat, *cap.* 1. *&* 2. *de mutuis petitionibus*, ità nec prohibetur per se loquendo, quominùs à laicis possit conveniri coràm eodem Judice laico, & absolutè quominùs possit ab illo judicari saltem in temporalibus, & civilibus, quod in casu reconventionis habetur expressè in *d. cap.* 1. *&* 2. *de mutuis petitionibus*, & si accedat auctoritas Episcopi, etiam admittitur in causa primæ conventionis, *cap. Decernimus de Judiciis*, ubi *glossa in verbo non præsumantur, Abbas num.* 4 *Sylvester in verbo Judex* *il.* 1. *nu.* 4. dummodò talis conventio solùm sit quoad temporalia, & civilia, non autem quoad spiritualia, & criminalia, & idem est de auctoritate Abbatis, & Prælati Religiosi quoad Monachos, & exemptos, ut notat *Sylvester ubi sup. num.* 4.

Ex quo benè infertur, neque exemptionem Clericorum in criminalibus esse de jure divino: nam si potest Judex laicus Clerico jus dicere in civilibus, eumque cogere ad solvendum, vel restituendum, poterit etiam eum cogere ad satisfaciendum pro injuria illata; & si Episcopi auctoritas sufficit, ut Clericus possit consentire in Judicem laicum quoad civilia; nulla poterit reddi ratio, quin eadem auctoritas non sufficiat ad consentiendum in criminalibus, præsertim si talis Clericus sit tantùm tonsuratus, vel solùm in minoribus, ut benè *Baldellus d. disp.* 35. *nu.* 9. licèt non ignorem in praxi DD. eam sequi opinionem, quæ dicit ex *d. cap. decernimus*, posse Episcopos laicis delegare causas civiles tantùm, non criminales, & spirituales, & sic intelligunt *glossam in d. verb. non præsumant*, ut docet *Barbosa de potestate Episcopi par.* 3. *allegat.* 109. *num.* 4. *& in collect.* 1. *tom. lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 7. *Carolus de Grassis de effect. Clericatus effect.* 1. *nu.* 566 *Marcus Antonius Gennens. in pract. Eccles. q.* 730. qui *glossam* prædictam intelligit, dommodò absint Clerici idonei, & non fiat commissio ad omnes causas civiles, nec committatur causa criminalis, vel spiritualis. Papa verò potest laico Judici delegare causas civiles, criminales, & spirituales, docet *glossa in d. cap. decernimus*, *Covarr. in cap. Alma mater. par.* 1. *§.* 11. *num.* 3. *Barb. in d. cap.* 2.

Infertur secundò, quòd, cùm non omnium Clericorum exemptio sit de jure divino primario, vel naturali primario, si Ecclesiastici commorentur in terris Infidelium, non solùm quoad tributa, sed etiam quoad omnia temporalia, & quoad omnes causas tàm civiles, quàm criminales, sunt subjecti Principibus laicis, quia neque ex jure divino, neque ex jure naturali habetur illorum exemptio, sed solùm ex jure humano, tàm civili, quàm canonico, ut dicemus, quæ tamen jura in illis terris non obtinent, ut benè in terminis *Molina disp.* 31. *concl.* 5. *Salas disp.* 14. *de legibus sect.* 11. *num.* 119. *Baldellus disp.* 35. *num.* 10.

Infertur tertio, quòd exemptio non est de jure naturæ primario, vel divino, cùm non habeatur immediatè per lumen naturale ex ipsis terminis, & ex ipsa natura Clericatûs, & statûs Ecclesiastici, neque in terminis habetur ex scripturis, & per lumen fidei, ut suprà probavimus. Si verò quis voluerit contendere, eam esse de jure naturæ, aut divino secundario, in quantùm scilicet est valdè consentanea utrique juri; & ejus congruitas valdè rationabiliter ex utroque colligitur, benè diceret, ut docet *Baldellus disp.* 35. *num.* 11. quia isti de jure divino debent esse in honore, & veneratione apud laicos, & per orationes, & per suffragia sunt valdè utiles Reipublicæ; undè digni sunt, ut perpetua immunitate ab aliis oneribus sint absentes, *cap. in qualibet* 23. *q.* 8. neque debent à spiritualibus distrahi per tàm multa tribunalia, & in hoc sensu procedit opinio Canonistarum, quòd immunitas prædicta sit de jure divino, non enim intelligitur de jure divino primario, sed solùm de secundario, quatenùs deducitur ex ipso jure divino primario, & sic intelliguntur locutiones, quæ passim habentur in sacris Canonibus, puta, quòd Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ, & res ipsarum non solùm jure humano, sed etiam divino sint immunes ab exactionibus sæcularium personarum, *cap. quamquàm de censibus in 6.* quòd ex divina institutione Clerici non à sæcularibus Principibus, sed à Romano Pontifice, & à Prælatis Ecclesiæ sint judicandi, *cap. si imperator dist.* 96. quòd de jure divino usurpent laici, quandò compellunt Clericos ad juramenta sibi præstanda, *cap. nimis de jurejurando*, quòd ex jure tàm divino, quàm humano nulla potestas sit laicis tributa in personas Ecclesiasticas, ut in *Concilio Lateranensi sub Leone* X. *sess.* 9. *in Bulla reformationis Curiæ*, quòd immunitas personarum Ecclesiasticarum Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus sit constituta, ut in *Trid. sess.*

canone relatum, d. cap. 11. q. 1. ubi *Alexander Papa* videns aliquos violare immunitatem ecclesiasticam, asserit: Taliter prævaricantes prævaricati sunt in Deum, & non obedierunt præceptis ejus; hæc enim, et alia loca, quæ affert *Diana tom. 5. tract. 1.* solùm intelliguntur de jure divino secundario, ut benè *Salas disp. 14. sect. 11. num. 120. Bellarm. lib. 1. de Clericis, cap. 28. propos. 5. tom. 2.* & ideò exemptio quoad res spirituales est de jure divino, in quantùm est instituta ab ipso Christo, qui instituit duo genera christianorum, *cap. duo sunt 12. q. 1.* id est alterum eorum, qui sunt mancipati divinis officiis, quales sunt Clerici, et Monachi et alterum eorum, qui non sunt ad illa specialiter mancipati, ut sunt laici. Neque per hoc repugnat Clericos quoad leges civiles non esse S. Petro de jure divino subjectos: nam sicut fieri potest, ut vas aliquod sit Deo dicatum, et solùm deputatum ad usus sacros, et tamen simul pertineat ad civilem proprietatem, et dominium alicujus laici, & is possit de illo disponere, prout voluerit, dummodò non disponat in usus profanos, ac repugnantes usibus sacris: ità potest fieri, ut aliquis per Clericatum sit mancipatus divinis officiis, et tamen simul sit sub potestate civili Principis laici, ut jam diximus.

Dico quarto, probabilissimum est, quòd aliqui Clerici, et saltem Summus Pontifex de jure divino sit exemptus ab omni laica potestate, ità *Suarez. lib. 4. defensionis fidei catholicæ cap. 4. Molina disp. 31. concl. 4. Salas disp. 14. de legibus sect. 11. num. 116. Victoria in relect. de potestate Ecclesiæ q. ult. nu. 9. Cajetanus tom. 1. opusc. de potestate Papæ cap. 27.* qui asserunt, Summum Pontificem pro nullo crimine à laicis posse puniri: est tamen hæc sententia contrà *Palatium in 4. dist. 25.* et alios apud *Suarez. d. cap. 4. num. 2.* qui dicunt id Papæ competere solùm ex concessione Imperatorum, et jure civili, non autem jure divino, et canonico.

Probatur conclusio ex loco *Matth. 17.* ubi postquàm Christus Dominus tradidisset S. Petro coram Ecclesiæ, & Summum Pontificatum, cum publicani tributum peterent, et Christus interrogasset, utrùm Principes solerent exigere tributum à filiis, an ab alienis? et ei fuisset responsum ab alienis; subdit Christus Dominus, *ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illumque sumens da eis pro me, & te;* ergo solùm ratione scandali fuit Petrus obligatus ad tributum, sicut et erat ipse Christus, et per se loquendo ex privilegio Christi eodem jure illi competit exemptio, quo Christo ex ipsa divina filiatione, cui certum est, quòd competebat de jure divino, quod factum explicat *Baronius 1. tom. annalium, anno Christi 33. fol 94. num. 312.*

Probatur secundo, quia cùm Christus potuerit suo Vicario hanc exemptionem tribuere, convenientissimum fuit, ut tribueret, ergo probabilissimum est, quòd de facto tribuerit. Probatur consequentia, quia omninò decuit, ut quemadmodùm potestas Ecclesiastica est superior ad totam laicalem potestatem, ità et ad eandem esset superior saltem ille, in quo ipsa primariò residet, et à quo derivatur ad alios id est Summus Pontifex.

Dico 2. probabilissimum est exemptionem ecclesiasticorum immediatè, et proximè solùm esse de jure



peratorum non essent exempti, quia neque Imperatores ipsi eos eximebant, neque Pontifices commodè poterant ipsos eximere, quandò tamen Imperatores cœperunt esse christiani, paulatim cœperunt esse exempti, ut notat *Baronius tom. 3. annalium ad annum. 387. num. 13.* ex quo accipit *Suarius lib. 4. contrà Regem Angliæ cap. 21. num 10.* et nullus fuit ex christianis, et orthodoxis Imperatoribus, qui tributum exegerit de bonis Ecclesiarum, et extant eorum leges etiam in corpore juris, ut Justiniani. *l. sancimus, C. de sacrosanct. Eccles.* et Federici Imperatoris. *Auth. item nulla communitas, C. de Sanctissimis Episcopis;* & Constantinus dicitur lege lata exemisse Clericos ab oneribus personalibus, & à solutione publici censûs, deinde Justinianus eos exemit in causis civilibus solùm pro prima instantia, & tandem alii exemerunt quoad omnia, & quemadmodùm donatio, quia ex mente donantis est absoluta, & perpetua, non potest ampliùs revocari sine injuria donatarii, ità exemptio, quia ex injuria eximentium fuit perpetua, non potest imposterùm revocari ab aliis Imperatoribus, cùm præsertim fuerit facta in remunerationem beneficiorum spiritualium, quæ Principes recipiunt ab ecclesiasticis, & in honorem ipsius Dei, & ideò proportionaliter se habet, sicut & donatio prædii facta Ecclesiæ, quæ tamen sine sacrilegio revocari non potest, ad quod facit communis doctrina *Canonistarum* apud *Felynum in cap. Ecclesia S. M. de constit. num. 97. & in cap. novit de Judiciis cap. 6.* & apud *Azarium par. 1. lib. 5. cap. 13. q. 3.* quòd privilegia semel concessa Ecclesiis, vel ad pias causas, vel personis non Subditis non possunt ampliùs revocari, quia eo ipso transeunt in jus alterius, in quem ampliùs non manet potestas, cùm non sit subditus concedenti, ut benè *Suar. in defensione fidei lib. 4. cap. 34. num. 23.*

Quod a fortiori procedit, si fuerint concessa in remunerationem laborum, & sint data ob præterita, ut accidit in exemptione data Clericis, quia verè transeunt in contractum, & reducuntur ad illa, quæ conceduntur per viam contractûs, et ex causa onerosa, v. g. emptionis, ut videre est apud *Suarium lib. 8. de legibus cap. 37. num. 6. Antonium Gabrielem lib. 4. comm. concl. in tit de jure quæsito non tollendo conc. 6. num. 5. & 6.* cùm remuneratio propter labores, et obsequia non tàm sit donatio, quàm ipsi labores, et obsequia justa mercede remunerata, *l. Aquilius ff. de donat.* ubi *glossa in verb. numeram,* & apud *Molinam de contractibus disp. 279. §. donatio. & disp. 292. §. triplex,* quare cùm privilegia remuneratoria, etiam quandò conceduntur personis subditis, non possint ampliùs revocari, nisi adsit magna causa, propter quam privilegiati possint privari rebus suis, ut benè *Felynus in cap. novit num. 12. de Judiciis; Abbas in cap. pervenit num. 14. de immun. Ecclesiæ. & cons. 3. lib. 2. Suarez lib. 8. de legib. cap. 37. num. 6.* à fortiori debent censeri [illegible] omni casu irrevocabilia, quandò conceduntur [illegible] Ecclesiis, & personis non subditis in remunerationem laborum, & propter merita, ut est concessio [illegible] immunitatis, & exemptionis facta Clericis ab Imperatoribus, & Principibus laicis, videas Dianam [illegible] Eccles. resol. 2. per totam [illegible] Idem dicendum est de privilegio con[illegible] principi cognoscendi causas ecclesiasticas [illegible] Pontificem, hoc enim privilegium imme[illegible] potest, etiamsi per consuetudinem [illegible] tali privilegio [illegible] observatam fuerit, ut

ut benè *Bonacina tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. num. 6.* tùm quia privilegium subdito concessum potest revocari, ut est communis opinio DD. de qua suprà; sed privilegium concessum Imperatori, vel Regi est privilegium subditis concessum, cùm Christus generaliter S. Petro dixerit, & consequenter ejus successoribus. *Pasce oves meas*, ergo, *&c.* tùm quia talia privilegia sunt odiosa, utpotè contraria libertati Ecclesiasticæ, ergo strictè explicanda sunt, ità ut concessa censeantur illo modo, quo libertati minùs præjudicent; ergò poterunt revocari: tùm quia hæc jurisdictio censenda est delegata, quæ revocari potest *Card. Tuschus tom. 5. in verbo libertas Ecclesiastica concl.* 142.

Quòd si talia privilegia sint concessa in vim contractùs non possunt revocari sine justa causa, qua justa causa concurrente non solùm possunt, sed etiam debent aliquando revocari; quod procedit à fortiori si Summus Pontifex aliquid aliud in compensationem concedat, qua de re *Diana par. 3. tract. 1. resol. 57.* videas de hac eadem re eundem *Dianam tom. 5. tract. 1. resol. 14.*

Dico ultimo exemptio Clericorum est etiam de jure Canonico; ità communiter DD. apud *Baldellum lib. 5. disp. 35.* Ratio est, quia fuit posteà confirmata per Sacros Canones; nam cùm Ecclesiastici habeant à Christo potestatem administrandi Ecclesiam, habent etiam participationem quandam dominii, & potestatis, quæ est in ipso Christo per excellentiam, & ideò potestatem statuendi, quòd est necessarium, vel valdè conveniens, & expediens ad bonum Spirituale Ecclesiæ, & ad Dei honorem, qualis est exemptio Clericorum.

Ex quibus omnibus infertur, non posse per consuetudinem aliquid induci contrà libertatem & exemptionem Clericorum, *glossa in cap. Clerici in verbo consuetudine de Judiciis*, *Abbas in cap. cùm tanto num. 15. de consuetudine*, *Regens Valenzuela pro defensione monitorii Pauli V. par. 4. num. 284. Bonacina de legib. disp. 3. punct. 1. §. 3. num. 1. Rota in dec. 10. de consuetud. in antiquis*, *Suarez de censuris disp. 2. sect. 3. num. 13. & in defensione fidei lib. 4. cap. 32. per totum, & cap. 34. nu. 12. Diana par. 3. tract. 1. resol. 1. & resol. 10. & 53. & 62. & 101.*

Patet hoc ex *cap. Clerici de Judiciis*, ubi Summus Pontifex reprobat consuetudinem prædictam; ait enim, quòd non potest consuetudine introduci, ut Clericus non debeat de omni crimine coràm Ecclesiastico Judice conveniri, qui textus prædictam consuetudinem dari non posse apertè dicit, ut ad id expendunt *Covarr. pract. cap. 31. num. 5. Julius Clarus in §. fin. q. 36. num. 3.* licèt modificet *Barb. in c. si quis posteaquàm de Judiciis num* 212. ut procedat solùm in Clericis in Sacris, non in minoribus, ex quo etiam textu colligitur leges civiles non dedignari sequi Sacros Canones, nam adjuvant inter se leges, & Canones ait *Rebuffus in tract. de nominationibus q. 5 num. 14.* & jurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis debent ad invicem se adjuvare, *Bellettus disquisitione Clericali cap. 1. de favore Clericorum reali §. 1. num. 47.* licèt in omnibus causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, eisque annexis, ut sunt jura patronatùs, servanda esse jura Canonica dicunt communiter DD. *in d. cap. Clerici*, ideò in causis juramenti, usurarum, præscriptionum, matrimoniorum, &c. quia agitur de conscientia, jus Canonicum servari debet, *Felynus in d. cap. Ecclesia S. M. num. 5 Tiraquell. de pia causa privil. 163. Barb. in d. cap. Clerici.*

Probatur secundò, non valere talem consuetudinem ex *cap. noverit de sentent. excommun.* ubi excommunicantur, qui servari fecerint consuetudines contrà libertatem Ecclesiasticam, & omnes potestates, Consules, Rectores locorum, aut Consiliarii, in quibus servatæ fuerint, & omnes, qui secundùm illas præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere, cujus textùs materiam latè explicat *Marius Alterius de censuris tom. 1. lib. 5. disp. 16. cap. 4.* ubi aliquas quæstiones ad materiam dicti textùs resolvit, & ostendit, in quo differat excommunicatio lata in hoc textu, ab illa, quæ est lata in Bulla Cœnæ. Differt enim, quia excommunicatio *cap. noverit*; non est reservata de jure communi; secùs illa, quæ in Bulla Cœnæ. Secundò differunt, quia excommunicatio *cap. noverit* extenditur ad scriptores statutorum, & ad servantes consuetudinem introductam contrà libertatem Ecclesiæ. In Bulla autem Cœnæ non est sermo de Scriptoribus, vel de servantibus consuetudinem, aliud enim est servare consuetudinem, aliud ferre statutum, vel decretum prætextu consuetudinis; in Bolla enim prohibetur hoc secundum, non primum, multa etiam circà textum prædictum cumulat *Bonacina 3. tom. disp. 1. q. 16. punct. 4. num. 4. usque ad num. 7. Diana par. 3. tract. 1. resol. 58.*

Probatur tertio ex Bulla Cœnæ num. 15. ubi excommunicantur, qui prætextu cujusvis consuetudinis aliquod fecerint contrà libertatem Ecclesiasticam, & num 19. dicitur, quòd ad hoc ut quis quomodòlibet se interponat in causis criminalibus Ecclesiasticorum requiritur specialis licentia Sedis Apostolicæ. & in fine dicitur, quod omnibus, & singulis, quæ in illa fuerunt præmissa, nullatenùs potest, aut debet præjudicari per quoscumque actus contrarios, tacitos, vel expressos, neque etiam per patientiam, vel tolerantiam Papæ, quantumcumque per tempus continuatam, ergo apertè colligitur exclusio omnis contrariæ consuetudinis, quæ possit induci, & cùm certum sit, quòd quandò Lex ab initio resistit alicui consuetudini inducendæ, eamque reprobat, ut irrationabilem, & malam, non potest posteà talis consuetudo ità invalescere, ut abroget legem, ut benè *Covarr. lib. 3. var. cap. 13. num. 4. Sylvester in verb. consuetudo num. 9. Vasquez 1. 2. disp. 177. num. 95. Baldellus disp. 30. num. 10.*

Probatur quarto, quia ut benè *S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3. & Vasquez 1. 2. disp. 177. cap. 2. num. 13.* ad hoc ut consuetudo, quæ est Lex non scripta, possit obtinere contrà legem scriptam, vel debet esse inducta à multitudine, penès quam sit potestas condendi legem, & abrogandi, vel saltem debet esse permissa, & tolerata à Principe talem potestatem habente; sed laici non habent potestatem condendi leges contrà jus Canonicum de immunitate, ergo neque poterunt condere contrà illud consuetudinem. Neque potest dici Papam illam permittere, & tolerare, cùm quotannis in Bulla Cœnæ gravissimè illam damnet, & reprobet, ut jam diximus.

Neque dicas cum *S. Antonino*, *Corrado*, & aliis apud *Baldellum ubi sup. num. 11.* per consuetudinem posse derogari legi sine consensu, & scientia Principis; nam ut benè *Vasquez 1. 2. d. disp. 177. cap. 2. num. 2. & Suario lib. 7. de legib. cap. 13. num. 50.* talis doctrina est omninò falsa, quia Lex facta à Principe, non potest minori auctoritate abrogari, & multitudo populi, sicut non potest ferre legem, quæ sit jus scriptum, ità nec potest inducere consuetudinem, quæ sit jus non scriptum, & abroget legem.

Excusatur verò consuetudo interdùm, quæ videtur contrà libertatem Ecclesiasticam, cum reverà nihil tale disponat, ratione alicujus gravis circumstantiæ, ut v. g. ratione justæ, & moderatæ defensionis, exemplum est in consuetudine, de qua *Julius Clarus in §. fin. q. 36. §. cæterùm*, qui ait Mediolani servari, quòd si Clericus sit seditiosus, & turbator publicæ

penitur per Prælatos Ecclesiasticos; hoc enim casu potestas laica non est nisi potestas privata, non verò propriè jurisdictio, & potestas publica, & non tam est punitio, & exercitium jurisdictionis, quàm defensio de jure naturæ, cùm præsertim id pertineat ad defensionem Reipublicæ; & ità docet *Castillus Ramirez de lege Regia §. 27. num. 15. in glossa lit. G. Bovadilla in politica par. 1. lib. 2. cap 18. num.* 112. Impugnat hoc, sed non benè *P. Diana par. 5. resol.* 81. qui non advertit ad nostram rationem, neque ad auctoritatem prædicti Doctoris, scilicet *Nicolai Baldellà ubi sup.* plures referentis pro nostra sententia, & cum ratione, de qua supra; & est videndus idem *Diana par. 1. tract. 2. resol. 27. & par. 3. tract. 1. resol. 27.*

Ex quo etiam excusatur consuetudo, quæ viget, ut Clerici portantes arma prohibita, & cum illis reperti eis spolientur etiam per ministros Judicis laici, nam id licitè fit ad obviandum rixæ, & delicto, quod præsumitur patrandum a Clerico arma gerente, & hæc non est vera punitio, sed defensio publicæ pacis, ut benè *Suarez in defensione fidei lib. 4. cap. 34. num. 14. Julius Carus in §. fin. q. 36. Covarr. pract. quæst. q. 33. num. 7. & lib. 2. var. cap. 20. Navarrus conf. 18. de sentent. excomm. lib. 5.* Idem *Suarez loco cit. disp. 33. num. 7.*

Et hic modus excusandi hanc spoliationem armorum est aptior, quàm alius, quem sequuntur *Covar. Julius Clarus*, & alii locis citatis, quibus adde *Grassium in decisionibus aureis par. 1. lib. 4. cap. 18. num.* 188. qui dicunt, quòd etiam Clerici tenentur legibus laicorum, quæ respiciunt publicam utilitatem, qualis est Lex de armis prohibitis non ferendis; undè possunt armis spoliari, & puniri etiam privatione armorum, & alia pœna pecuniaria, quod ait *Clarus* fieri in Gallia ex privilegio Pontificis, quamvis non pœna corporali; nam ut benè *Baldellus loco citato num.* 15. Clerici in nullo subduntur potestati laicorum, neque etiam leges eos obligant, quæ solùm faciunt ad civilem, & temporalem administrationem: si enim laici possent punire Clericos privatione armorum, & pœna pecuniaria, verè essent sub potestate laicorum Clerici, & consequenter possent puniri etiam pœna corporali, & quacumque, sicut possunt puniri laici, & ideò arma sunt Clericis restituenda, nisi fortè ipsi Clerici spontè consentiant, illa donare Ministris publicis, vel cum illis hoc modo conveniant, & paciscantur, ne capti ducantur ad suos Prælatos, ut benè *Navarr. cons. 28. num. 5. & Baldellus loc. cit.*

Undè puto recedendum à *Riccio par. 3. dec.* 299. dicente non posse Clericum spoliari à laicis armis prohibitis; immò ait, quòd possit resistere cum armis Sbirrario laico, volenti eum capere: recedas etiam à *Diana par. 1. resol. 9. tractat.* 2. idem mordicùs defendente; nam cùm possimus salvare prædictam observantiam justa ratione, & benè id licitè fieri possemus affirmare, & non ità inclinare in jurisdictionem Ecclesiasticam, ut occasionem demus delinquendi, & ideò recedas ab eodem *Diana par. 3. tract. 1. resol* 28. qui id mordicùs etiam negat. Verùm accipio ego pro me eundem *Dianam par. 5. tract. 1. resol. 4.* ubi ait, non posse Clericum privari dominio armorum prohibitorum à laica potestate, quod non nego ego, sed solùm dico posse spoliari talibus armis cum animo ea restituendi, vel posteà ad superiorem suum remittere, unà cum eisdem armis: non quia prohibitio cadit super arma ipsa, quæ Clericali tonsura non gaudent (ut dicebat quidam *Joannes de Bos inter libros prohibitos numeratus, in indice Hispano*, teste *Diana ubi sup.*)



*loco citato, cap. 34. num. 15.* ut Clerici deprehensi in flagranti delicto, vel in suspicione, & præsumptione probabili delicti patrandi capiantur per Ministros Curiæ sæcularis, ut suis Judicibus præsententur, ut etiam tenet *glossa in cap. si Judex de sentent. excomm. in 6.* quod fit licitè, quia fit pro defensione publici boni, & ad impedienda delicta, & ad hunc finem etiam intervenit tacita voluntas Prælatorum, non quidem committentium, vel delegantium veram jurisdictionem Judici laico, sed ut puto illorum facto, & ministerio utentium ad capiendos suos subditos, & ad se adducendos, ut benè *Suarez ubi sup. num. 23. Diana par. 1. resol. 10. & 11. per totam.* Debet verò Judex laicus constito de Clericato per formam, vel per literas Episcopi, vel per testes, & sufficit etiam unus, qui deponat vidisse Clericum celebrantem, & quòd communiter, & publicè pro Clerico habebatur, admittendus est. Si verò sit dubium, an talis sit Clericus necne, id per Judicem Ecclesiasticum cognosci debet; *cap si Judex laicus de sentent. excommun. in 6.* ubi latè *Augustinus Barb.* permittunt verò aliqui Judici laico, ut possit Clericum retinere in carceribus per 20. horas, alii dicunt esse statim remittendum; alioquin periculum esset incurrendi excommunicationem, ut late *Diana par. 4. tract. 1. resol. 85.*

Verùm in nostro Regno Neapolitano, in Hispania, & in Gallia contrarium servatur, scilicet judicatur an sit Clericus, & gaudeat per Judicem laicum *Francus dec. 32. & dec. 329. num. 9. Barb. loco cit.* quia talis quæstio facti est, & in facto consistit, cujus cognitio ab omni spiritualitate est aliena, undè cessat regula *tex. in cap. 2. de Judiciis ex Bart. in l. quoties C. de Judiciis, Barbosa in l. Titia num. 27. ff. sol. matrim.* sicut potest Judex laicus cognoscere an matrimonium sit factum? *Sanchez de matr. lib. 7. disp. 46. num. 7.* Impugnat nostrum modum procedendi in cognitione Clericatûs per Judices laicos, *Diana par. 1. tract. 2. resol. 27.* sed non benè, ut suprà.

Potest etiam excusari consuetudo introducta contrà Clericos, non solùm ratione defensionis, de qua suprà, sed etiam ex eo, quòd Clericus se immiscet enormitatibus, ut *in c. perpendimus de sententia excommunicationis*, ubi quidam Comes non incurrit in excommunicationem, quia primùm jusserat fustigari, & posteà etiam jusserat suspendi quemdam Sacerdotem, qui præsumpserat se falsò nominari filium Regis, & armis acceptis seditionem, & guerram fecerat, & ratio est, quia Clericus eo ipso, quòd dimisso habitu se immiscet enormitatibus, amittit privilegium Can. *Si quis suadente Diabolo*, ut notat *glossa ibi, & Imola apud Julium Clarum in §. fin. q. 36. & Navarr. in manuali cap. 27. nu. 81.* videatur etiam textus *in cap. 1. de Apostatis, & cap. ex parte de privilegiis.*

Est tamen difficultas inter DD. an Clericus in sacris se immiscens enormitatibus, amittat privilegium fori statim, an verò requiratur trina monitio? & omissa disputatione, dicas tu requiri trinam monitionem ex cap. in audientiam, & cap. contingit de sententia excommun. quæ jura expressè ad amittendum fori privilegium requirunt trinam monitionem, quæ [illegible] sint correcta per Trident. sess. 23. cap. 6. ubi [illegible] nullam requiri monitionem, intelligitur tamen in minoribus, qui sine ulla alia monitione privilegium amittunt, non verò in Clericis in [illegible] declaravit Sacra Congreg. teste Barbosa de [illegible] Episcopi par. 2. alleg. 19. [illegible] Diana par. 1. tract. 20. resol. 129. ex Contra- [illegible] cho

cbo *de Sacramentis disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 160. *Suarez de censuris disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 13. quòd in *d. cap. perpendimus* Clericus non amittit privilegium fori, sed canonis, quia si amisisset privilegium fori, fuisset subjectus illi Comiti, & meritò suspensus atque ita ejus interfectores non peccassent: tradit verò *Barbosa in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 39. *cap.* 23. rationem disparitatis, quare scilicet amittatur faciliùs privilegium canonis, quàm fori, quia privilegium canonis est juris positivi, privilegium fori. de jure divino, qua de re videas ipsum.

Alii, & meliùs cum *Anguiano de legibus lib.* 2. *controv.* 15. *num.* 29. docent, quòd in casu *d. cap. perpendimus* periculum erat in mora, utraque est probabilis.

Ex quo benè concludit *Diana ubi suprà d. resol.* 29. Religiosum professum non amittere fori privilegium, nisi præcesserit trina monitio, ad exemplum Clericorum in sacris existentium.

Infertur secundo, quòd si Principes laici ad dissidia tollenda concordent cum Summo Pontifice, ut in certis casibus liceat bona, vel personas Clericorum cognoscere, stante tali concordia nihil fit contrà immunitatem ecclesiasticam, quia permittendo Pontifex id, derogat juri canonico in aliqua parte, quod posse fieri certum est, non tamen satis est concordare Principes laicos cum aliis inferioribus à Summo Pontifice, putà cum Episcopis ut benè *Suarius pro defensione fidei lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 22. quandò verò per talem concordiam esset tantùm tribuenda nuda executio, & nudum ministerium, tunc id fieri potest per prælatum inferiorem, scilicet per Episcopum, & hoc modo possunt Episcopi concordare cum laicis quandò occurrunt casus aliqui particulares, iisque committere, ut v. g. si reperiant Clericos cum armis prohibitis, vel in flaganti aliquo crimine, eos capiant. & spolient, & ad se perducant. non quidem exercendo in ipsos propriam jurisdictionem, sed solùm exequendo mandatum Episcopi, nudumque ministerium illi exhibendo, licèt ista præscindendo à concordatis salvari possint alio titulo, ut suprà

*Explicantur Corollaria nostræ quæstionis.*

COllige primo. Clericos quoscunque non gaudere privilegio fori; appellatione verò Clericorum in materia favorabili, veniunt omnes etiam primæ tonsuræ, *cap. Cleros* 21. *dist. cap. cùm contingat*, ubi *Hostiensis num.* 6. *de ætate, & qualitate, Corsectus sing.* 12. *cap. Clericum* 72. *dist.* immò etiam Monachi in materia favorabili Clericorum veniunt appellatione: *Sylvester in verb. Clericus. Cardin. Tuschus lit.* C. *conclus.* 377. *Marceratensis lib.* 1. *var. resol. ultima casu* 50. sivè etiam sint Canonici Ecclesiarum cathedralium & collegiatarum, *cap. cùm tibi*, ubi *Abbas de verb. signif. cap. per exemplum de privil. in* 6. *de Grassis in præludiis num.* 163. & etiamsi Episcopi sint, *Abbas in cap. cùm tibi de vita, & honestate Clericorum* vel Cardinales S. Rom. Ecclesiæ *cap.* 2. *de Clericis non residentibus*. Quandò verò agitur de materia stricta, & odiosa, puta de pœna clericis imponenda, vel de damno, & incommodo clericorum, tunc veniunt solùm clerici simplices, non illi, qui sunt in dignitate constituti, ut Abbates, Canonici, & similes, *cap. sedes, cum ibi notatis de rescriptis*, nec à fortiori Episcopi, & Cardinales, nec Regulares, vel Monachi, cùm odia sint restringenda: *cap. odia de regulis juris in* 6. *& in cap. fin. de verb. signif.* dicitur appellatione clericorum alicujus Episcopi solùm comprehendi illos, qui vivunt suis expensis in materia odiosa, interdùm secundùm subjectam materiam appellatione clericorum solùm venit Sacerdos, ut in *cap. cui non de Sacerdotali de præbendis in* 6. vel etiam quandò agitur de Sacramentali absolutione impertienda vel Corpus Christi conficiendo, quæ ministeria solis competunt presbyteris.

Collige secundo, quòd cum privilegium fori sit clericis concessum non in privatum quemdam favorem, sed in totius ordinis clericalis dignitatem, per consequens benè sequitur clericos, nec invitè, nec voluntariè illi renunciare posse, & sibi Judicem laicum constituere, ut probat expressus textus *in cap. si diligenti de foro competenti*, & notat *glossa in cap. Clerici de Clericis conjugatis in* 6. *in l. clericalis. & in l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cler. de Grassis effect.* 1. *num.* 42. *Campanilis in ritu* 37. *Caria Archiepisc. num.* 13. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol* 3. etiamsi eum juramento renuncient. vel cum Episcopi consensu, neque præjudicat sibi Clericus coram Ecclesiastico dicendo se esse laicum, si reverà talis non sit, *Guido Papa singul.* 535. *Novar. par.* 1. *singul* 95. *Riccius par.* 4. *dec.* 9. *Squillante cap.* 7. de privil. *cleric.* & hæc omnia procedunt etiam in clerico primæ tonsuræ, *Velasquez alleg.* 24. Neque obstat *gloss. in cap. tua de Apostatis*, quæ dicit ordinatos in minoribus posse in totum renunciare ordini clericali, quia intelligitur dimittendo habitum, & tonsuram, vel exercendo negotia sæcularia, & ità facto, non verbo, ut benè DD. communiter apud *Farinaccium in praxi q.* 8. est tamen difficultas in assignanda ratione, quare privilegium, ne clerici ad sæculare trahantur judicium juris publici dicatur, & toti ordini concessum, cùm magis contrarium, & renonciabile esse, decidat *textus in l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cleric. & in l. penul. C. de pactis*, breviter dicas, fuisse dispositum, ne redundaret renonciatio in opprobrium totius ordinis clericalis, *cap. placuit* 11. *q.* 1.

Ut autem clerici universaliter gaudeant hoc fori privilegio quicquid sit de jure antiquo, hodie tamen ex *Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 6. requiritur, ut gestent habitum, & tonsuram, si non sint in minoribus, & non beneficiati, etiam posita constitutione Sixti V. de habitu, & tonsura, quia fuit moderata per Clementem 8. *Genuensis cap.* 7. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 28. *de Marinis cap.* 56. putant verò multi beneficiatum, ut gaudeat, non solùm teneri probare titulum beneficii. sed etiam illius possessionem, *Julius Clarus in §. fin. q.* 36. *Mascardus concl.* 302. *Mastrillus dec.* 113. *de Grassis effect.* 1. *num.* 1187. Secunda opinio, & vera est, non requiri, ut probet capturam possessionis, sed sufficere solam beneficii collationem, dummodò collatio fuerit valida, *Genuensis ubi sup. Diana, Squillante*, & alii ubi suprà. *Bonacina de legibus disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. *§.* 4. *num.* 12. *& de censuris in Bulla Cœnæ disp.* 1. 19. *q.* 16. *sect.* 1. *punct.* 6. *num.* 24. post verò adeptam possessionem, non est inquirendum, an validè obtinuerit, quia etiamsi beneficium obtinere non posset quis, utpotè quia erat illegitimus, seù irregularis, vel impeditus Clericatum assumere, adhuc gaudet fori privilegio, si dè facto reperitur in possessione, *Carolus de Grassis effectu* 1. *num.* 340. & 1194. *Thorus in compendio in verb. Clericus Squillante cap.* 7. *num.* 22. venit verò appellatione beneficii in materia nostra etiam beneficium modici valoris, *Genuensis d. cap.* 7. & sufficit solum titulum possidere absque redditibus, *Riccius par.* 2. *disp.* 189. *& par.* 4. *dec.* 128. *Diana ubi suprà resol.* 29. *Squillante d. cap.* 7. *num.* 17. *& Sacra Congregatio in una Januensi de anno* 1628. decidit quemdam clericum promotum ad ordines cum collatione cujusdam beneficii redditûs duorum scutorum, qui

incedens

unico, ut *Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, nec plus, & minus variant rem in specie, *Genuensis ubi sup. Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 2. *num.* 17. Capellania etiam comprehenditur si sit collativa, & in perpetuum titulum conferatur, eam enim obtinens gaudet privilegio fori, *Barb. alleg.* 12. *num.* 10. cujus etiam nomine venit in hac materia coadjutoria cum futura successione, *Garsia par.* 2. *cap.* 5. *num.* 98. *Barb. alleg.* 12. *num.* 9. Fratentia etiam pro comitandis cadaveribus defunctorum, apud nos Neapoli usitata gaudet privilegio fori, quia est verum beneficium. *Riccius collect.*140. *Genuensis cap.* 7. *num.* 9. *Barb. d. alleg.* 12. *num.* 11.

Si petas quid de pensione, v. g. habet quis pensionem super aliquo beneficio, non defert habitum, & tonsuram, reperitur in delicto quæstio est, an gaudeat?

Prima opinio est non gaudere, ità *Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 1206. *Genuensis cap.* 7. *num.* 7. *Bonacina disp.* 1. *de censuris in Bulla q.*16. *sect.*1. *p.*6. *num.* 23. *& disp.* 10. *de legibus q.* 2. *p.* 1. *§.* 4. *num.* 12.

Secunda opinio dicit, quòd si pensio excedat 60. ducatos de Camera, ut in Bulla Sixti V. incipiente *Pastoralis*, tunc gaudere debet, secùs si quantitatem prædictam non excedat, sequitur *Barb. alleg.*12. *num.* 8. *& Riccius par.* 4. *dec.* 154.

Tertia opinio est Clericum prædictum gaudere, ut beneficiatum: ità *Rota* apud *Crescentium dec.* 14. *de sent. & re judic. Zerola in praxi par.* 1. *in verbo Clericus §.* 2. *dub.* 2. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.*30. *Squillante d. cap.* 7. quæ opinio procedit, quandò pensio datur per modum tituli.

Clericus verò in minoribus non beneficiatus, ut gaudeat fori privilegio, secundùm dispositionem *Trid. ubi sup.* requiritur ut habitum, & tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi serviat, vel habitum, & tonsuram deferens in aliquo seminario de licentia Episcopi degat: Sed est quæstio an requiratur, ut simul habitum, & tonsuram, an sufficiat unum tantùm? Prima opinio est *Riccii par.* 4. *dec.* 154. *Bellecti in disquisit. Clericali par.* 1. *tit.* 3. *§.* 8. *num.* 7. & aliorum, qui dicunt requiri utrumque copulativè, & ità declarasse dicunt Sacram Congregationem, tùm quia Concilium loquitur copulativè, tùm quia facit regula, *l. hæc verba, ff. de verb. signif.* & sequitur *Barb. alleg.* 12. *num.* 49. Secunda opinio est *Marii Antonii Maceratensis lib.* 3. *var. resol.* 48. qui dicit, quòd si reperiatur Clericus cum solo habitu sine tonsura, vel è contrà, gaudeat privilegio fori, sequitur *Capiblancus de Baronibus, pragm.* 8. *cap.* 3. *num.* 28. neque est novum cùm multoties copulativa in Sacris Canonibus resolvatur in disjunctivam: argum. *cap. Clerici arma portantes de vita, & honestate Clericorum*, ubi Clerici arma portantes, & usurarii excommunicandi sunt, & tamen unum ex his sufficit, non utrumque requiritur, quòd si habitum dimiserit, privilegium fori amittit, etiamsi priùs Episcopus eum non admonuerit, ut habitum, & tonsuram reassumat, *Maceratensis d. resol.* 48. *Riccius in praxi par.* 1. *resol.* 530. *in* 2. *edit. Barb. alleg.* 42. *num.* 29. intellige quandò continuò incederet in habitu Clericali, ità ut publicè existimaretur laicus. *Bonacina disp.* 10. *de legibus q.* 2. *punct.* 1. *§.* 4. *num.* 15. *Ricc. disp.* 4. *dec.* 154. quia non per hoc amittit privilegium fori, si habitum à se gestare solitum ad breve tempus deposuerit, nec etiam, si illum ob paupertatem gestare non valuerit, aut ob

sei verò Clericus, qui dimisit habitum, iterùm illum assumere, non obstante irregularitate superveniente, & ordinarii prohibitione, ut declaravit Sacra Congreg. de anno 1630. teste *Barb. lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 2. *num* 27. Si verò sit controversia in habitu Clericali, an scilicet ille, in quo fuit inventus sit conveniens Clericis, tunc Judex Ecclesiasticus debet de eo cognoscere, *Gratianus cap.*190. *num.* 13. *Farinac.* & alii, quos sequitur *Barb. alleg.* 12. *num.* 16. apud laicos nostros disceptatur hoc apud eosdem: immò si Clericus tempore capturæ reperiatur sine habitu, quem tamen constat gestasse tempore delicti, gaudet fori privilegio, ut declaravit Sacra Congreg. teste *Maceratense ubi sup. & Sanchez de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 10. quòd si non deserviat Ecclesiæ putat *Maceratensis* adhuc gaudere, dummodò habitum, & tonsuram deferat; sed contrarium dicit *Bonacina disp.* 10. *de legibus q.* 2. *punct.* 1. §. 4. *num.* 10. *Menochius tom.* 10. *consil.* 912. *Ambrosinus de immun. cap.* 17. *num.* 13. quæ opinio practicatur.

Hæc tamen licentia inserviendi alicui Ecclesiæ, sufficit si obtineatur ore tenùs, nec sufficit si ter, vel bis deserviat, sed saltem pro parte notabili anni, ut declaravit Sacra Congreg. teste *Riccio, par.* 4. *dec.* 154. *Capiblanco ubi suprà, & Gratiano cap.* 440. & sufficit si antè mensem, quo perpetratum fuit delictum, inveniatur servitium prædictum præstitisse, licèt Concilium loquatur de præsenti, ibi inservit, quia prædicta verba sunt intelligenda naturaliter: quòd si servitium præstetur alteri Ecclesiæ, quàm illi, in qua mandavit Episcopus, adhuc fori privilegio gaudet, ut declaravit Sacra Congreg. teste *Capiblanco locis cit.* idem *Riccius par.* 4. *dec.* 111. & licèt Concilium dicat esse Ecclesiæ inserviendum, cui mandavit Episcopus, tamen hoc non est de essentia, sufficit enim si simpliciter præstetur servitium cuicumque Ecclesiæ, quia illa solemnitas mandati Episcopi est levis quædam solemnitas, ità *Riccius ubi sup. Novar. in singularibus juris Canonici concl.* 92. *Squillante cap.* 7. *nu.* 13. & licèt *Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 1177. & post eum *Barb. alleg.* 12. *num.* 14. dixerint de necessitate esse præstandum servitium illi Ecclesiæ, cui de mandato Episcopi adscriptus fuit, tamen idem *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 2. *num.* 35. dicit bis fuisse declaratum per Sac. Congreg. oppositum, scilicet sufficere servitium quomodocùmque exhibitum etiam sine mandato Episcopi.

Collige tertio, principaliter Clericos conjugatos cum unica, & virgine gestantes habitum, & tonsuram gaudere fori privilegio, cap. unico de Clericis *conjugatis* in 6. *Trid.* d. cap. 6. *sess.* 23. Secùs si essent bigami, *cap.* 2. 3. de bigamis, *cap.* quisquis 84. *dist.* & requiritur servitium Ecclesiæ, *Novarius* in *singularibus Canonicis* concl. 93. gaudent tamen in criminalibus, sivè civiliter, sivè criminaliter pro cri- [illegible] non tamen gaudet in merè civilibus [illegible] cap. 31. de Marinis cap. 58. gaudet [illegible] Canonis, verùm in aliis reputantur [illegible] ut in d. cap. unico, & in prag. 1. de Cle- [illegible] latè Sanchez lib. 7. de matrim. disp. [illegible] si Clericus conjugatus sit Syndicus [illegible] alicujus Baronis, & in reddendis ratio- [illegible] debitor, posset ab Officialibus ejus- [illegible] compelli ad solvendum debitum, latè [illegible] sua praxi resol. 391. & sic tenentur Clerici conjugati solvere collectas [illegible] Principibus sæcularibus, ut decisum [illegible]

in nostra Curia Archiepiscopali refert *Riccius par. 3. d. 170.* & in Regno nostro sic est dispositum per *Prag. 1. de Clericis sylvaticis*: & licèt Sacra Congregatio de anno 1610. dixerit, Clericos conjugatos gaudere solùm in criminalibus qualibet consuetudine non obstante, tamen de anno 1630. dixit gaudere in civilibus etiam, quandò adest consuetudo, & sic de hac consuetudine testantur multi adesse in Regno nostro, ut *Ricc. par. 3. dec. 170. & par. 4. dec. 320. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 4. concl. 3. num. 12. Diana par. 1. tract. 2. resol. 50. Squillante cap. 7. num. 27.*

Collige quarto, uxores clericorum conjugatorum gaudere fori privilegio sicut clerici ipsi DD. communiter *in cap. 2. de foro competenti, Milanensius dec. 10. par. 1.* tùm quia *in l. 1. C. de fabricensibus* habetur, quòd uxor fabricensis gaudet privilegio fori mariti sui: tùm quia sic expressè deciditur *in l. mulieres, C. de dignit. lib. 10.* tùm quia sic habetur *in l. 2. C. de Episc. & Cleric.* quicquid contrarium dicat *Barb. lib. 1. de Jure eccles. cap. 39. §. 2. d. num. 62.* immò si mortuo marito clerico perseveraverit uxor in viduitate, gaudet privilegio, ad notata per *Tiraquell. de nobil. cap. 18.* sic decisum in Sacro Cons. refert *Rovitus dec. 75.* nam durante viduitate censetur perseverare in eodem matrimonio, *l. fin. C. de bonis maternis*, sicut in simili videmus, quòd privilegium. *l. si quis Decurio. C. de Decur. lib. 10.* ubi Pater ob numerum 12. filiorum excusatur à gabellis, locum habet etiam patre mortuo, si uxori remaneant filii, *Surdus decis. 123. Paschalis par. 4. de patria potestate cap. 4. Regens Constantius in d. l. si quis decurio num. 236. de decurion. lib. 10.* Concubina Clerici non gaudet, licèt aliter distinguant *Salzedus ad Diaz in praxi canonica criminali cap. 79. Benedictus Egid. de privileg. honestatis cap. 11.* uxor verò clerici si seorsim habitaret ab eo, quia vovit continentiam ex mariti voluntate, gaudet fori privilegio: secùs si seorsim habitaret à marito propria culpa, *de Grassis effect. 1. num. 182. Abbas in cap. 2. de foro competenti num. 9.* contrarium tenet *Barb. ubi sup. num 62. in fine.* De filiis verò clericorum est notandum, quòd privilegium concessum patri, ut Sacerdoti, censetur etiam concessum filio procreato ex ejus uxore antè clericatum, *Decianus lib. 4. crim. cap. 9. num. 49. de Grassis effect. 1. num. 190. & effect. 3. num. 133.* & Sacra Congregatio de anno 1631. censuit clerici filium legitimum antè Clericatum susceptum gaudere privilegio fori, durante vita sui patris, teste *Barb. d. num. 62. in fine.*

Collige quinto, clericum, qui dimisso habitu se enormitatibus immisceret, etiamsi esset sacris ordinibus initiatus privilegium amittere, *cap. perpendimus de sentent. excommun.* saltem post trinam monitionem, *cap. contingit, eodem tit.* Verùm ego puto contrarium, quia nullo jure probatur in clericis existentibus in sacris, *textus* verò *in d. cap. perpendimus, &c.* loquitur de privilegio canonis, quia si ibi amisisset privilegium fori, utique Clericus ille fuisset subjectus illi Comiti, & meritò suspensus, & sic ejus interfectores non peccassent, quod tamen ibi contrarium est, ut benè *Diana par. 1. tract. 2. resol. 129.* post *Coninch. Suarez*, & alios, quos citat.

Collige sexto, processum, sententiam, & omnia alia acta à Judice laico facta contrà clericum, esse invalida, *cap. seculares, cap. si diligenti de foro competenti, Julius Clarus in §. fin. q. 36. de Grassis effect. 1. num. 228.* etiamsi nullus clericale privilegium opposuerit; adhuc enim nulla sunt acta, quod tamen poterit per Episcopum opponi, vel ejus Judicem competentem, *cap. si Judex de sentent. excommun. in 6.* DD. ubi suprà. Casu verò, quo remittitur clericus ad Judicem ecclesiasticum, si sit pauper, est remittendus expensis ipsius Judicis ecclesiastici, qui eum petit, nam ipse agit de jure suo. Quòd si citatus sit à laico Judice clericus, & noluit comparere ad suum privilegium ostendendum, nec clarè constabat, eum esse clericum, tenetur expensas factas per actorem solvere, si scilicet contrà eum sententia lata sit, eo quia iniquè se gessit, cùm teneretur suum privilegium comparendo ostendere, *Ambrosinus de immun. cap. 17.* quæ tamen sententia condemnationis expensarum à Judice ecclesiastico est facienda, communiter DD. apud *de Grassis effect. 1. num. 88. Bart. in l. videtur, ff. de Judiciis.*

Collige septimo, Magistratus sæculares non posse cogere clericos, ut triticum vendant, si adsit necessitas, de communi *Salas de empt. & vendit. dub. 9. Valerus in differ. in verb. Clericus diff. 3. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 17. num. 45. Bellectus in disquisit. cleric. par. 1. tit. 5. §. 2. num. 9. Molfesius in summa tom. 2. tract. 12. num. 85. ex cap. non minus, & cap. adversus de immun. eccles. cap. quamquàm de censibus in 6. ex Bulla Cœnæ can. 12.* & sic est in tali casu ad superiorem ecclesiasticum recurrendum, nisi urgeat fames, vel necessitas, & periculum sit in mora, nam in tali casu Judex laicus poterit frumentum sequestrare, & ab horreis clericorum extrahere, non vi jurisdictionis, sed ob instans periculum de facto juris.

Dices clerici in hoc casu non vendentes frumentum pretio taxato, peccarent mortaliter, ut communiter docent DD. apud *Francum dec. 9.* ergò possunt à Judice laico compelli.

Respondeo negando consequentiam, nam licèt peccent, quia tamen ad hoc non tenentur vi coactiva, sed directiva, ideò per ministros ecclesiasticos, & non laicos, ad id faciendum compellendi sunt, quia sæculares nullam habent potestatem in clericos neque illis præbet jurisdictionem publica necessitas, vel utilitas; ergo &c.

Sequitur octavo, non posse clericum spoliari armis prohibitis inventum cum eis per ministros laicos, quia clerici ad observanda statuta laicorum non sunt cogendi per Judices laicos, sed per ecclesiasticos, *Diana resol. 9. de immunit.* quod tamen limitatur, quandò esset repertus clericus in fraganti crimine, tunc enim posset eum minister laicus capere, & ducere ad Judicem suum ecclesiasticum, communiter *Canonistæ* apud *Bellectum disquis. clericali. par. 1. tit. 3. §. 11. Barb. lib. 5. in collect. tit. 39. cap. 35.* sicuti licèt non in fraganti reperiatur, si tamen noctis tempore reperiatur cum armis prohibitis, vel mutato habitu, tunc enim posset à ministris laicis capi, & ad Episcopum duci, *Genuensis in praxi cap. 27. num. 8. Bellectus par. 1. tit. 2. §. 2. num. 37. & tit. 3. §. 11. num. 1.* & talibus casibus putat *Megala 3. par. lib. 3. cap. 11.* posse retineri ecclesiasticum per laicum saltem per 20. horas, quod tamen improbabile putat *Campanilus in diversorio juris canonici rubrica 4. num. 27.* qui putat & benè, statim clericum recto tramite esse ad Ecclesiasticum Judicem deducendum, quam sententiam sequitur *Barb. in collect. tom. 2. tit. 1. cap. 7.* qui dicit, Judicem laicum, si incontinenti non tradat, incurrere in sententiam excommunicationis.

Collige nono, ministros laicos invenientes ecclesiasticos, asportantes pecuniam, frumentum, equos, &c. à Regno nostro ad exteros, non posse ea auferre sine pœna excommunicationis, *Bartholomæus à S. Fausto in speculo confessar. disp. 33. q. 20. Valerus in differ. utriusque fori, in verb. Clericus differ. 3. Diana de immun. tract. 2. resol. 15. de Marinis cap.*

statutis non ligari, & *Novar. in pragm.* 10. *num.* 7. *de extractione rerum*: affert decisum fuisse, pecuniam quandam de mandato Regiæ Cameræ clerico restitutam; sed *Floridus Mansonius de contrabannis q.* 8 dicit vidisse practicari, bona etiam clericorum ab ipsis extracta rapi, ut intercepta, & applicari Fisco relicta persona: sic audio hodie practicari: miror tamen de eo facto, quod refert *Mansonius ubi sup.* cùm enim Episcopus Theatinæ Civitatis misisset Neapoli pro sua mitra facienda, fuit captus clericus ducens mitram ad Episcopum, eique ablata remisso clerico, & opus fuit declaratione Sacræ Congregationis, & decisione Proregis, tunc Comitis Beneventi, ut restitueretur Episcopo mitra: miror quidem, quia scio doctrinam *Roviti in pragm.* 1. *de extractione num.* 2. *& Thori* decisionem referentem *in verbo extractio*, qui dicunt pragmaticas punientes extractionem non habere locum in extrahente vasa argentea pro suis usibus. De minoribus etiam est quæstio, an comprehendantur in talibus statutis? affirmant aliqui contineri apud *Farinaceum in praxi q.* 11. *num.* 3. *& q.* 192. *num.* 148. Negant verò alii cum *Romano singul.* 86. ego cum negativa pertranseo, quia talis extractio non est delictum, *l.* 1. *C. quæ res asportari non possint*, ergo de jure communi non est punibile; minor ergo non comprehenditur in ejus dispositione, argum. *tex. in cap.* 2. *de delictis puerorum*, *Farinaccus de inquisit. q.* 11. *Mansonius de contrabannis q.* 7. Si verò extrahuntur licita, & illicita, non omnia applicantur Fisco, si verò extrahantur res alienæ, tunc aut extrahuntur Domini consensu, & confiscantur, aut sine ejus voluntate, & non confiscantur, *Mansonius q.* 6. *Rovitus in d. pragm.* 1. *de extractione num.* 17. *Guido Papa dec.* 572. *Boer. dec.* 178. sic, si extrahuntur res cum animalibus alienis, etiam ista perduntur si Dominus animalium notitiam habuisset extractionis, *Novar. in pragm.* 2. *de extract.* Credendum verò est famulis Curiæ dicentibus invenisse in loco prohibito, argum. *tex. in l. apparitores C. de exact. tribut. lib.* x. *& in* 1. *tùm præcentium*, ubi *glossa de appellat. Mascard. concl.* 189. *num.* 7. *Mansonius q.* 5. *nu.* 6. quæ tamen depositio non sufficit, ut puniatur quis pœna ordinaria statuti, sed simplici compositione, *Manson. num.* 9. *Novar. in prag.* 14. *de extract. rerum.*

Collige decimo, Judicem sæcularem non posse punire clericum delinquentem ratione officii sibi ab ipso Principe laico concessi, ut contrà multos DD. tenent alii, quos refert, & sequitur *Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 82. asserens in Regno nostro Siciliæ fuisse sic servatum in causa cujusdam Equitis Hierosolymitani, qui officium Capitanatûs exercuit. Neque dicas, quòd hoc casu posset talis clericus puniri in bonis à Judice laico; in persona verò ab Ecclesiastico: hoc enim dico esse absurdum cum *Genuensi cap.* 8. *num.* 50. nam non minùs sunt exemptæ personæ clericorum ab eorum jurisdictione, quàm bona, ergo dicta bona sequuntur privilegium personæ, sed persona est exempta, ergo etiam bona, *Riccius tom.* 2. *resol.* 413. *Barb. in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 5. *& de jure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 2. *nu.* 126. *&* 127. Neque potest Judex laicus punire clericum exercentem officia sæcularia in illis, quæ concernunt ad illud officium: ratio est, quia est à laica potestate exemptus: quare clericus, qui officium Tutoris, vel Curatoris, vel Administratoris bonorum exercuit, non potest à Judice laico conveniri in reddendis rationibus, sed ab Ecclesiastico, *Ambros. de immun: cap.* 20. *num.* 54. *Duard. in Bulla Cœnæ can.* 25. *q.* 11. *num.* 26. & alii multi, & sic *dec.* 20. Illi verò clerici, qui se faciunt joculatores, vel buffones, amittunt privilegium fori, si per annum id faciant; sed, si annus non sit finitus, debent ter ab ordinario admoneri, & si non desistunt, privantur per sententiam omni privilegio clericali, *cap. unico de vita, & honestate Clericorum in* 6. *Diaz in praxi cap.* 71. *de Grassis effect.* 1. *num.* 1234. quod intellige tàm de clerico in majoribus, quàm in minoribus, *Bonacina de censuris in Bulla Cœna disp.* 1. *q.* 16. *punct.* 6. *nu.* 12. *Duardus in Bulla Cœna lib.* 2. *can.* 15. *q.* 11. *num.* 88. qui annus dicunt, quòd debeat esse continuus. Ille verò clericus, qui exercet artem vilem, puta officium tabernarii, vel macellarii, si est in minoribus ordinibus non conjugatus, & habitum, & tonsuram non defert; vel si est conjugatus, & per seipsum exercet officium publicè, si ter monitus non desistat, privatur privilegio clericali, *Clem.* 1. *de vita, & honestate Clericor. Bonacina*, & alii ubi suprà. *Squillante cap.* 7. *num.* 32. Secùs est si per alios exerceant talem artem, *Dunna regula* 99. *Menoch: de arbitr. casu* 412. & alii suprà citati. Si verò clericus fieret Miles, privilegium clericale amitteret. *DD. in cap. fin. de clericis conjugatis Genuensis cap.* 7. *num.* 4. *de Grassis effect.* 1. *nu.* 664. *Ricc. par.* 4. *dec.* 154. *Squillante cap.* 7. *num.* 32. quia sunt ad invicem contrariæ militiæ cœlestis, & sæcularis, *l. repetita, C. de Episc. & cleric. cap. qui in aliquo* 51. *dist. cap. ex multa §. fin. de voto*; & in hoc nota differentiam, quòd licèt per militiam clericus non amittat privilegia clericalia, sicut amittit beneficium; tamen beneficium amittit irrevocabiliter, sed statum clericalem, & ejus privilegium amittit revocabiliter, *d. Clem.* 1. *de vita, & honest. cleric.* ibi, *quandiù*, ubi *glossa in verb. recuperabunt*, *Ricciullus lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 12. qui benè dicit, id non intelligi in clerico in sacris, qui licèt millies fuerit scriptus in militia, nunquàm tamen amitteret privilegium, sed cogendus est militiam deserere, agere pœnitentiam, & ad Ecclesiastica munera revertere.

Collige undecimo, clericum incorrigibilem amittere fori privilegium, quandò fuerit ter monitus, *Alterius de censuris tom.* 1. *disp.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *Diana par.* 1. *tract.* 1. *resol.* 129. & sic non poterit per Judicem laicum puniri, nisi priùs deponatur, & feratur sententia super incorrigibilitate, & tandem omni privilegio clericali verbaliter degradatus tradatur Curiæ sæculari, *Bonacina disp.* 10. *de legibus q.* 2. *punct.* 1. *§.* 4. *Carolus de Grassis effect.* 1. *nu.* 809. *Duardus can* 15. *q.* 11. *num.* 86. & hoc intendit *textus in cap. cùm non ab homine. de Judiciis*, ponderando illa verba (cum Ecclesia non habeat aliud, quid faciat) ubi necessariò supponitur servata forma ibi præfixa, esse clericum priùs degradandum verbaliter, *Clarus in §. fin. q.* 36. alii tamen putant, non requiri hanc sententiam super incorrigibilitate, legas Barb. d. §. 2. cap. 39. *lib.* 1. *num.* 82.

Collige duodecimo, Judicem laicum non posse citare clericum creditorem in confectione inventarii, ut contrà multos, de quibus Cevallos *de cognitione per viam violentiæ par.* 2. *q.* 78. & sic quandò hæres vult adire hæreditatem cum beneficio legis, & inventarii, quamvis super illius confectione citandi sint omnes creditores, & legatarii; nihilominùs si clerici sunt, non possunt citari per Judicem sæcularem illius loci, ubi bona hæreditaria sunt, vel hæres domicilium habet, sed debent moneri per Judicem Ecclesiasticum, Duardus in *Bulla Cœnæ can.* 15. *q.* 11. *Bonacina disp.* 10. *de legibus q.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *Ambrosinus de immun. cap.* 22 nu.

*nu.* 73. licèt in tribunali laicali fervetur, ut citetur à laicis Jodicibus clericus, quatenùs fuum putaverit interesse, & benè, quia qui comparet pro interesse fuo, non dicitur Reus, fed Actor, ut benè *Afflictus ubi fup. num.* 7. Nec posset clericus compelli à Judire laico ad restituendum depositum, quandò se obligavit restituere in tribunali fæculari, ut contrà multos, de quibus *Afflictus*, *& Ursillus ubi fup. Gutierez par.* 3. *de tutelis cap.* à *num.* 9. & alios apud *Carolum de Graffis effect.* 1. *num.* 855. dicunt *Surdus conf.* 396. *vol.* 7. *Bellectus par.* 1. *tit.* 3. *num.* 37. *Bonacina de legib. disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. *Duardus ubi fup. num.* 36. *de Marinis cap.* 53. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 21. *Barb. num.* 124. qui communiter docent posse Jodirem laicum io hoc caso derlarare, clericum debere restituere depositum, verùm non posse executionem ipsius sententiæ exercere contrà clericum ad restituendum depositum, fed hoc à Judice Ecclesiastico esse faciendum. Nec potest Jodex laicus procedere contrà animalia clericorum, quæ in alienis pascuis reperta fuerunt, *Gutierez pract. quæstion. lib.* 1. *q.* 4. *Barb. in collect. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. nec potest puniri clericus per Judicem laicum si vendat res com falsis mensoris, *Bart. in cap. ut mensura de empt. & vend. num.* 3. quia non tenentur vi coactiva legibos fæcularibus, fed directiva, & consequenter non funt ab ipsis puniendi.

Collige decimo rertio, clerico minori litiganti coram Judice fæculari, posse per eundem dari Curatorem ad lites, *Bellectus de favore clericorum §.* 6. *num.* 15. *Gabedus par.* 1. *dec.* 81. Non tamen potest Judex laicus punire clericom direntem falsum testimonium coram fe, ut benè *Salzedus ad Diaz in practica canonica cap.* 63. *Afflictus dec.* 230. ob exemptionem, quàm habent clerici à tali potestate laicali, ut fuprà diximus; laicus verò depooens falsom coram Judice Ecclesiastico, poterit ab eo puniri, quia Judex Ecclesiasticus habet jurisdictiooem in laicum in hoc caso ratione perjorii, & sic potest contrà eum procedere, quod fecùs est in Judice laico, qui nullam habet auctoritatem in clericum, *Covarr. pract. cap.* 12. *Afflictus dec.* 219. *Francus dec.* 143. *Capella Tolosana dec.* 379. verùm practicatur in curia Archiepiscopali hodie, ut contrà tales laicos deponentes falsum procedatur folùm per censoras, non verò ad capturam perfonæ. Fuit verò interdùm data licentia clerico deponendi in judicio lairali, & ille deposoit ibi falsum, postmodùm quæsitum fuit in curia Archiepiscopali Neapolitana, quæ illi dederat licentiam, an posset ex tali depositione clericum illom, ut falsarium ponire, & fuit decisum apud *Riccium par.* 4. *dec.* 81. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 39. *§* 2. *num.* 90. negativè, quia erat facta coram fuo Jodice incompetente. Si verò laicus irreverenter fe habeat coram Judice Ecclesiastico, poterit ab eodem Jodice capi, & castigari, *Felynus in cap. verum de foro competenti*, *Ursill. ad Afflict. dec.* 219. & in curia Archiepiscopali nostra instante Fisco fuit quidem fæcularis elevatus ad trinam elevationem funis, ex eo qoia irreverenter coràm Vicario Generali luqoutus fuerat, *Genuensis ubi fup.*

Collige decimo quarto, clericum relegatum à Judice Ecclesiastico, si dorante dicta relegatione efficiatur laicus, & frangat relegationem, posse poniri à Judice Ecclesiastico, & doplicari pœna, ut contrà *Francum dec.* 395. dicit *Genuensis cap.* 8. *num.* 3. qui testatur ità observari in curia Archiepiscopali nostra ob multas rationes apud ipsum videndas, quod idem dicas si Clericus tempore clericatûs committat delictum, & posteà ducat uxorem, à Judice enim Ecclesiastico erit puniendus DD. citati. *Grammatic. dec.* 10. *num.* 417. *Genuensis cap.* 9. *Riccius par.* 2. *dec.* 113. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 32. *& resol.* 118. *Barb. num.* 97. 98. *& seq.* Si verò clericus, & laicus fimol delinqoant, practicatur, ut clericus à Judice foo, & laicus à fuo puniantur, *Covarr. pract. lib.* 1. *cap.* 3. *Gutierez lib.* 1. *q.* 6. *Amendola ad Francum dec.* 189. *num.* 7. *Bonacina in Bulla Cœnæ disput.* 1. *q.* 16. *punct.* 5. multi tamen viri docti tenent contrarium, quia fcilicet à Judice Ecclesiastico fint cognofcendi: quia magis dignum trahit ad fe minùs dignom, *cap. quanto de Judiciis*, *Ambrosinus cap.* 2. *num.* 8. *Bonacina disput.* 20. *q.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num.* 30. *Duard. in Bulla Cœnæ can.* 7. *q.* 11. *num.* 48. *Ambrosin. cap.* 20. *Barb. num.* 95.

Collige derimo quinto, clericum conventum pro evictione, puta quia vendidit agrum, vel aliqoid fimile, debere conveniri coram Judice Ecclesiastico ad defendendum Reum emptorem conventum jam pro evictione, fecundùm onam opinionem, de qua *Foller. ad Marantam par.* 6. *actu.* 5. *nu.* 10. *Marta casu* 34. *Muscatellus par.* 2. *glossa in verb. intimatio num.* 36. *Marcellus Cala de modo articulandi*, *§.* 1. *glossa* 1. *num.* 5. *Squillante de privil. cleric. cap.* 7. *num.* 80. Secunda opinio dicit, ad Judicem laicum pertinere cognitionem talis causæ, *Cevallos q.* 586. *&* 896. *Boncina.* & alii, quos fequitur *Barb. d. lib* 1. *cap.* 49. *§.* 2. *num.* 117. Ratio est, tùm quia fic colligitur ex *l. venditor.* 49. *ff. de Judiciis*, tùm *ex l.* 1. *in fine*, *C. ubi in rem actio.*

Collige decimo fexto, quid dicendum de clerico fidejubente pro laico de ftando juri, & judicatum folvendo coram Judice fæculari, an possit coram eodem conveniri ad prædictam fidejussionem folvendam? communis responsio est non posse: *de Graffis effectu* 1. *num.* 1008. *Ambrosinus cap.* 20. *de immun. num.* 50. *Ricc. resol.* 483. *Marta casu* 105. *Squillante cap.* 7. *num.* 83.

Collige decimo feptimo, clericum committentem crimen læsæ Majestatis non posse cognosci per Judirem fæcularem, quia crimen hoc propriè committere non dicitur, nisi ille, qui Principis offensi est fubditus, *Clem. Pastoralis §. rursùs*, ubi *glossa de re judicata*, *Gabedo dec.* 83. *par.* 2. Sed clericus talis non est, *DD. in cap. Ecclesia S. Maria de consti. & in cap. fin. de reb. Eccles. non alienand.* ergo. *Francus dec.* 691. *de Graffis effectu* 1. *num.* 568. *Genuensis cap.* 90. *Ricc. collect.* 2061. *Diaza par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 19. qui affirmant, annis elapsis in quadam rebellione fuisse processom contra clericos, & Monachos ex delegatione Clementis 8. per Judicem laicum, clericum tamen, fimul cum Judice Ecclesiastico: de clerico verò committente crimen falsæ monetæ est quæstio, à qoo cognosci possit? Respondeo à Judice Ecclesiastico tantùm, *Francus ubi fup. num.* 7. *de Graffis effectu* 1. *num.* 345. *de Marinis cap.* 57. Hodie verò omnes monetarii Clerici, & aliæ perfonæ Ecclesiasticæ, monetas adulterantes, vel quomodòlibet depravantes, vel fcienter expendentes, degradati traduntur Curiæ fæculari, ex *Bulla Urbani VIII.* quæ iocipit *in fuprema pastoralis specula*, cujus meminit *de Marinis cap.* 57. *cit.*

Collige decimo octavo, clericum in feudalibus posse conveniri coram Judice laico, si à laico Principe feudum possideat; sicut si ab Ecclesiastico conveniendus erit coram fuo Ecclesiastico, *cap. verum de foro competenti*, *Ambrosinus cap.* 20. *Basardus ad Clarum in §. feudum quæst.* 90. *cap. cæterum de Judiciis*, *Guido Papa dec.* 139. *Maranta par.* 4. *dist.* 11. *num.* 75. *Genuensis cap.* 9. *num.* 5. *Bonacina d. disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 4. *de Graffis effectu* 1. *num.* 718. *Squillante cap.* 7. *num.* 104. & sic Prælatus Ecclesiasticus in jurisdictione temporali, quam habet à Principe laico, habetur ut purus laicus, fcilicèt ut

Baro,

Baro seù feudatarius, & vassallus Principis, & ideò à sententia Prælati habentis jurisdictionem temporalem non appellatur ad superiorem ecclesiasticum, sed ad Principem sæcularem, *Mysincerius centur. 5. obser. 5. Covarr. pract. c p. 4. Freccia de subfeudis lib. 3. diff. 53. Aponte dec. 2.* quia tali casu Prælatus non judicat, ut Clericus, sed ut Baro, & laicus, *Mastrillus lib. 2. cap. 8. de magistratibus, de Graffis effectu 1. num. 513.* & ampliatur hoc non solùm quandò agitur de proprietate feudi; sed etiamsi de ejusdem possessione agatur. *Intriglioliu de feud. centur. 2. ar. 94. Thorus par. 1. in verb. clericus, de Graffis effect. 1. num. 732.* & amplia etiam, ut Dominus sæcularis ipsius feudi possit sententiam exequi contrà vassallos etiam Clericos, *Bellectus in disquisitione cleric. §. 3. num. 8.* quandò verò oritur, feodum pertinere ad Dominum, tunc vassallus non potest coràm illo conveniri, nisi priùs à non suspecto Judice jurisdictionis fundamentum terminetur; sicuti limitandum est, quandò non agitur de feudo, nec de ejus natura, vel nisi agatur contrà Clericum vassallum ad amissionem feudi civiliter vel criminaliter pro crimine *Intriglio las centur. 1. q. 56. num. 255. de Graffis effect. 1. num. 726.*

Collige decimo nono, Judices laicos non posse de causis ad Ecclesiam pertinentibus judicare, etiamsi Prælati ecclesiastici negligentes sint in talibus causis cognoscendis vel Clericis puniendis. Ratio est tùm quia Clerici sunt exempti à laicali potestate, tùm quia *tex. in cap. qualiter, & quandò de Judiciis, cap. si quis clericum, cap. placuit. cap. christianus, cap. licèt ex susc epto, cap. clericum 11. q. 1.* omninò prohibent, ne Clerici defectu justitiæ trahantur ad Judicium sæculare. Ita *Abbas in d. cap. qualiter Farinaceus de inqui. q. 8.* unde, si oppressus fuerit ab Episcopo clericus, appellatur ad Archiepiscopum, vel ad summum Pontificem, non autem ad laicale tribunal, ut in dictis juribus probatur.

Collige vigesimo, non posse legem à Principe sæculari ferri, qua caveatur, ne beneficia ecclesiastica conferantur exteris, aut ne illis solvantur pensiones inconsulto Principe laico, nam Princeps non habet potestatem suprà summum Pontificem, quem constat posse beneficia, & pensiones conferre, cui voluerit; licèt enim Summus Pontifex juri patronatùs derogare non præsumatur, nisi id expresserit, ut benè *Covarr. pract. quæstion. cap. 36.* tamen poterit derogare si velit, nec ulli facit injuriam derogando, cùm utatur jure suo conferendo beneficia cui velit, ergo non poterit Princeps laicus legibus facere, ut talia beneficia non conferantur, cui Summus Pontifex conferre vult.

Collige vigesimo primo, non licere Magistratibus, aut Principibus laicis litteras Apostolicas cognoscere, aut discutere an veræ sint nec ne, quia nullam habent potestatem ergà Pontificem; undè, si dubium sit, an tales litteræ sint subreptitiæ, nec ne, id judicandum erit ab Episcopo, vel Archiepiscopo, vel Primate, vel Patriarcha, vel Nuncio Pontificio, quia hoc est conforme tacitæ Summi Pontificis voluntati, ne via fraudibus aperiatur; undè facultates, & Bullæ Nuncii Apostolici ad Regnum missi, non possunt ab auctoritate laicorum discuti, & expendi, ut benè *Duardus in Bulla Cæn. can. 13. q. 50. n. 5.*

Collige vigesimo secundo, qui patrato delicto statum clericalem assumpsit, non posse à Judice laico puniri, nam assumens talem statum sicut tenetur ad onera illius; ità etiam commoda habebit; sed inter Commoda status clericalis enumeratur exemptio à potestate laicali, ergo tùm quia mutata persona, mutatur etiam forus, *l. si filius. ff. de pœnis. Carolus de Graffis de effect. cleric. effectu 1. n. 1071.* intelligunt tamen isti DD. hanc doctrinam, etiamsi habitum clericalem assumpserit animo subtrahendi se à laicali potestate, tùm quia iste talis utitur jure suo, ut benè docent *Bonacina de legibus disp. 10. q. 2. punc. 1. n. 26. Genuensis in praxi Archiepiscopali cap. 8. num. 5.* nam si confugiens ad Ecclesiam post delictum commissum animo fraudandi Curiam sæcularem, gaudet immunitate, quamvis remaneat laicus, & ad tempus moretur, multò magis gaudere debet, qui personam suam per ordinis susceptionem Deo consecrat, ut illi perpetuò famuletur, quod expressè probari videtur ex *l. qui cum uno, §. reus, ff. de re militari*, ubi Reus capitalis criminis, si efficiatur miles, non remittitur, sed à Judice militiæ judicandus est. Idem confirmatur ex *Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de refor.* ubi prohibetur Episcopis ordinare illos, qui ob fraudem fugiendi Judicium sæculare ordines susceperint, quæ quidem prohibitio frustrà fuisset facta, si fraus illos à laicali potestate non eximeret. Sic decisum in S. C. refert *Franc us dec. 384. & dec. 209.* ubi fuit judicatum, Clericum, qui habitum assumpsit etiam post sententiam forjodicationis, non esse à Judice laico, sed ecclesiastico conveniendum, dummodò tamen non ordinetur in carceribus, si sequi velimus opinionem *Joannis Andreæ in cap. 1. de obligat. ad ratiocinia.*

Dices, si hæc sententia esset vera, multi in perniciem Reipublicæ, & ejus fraudem, ut evitarent pœnam ultimi supplicii, ordinarentur; ergo, &c.

Respondetur; quòd adhuc satis à sacris Canonibus fuit provisum, & præcipuè à Concil. Trident. per quod fuit dispositum, ut Episcopi prædictos non ordinent, nisi subtiliter scrutando mores, & vitam, & in specie præcipit non ordinari eos, qui sæculare judicium fugiendi animo, & fraude ordinari veniunt.

Si verò sequi velis contrariam opinionem, tunc licèt non possit Judex laicus talem Clericum ordinatum in fraudem punire quoad pœnam corporalem, poterit tamen eum punire quoad pœnam pecuniariam, & confiscationem bonorum, ut docet *Bellectus in disquis. clericali par. 1. tit. 3. §. 4. num. 3.* qui citat 12. Doctores, & id ipsum docet *Petrus Genedo in collect. juris canonici par. 1. collect. 3. num. 15.* quod tamen adhuc displicet *Genuensi loco cit.* quia Canones in specie determinant, ut exempta persona Clerici non possit in rebus molestari, ne per unam viam concedatur, quod per aliam denegatur, ut in *cap. unico de clericis conjugatis in 6.* qua de re *Layman lib. 4. Theolog. moralis tract. 9. cap. 4. num. 12. Suarez contrà Regem Angliæ lib. 4. cap. 15. num. 17.*

Rogabis, quomodò cognoscere possumus Clericum habitum clericalem assumpsisse in fraudem fori sæcularis?

Respondetur, quòd licèt hoc tempore tardò fieri possit, ut quis clericalem statum assumat in fraudem fori sæcularis, quia Concil. Trid. sess. 23. c. 4. decrevit illis tantummodò primam tonsuram conferri, quos probabiliter constat hunc vitæ statum eligere, ut Deo serviant, non ut judicium sæculare effugiant; nihilominùs ex pluribus conjecturis desumi potest, clericalem habitum assumptum fuisse in fraudem fori sæcularis.

Prima conjectura est, si clericatus statim patrato delicto assumptus fuit, nam ex vicinitate actuum desumi consuevit conjectura, nisi suspicio [illegible] præsumptione diluatur, *Mascar. de probat. concl. 815. Gabriel de præs. concl. 13. n. 7.* & [illegible] communiter apud *Carolum de Graffis de effect.* [illegible] *effect. 1. num. 1127. & 1144.* Alii verò, ut [illegible] *5. de oblig. ad ratiocinia num. 50.* & ibi [illegible] alii

alii docent, non esse sufficientem conjecturam, nisi præcessit accusatio, vel diffamatio.

Secunda, si delinquens priùs fuerat ad curiam secularem delatus, vel jam condemnatus ob patratum delictum, aut si lis cœpta esset apud Judicem laicum, nam tunc præsumitur habitus in fraudem jurisdictionis assumptus DD. citati.

Tertia, si quis patrato delicto assumpsit habitum Clericalem ex vi voti, & id juraverit, non est standum suo juramento, ut docet *Farinaceus de inquis. q.* 8. *num.* 114. alii verò id affirmant, quos sequitur *Hieronymus Rodriquez in compend. quæstion. regular. resol.* 101. *num.* 9. *Diana de immun. tract.* 3. *resol.* 67. in praxi verò vera esset opinio ista, quòd scilicet cesset talis fraudis præsumptio, si constet habitum Clericalem post delictum suscepisse ex vi voti emissi antè delictum, ut docet idem *Farinaceus concl.* 77. *num.* 6. de quo voto debet constare aliter, quàm per juramentum delinquentis, ut probat idem *Farinaceus ubi suprà.* Ratio autem est, quia quandò agitur de gravi præjudicio, non statur juramento asserentis etiam in iis, quæ ab animo pendent, sed hîc agitur de præjudicio laicæ potestatis, ad quam evitandam Clericus allegat votum, tùm quia tantus est vitandæ laicæ potestatis effectus, ut plures parati essent ad falsò jurandum se statum Clericalem ex voto elegisse DD. apud *Farinaceum loc. cit.*

Advertendum tamen est, quòd onus probandi statum Clericalem per fraudem assumptum fuisse, incumbit illi, qui contendit assumptum fuisse per fraudem, quia cùm fraus non præsumatur, nisi probetur, *l. merito, ff. pro socio, l. quotiès, §. qui dolo. ff. de prob.* dicendum est, ab eo probandam esse, qui asserit Clericalem statum per fraudem assumptum esse. *cap. sancimus* 1. *q.* 2. *Farinaceus ubi sup. num.* 111. *Mascardus de probat. tom.* 2. *concl.* 814. *num.* 5.

Collige vigesimo tertio, Judicem laicum non posse punire Clericum exercentem officia secularia in illis, quæ concernunt ad illud officium: Ratio est, quia est à laica potestate exemptus; quamobrem Clericus, qui officium Curatoris, vel Tutoris, vel Administratoris bonorum exercuit, non potest à Judice laico conveniri in reddendis rationibus, sed ab Ecclesiastico; sic *Ambrosinus de immun. cap.* 20. *num.* 54. *Duardus in Bulla Cœnæ can.* 15. *q.* 11. *num.* 26. & alii contrà multos Gallos, & in nostro Collaterali Consilio sic decisum fuisse testatur *Rovitus dec.* 20.

Collige vigesimo quarto, Clericum, qui convenitur, ut hæres alicujus laici non posse conveniri coràm Judice laico, sivè conveniatur actione personali, sivè reali; sed conveniendus esset coràm Judice Ecclesiastico, *glossa in l. hæres absens, ff. de Judiciis,* & altera *glossa in cap. is, qui in jus succedit alterius de regulis juris in* 6. *Covarr. pract. quæstion. cap.* 8. Ratio est, quia ex quo mutatio personæ facta est, & rei etiam mutatio facta censetur. *l. Paulus respondit, aliàs incipit per Procuratorem,* 89. *ff. de acquir. hæred.* Sententiam communem esse ait *Carolus de Graffis de effect. cleric. effect.* 1. *num.* 278. quod adeò verum est, ut etiamsi laicus, cui successit Clericus, esset obligatus vigore instrumenti liquidi, & esset conveniendus Clericus tanquàm hæres; talis executio non coràm Judice laico, sed coram Ecclesiastico facienda est, DD. ubi suprà Difficultas verò est, an si lis sit incepta cum laico, cui Clericus successit, debeat deindè terminari coràm Judice laico, ubi est incepta, an coràm Ecclesiastico, qui est competens Judex Clerici?

Prima opinio est communis inter DD. quòd debeat conveniri coràm Judice laico, quos DD. longa serie refert *Carolus de Graffis de effect. cleric.* 4. *effect.* 1. *num.* 282. quibus addas *Castillum par.* 1. *dec.* 2. *Megala par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 59. Plures alii, quos sequitur *Reginald. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 352. *Farinaceus de inquis. q.* 8. Probat hanc sententiam, tùm quia instantia causæ inchoata cum defuncto transit in hæredem activè, & passivè, *l. si constante §. fin. ff. sol. matrim. l. hæres absens.* & ibi DD. *ff. de Judiciis, l. si is, qui Romæ. ff. de Judiciis, Anna alleg.* 19. *num.* 1. tùm quia ubi cœptum est judicium, ibi finiri debet, *l. ubi cœptum, ff. de judiciis,* tùm quia hæres censetur una persona cum defuncto, *§.* 1. *Auth. de jurejuran. à moriente præstito:* tùm quia defunctus conventus coràm Judice laico, videtur cum eo quasi contraxisse, ne possit forum declinare, quia in judiciis quasi contrahitur, *l.* 3. *§. idem scribit, ff. de peculio,* quas rationes, & multas alias refert *Surdus consilio* 2. *num.* 10.

Secunda opinio est conveniri debere coràm Judice Ecclesiastico, ità *Abbas, Felynus,* & alii, quos refert, & sequitur *Ambrosinus de immun. Eccles. cap.* 20. *num.* 45. *Bonacina de legibus disp.* 10. *q.* 1. *punct.* 1. §. 1. *num.* 24. probant. tùm quia militat eadem ratio exemptionis, tùm quia inutilis videretur sententia contrà Clericum à Judice laico prolata, nam per laicum non posset executioni mandari, nec Judex Ecclesiasticus cogi posset ad curandum, ut per ipsum executioni demandetur, cùm Ecclesiasticus Judex laicali potestati minimè subjiciatur: tùm quia clericus non posset coràm laico conveniri, si lis nondùm fuisset inchoata, ergò neque conveniri poterit lite inchoata cum præventio Judicis laici potestati Ecclesiasticæ derogare non possit: Verùm prima opinio practicatur, tam in Consistorio Regni Siciliæ, teste *Mastrillo dec.* 79. quàm in nostris Tribunalibus, teste *Tappia in vol.* 1. *Juris Regni sub tit. de Episc. & Clericis,* & ità fuisse decisum in nostro S. C. refert *Thorus in compendio decisionum in verbo remissio causæ laici.*

Et adverte, quòd ut servetur æqualitas idem dicendum est in laico hærede clerici, *Antonius Faber in suo codice in titulo de judiciis dec.* 12.

Collige vigesimo quinto, Judicem Ecclesiasticum non teneri clericos punire pœnis lege civili impositis, nam Ecclesia mitiùs agit cum clericis, nec tenentur legibus civilibus personæ Ecclesiasticæ, *Covarr. pract. quæst. cap.* 33. *& alii cit.*

Rogabis, an inferens injuriam clerico sit puniendus à Judice laico, an ab Ecclesiastico?

Respondeo tres esse DD. opiniones. Prima opinio est, puniendum esse à Judice Ecclesiastico, ità DD. aliqui apud *Julium Clarum in §. fin. q.* 42. *vers. Quæro.*

Secunda opinio putat puniendum esse ab utroque Judice, & dari locum præventioni, ità *Julius Clarus, loco cit. Bald. cons.* 260. *vol.* 3.

Tertia putat puniri posse ab utroque Judice non obstante absolutione, vel condemnatione facta in altero foro, nam utrique foro fuit illata injuria, ergo ab utroque judicari debet, ità *Bonacina de legibus disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *Genedo in collect. juris canon. q.* 36. *num.* 36. *num.* 26. *Gutierez canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 12. & moventur ex *tex. in cap. felicis §. per hoc de pœnis in* 6. hanc etiam sententiam sequitur *Layman lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 6. isti enim DD. communiter tenent, quòd si quis commiserit delictum, ob quod puniri potest ab utroque Judice, scilicet in foro seculari, & Ecclesiastico, semel punitus in uno, remaneat puniendus in alio, contrà quos meritò insurgit *Christophorus de Anguiano, in suo tractatu de legibus lib.* 3. *controv.* 32. *num.* 7. *& P. Diana de immun. Eccles. resol.* 108. qui dicunt, non esse duplici pœna puniendum, cui opinioni favet *text. in cap. non afferamus* 24. *q.* 1. ibi nec Deus judicat in idipsum: ergo qui

semel

*image not available*

bitent in propriis domibus cum suis consanguineis, ut ex pluribus Pontificibus refert *Riccius dec.* 88; *in fine par* 1.

Octavo, Oblati gaudent exemptionibus ecclesiasticis, dicuntur verò Oblati illi, qui se, & sua offerunt perpetuò ecclesiis regularibus, de quibus loquitur *tex. in tit. de success. ab intestato.* Intelligo si Oblatus mutaverit habitum differentem ab habitu sæculari, renunciando sæculo: sic fuisse decisum per Sacram Congreg. Cardin. die 26. Januarii 1606. refert *Marta ubi suprà num.* 27. undè dispositio *Concil. Trid.* ut *in d. cap.* 15. procedit etiam in Oblatis si profitentur tria vota, ut sic fuisse declaratum per Sacram Congreg. Cardin. testatur *Gratianus lib. 3. discept. for. cap.* 363. *num.* 29.

Nono, privilegiis clericorum gaudent Eremitæ, dummodò sint approbati à Summo Pontifice, & ipsis fuit data regula vivendi, quòd si ipsi hoc faciunt animo quærendi victum expensis alienis, & fugiendi laborem, tunc sunt in charitate ad triremes mittendi, nec immunitate, & privilegiis gaudent, ut benè *Barb. d. alleg.* 12. *num.* 42.

Decimo, gaudent privilegio fori famuli Episcopi, ut cum omnibus Canonistis testatur *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 107. & sic decisum in M. C. V. testatur *Genuensis in praxi cap.* 9. *Riccius dec.* 191. *par.* 4. omnium latissimè *Gratianus lib.* 2. *discept. for. cap.* 340.

Dicuntur primo de familia Episcopi, omnes, qui in ejus servitio sunt. Secundo Notarius Episcopi. immò & Notarius Vicarii foranei. Tertio exercentes officium Cancellariæ Episcopi. Quarto Nuntii Custodes carcerum. Quinto Fiscales Episcopi. Sexto familia Episcopi, quam armatam tenet, ut possit capere delinquentes omnes enim isti gaudent fori privilegio: ità *Barb. ubi sup. & Gratianus ubi sup.*

Ampliatur, ut gaudeant tales familiares, sivè delinquant in officio, sivè extrà officium: ità *Gratianus ubi sup.* & sic fuisse decisum testatur *Genuensis in praxi cap.* 9.

Ampliatur secundo, sivè prædicti familiares sint perpetui, sivè temporales, quia donec manent in servitio Episcopi, gaudent illius fori privilegio, quod habent non per se, sed per Episcopum; communiter DD. apud *Gratianum ubi sup.*

Ampliatur tertio in substituto à Notario Episcopi, vel ab alio officiali ipsius; nam cùm iste substitutus adhuc dicatur Episcopo servire, consequenter fori privilegio gaudet: ità *Marcus Antonius Maceratensis var. resol. cap.* 75.

Ampliatur quarto, ut privilegio fori clericali gaudeant illi, qui sunt perpetui servi clericorum, aut Coloni perpetuò Ecclesiæ obligati, quia isti gaudent fori privilegio communiter DD. *in cap.* 2. *de foro competenti, Thesaurus dec.* 22. *Menoch. de arbitr. centuria* 6. *casu* 562. *Capicius dec.* 12. *Gratianus ubi suprà.*

Quòd si tales famuli Clericorum sint ad tempus conducti à Clericis, est quæstio an gaudeant privilegio fori: qua in re negant communiter DD. citatis quibus additur *Gened. can. quæstion. q.* 4. *num.* 26. *Julius Clarus in §. fin. q.* 35. *Guttierez pract. quæstion. lib.* 1. *q.* 4. *Gratianus dec.* 233. *Covarr. pract. quæstion. c.* 35. & alii penès ipsos. Affirmant verò hos famulos ad tempus mercede conductos debere gaudere fori privilegio 12. DD. quos citat *Menoch. loc. cit.* quibus addas *Narbonam in* 3. *par. legum Hispanarum lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 20. *glossa* 1. *n.* 27. qui asserunt, quòd parum refert, an servus sit perpetuus, an temporalis, cum tale privilegium eis concedatur ob dignitatem ipsorum Clericorum, & semper sunt eorum accessorii, argum. *tex in c. licèt eodem tit. in* 6. quæ quidem opinio tunc procedit, quandò Clerici maximum detrimentum sentirent ex eo, quòd non gauderent eorum famuli tali privilegio, ut docent *Gratianus discept. for. tom.* 2. *cap.* 340. *Paulus Squillante de privil. cleric. c.* 7. *dub.* 2. *n.* 57. *Menoch.* & alii ubi suprà.

Adverte etiam, quòd fori privilegio gaudent servi perpetui Clericorum, etiamsi sint Mauri, Turcæ & à Catholica Ecclesia alieni: ità DD. citati apud *Dianam de immunitate tract.* 3. *resol:* 47.

Undecimo fori privilegio gaudent clerici conjugati scilicet illi, qui in minoribus ordinibus constituti uxorem ducunt, *cap. unico de clericis conjugatis in* 6. *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 6.

Intellige dummodò non sint bigami, ut *in d. cap. unico, & cap.* 2. *&* 3. *de bigamis*; *cap. quisquis* 84. *dist.* Secundo, dummodò contraxerint cum unica, & virgine *Concil. Trid. loc. cit.* Tertio; ut deferant habitum, & tonsuram, & ut deserviant alicui Ecclesiæ.

Quibus concurrentibus gaudent de Clerici privilegio tam canonis. *Si quis suadente Diabolo,* 17. *q.* 4. & privilgio fori in causis criminalibus, *ut in d. cap. unico, & in prag.* 1. *de clericis selvaticis*: in reliquis omnibus præter hæc duo reputantur merè laici, latè *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disp.* 46. quamobrem si Clericus conjugatus, sit Syndicus, vel Ærarius alicujus Baronis, si in reddendis rationibus remaneat debitor, ut possit ab Officialibus ejusdem Baronis compelli, & condemnari ad solvendum debitum, ut latè *Riccius lib.* 2. *var. resol.* 391. & sic tenentur etiam tales Clerici conjugati solvere collectas, & gabellas Principibus sæcularibus, ut sic decisum in Curia Archiepiscopali nostra refert *Riccius dec.* 170. *par.* 3. & in Regno nostro sic habetur dispositum, *per dictam pragm.* 1. *de Clericis selvaticis.*

Duodecimo, fori privilegio gaudent uxor Clerici conjugati: ut communiter tenent *Canonistæ in cap.* 1. *de foro competenti.* Sic fuisse decisum testatur *Franciscus Milanensius in decisionibus Siciliæ par.* 1. *dec.* 10. tùm quia *in l. pen. C. de Fabricensibus lib.* 10. habetur, quòd uxor Fabricensis gaudeat privilegio fori mariti sui, tùm quia sic expressè decidtur *in l. mulieres. C. de dignitat. lib.* 12. tùm quia habetur in *l.* 2. *C. de Episc. & Clericis.*

Immò si mortuo marito Clerico perseveraverit uxor in viduitate, adhuc tali privilegio gaudet, latè *Tiraquellus de nobilitate q.* 18. sic fuisse decisum in nostro Collaterali Consilio testatur *Revertus dec.* 75. nam durante viduitate censetur adhuc durare matrimonium, *l.* 1. *& fin. C. de bonis mater.* sicut in simili videmus, quòd privilegium, *l. si quis decurio. C. de decurionib. lib.* 10. ubi Pater ob numerum 12. filiorum excusatur à collectis, & gabellis, habet locum etiamsi Patre mortuo remanent filii simul uniti, & sic decisum in Senatu Paduano testatur *Surdus dec.* 123. & in Reg. Cam. Summariæ refert *Philippus Paschalis de patria potestate lib.* 4. *c.* 4. & novissimè *Regens Constantius in d. l. si quis decurio num.* 27. *C. de Decurion.*

Rogabis? an concubina clerici gaudeat ejus foro?

Respondeo, quòd si loquamur de concubina manifesta, & hæc est subdita foro laicali, & ecclesiastico simul; si verò loquamur de concubina occulta, & hæc est subdita foro ecclesiastico, latè *Salzedus in practica crim. canon. cap.* 79. *Ægidius Benedictus de privilegiis honestatis num.* 11. *ar.* 11.

Uxor verò Clerici, si seorsim habitaret à viro, puta quia continentiam vovit ex mariti voluntate, adhuc fori privilegio gaudet, secùs si seorsim habitaret à viro propria culpa: sic *Carolus de Grassis* latè *de effect. cleric. effect.* 1. *num.* 182.

Decimo tertio gaudet fori, & canonis privilegio Novitius, *cap. cùm illorum. cap. Monachi, & cap. de Monialibus*

*nialibus de sententia excommunicationis*, *Azor. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 2. Hinc est, quòd tales novitii possunt absolvi à casibus reservatis, à quibus absolvi possunt professi, *Bonacina de Sacramentis disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. *§.* 2. *num.* 27.

Rogabis, an Novitios, qui postquàm dimisit habitum Religionis, non habet beneficium, aut sacros ordines, possit à Judice laico puniri ob delictum commissum tempore novitiatûs?

Respondetur, duas esse DD. opiniones. Prima est *Farinacci de inquis. q.* 8. *num.* 46. & aliorum apud ipsum, qui docent Judicem laicum posse cognoscere, modò Prælatus non inceperit de delicto cognoscere. Secunda opinio est multorum, quos refert, & sequitur *Bonacina de legibus disp.* 10. *q.* 2. *p.* 1. *§.* 2. *num.* 50. quæ opinio verior est, & sequenda. Probatur, quia ad cognoscendum an in foro sæculari, vel Ecclesiastico quis sit conveniendus, inspiciendum est delicti tempus, & status, in quo tempore delicti delinquens reperiebatur, *l.* 2. ubi *DD. ff. de pœnis*, *l. injuriarum*, *ff. de injuriis*: Sed hic delinquens tempore delicti erat novitius, & immunis à laica potestate, ergo &c.

Confirmatur ex decisione S. C. apud *Grammaticum dec.* 10. *num.* 3. ubi legitur, quòd si Clericus beneficiatus tempore clericatûs perpetraverit delictum, si deindè relicto clericatu uxorem duxit propter delictum prædictum à Judice laico puniri non potest, idem sequitur *Giurba*, qui docet sic fuisse decisum Siciliæ *in dec.* 15. ergo ità in casu nostro.

*An dentur aliqui casus, in quibus Clerici foro sæculari subjiciantur?*

AD intelligentiam hujus quæsiti. Respondetur dari multos casus, in quibus clerici criminosi privilegio fori privantur, & à laica potestate judicantur.

Primus casus est, cùm Clericus fuerit degradatus realiter, quia tunc traditur brachio sæculari puniendus *cap. degradatio de pœnis in* 6. & per degradationem amittit omnia privilegia clericorum, *Farinaccus de inquisitione num.* 71. *Carolus de Grassis de effect. cleric. effec.* 1. *num.* 813. *Prases de Franchis dec.* 571. ubi pro furto commisso à quodam clerico, fuit pœna mortis imposita ipsi, & quibusdam laicis sociis, cujus tamen corpus non fuit in partes divisum ratione præteriti Sacramenti, sicut corpora laicorum. Quid autem sit degradatio, quotuplex, & in quibus casibus fiat, videas *Menoch. de arbitr. Jud. cent.* 5. *casu* 405. *Gaillus de pace publica lib.* 1. *cap.* 2. & nos alibi dicemus.

Secundus est casus, quandò Clericus est bigamus cùm scilicet duxit viduam, aut quandò mortua prima, quam virginem duxerat, ducit aliam; Clericus enim bigamus bigamia vera, vel interpretativa, omnia Clericorum privilegia amittit, *cap. unico de bigamis in* 6. an autem uxor fuerit virgo, in dubio præsumitur virgo, *Farinacci loco cit. num.* 6.

Tertius est casus in causa feudi, in qua Vassallus subjicitur Domino feudi quamvis sæculari, *cap. verum de foro competenti*, *cap. cæterùm de Judiciis*: sivè agatur de petitorio feudi, sivè de possessorio, scilicet sivè de proprietate; sivè de dominio, *Julius Clarus in §. feudum q.* 90. *num.* 8. *Toletus lib.* 5. *cap.* 16. *Menoch. de recuper. poss. remed.* 3. *num.* 236. immò tenetur stare juramento fidelitatis laico dato, *Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 721. *& effec.* 2. *num.* 211.

Quartus est casus in causa reconventionis, *cap.* 1. *&* 2. *de mutuis petitionibus*, *Farinaccus de inquis. q.* 8. *num.* 99. *de Grassis ubi suprà*: qua de re diximus suprà.

Quintus casus est, quandò clericus est effectus incorrigibilis, id est, qui postquàm condemnatus est, in similia, vel pejora delicta, labitur, & superioris correctionem fugit, in quo tamen requiritur, ut præcesserit sententia Episcopi, tradentis eum brachio sæculari, nam non amittit privilegium ipso jure communiter DD. apud *Duardum in Bulla Cœna Can.* 15. *q.* 11. *num.* 8. & alios apud *Farinaccum cap.* 17. *num.* 28. contrà alios apud *Carolum de Grassis loco citato*, dicentes privari talem Clericum ipso jure fori privilegio: neque obstat *tex. in cap. perpendimus de sententia excomm.* quia sermo est de privilegio canonis, non fori.

Adsunt tamen aliqui casus, in quibus privatur Clericus fori privilegio, ipso jure: ut *in cap. unico de vita, & honest. Cler. c. in* 6. ubi si Clerici fuerint Histriones, & ignominiosè artem illam exerceant per annum, & ter moniti non resipuerint, ipso jure privantur privilegio clericali *Farinaceus q.* 8. *num.* 97. quæ dispositio *cap. unici* procedit solùm in Clerico in minoribus, non verò in sacris, in quo requiritur degradatio, antequàm à laico puniatur, *Ambrosinus de immun. cap.* 18. *nu.* 24. *& seq.*

Quòd si Clericus non conjugatus habitum, & tonsuram deferens exercuerit officium macellarii, cauponæ, &c. non amittit privilegium clericale quoad personam, sed solùm quoad res suas, Si verò Clericus conjugatus laniorem publicè, aut aliquod aliud vile officium exercuerit, tunc ex *Clem.* 1. *de vita & honest. Cleric.* privatur fori privilegio, & omni alio, si ter monitus non desistat, DD. apud *Farinaceum*, *& Carolum de Grassis loc. cit.*

Septimus est casus, quandò quis commisit crimen læsæ Majestatis, ut ex constitutione Regni nostri de personis habetur. Verùm contrarium fuit decisum in Regno nostro penès *Francum dec.* 691. & determinatum per Clementem 8. anno 1600. refert *Genuensis in praxi* 72. *per totum*, in casu quodam; quo quidam Religiosus quasdam terras Regni Neapolitani in manus Turcarum tradere volebat, & dicta causa fuit à Summo Pontifice Nuntio Neapolitano commissa.

Rogabis, an possit Judex laicus punire Clericum assassinum?

Respondetur negativè; ità *Ambros. de immun. cap.* 17. *num.* 10. *Duardus in Bulla Cœna lib.* 2. *can.* 15. *q.* 11. *num.* 63. *Bellectus in disquis. clericali par.* 1. *tit.* 3. *§.* 7. *num.* 6. contrà *Carolum de Grassis de effect.* 1. *num.* 668. Requiritur ergo sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici, quòd sit assassinus, & Judex sæcularis aliter faciens incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, *cap. cùm non ab homine de Judiciis*, *Suarez de censuris disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 9. *Coninch. de Sacram. disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 19. *Ambrosinus de immun. cap.* 17. *num.* 28. & habetur in Bulla Clementis 8. edita 18. Decembris 1591.

Id ipsum dicendum est de Clerico sodomita notorio, nam non potest eum punire Judex laicus, nisi præcedat declaratio Judicis Ecclesiastici, ut *Marta de Judiciis par.* 2. *cap.* 16. & docet *Duardus in Bulla Cœnæ loco citato*, & sic fuisse decisum refert *Diana de immunit. Eccles. resol.* 51. in quodam Clerico, qui nedùm nefandum illum vitium activè, & passivè exercebat, sed etiam matrimonia inter masculos contrahebat.

Octavus est casus, cùm quis non defert habitum, & [illegible] tunc enim privilegio fori non gaudet [illegible] *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* quòd si habitum deferat, & non tonsuram, vel è contrà, tunc duplex opinio. Prima est *Riccii par.* 4. *dec.* 158. [illegible] *Bellect. disquis. cleric. par.* 1. *tit.* 3. *§* 8. *num.* 7. [illegible] qui docent non gaudere, & notorie ità declarasse

declaraſſe Sac. Congreg. quia *Concil. Trid.* loquitur copulativè, nempè ut Clerici deferant habitum, & tonſuram, & alicui Eccleſiæ deſerviant. Secunda opinio eſt *Marci Antonii Maceratenſis Vicarii Generalis Cardinalis Borromæi*, qui dicit *lib.* 3. *var. reſol.* 48. *num.* 50. quòd ſi Clericus reperiatur ſine habitu, ſed cum tonſura, vel è contrà, gaudeat fori privilegio. Idem docet *Capiblanc. de auctor. Baron. pragm.* 8. *cap.* 3. *num.* 28. immò ſi Clericus tempore capturæ inveniatur ſine veſtibus clericalibus, quas tamen conſtat geſtaſſe tempore delicti, adhuc fori privilegio gaudet: ità declaravit Sacra Congregatio ann. 1586. teſte *Antonio Maceratenſe ubi ſuprà reſol.* 48. & *Sanchez de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 46. *n.* 10.

Quòd ſi non deſerviat alicui Eccleſiæ, ſed deferat habitum, & tonſuram. Idem *Marcus Antonius Maceratenſis reſol.* 46. docet adhuc gaudere fori privilegio. Contrarium tamen docet *Bonacina de legib. diſp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. *§.* 4. *num.* 10. *Menoch. tom.* 10. *conſ.* 912. *Ambroſinus de immun. cap.* 17. *num* 13. quæ opinio practicatur. Quæ quidem licentia inſerviendi alicui Eccleſiæ ſufficit, ſi obtineretur ore tenùs, nec ſufficit ut ter, vel bis deſerviat, ſed ſaltem pro majori parte anni. Sic declaravit Sacra Congregatio, teſte *Riccio par.* 4. *dec.* 154. *Capiblancus loc. cit. par.* 3. *Gratianus diſcept. for. cap.* 440. & ſufficit, ſi antè menſem, quo perpetratum fuit delictum, inveniatur dictum ſervitium præſtitiſſe, licèt Concilium loquatur de præſenti, ibi *inſervit*, nam dicta verba ſunt intelligenda moraliter.

Quòd ſi ſervitium præſtetur alteri Eccleſiæ, quàm illi, in qua mandavit Epiſcopus, adhuc fori privilegio gaudet. Sic declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur *Capiblancus ubi ſup.* & *Ricc. par.* 4. *dec.* 111. & *dec.* 154.

Tandem adverte Clericum non geſtantem habitum, & tonſuram gaudere privilegio canonis, licèt forum amittat, & ideò eum percutiens incidit in excommunicationem canonis; ſic declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur *Bellettus in diſquiſ. cleric. par.* 1. *tit.* 3. *§.* 8. *num.* 59. contrà *Menoch. de præſump. l.* 6. *præſ.* 76. dicentem non gaudere privilegio canonis. Clericos verò conjugatus privilegio canonis non gaudet, niſi deferat habitum, & tonſuram, & niſi contraxerit cum virgine, & inſerviat alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi DD. citati.

Nonus eſt caſus, quandò Clericus capitur à Curia ſæculari de licentia Epiſcopi, *cap. ſi Clericus de ſenten. excommunicationis in* 6. *DD. cit.*

*In §. Idem Juris.*

CONcluſio hujus textûs eſt, quòd Judex ſpiritualis judicat de aliqua cauſa exiſtente inter laicos. Exemplum eſt in perſonis miſerabilibus, viduis ſcilicet, pupillis, infirmis, &c. ut per *DD. in l. unica, C. quandò Imperator. inter pupillos, & viduas. Afflictus dec.* 257. Idem dic de Univerſitatibus, virginibus, & pauperibus, *Abbas in cap. ſignificantibus de officio delegati.* Ex quo.

Sequitur primo, Judicem Eccleſiaſticum poſſe cognoſcere de cauſa dotis inter laicos, quandò dos eſt mulieri pauperi relicta in teſtamento, *Gutierrez practic. quæſt. lib.* 1. *q.* 44. *num.* 10. *Genedo in canon. quæſtionibus quæſt.* 37. *per totam.*

Sequitur ſecundo, cauſas perſonarum miſerabilium cognoſci poſſe ad inſtantiam partis à Judice eccleſiaſtico, etiamſi nulla adſit Judicis laici negligentia, ut contrà *Covarr. pract. quæſtion. cap.* 6. colligitur *ex textu in cap. ex parte de foro competenti*: & benè probat *P. Diana de immun. tract.* 2. *reſol.* 118.

*In §. Eſt & alia cum ſequentibus.*

ALia diviſio Judiciorum hîc proponitur, quòd quædam ſunt judicia ordinaria, quædam verò extraordinaria: judicia ordinaria ſunt, in quibus juris ordo ſervatur: judicia verò extraordinaria ſunt, in quibus juris ordo non ſervatur, *DD. in C. quoniam contra de probat.* In Regno verò Neapolitano omnes cauſæ dicuntur ſummariæ, & proceditur in eis ſola facti veritate inſpecta, ſine figura judicii; *ut in cap. Regni deteſtantes.*

Dicitur verò Judicium ordinarium, quod exercetur à Judice ordinario, qui ſcilicet habet juriſdictionem jure ſuo, non ab alio, ut *in tit. de officio Judicis ordinarii*, ſic Epiſcopus, ejuſque Vicarius dicuntur Judices ordinarii, *cap.* 1. *de officio Vicarii.* Delegatus verò Judex dicitur, qui interponitur in aliquo negotio, ut per DD. cit. qui etiam extraordinarius appellatur, *l.* 1. *§. qui mandatum, ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio.*

Sciendum eſt etiam, quòd Epiſcopus in ſua Diœceſi non eſt Judex delegatus, & extraordinarius, Sed ordinarius, & ſic etiam eſt ejus Vicarius, cum quo ipſe facit unum Tribunal, *cap.* 2. ubi *Canoniſtæ de offic. Vicarii.* Sic regularis, qui habet cauſas ſuorum Religioſorum per electionem in ſua dignitate à Summo Pontifice factam, habet juriſdictionem ordinariam, non delegatam, *DD. in d. cap.* 2. *de officio Vicarii*: alii dicuntur delegati, qui ſolùm per accidens habent, ut poſſint in aliqua cauſa cognoſcere.

Sciendum eſt ſecundo, quòd Judex, ſivè eccleſiaſticus, ſivè laicus poteſt ſuam juriſdictionem exercere ſolùm in ſuo Territorio, non alieno: *cap. cùm Epiſcopus de officio ordinarii in* 6. *Triden. ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *de refor.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *l. ultima, ff. de juriſd. omn. Jud. cap. nullus de Parochiis.*

Ex quibus ſequitur, quòd ſi Judex cùm ſit incompetens declaraverit ſe competentem, nedùm taxat, tenetur ad intereſſe partis, ut benè docet *Bald. in l. ſi quis in conſcribendo num.* 8. *C. de pactis.* Sed etiam ſententia eſt nulla, *Afflictus dec.* 354. *num.* 50. puta ſi Judex eſſet ſæcularis, & cauſa eſſet cum clerico, vel ſi Judex eſſet prohibitus adminiſtrare, & exercere juriſdictionem ex forma ſtatuti alicujus conſtitutionis, nam tunc etiamſi Judex declaraverit ſe competentem adhuc ſententia eſt invalida, *Decius in conſ* 18. *num.* 50.

Sequitur ſecundo, quòd Clericus, qui coram Judice non competente, puta coram laico cauſam agit. Primo incurrit culpam ſacrilegii, quia facit contrà immunitatem Eccleſiæ, ſeù potiùs contrà libertatem eccleſiaſticis perſonis conceſſam, nam immunitas ſi propriè, & ſtrictè loqui velimus, importat exemptionem loci ſacri, libertas verò exemptionem perſonarum, ut latè *Farinac. de immun. ſub initio Cajetanus in ſumma in verb. immunitas, Ambroſinus de immunitate cap.* 24. *num.* 7. quod valdè obſerva ad cognoſcendum, quandò quis incurrat pœnas violatæ libertatis, aut violatæ immunitatis.

Incurrit ſecundo pœnam excommunicationis, *cap. noverit.* & *cap. grave de ſenten. excommun. cap. qualiter,* & *quandò de Judiciis, Farinaceus in conſil. crim.* 68. & docet ſic fuiſſe deciſum in *Rota Romana*: Intellige hoc modo: Clericus ſi conveniat alium Clericum coram Judice laico, tunc enim violatæ libertatis reus eſt: ſecùs ſi conveniat laicum, nam cùm laicus conventus, ſit reus, conſequenter ibi conveniendus eſt *Saloninus* 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *controver.* 2.

Sequitur tertio talem Judicem, qui perſonas eccleſiaſticas judicat, vel punit, non ſolùm ſacrilegii culpam committere, verùm etiam incidere in excommuni-

cationem

cationem Bullæ Cœnæ, Summo Pontifici reservatam, ut patet ex eadem Bulla *can.* 15.

Sciendum est tertio, quòd delegatus ab ordinario non potest alium subdelegare, Delegatus verò à Principe Supremo potest subdelegare, *c. quamvis de officio, & potestate Judicis delegati*, *cap. cùm Episcopus de officio, & potestate Judicis ord. in 6. l. à Judice C. de Judiciis.*

Ratio autem disparitatis est, nam delegatus à Principe habet potestatem à jure, est enim Princeps viva vox juris, *l. Princeps cum sequentibus*, *ff. de legibus*, & ideò delegatus à Principe censetur tanquàm ordinarius, & per consequens subdelegare potest.

Limitatur verò in aliquibus casibus, puta in causa absentiæ, vel infirmitatis, quo casu ei liberum erit subdelegare, *l. 1. ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio. Regens Rovitus in pragm. Regni de officio S. R. C. num. 19. Menoch. de arbitr. Jud. cas.* 34.

Quòd si in delegatione facta à supremo Principe videretur electa industria personæ, tunc non poterit delegatus alteri subdelegare: putà si dictum sit: tibi præcipimus, mandamus, &c. tunc non potest fieri subdelegatio, *Felynus in cap. causam de rescript. Canonistæ in cap. ult. de offic. Jud. deleg.* Idem si dicatur oneramus tuam conscientiam, vel si dicatur, causam per te ipsum agas, *cap. quoniam de offic. deleg. cap. is, cui. eodem tit. in 6.*

Sciendum est quarto non posse causas criminales delegari, *l. 1.* ubi *DD. ff. de offic. ejus*: intellige ab ordinario; nam à Principe, vel ejus delegato possunt causæ criminales subdelegari. *Galluppus in praxi par. 1. cap. 2. nu.* 23. nam cùm tales causæ sint arduæ, censetur electa industria personæ, ut docet *tex. in §. non tamen hujus tituli nostri.* In quibus causis criminalibus unum etiam est speciale, quòd debeat comparere quis per seipsum, non per Procuratorem, nisi justa adesset causa: in causis verò civilibus potest per Procuratorem comparere, *cap. 1. de offic. delegati in 6.* ubi DD.

### *In §. Sed nec.*

Conclusio hujus textûs est, causas delegari non posse omnibus personis, sed tantùm in dignitate positis, vel personatum habentibus in cathedrali, semper ergo quòd fit delegatio, vel subdelegatio, non nisi personis doctis, & insignibus fieri debet delegatio, *cap. statutum de rescriptis in 6. Concil. Trid. sess. 25. cap.* 10. Quòd si Episcopus, cui est à Summo Pontifice delegata causa, non habeat personas qualificatas in sua Diœcesi, poterit eam subdelegare etiam alteri existenti extrà Diœcesim, & si illa persona non habeat dignitatem, & à partibus de hoc non fuerit reclamatum, valebit commissio, non tamen committi debet sæculari. DD. hic.

### *In §. Item mandari possunt cum sequentibus.*

Conclusio hujus textûs est, posse causam mandari tàm pluribus, quàm uni: plures verò delegati habent jurisdictionem in solidum, *Alfanus in rubrica de offic. ejus*, nam jurisdictio, cùm sit quid incorporale, & individuum, quandò pluribus committitur, dicitur *in solidum.*

Sciendum est etiam, quòd si jurisdictio sit mandata alicui, potest à mandante revocari, vel ab ejus successore, & revocatio debet esse specialis, & re integra, scilicet quòd delegatus non inceperit exequi suam jurisdictionem.

Sciendum secundo est, solvi delegationem multis modis. Primo revocatione, *cap. quamvis de offic. de. leg. in 6.* quæ revocatio fieri debet re integra: Revocatio verò commissionis fieri potest vel expressè, vel tacitè, expressè, cùm fit revocatio verbis expressis: tacitè verò, cùm fit ex aliquo signo, v. g. si delegans facta delegatione citat, vel alio modo procedit ipse in causa delegationis per se, vel ad petitionem partis, quia tunc re integra censetur tacitè revocasse delegationem: sed si res non esset integra, neque expressè, neque tacitè esset inducta revocatio, DD. *in d. cap. quamvis, & in l. Judicium solvitur, ff. de Judic.*

### *In §. Morte.*

Conclusio hujus textûs est, morte extingui delegationem, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd mors triplex est, scilicet naturalis, civilis, & accidentalis.

Naturalis est separatio animæ à corpore omnia solvens, §. *deinceps, Auth. de nuptiis*, & dicitur mors à morsu primi hominis, quia per esum pomi intravit mors in mundum. Hanc mortem appellavit *Arist. 4. Ethic.* ultimum terribilium, & hæc mors naturalis alia est matura, ut est illa, quæ accidit senibus, alia immatura, & est juvenum, *Card. in Clem. 1. de sepulturis.*

Mors accidentalis est mors gladii, *l. si tibi*, ubi *DD. C. de donat. antè nuptias*, quas duas mortes vocant Philosophi, naturalem, & violentam, ut *Arist. 4. Metaph. cap. 1. & Galenus de temperam. cap. 2. Vallessus 4. meteoror. cap. 1. & 6. contrav. cap.* 2. & si non ignorem aliquos esse, qui negant mortem naturalem, & dicunt omnem mortem esse præter naturalem, & violentam, nam in omni morte accidit morbus, qui etiam id affirmant in Christo Domino contigisse, nisi crucifixus esset tali ætate.

Mors civilis dicitur, quandò quis propter delictum servus pœnæ efficitur, deportatur, &c. ut docent DD. ubi suprà: cujus etiam est exemplum, cùm quis ingreditur Religionem; nam Monachus pro mortuo habetur in mundo, *l. Deo nobis, C. de Episcop. & Cleric.*

Quæstio tamen est, an cùm efficitur mentio mortis, quæ mors in dubio veniat?

Respondetur, quòd aut fit mentio mortis in materia pœnali à lege Canonica, & tunc intelligitur *de senten. excommun.* per quam anima separatur à Deo, *Abbas*, & alii *Canonistæ in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi*, nam excommunicatus æquiparatur deportato, & bannito, ut docent *DD. ut in d. cap. per venerabilem.*

Si verò mentio mortis efficitur in materia pœnali à lege civili, & tunc intelligitur de morte naturali, per quam anima separatur à corpore, *DD. in l. Gallus, §. & quid si tantùm, ff. d. lib. & posth.*

Si verò mentio mortis efficitur ab homine, puta si Judex condemnavit aliquem ad mortem, & tunc etiam intelligitur de morte naturali, DD. in *d. l. Gallus, §. & quid si tantùm, Francus dec.* 689. quibus positis.

Dico primo, quòd mortuo delegante, sivè verè, sivè fictè extinguitur delegatio, si moriatur re integra, morte verò delegati semper solvitur etiam re non integra, nam si verè moritur, non est dubium, quòd mors omnia solvit, *cap. cùm Martha de celeb. Missar.* §. *deinceps, Auth. de nuptiis.*

Dico secundo, morte unius solvitur quantùm ad omnes delegatio, *cap. unico de officio deleg.* nisi expressum fuerit nomen dignitatis in rescripto, ut si committatur Priori, Primicerio, &c. quia tunc in locum illius succedit in causa successor in ea dignitate; quia dignitas nunquam moritur, quoniam ubi *Abbas de offic. deleg. Romana dec. 12. par.* 1. *Genuensis in praxi cap.* 69.

In

*In §. quaesitum cum sequent.*

AD intelligentiam horum jurium, Sciendum est primo, quòd si causa sit commissa à Sede Apostolica uni cum pacto, ut quotiès abesset, alteri committat vices suas: si primus commissarius moritur, Secundus poterit negotium definire, si res integra non fuerit, *cap. si delegatus de offic. delegati in 6. l. absentem, § abesse, ff. de verbor. significatione.*

Sciendùm est secundo, quòd delegatio solvitur impotentia delegati, ut si delegatus sit impeditus quominùs possit delegationi interesse: sicut etiam expirat delegatio, quandò delegatus protulit sententiam, eamque mandavit executioni, nam tunc functus est est officio suo. *cap. in litteris de officio delegati, l. Judex posteaquàm, ff. de re jud.*

Sciendum est tertio, finiri delegationem, si finiatur tempus appositum in rescripto. *cap. de causis de officio delegati*, quod tempus currit à die, quo delegatus recepit litteras commissionales, *cap. super eo de appellat.*

*In §. recusatione.*

POnitur in hoc textu, posse Judicem recusari, ut suspectum, ut in *cap. suspicionis de officio deleg.* cùm periculosum sit sub judice litigare suspecto, *l. apertissimi, C. de Judiciis, cap. quod respectu 3. q. 5. Menoch. de arbitr. Jud. casu 152. lib. 2.* ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd omnis Judex sivè ordinarius, sivè delegatus potest allegari, ut suspectus, *d. l. apertissimi, cap. fin. C. de Judiciis*; immò quicumque ad aliquod praejudicialе faciendum deputatus est, *Gaillus lib. 1. observ. obser. 35. Mysinger. observ. 52.* Idem possunt Doctores Collegii Neapolitani recusari ut suspecti *Rovitus in pragm. 1. num. 68. de suspicione Officialium*, non tamen valet suspicio multùm generalis, ut si fieret de toto Collegio de toto Synodo, aut Concilio, debent enim singulae & respectu singulorum allegari causae: sic nec possunt omnes DD. de Civitate allegari suspecti, *Anna allegat. 276.*

Sciendum secundo est, Judicem deberi recusari ut suspectum coram Judice superiore ad instar appellationis, cui aequiparatur, *Gaillus observ. 34.* & licèt olim allegaretur Judex laicus suspectus coram Ecclesiastico, tamen hodie id expressè prohibetur, *prag. 3. eodem tit.* verùm in terris Baronalibus, quandò Judex est suspectus, tunc adeundus est idem Baro, *Rovitus in prag. 2. & 3. eod. tit.* Si verò allegaretur in S. C. suspectus unus Reg. Consiliarius, tunc reliqui alterius aulae poterunt procedere, modò non sint pauciores tribus, & uni ipsorum à Praeside committitur, qui referat, *prag. 1. eod. tit.*

Sciendum est tertio, quòd Judex, cui committitur causa suspicionis, pendente judicio recusationis, poterit in causa principali procedere, & acta erunt valida, *prag. 9. eod. tit.*

Sciendum est quarto, quòd allegari, ut suspectus, Judex potest aliquibus conditionibus concurrentibus, Primo, ut recusari possit Judex ut suspectus infrà 40. dies à tempore captae possessionis in officio si fuerit de novo superventus, vel infrà 40. dies ab intimatione facta principali, vel ultimo die, quò elapsus est terminus, *prag. 11. de suspicione officialium.* Secundo debent allegari suspectiones in scriptis, & explicari modestis verbis, *prag. 11. cap. 10.* Tertio, ut causae sint justae, & relevantes, ut in locis citatis habetur.

Sciendum est quinto, ob multas causas posse Judicem allegari, ut suspectum.

Prima, & principalis causa suspicionis est consanguinitas, *cap. postremo de appellat.* nulla habita differentia an proveniat ex parte matris, an patris, cùm tàm agnati, quàm cognati, dicantur consanguinei ad hunc effectum recusationis, & extenditur haec consanguinitas usque ad 10. gradum de jure civili. *Menoch. de arbitr. Jud. casu 152.* Idipsum procedit in cognatione spirituali secundùm terminos S. C. *Trid.* in compatre levante, & levato: *Regia pragm. 11. cap. 17. de suspect. offic.*

Secunda causa, est affinitas *Maranta in speculo in verbo*, & quandòque appellatur, quae affinitas extenditur usque ad septimum gradum, *glossa in cap. accedens, ut lite non contestata*, & sic fuit decisum in C. junctis aulis, teste *Galluppo par. 1. cap. 4. num. 32. & Thoro in compend. decisionum in verb. suspicio officialis.*

Tertia causa est, quandò ageretur de proprio interesse Judicis, quia tunc utpotè agens in causa propria recusari potest, ut suspectus, *l. 1. C. ne quis in sua causa judicet*, quod habet locum etiam in causa delegationis, undè si Praeses S. C. esset suspectus ex justa causa proprii interesse, non poterit delegare, & committere causam, sed erit committenda per S. C. sic decisum refert *Rovitus in prag. 1.*

Quarta causa est, quandò Advocatus esset effectus Judex, quia tunc licèt prohibeatur judicare in eadem causa, vel simili, ut in *pragm. 1.* tamen in alia diversa, & penitùs separata admitteretur, *Thorus ubi sup.* sic etiam Judex, qui in uno articulo juris scripsit, non poterit recusari, ut suspectus in causa, in qua idem discutiendus cadit, cùm non consideretur tanta affectio, quin mutari possit, *Praeses de Franchis dec. 87.* & sic iterùm decisum junctis aulis refert *Scipio Theodorus alleg. 87.*

Quinta causa est, quandò Judex antequàm judicet facit aliqua motiva, ex quibus videtur inclinare in ejus opinionem, nam licèt sic si votum detegit etiam tacitè, *l. observandum*, ubi *DD. ff. de offi. Praesidis, l. reos. C. de appellat.* quòd si diceret non esse satisfactum ab Advocatis, habere dubitationem, &c. non intelligeretur votum propalasse, nec erit causa suspicionis, *Giurba*, referens sic decisum *dec. 54.* qui docet hoc indifferenter fieri ab Auditoribus Curiae Romanae. Sic decisum in causa Comitis Saponariae in S. C. refert *Thorus ubi sup.*

Sexta causa, est causa inimicitiae, ob quam sufficienter potest recusari Judex, ut suspectus, quamvis non sit capitalis. *Capycius dec. 138. pragm. 11. cap. 15.* quod habet locum etiamsi fuerit inimicitia praesumpta, puta si Judex non salutaverit partem, cùm solitur esset eam salutare, *Gratianus discept. forens. tom. 2. cap. 284. Menoch. de praes. lib. 5. praes. 43.* quae causa inimicitiae reddit etiam suspectum Judicem in delegando, undè Praeses S. C. redderetur suspectus, & non posset causam delegare. Sic decisum in S. C. refert *Rovitus in d. prag. 10. num. 1. de suspicione Officialium.*

Advertendum est, quòd licèt de jure communi, à decretis, quibus Judex declaratur ut suspectus, posset appellari, tamen de jure Regni *pragm. 11. cap. ult.* statim decretum illud debet executioni mandari non obstante remedio appellationis, reclamationis, restitutionis in integrum, &c. *Francus dec. 148. Rovitus ubi sup. num. 38.*

Item observa, quòd acta facta coram Judice allegato, ut suspecto, sunt ipso jure nulla, *Bart. in l. quia poterat. ff. ad Trebell. Vantius de nullitatib. ex defectu jurisd. num. 140. Gabriel. concl. 5. tit. de Judiciis, Rovitus pragm. 1. num. 41.*

TIT.

## TITULUS II.

### De Procuratoribus.

Visum est suprà de Judiciis, & eorum divisione; verùm quia Judicia possumus exercere tàm per nosmetipsos, quàm per alias personas, scilicet per Advocatos, & Procuratores, meritò ponitur hic titulus de Procuratoribus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd Advocatus est, qui defendit causam alicujus, & antiquitùs dicebatur Orator, quia orabat pro clientibus, & ejus officium nobile est, *l. Advocatis. C. de Advocatis divers. Judic.*

Sciendum secundo est, quemlibet posse officium Advocati exercere, modò illud exercere valeat, & à jure non repellatur. Ratio est, quia actus patrocinandi liber est, ergo à quolibet suscipi, & exerceri potest; undè impotentes ab hoc officio repelluntur, ut sunt muti, surdi, furiosi, & adolescentes.

Sciendum est tertio, plures qualitates requiri in Advocato, Prima est scientia legalis, undè peccaret mortaliter Advocatus, & ad restitutionem teneretur si ex sua ignorantia Cliens causam perdidit. Ratio est, quia qui non facit, quod ex officio facere tenetur, est in culpa. DD. communiter apud *Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 19.* immò tenetur ad restitutionem omnium damnorum quæ ex defensione injustæ causæ oriuntur, quia censetur causa efficax damni, & sic parti contrariæ tenetur ad restitutionem ex peccato commissionis, quia fuit illi causa positiva damni; clienti verò tenetur ex peccato omissionis, quatenùs ipsum non admonuit de injustitia causæ, nam ratione injustitiæ tenebatur admonere clientem injustitiam causæ ignorantem, quòd si cliens non ignorabat injustitiam causæ, Advocatus licèt non sit liber ab obligatione restituendi parti contrariæ, cùm fuerit illi causa positiva damni, est tamen liber ab obligatione restitutionis faciendæ clienti, quia non censetur illi fecisse injuriam, quia scienti, & volenti non fit injuria, DD. communiter apud *Layman loc. cit.*

Secunda conditio est fidelitas, ut non dicat secreta causæ parti adversæ, nam talis esset prævaricator apud leges civiles, *l. 1. §. is qui, ff. ad leg. Cornel. de falsis, l. 1. ff. de prævaricatorib.* ità *Abbas in rubrica extrà de postulando*; & sic tenetur Advocatus ad restitutionem, dùm parti contrariæ secreta causæ manifestavit, ob quorum manifestationem perdidit cliens causam, quam alioquin licitè vicisset, quia fecit contrà proprium officium, DD. apud *Layman ubi sup.*

Quòd si periculum esset, ut pars contraria grave damnum iniquè pateretur, tunc poterit Advocatus eam manifestare, quia unusquisque tenetur quantùm potest sine gravi damno, proximi damnum impedire, *Lessius lib. 2. cap. 31. Azorius par. 3. lib. 13. cap. 29. dub. 3.*

Tertia conditio est obligatio patrocinandi de jure communi, in quibusdam casibus, nam licèt regula sit, quòd nemo invitus cogatur patrocinari, tamen in quibusdam casibus tenetur.

Primus casus est, quandò Advocatus patrocinatur pro aliquo existente in gravi, vel extrema necessitate laborante, ipsiusque opera indigente, dùm nullus alius patrocinium præstiturus est. Ratio est, quia quilibet tenetur sublevare laborantem extrema necessitate, vel gravi extollere, DD. apud *Filiucium tract. 40. cap. 3. q. 6. num. 286.*

Secundus est casus, quandò pars contraria faceret, ut nullus ex Advocatis alicujus terræ præstaret patrocinium suo adversario, quia tunc poterit Judex compellere aliquem, ut id faciat, & qui hoc fecit pec-



[illegible] *DD. cit.*

Quarta conditio, est justitia, puta ut defendat causam justam, quamobrem potest Advocatus tueri causam Actoris, aut Rei, dùm utraque pars est probabilis, quamvis altera pars, quam ipse non defendit, probabilior sit. Ratio est, tùm quia quilibet potest adhærere opinioni probabili, tùm quia pars, cujus causa est probabilis, non peccat se defendendo, aut accusando, ergo neque peccat Advocatus causam ipsius defendendo, *Lessius lib. 2. cap. 32. dub. 9. Salonius*, & alii apud *Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 7.*

Regulariter enim verissimum est, posse aliquem sequi opinionem probabilem relicta probabiliori; nam non est credibile Deum tàm grave onus imposuisse hominibus, ut probabiliorem sequantur sententiam probabili omissa, ut benè DD. apud *Layman ubi sup.*

Neque obstat debere in dubio nos sequi tutiorem partem, *cap. juvenis de sponsalibus, cap. significasti, cap. audientiam de homicidio* nam qui sequitur opinionem probabilem, practicè non dubitat, sed solùm speculativè, & consequenter non tenetur probabiliorem sequi, ut benè *Beccanus tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 4.*

Rogabis primo, quænam sit opinio probabilis? Respondetur, quòd ut opinio dicatur probabilis, videndum est primo, qua ratione nitatur, Secundo an contingat errorem. Tertio an sit ablata per aliquod decretum. Quarto, utrùm habeat auctores in sui favorem, & quanta sit eorum auctoritas, scientia, & prudentia, utrùm sint valdè periti, & timoratæ conscientiæ; undè non requiritur ad opinionem probabilem multitudo Doctorum, sed sufficit auctoritas unius Doctoris valdè periti, & bonæ conscientiæ, & ideò, si scholares sequantur opinionem, quam à Magistro eorum in ea materia docto acceperunt, dicuntur sequi opinionem probabilem, modò non constet talem opinionem continere errorem, aut antiquatam fuisse, *Sanchez in summa lib. 1. cap. 9. num. 7.*

Opinio verò communis ea dicitur, quæ plures habet DD. Classicos, qui ritè perpensis utriusque partis rationibus, eam opinionem sequantur, ità DD. apud *Sanch. loc. cit.*

Rogabis secundo, an possit Advocatus transigere cum parte contraria, dùm credebat in principio litis causam esse justam, sed posteà per examen testium, vel alia ratione comperit, litem esse injustam ex parte sui Clientis. Respondetur negativè, quia transactio solùm admittitur in causa dubia, ideò peccat inducens ad transactionem, quòd si ad transactionem inducat sine damno, sine vi, vel sine metu, non peccat, utpotè nulli faciens injuriam, *Lessius, & Layman ubi sup.*

Rogabis tertio, an teneatur Advocatus ad restitutionem, qui defendit causam alicujus delinquentis, quem si non defendisset, Fiscus illius bona acquisivisset?

Respondetur non teneri, quia cùm pœna non debeatur antè sententiam, consequenter Reus non tenetur ad restitutionem, ergo neque Advocatus, *Salonius 2. 2. q. 71. art. 4. controv. 1.*

Quinta conditio, est pretium justum, quod honorarium appellatur in Advocato, *l. 1. §. in honorariis, ff. de variis, & extraordin. cognit.* quòd si pretium sit taxatum à lege, illud solum potest recipere, *l.* [illegible] *ff. de postulando*; quandò verò non est taxatum [illegible], tantùm potest Advocatus recipere quantum [illegible] prudentis viri justum videtur, habita ratione [illegible] dignitatis, scientiæ Advocati, difficultatis causæ [illegible] *Toletus lib. 5. cap. 60. Azor. par. 3.* [illegible] *cap. 29.*

Qua-

Quæres, an possit Advocatus pacisci de certa quantitate litis sub conditione, si vincat, ut de medietate, tertia parte, &c.

Respondeo negativè ne scilicet Advocatis aperiatur via vincendi lites per fraudes, ut parte promissa fruatur, *l. si qui C. de postulando*, *l. sumptus*, *ff. de pactis*, *prag. 1. de postulando* ubi DD. immò neque fieri poterit pactum de certa quantitate pretii si victoriam consequatur eadem ratione, ne detur occasio calumniarum, *glossa in d. l. sumptus*, & alii apud *Navarr. cap. 2. num. 30.*

Poterit tamen pacisci Advocatus de tanto pretio absolutè, sivè sequatur, sivè non sequatur victoria, quia tunc cessat fraudis periculum, & talis promissio permissa est, *l. 1. ff. mandati*, & hoc casu obligabitur Advocatus ad totam litem etiam in secundo judicio, scilicet in causa appellationis DD. citati. vel pro palmario sun poterit etiam pacisci.

Quæres secundo, an si Advocatus fecit pactum de quota lite, tenentur restituere quod accepit, si victoriam obtinuit? Respondetur, quòd si victoriam assecutus fuit justè, & tunc restituere non tenetur, si verò injustè obtinuit, tunc ad omnia damna, & interesse parti tenetur; & ratio est, quia illa jura fundantur in præsumptione calumniarum, ergo non extantibus calumniis cessat restitutio.

Quæres tertio, an Advocatus, vel Procurator, vel alios negotiorum gestor, qui fuit stipendio quinquaginta aureorum conductus in singulos annos, vel pro tota causa, possit integrum stipendium retinere si alium procuratorem, vel Advocatum idoneum substituat assignata illi dimidia parte solùm, vel tertia parte?

Respondeo posse sibi reliquum retinere, dummodò hoc de consensu partium faciat, & sine damno eorum, quorum patrocinium suscepit; tùm quia nulli facit injuriam, non enim facit injuriam clienti. quia per alium æquè idoneum supplet, neque facit injuriam substituto, cùm illi justum stipendium tradat, *Bonacina tom. 2. disp. 10. q. 3. puncto 4. num. 12.*

Quæres quarto, utrùm Advocatus, vel Procurator, qui gratis habuit scripturas a Scriba, vel modico pretio, possit accipere à cliente id, quod erogaturus fuisset?

Respondetur cùm *Navarro cap. 17. num. 96.* distinguendo duos casus. Primus est, quandò Scriba concessit gratis acta ipsi procuratori intuitu ipsius Procuratoris, & tunc potest accipere, quia talis procurator contrahit obligationem naturalem ergà talem Notarium, & res illa censetur donata, ergo ei acquiritur, cui dono datur, ità docent *Boer. dec. 120. Abbas in cap. finem litib s num. 19. de dolo, & contumacia*, *Rota Rom. dec. 180.*

Secundus est casus, quandò Scriba concessit acta procuratori non intuitu ipsius, sed ob honorem Dei, vel intuitu principalis, aut ob alium finem, & tunc non posse retinere sibi pretium, *Regnal in praxi lib. 25. cap. 56. num. 681.* Quòd si dubitetur cujus intuitu scripturas concesserit, tunc præsumitur concessisse intuitu principalis, quia in dubio melior est conditio possidentis pecuniam: id est clientis, DD. citati.

Quæres quinto, utrùm possit procurator, vel Advocatus differre expeditionem causæ absque p. m.

Respondetur, peccare mortaliter Advocatum consilium suum, vel causæ expeditionem differendo cum sui clientis præjudicio, & tenetur ad restitutionem damni, quia facit contrà proprium officium cum detrimento aliorum, & sic peccant qui causas priùs acceptatas aliis postponit, aut qui plures causas acceptat quàm possit intrà præfixum tempus expedire, nisi eas acceptet ipsis clientibus scientibus, quia tunc excusatur, cùm scienti non fiat injuria.

Quæres sexto, an si litigantes conduxerint Advocatos vel procuratores sub certa annua mercede, seu salario ad omnes causas, quas habent, vel habituri sunt, & nullas causas in præsenti anno habeant, possint ipsi Advocati integrum petere salarium?

Respondetur, tres esse DD. opiniones. Prima est, non deberi salarium, & sic Advocatum ipsum non posse petere. ita *Flores de Mena var. quæst. lib. 1. q. 8. num. 54. Azorius par. 3. lib. 13. cap. 29. q. 10.* qui ex *Bartolo in l. diem functo*, *ff. de officio assessorum*, docet deberi salarium pro rata temporis, quo laboratum est in lite, quia cùm labor recipiat divisionem, & consequenter merces promissa pro labore divisionem recipiat.

Secunda opinio est *Joannis Guttierez lib. 1. pract. quæst. q. 32. num. 1. Afflictus in constit. Regni de salario Advoc. num. 4.* & aliorum quos referunt, deberi salarium solidum, ipsumque posse licitè peti ab Advocato, probatur, tùm quia quotiescùmque non stetit per me adimplere promissum debetur mihi, quod promissum est, *l. fin. C. de cond. causa data, & causa non secuta*. *l. qui operas §. fin. ff. locati*, sed in hoc casu non stetit per Advocatum, qui erat paratus ex sua parte adimplere promissum, ergo non erit ei imputandum: tùm quia jam Advocatus contraxerat obligationem cum cliente eum defendendi, quæ obligatio licèt non sit reducta ad actum secundum tamen per se est pretio æstimabilis, tùm quia si cliens majores habuisset causas, utique non posset Advocatus majus petere salarium, ergo si cliens nullas habeat causas illo anno tenetur ad totum salarium.

Tertia opinio est *Rebelli de oblig. justitiæ par. 2. lib. 14. q. 14. num. 7. Bovadilla in politica tom. 2. lib. 3. cap. 14. num. 23.* qui distinguunt quòd in foro conscientiæ tali Advocato nec integrè solvendum, sed diminuendum juxtà arbitrium, & prudentiam boni viri. Ratio est, quia si pro suo cliente illo anno advocaret multas occupationes, & labores sustineret, quos non sustinuit; quòd si talis Advocatus ejus foret ingenii, ut optabilius ei esset ità laborare, quam otiari, nihil de salario esset minuendum; nisi alia adesset causa diminuendi. *DD. ubi sup. Diana tractat. 25. miscell. resol. 42.*

Ex quibus omnibus sequitur primo, posse Advocatum consulere secundùm opinionem probabilem relicta probabiliori, non solùm in causa civili, sed etiam in causa sanguinis, vel amissionis omnium bonorum, ut præter *Sanchez tomo 2. lib. 1. cap. 9. num. 53.* docet *Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. differ. 14. num. 50.* Ratio est, quia jam quod cliens potest hoc casu litigare justè, ergò & Advocatus illam causam potest patrocinari, cùm non agat imprudenter, quia utitur ratione probabili.

Sequitur secundo, licere Advocatis sequi opinionem *Cujacii*, *Duareni*, & similium Jurisconsultorum, ut benè *Joannes Sancius in suis disput. pract. disp. 44. num. 63.* qui ait, quòd si horum DD. opinio est speculativè probabilis, poterit etiam in praxi amplecti, & sic malè dicunt aliqui horum sententias non esse amplectendas in praxi, sicut etiam dicimus posse consulere etiam in causa dubia, & sic non solùm quandò sunt probabiles sententiæ, sed & si res sit dubia, poterit Advocatus patrocinari absque peccato, quia Advocatus nec sententiam profert, nec Judicem cogit proferre, sed solùm proponit, quæ sui clientis jus confirmare possunt, quæ proponere Judici in causa dubia non est injustum, sed juvat ut à Judice causa meliùs perpendatur *Angelus in verbo Advocatus num. 17. Maldonatus in 1. 2. S. Thom. q. 19. ar. 5. disp. 86. assert. 8.* & alii apud ipsum.

Sequitur tertio Advocatum debere esse peritum, & doctum,

doctum, & cæteris paribus meliorem esse juvenem, quia perspicacior reputatur. ex quo vidit scripta majorum, *glossa in l. Gallus vers. filius, ff. de lib. & posth.* juxtà illam Philosophi doctrinam à junioribus in dies proficitur, undè ut plurimùm gloria cupidus nimia diligentia utitur in defensione earum argum. *text. in l. præcipimus. ff. de ædil. edicto*, & Reus debet Advocato veritatem dicere, non secùs ac ægrotus medico, *Borrellus in summa dec. in tit. de Advocati officio num. 7. tom. 1.* & cliens debet obedire Advocato eique salarium constituere, ut *in Constit. Regni hac edictali*; immò habet Advocatus tacitam hypothecam in re deducta in judicio, pro cujus defensione, seù recuperatione fuit præstitum patrocinium, etiamsi res deducta in judicio esset feudum, *Anna singulari 205. Borrellus in summa decisionum, in tit. de feudis num. 66.* Verùm non per hoc poterit Advocatus retinere scripturas, seù processum. *l. si non fortem §. si centum ff. de condit. indebiti. Capycius dec. 11. num. 1.*

Rogabis, an Advocatus teneatur ex culpa levi? Respondetur negativè: ità *Graffius dec. 1. par. 1. lib. 3. cap. 8. num. 5. Novarr. in manuali cap. 25. num. 28. Rodriquez in summa tom. 2. cap. 6. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 7. num. 31. Azorius par. 3. lib. 13. cap. 29. dub. 50.* qui communiter asserunt, neminem teneri in foro conscientiæ ex culpa levi, vel levissima in officio, sed solum ex gravi, quia nemo tenetur in officio, vel artificio esse diligentior, quàm passim homines ejusdem conditionis esse solent, undè si contingat causam amittere, eo quòd non præstitit, quod solent docti, & diligentes, non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem. Undè apparet, quàm sit ardua opinio, *Rebellii, Salonii, Ledesmæ, Reginaldi*, & aliorum apud *Joannem de la Crux in directorio conscientiæ par. 1. præcepto 8. art. 50. dub. 19. concl. 1.* qui dicunt teneri ex culpa levi Advocatum &, Judicem; & sic peccat mortaliter secundùm ipsos Advocatus, paratus admittere plures causas etiam justas, cùm exponat se periculo morali committendi culpas leves ob plura negotia, quæ opinio si esset vera, væ væ Advocatis.

Sciendum est ultimo, quòd procuratorum duæ sunt species: alii enim dantur ad judicia, alii verò ad negotia, & de his quomodò differant inter se agimus hîc.

*In §. autem.*

COnclusio hujus textùs est, posse esse procuratorem tàm patrem familias quàm filium familias nullo intercedente patris consensu, *cap. qui generaliter, c. 1. cum sequenti de procuratoribus in 6. Marantia par. 4. dist. 16. n. 3. Barbos. in l. 2. §. quòd si in patris ff. sol. matrim. Molina disp. 228. Mantica l. 12. tit. 13. Barb. in d. §. 1.* ætas verò procuratoris est 25. annorum si loquamur de jure canonico, de jure verò civili 18. annorum *§. eadem instit. quibus ex causis manumittere non licet.* Verùm de jure canonico fit distinctio *in d. c. 1. §. licet*, quòd ad negotia potest quis esse procurator post decimum sextum annum, sed ad lites, & ad judicia non nisi post 18. annos. *Covarr. in cap. tua n. 4. de testamentis, Guttierez de juram. par. 3. cap. 11. Sanchez l. 3. de matrim. disp. 41. num. 8. Puteus dec. 155. aliàs 151.*

Ex quo habes, differre procuratorem ad lites à procuratore ad negotia, & inter alias differentias una est, quòd procurator ad lites esse debet homo liber, secus ad negotia; servi enim ad lites procuratores esse non possunt, *§. justè, quibus ex causis manumittere non licet.* In Advocato verò attento jure Regni nostri, ætas vigesimi primi anni requiritur, *ut in pragm. 1. de Schola Doctor.*

Habes secundo, strictiùs procedi circà procuratorem ad judicia, quàm ad negotia, quàpropter si procurator ad negotia impetraverit rescriptum à Papa nomine principalis, tempore quo erat revocatus, & revocationem ignorabat valet rescriptum: sed si eum rescriptum impetraverit procurator ad judicia, quandò erat revocatus, non valet rescriptum, *c. ex parte de rescriptis.*

Habes tertio, filium familias posse procuratorem constitui *cap. non injustè 14. de procurat. l. filiusfamilias 8. ff. de procurator. d. cap. generaliter §. 1. Barb. in d. cap. non injustè.*

Rogabis, an procurator sit infamis, & vilis?

Respondetur, quòd aliqui omninò temerè asseverant procuratorem esse infamem, & vilem, ex *l. si quis procurationem, C. de Decurion. lib. 10.* & sic ait *Joannes Faber in §. fin. de except.* Advocatos, qui procurationis munus exercent, esse infames. Idem voluit *Tiraquell. de nobilit. cap. 30. Guido Papa dec. 588. & dec. 89.*

Verùm taceant isti DD. nam nedùm procuratoris officium non est infame, sed infamis non potest esse procurator.

Prima pars, quòd scilicet non sit infamis probatur, quia *textus in d. l. si quis procurationem*, loquitur de procuratore ad negotia, non ad lites, qui vulgò *Majordomo* appellatur, ut benè notat *Tiraquell. ub. sup.*

Confirmatur, quia in jure nostro sunt expressæ omnes causæ, quibus infamia irrogatur, ut in *titulo ff. de his qui notantur infamia. & in tit. C. ex quibus causis infamia irrogatur*, & tamen non reperitur ibi infamia ex hoc capite, ergo.

Secunda pars, quòd scilicet procurator non possit eligi persona infamis, probatur ex *textu in can. 1. & 2. 3. q. 7.* ubi apertè dicitur personas infames non posse esse procuratores: licèt ergo de jure civili vilis & infamis persona esse possit procurator, tamen non per hoc sequitur officium ipsum procuratoris in se esse vile, & infame, quod in nostris tribunalibus sæcularibus non potest penitùs somniari, cùm in eis non admittatur quis ad officium procuratoris, nisi facto examine præcedat approbatio Præsidis S. C. ut *in pragm. 22. §. procuratores, de offic. S. R. C. Rovitus in prag. de procl. num. 24.*

*In §. Quod si cum sequenti.*

COnclusio hujus textùs est, quòd si minor 14. annis in judicio velit agere in causis spiritualibus, puta beneficialibus, & indigeret Curatore, dandus esset ab Episcopo, vel ab ejusdem Generali Vicario in causa spirituali, *c. ultimo, §. si verò de judiciis lib 6.* ex quo.

Colligitur primo, posse minorem 14. annis in causa spirituali comparere, puta in causa beneficiorum, nam in ætate 14. annis potest beneficium obtinere, vel in ætate minori 14. annis cum dispensatione Summi Pontificis, *cap. super inordinata de præbendis*, in causis matrimonialibus, quandò malitia supplet ætatem. Quia de jure canonico ætas non requiritur 14. annorum malitia supplente ætatem, *cap. licet* ... *cap. accessit de dispensatione impuberum.*

Collige secundo, minorem 14. annis agitantem coram delegato posse habere Curatorem ... eodem *cap. ult. §. si delegatus de Judiciis in* ... concessa causa principali censetur etiam concessa constituendi Curatorem, argum. tex in ... tercà de officio delegati.

Collige tertio posse etiam comparere per curatorem in causis beneficialibus, etenim ... betur pro majore. *Boerius decis. 350. Gratia* ... 74. Verùm si fuerit læsus habebit restitutionem in integrum. *Sforzaedus par. 2. de restitut. q.* ...

21. *Gratianus ubi sup.* si verò sit quis major 14. annis, sed minor 18. annis, non poterit etiam in causis spiritualibus comparere, sed debet procuratorem constituere. *Riccius collect.* 1629. & patet ex *d. textu in cap. fin.* ibi, *Si verò infra 14. annum.* Pater verò in spiritualibus pro filio non admittitur sine mandato, etiamsi vellet cavere de rato, *Genuens. in prax. eccles. quæst.* 763. notat verò *glossa* ibi *in d. cap. fin.* posse filiam in causa dotis etiam minorem esse in judicio, *Boerius dec.* 130. *Card. Mantica lib.* 12. *tit.* 9. *de tacitis num.* 13. *Barb. in dicto cap. fin.*

Rogabis, an possit in spiritualibus constitui Procurator laicus?

Respondetur affirmativè, quia semper Procurator permittitur unusquisque quousque non prohibeatur, *cap.* 1. *& cap. qui generaliter de procuratoribus in* 6. & poterit mandatum procurationis probari per testes *glossa in d. cap.* 1. *de procurat. Mascar. concl.* 1010. *& glossa* benè dicit inter conjunctas personas admitti conjunctum sine mandato, legas *Barb. in d. cap.* 1. *in fine de procur.*

*In §. Sed sivè.*

CUm certum sit, posse plures procuratores in eadem causa constitui, consequenter dicitur in in hoc nostro §. juncto antecedenti, quòd si plures sint constituti procuratores in solidum censentur constituti, omnes enim procuratores pro uno reputantur, *cap. penul. §.* 1. *de elect. in* 6. & si plures sint constituti procuratores simpliciter, unus sine alio non debet admitti. si verò in solidum, admittitur præoccupans, ità ut alius non possit se intromittere, *cap. si duo de procurat. in* 6. *Mascardus concl.* 1308. *Riccius collect.* 1444. *Gratianus cap.* 201. qui etiam ait, quòd in causis spiritualibus procuratores videntur in solidum constituti, & pluribus datis Tutoribus, vel Curatoribus, quemlibet in solidum posse administrare certum est *Gratianus cap.* 86. *n.* 10. si non in solidum sint constituti, poterit à Judice eligi magis idoneus in spiritualibus; quibus verò verbis dicantor constituti in solidum, agunt *Gratianus*, & alii ubi suprà.

Adverte tamen, quòd sivè plures procuratores, sivè unus, non possunt aliquid ultrà vires mandati efficere, *cap. cum delicto de rescriptis*, *l. si procurator*, *C. de procurat*, & sic si habeat procurator generale mandatum, hoc ad negotia ardua, puta ad causam matrimonii non extenditur, *cap. ult. de procurat. in* 6. vel in causa juramenti interponendi, *cap. ult. de juramento calumniæ in* 6. vel in causa collationis beneficii, *cap. ult. de officio Vicarii in* 6.

Ex quo infert Paulus noster, quòd habens mandatum generale, non habet potestatem absolvendi à censuris, vel ab irregularitate. nec habet potestatem opponendi crimina, *Clem.* 2. *de procurat* ubi latè *Barb.*

*In §. Sed & illud.*

COnclusio hujus textûs est, quòd procurator ad judicia post litis contestationem potest alium substituere, *l. si procuratores*, *§. si quis mandaverit*, *ff. mandati*, *l. quod quis*, *C. de procur. Gaillus lib.* 1. *practic. observat. cap.* 79. *num.* 1.

Limitatur conclusio primo, si in mandato facta sit restrictio, ut alium non substituat, *cap.* 1. *de procur. in* 6. *Gaillus ubi sup.* & de hoc est *Ritus M. C.* 207. & agit *Maranta in praxi par.* 4. *dist.* 16. *num.* 28 *Barb. in d. cap.* 1. *de procurat.* in 6.

Limitatur secundo, quandò esset expressè sibi data potestas substituendi etiam antè litem contestatam, undè in praxi solet dici in procuratione, quæ fit alicui procuratori, cum potestate substituendi unum, vel duos, vel plures cum eadem potestate tàm antè litem contestatam, quàm post, qua practica generali existente cessat dispositio dicta *Ritus* 207. ut benè *Caravita* ibi advertit.

Limitatur tertio in procuratore ad negotia, qui potest quandòcumque alium in suum locum substituere, *cap.* 1. *§.* 1. *de procurat. in* 6. quod limitatur in decem casibus, quos videre est apud *Jasonem in l. quod quis, col.* 2. *C. de procurat* & refert *Bernardinus Diaz in regulis suis regul.* 607.

*In §. Non tamen.*

COnclusio hujus textûs est, non posse Reum per procuratorem comparere in criminalibus. Idem docet *tex. in can. in criminalibus* 5. *q.* 3. *& ex cap. veniens de accusat.* undè in causa criminali, si ipse principalis non compareat, efficitur contumax, & agitur contrà ipsum in contumaciam, conceditur etiam interdùm, ut possit Reus per procuratorem comparere; quòd si Judex non sit competens non tenetur quis per procuratorem comparere, *Bart. in l. penul. §. ad crimen*, *ff. de publicis judiciis.*

*In §. Sed nec omnes.*

COncluditur in hoc textu, non posse esse clericos procuratores laicorum, *cap. denique* 14. *q.* 5. *cap. prolatum* 88. *dist. cap.* 1. *& fin. de postulando*, *prag.* 2. *de postulando*, *commentata per Rovitum in prag.* 21. *de officio S. R. C.* Ratio esse potest, quia esset dedecus, & opprobrium clericalis dignitatis, si clerici se ingererent disceptationibus forensibus, quod si fecerit clericus, poterit deponi, licèt non amittat privilegium fori, nisi fuerit ter monitus, ut desistat. vel semel in Synodo Diœcesana, *Abbas in c. sicut te*, *ne Clerici. vel Monachi*, *Ancheranus in cap. Sacerdotibus num.* 4. *ne Clerici, vel Monachi*, qui addunt non posse hoc casu privari beneficiis ecclesiasticis.

Ampliatur conclusio, ut à fortiori id sit prohibitum Monachis, ac cæteris Regularibus, quia dicuntur mortui mundo, *Turrecremata in cap. nullus* 12. *q.* 6. *cap.* 2. *de postulando*, ubi *Barb.*

Ampliatur secundo, ut neque possint clerici accedere ad Tribunalia sæcularia, nisi pro negotiis propriis; vel conjunctorum, & cum licentia Episcopi, vel ejusdem Vicarii Generalis ut in Synodo Neapolitana *cap.* 21. *sub tit. de vita & honestate cleric. Genuensis in praxi Neapolit. cap.* 34. *num.* 3.

Limitatur conclusio primo in causis Monasterii, quia in eis potest Monachus esse procurator de licentia sui Abbatis, *cap. Monachi* il. 2. 16. *q.* 2. *Joannes Faber*, *& Aretinus in §. præterea n.* 2. *de except.*

Limitatur secundo in causis propriis, in quibus clerici non prohibentur esse procuratores, *cap.* 1. *de postulat. prælat.* ubi *DD. cap. fin. de postulat.*

Limitatur tertio in causis spiritualibus, quia in eis potest clericus nedùm esse procurator specialis, sed etiam generalis, *DD. in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi.*

Limitatur quarto, quandò esset procurator in causa necessitatis, vel charitatis: undè in dubio quandò non constat, an quis tale officium fecerit pecuniæ causa an causa charitatis; præsumendum est id fecisse affectu charitatis, quia in dubio non præsumendum est delictum, *l. merito ff. pro socio.*

Limitatur quinto, quandò cum licentia Pontificis, quo casu in Regno requiritur alia licentia Proregis, si voluerit ire ad defendendum in tribunalibus laicis, legas *Regentem Sanfelicium dec.* 12. *per totam.*

Limitatur sexto in Curia Romana, in qua ex tole-

tantia

rantia Summi Pontificis omnes clerici exercent officium procurationis in civilibus tantùm.

Limitatur septimo in clericis in minoribus constitutis, & in multis aliis casibus, de quibus per *Carolum de Grassis de effect. cleric. effect. 11. per totum.*

*In §. Hi verò.*

CONclusio hojus texus est, quòd excommunicatus vitandus non potest constitui procurator *cap. intelleximus de Judiciis. Riccitullus lib. 4. cap. 3. Bonacina disp. 1. q. 2. punct. 7. num. 5. Suarez tom. 5. disp. 16. sect. 3. Cevallos q. 67. Surdus de alim. tit. 8. privil. 81.* quia nulla est communio cum excommunicato, *cap. Egeltrudam 3. q. 4.* & ideò excommunicatus non potest procurator constitui.

Ampliatur conclusio, ut habeat locum etiam in excommunicato tolerato, qui non potest esse actor in judicio civili, aut ecclesiastico, sivè per se, sivè per alium, *cap. decernimus de sent. excomm.* quamobrem excommunicatus non potest accusare, nisi hoc faciat ex necessitate seipsum defendendo, & ideò potest probare excommunicationem fuisse invalidam, aut ipsi injustè denegari absolutionem, quam petit ut colligitur ex *cap. intelleximus de Judiciis*, nam defensio competit cuicoique de jure naturæ, *Bonacina disp. 2. de censuris q. 2. punct. 7. num. 7.*

Ampliatur secundo, sivè agat per se, sive per procuratorem, *Goffredus Beneventanus in quæstionibus Sabbatinis q. 52. num. 7. Capella Tolosana dec. 143. Mangonius dec. Lucensi 71. Riccitullus num. 5.* & hoc etiam intellige tàm in causa civili, quàm criminali, & tàm in causa laicali, quàm ecclesiastica, *glossa in cap. 1. de except. in 6. in verb. opponis*, & etiamsi agat contrà alium excommunicatum, *Riccitullus ubi suprà.*

Ampliatur tertio, ut non possit excommunicatus convenire, vel reconvenire alium in judicio, ut in *d. cap. decernimus*: potest tamen excommunicatus conveniri in judicio, quia alioquin commodum ex suo delicto reportaret, quo casu potest per seipsum respondere, & per seipsum causam suam defendere, nec tenetur respondere per procuratorem, *Coninck. disp. 14. dub. 11. num. 11. num. 150. Sayrus de censuris lib. 2. cap. 8. num. 20.* & ibi proponere omnes exceptiones ad sui favorem facientes, & quæ habent naturam excusationis; sic potest opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, & potest excipere de nullitate, licèt de illa non possit agere *Rota dec. 7. de except.* intelligendo, quandò non contendit absolvi; alias enim nec audiretur se defendens, *Marsilius singul. 360.*

Ampliatur quarto, ut possit Judex repellere excommunicatum ex vi sui muneris, quandò adversarius eam exceptionem non opponit, ut patet ex *c. 1. de except. in 6.* quam exceptionem debet opponens probare infrà octo dies, alioquin non auditur *cap. pia de except. in 6.*

Limita primo, quandò ageret excommunicatus in concernentibus periculum animæ, quia tunc auditur *Hostiensis, Abbas, & alii in cap. significaverunt de exceptionibus, Rota dec. 7. in novis cod. tit. de except.* ex Judicis officio, non ex jure sibi competente, *glossa in cap. quoniam multos 11. q. 1. in verb. uxores, Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 24.*

Secundo limita, quandò periculum esset in mora, tunc enim potest excommunicatus agere, quia non agit omninò voluntariè, *Felyn. in cap. cùm inter. num. 16. de except. & in cap. cùm dilecti de rescriptis*, vel quandò res esset tempore peritura, vel debitor fugam arriperet, tunc enim potest agere, ut excommunicatus, sicuti potest agere, ut sibi dentur alimenta, *Surdus d. privil. 83. num. 14.* qui limitat, quandò esset morosus in petenda absolutione.

Ultimo limita in excommunicato minori excommunicatione, quia excommunicatio minor privat participatione Sacramentorum, non autem communione Hominum, DD. ubi suprà, nam semper quod denominatur excommunicatio, de majore intelligitur, *cap. penul. de senten. excommun.* ubi DD. semper enim quòd nominatur simpliciter aliquod vocabulum, quod referri potest ad majus, & minus, in dubio ad majus est referendum, sicuti appellatione Poëtæ apud Græcos Homerus, apud Latinos Virgilius intelligitur, *§. Sed jus quidem*, ubi *glossa instit. de jure naturali*, & appellatione Apostoli venit Paulus, & appellatione Cardinalium non veniunt Ravennatenses, Pisani, Compostellani, & similes sed Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. *Anastasius Germonius lib. 3. sacrorum scrin. cap. 18.*

Ex quibus sequitur primo, excommunicatum, dùm rationabiliter timet de fuga debitoris posse debitorem coram Judice convenire, ne detrimentum patiatur, quia hoc casu dicitur potiùs excommunicatus se defendere, & Judicis officium ad sui defensionem implorare, quàm agere, *Covarr. lib. 1. var. cap. 13.*

Sequitur secundo, acta facta ab excommunicato, sivè tolerato, sivè evitando valida esse, si ei non sit opposita exceptio excommunicationis, *cap. 1. de except. in 6.* Ratio est, quia jus non irritat ipsius gesta, quamvis prohibeat excommunicatum in judicio agere.

Sequitur tertio, excommunicatum agentem in judicio non peccare mortaliter ratione parvitatis materiæ: secùs si sæpiùs agat; ego verò crederem nullo pacto peccare mortaliter. Videas *Alterium de censuris lib. 2. disp. 2. cap. 1. in fine.*

Rogabis primo, an excommunicatus possit esse Judex? Respondetur, quòd excommunicatus privatur jurisdictione pro tempore, quo est excommunicatus vitandus, *cap. pia de except. in 6. cap. tanta de excessib. Prælat. cap. decernimus de senten. excommun. in 6. cap. ait, cap. apertè, cap. miramur 24. q. 1.*

Ex quo sequitur primo, gesta per Judicem excommunicatum vitandum, esse invalida, nam acta sine jurisdictione sunt invalida. Idem dic de actis ab arbitro factis, dum arbiter constitutus est ad formam Judicis, *l. 1. ff. de arbitris*: secùs si constitutus sit de partium consensu, nam hujus acta non dicuntur acta jurisdictionis; acta verò Judicis excommunicati tolerati valida sunt, quia toleratur ab Ecclesia, nec privatur jurisdictione. Undè Judex excommunicatus vitandus peccat mortaliter ferendo sententiam, quòd usurpat sibi actum jurisdictionis, quem non habet, excommunicatus verò toleratus non peccaret mortaliter, si sententiam, vel acta [illegible] ceret, *Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 4.* cum aliis.

Rogabis, an excommunicatus possit eligi in aliam dignitatem temporalem, habentem annexam jurisdictionem, ut Principatûs, Præturæ, &c.

Respondetur duas esse opiniones. Prima est *Suarez de censuris disp. 16. sect. 2. num. 3. Filiuccius* [illegible] *12. cap. 5. q. 1. num. 113.* & aliorum apud [illegible] validè sed illicitè eligi, & assumi. Ratio, cur [illegible] eligatur, est, quia nullus textus irritat ipsam [illegible] lationem dignitatis, cui est annexa jurisdictio [illegible] laris. Ratio verò, cur sit illicita, desumitur [illegible] *de cleric. excommun. ministrante*, nam [illegible] tas illicitè confertur ei, cui non permittuntur [illegible] nes dignitatis, sed excommunicato prohibentur [illegible] actiones pertinentes ad jurisdictionem, ergo [illegible] optimè sequitur, à fortiori validum esse gra[illegible] toratûs collatum excommunicato: tùm [illegible] habet annexam talis actûs jurisdictionem [illegible]

quia nullus textus irritat talem collationem *Gallierez de matrim. cap. 83. num. 15.* contrà *Bald. & Salicetum* apud *Suarez de censuris disp. 16. sect. 2. num. 4.*

Dices: excommunicatus est infamis *cap. infames 6. q. 1.* Sed Doctoratus est dignitas, quæ infami dari non potest, *cap. omnes, & cap. infamibus de regul. juris in 6.* ergo collatio Doctoratûs facta excommunicato est invalida.

Respondetur, Doctoratum non esse dignitatem ecclesiasticam, nec habere annexam jurisdictionem, ut textus contrarii intelliguntur de habentibus annexam jurisdictionem, & ideò valida est collatio muneris tabellionatûs facta excommunicato, quia nullibi irritatur, sicut etiam ipsius acta in foro conscientiæ valida sunt, quandò fiunt de consensu partium. *Sayrus lib. 2. de censuris cap. 5. ad finem.* In foro verò externo, ut plurimùm ejus acta repelli solent, & præsumuntur invalida ratione publici officii: imò poterit excommunicatus vitandus eligi in tutorem, & ipsius acta valida sunt, *Suarez disp. 15. sect. 8.*

Secundo opinio est, non posse hunc talem eligi in talem dignitatem: ità *Avila de censuris par. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 7. Sayrus lib. 2. cap. 50. num. 36. glossa in cap. per venerabilem de electione*, & probant *ex d. c. per venerabilem.* ubi Summus Pontifex reprobat, & mandat quendam non recognosci in Regem Romanorum, eo quòd fuerit electus, dùm excommunicatus erat; erit ergo dicendum, eas dignitates, quæ habent jurisdictionem annexam, non posse validè conferri excommunicato, eas verò, quæ jurisdictionem annexam non habent, posse validè conferri.

Rogabis secundo, an acta illius, qui dignitatem seù officium obtinuit, dùm erat excommunicatus, sint valida?

Respondetur distinguendo duos casus. Primus est quandò erat excommunicatus occultus, & ignotus, dùm obtinuit dignitatem, nec posteà fuit decreta illius excommunicatio, & tunc valida sunt illius acta, quia habent titulum coloratum cum errore communi, *l. Barbatius, ff. de offic. Prætoris.*

Secundus est casus, quandò illius excommunicatio sciebatur, & tunc invalida sunt illius acta, quia caret titulo, & fundamento ad illa præstanda DD. suprà citati.

Rogabis tertio, an excommunicatus toleratus possit esse testis? Respondetur affirmativè. Ratio est, quia actus testificandi ex natura sua vergit in favorem illius, pro quo præstatur. Sed excommunicatus toleratus licitè potest actus in favorem alterius præstare, & exercere, modò non se ingerat sua spontè, *cap. Decernimus de sententia excommunic. in 6. cap. venicus, & cap. testimonium de testibus.*

Quòd si fuerit excommunicatus vitandus non potest ferre testimonium, quia prohibita est cum ipso excommunicatio, excepta tamen causa fidei, in qua potest testari, & accusare, *cap. in fidei favorem. de hæret. in 6.*

In causa verò matrimonii quæstio est, an possit excommunicatus vitandus esse testis? & aliqui affirmant, eo quòd causa matrimonii est valdè favorabilis, *cap. fin. de sentent. & re jud.* alii verò dicunt, id solùm concedi in causa hæresis. *Alterius de censuris lib. 2. disp. 3. cap. 4. Suarez de censuris disp. 16. sect. 6.* & alii, quos sequitur *Filiuccius tractat. 12. cap. 7. q. 7. num. 187.*

Adverte tamen, testimonium excommunicati vitandi validum esse nedùm in judicio, sed etiam in testamentis, contractibus, & instrumentis, quia nullo jure probatur esse invalidum, præsertim accedente consensu illius, contrà quem adducitur testis ad testandum, vel consensu Judicis; contrarium tamen docet *Gabriel lib. 1. commun. opin. de testib. concl. 19.*

### *In §. Sed Belle.*

In hoc textu proponitur, quòd si Universitas, in quo sunt excommunicati majores, & jurati, id est Consiliarii, & alii, per quos Universitas regitur, eligit aliquem procuratorem, tunc procurator repellitur, quandò vel in mandato erant expressa nomina excommunicatorum, vel si Universitas esset conscia illius excommunicationis, & simul cum eis constituisset procuratorem. Ratio hujus dispositionis est, quia Universitas ab habilibus, & idoneis repræsentatur, *l. sicut, ff. quod cujusque Universitatis nomine.* quod adeò verùm est, ut si unus de Universitate esset habilis, ille solus repræsentaret omnia Universitatis jura, *cap. gratum de postul. Prælator.*

### *In §. Tandiu.*

Agitur hìc de revocatione Procuratoris, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd procurator potest revocari expressè & tacitè: expressè si id expressis verbis fiat: tacitè verò, si Dominus per se ipsi et causam tractare, per dationem etiam procuratoris generalis censetur tacitè revocatus procurator specialis; sic per constitutionem novorum procuratorum tacitè primi revocati censentur. *l. si quis. ùm procuratio, §. Julianus, ff de procurat. Rota Romana in dec. 298. in novissimis, Vantius de nullitatibus ex defectu mandati num. 163.* Revocati etiam tacitè censentur quandò Dominus principalis facit aliquem actum in causa præsente procuratore: sic per cessionem, & renunciationem litis revocatio procuratoris facta censetur, argum. *tex. in Clem. fin. de procuratoribus.*

Sciendum sciendo est, procuratorem posse revocari, non obstante quòd principalis juraverit, se eum non revocaturum, ità *Felynus in cap. si diligenti. num. 32. de foro competenti, Strephinus de privil. juramenti privil. 75. num. 7.* quia ubi actus est de natura sua revocabilis, non valet conventio non revocandi, nisi in casibus à jure expressis, & juramentum regulatur secundùm naturam actùs, cui interponitur. *l. fin. C. de non numerata pecunia*, contraveniens tamen incurrit perjurium, *glossa in cap. fin. in verb. revocatur de procur. in 6. Gratianus tom. 4. cap. 783.*

Sciendum est tertio, quòd si fuerint constituti plures procuratores ad negotia, & posteà alius constituatur ad judicia, etiam cum clausula revocationis omnium procuratorum sub quacumque forma verborum constitutorum, intelligitur solùm ista revocatio, quoad eos, qui sunt constituti ad judicia, non quoad alios, cùm hæc sint diversa mandata, & sic ad hoc, ut per secundum procuratorem primus revocatus censeatur, debent concurrere, tàm primus, quàm secundus in eadem causa. Videas *Gratianum tom. 3. cap. 505.*

Sciendum est quarto, quòd licèt tacitè revocatum dicatur mandatum procuratori factum, per hoc quòd scilicet principalis faciat aliqua acta in ea causa, cujus constituit procuratorem, ex *cap. si quem de procur. in 6.* tamen ut plurimùm hoc non est sufficiens indicium, & conjectura infallibilis revocationis, quia accedit regulariter principalis, ut assistat procuratori, & interdùm comparet, ut meliùs jus suum explicet.

Sciendum est quinto, in causis beneficialibus, utpotè maximæ considerationis semper esse locum revocationi, etiam re non integra, *cap. 1. de procurator. in 6.*

*In §.*

*In §. ab hac cum sequenti.*

AD intelligentiam horum jurium sciendum est primò, quòd si constitutus sit quis procurator ab aliquo, & deindè ignorans se fuisse revocatum à principali prosecutus fuerit litem, validè operabitur, & judicium principali nocet, *cap. mandato de procuratoribus.*

Sciendum est secundo, quòd hoc diversum est in matrimonio, quod si fuerit contractum per procuratorem revocatum non tenet, licèt revocatio non venerit ad notitiam partium, *cap. fin. de proc. in 6.*

Ut autem hoc perfectè intelligas, sciendum est matrimonium posse validè contrahi inter absentes per literas, vel procuratorem, sivè procurator sit masculus, sivè femina, quia cùm hoc Sacramentum, sit contractus simul, & Sacramentum sequitur posse celebrari inter absentes, in quo differt ab aliis Sacramentis, nempè à Pœnitentia, & Eucharistia, nam alia Sacramenta non sunt contractus, sed solùm Sacramenta, *Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 12. num. 3. Coninch. de Sacramentis disp. 24.* & alii communiter.

Quòd matrimonium contractum per litteras, vel procuratorem est verè Sacramentum, *Sanchez lib. 2. disput. 11.* contrà *Cajetanum tom. 1. opusc. tract. 12. q. 2.* & alios. Ratio est, quia matrimonium celebratum inter præsentes est verum Sacramentum, ergo etiam celebratum inter absentes: tùm quia Ecclesia nullum matrimonium fidelium agnoscit, quod non sit Sacramentum, tùm quia adest in hoc casu materia, forma, & intentio contrahentium intendentium recipere Sacramentum.

Dices: si matrimonium celebratum inter absentes esset Sacramentum, non requireretur, ut posteà conjungerentur sponsi præsentes in facie Ecclesiæ, sed hoc est falsum; ergo, minor patet quia sponsi præsentes de novo conjunguntur in Ecclesia, ergo matrimonium inter absentes celebratum non est validum, nisi dicere velimus posse hoc Sacramentum iterari.

Respondet *Sanchez loco cit.* iterari contractum tantummodò ad tollendos scrupulos, posse autem iterari contractus certum est. Respondet secundò, non iterari Sacramentum, sed suppleri solemnitates omissas. Respondet tertio contractum confirmari, ut si primus defectu consensûs non fuit validus, validus fiat secundus, & Sacramentum recipiatur, *Gutierez de matrim. cap. 43. num. 2.*

Rogabis secundo, an possit quis celebrando matrimonium velle rationem contractûs, & non rationem Sacramenti.

Respondetur, duas esse DD. opiniones. Prima est *Sanchez lib. 2. disp. 11. Coninch. 2. par. q. 64. ar. 8. dub. 3. num. 91. & de matrim. disp. 24. dub. 2. num. 22.* dicentium, eum, qui vult facere matrimonium tanquàm contractum, & non tanquàm Sacramentum, vel è contra nihil facere, nam ratio contractûs inseparabilis est ex Christi institutione à Sacramento matrimonii, & ratio Sacramenti inseparabilis est à contractu, nec Ecclesia unum agnoscit sine alio. Idem docet *Laymann lib. 5. Theom. tract. 10. cap. 2. p. 2. num. 2.*

Secunda opinio est posse hoc fieri, ità *Bonacina tom. 1. disp. 9. q. 1. puncto 5. num. 4. Basilius Pontius de matrim. lib. 1. cap. 9. num. 23. Villalobos in summa tom. 1. tract. 13. diff. 6. num. 4. Rebellius lib. 2. q. 5. sect. 1. Vasquez tom. 2. in 3. par. disp. 138. cap. 50.* dicentium rationem contractûs esse à ratione Sacramenti separabilem, adeò qui intendens celebrare contractum matrimonii, & non Sacramentum, facit quidem contractum, non Sacramentum.

Prima pars, quòd facit contractum, probatur, tùm quia adsunt omnia requisita ad contractum; adest enim mutuus consensus, &c. tùm quia nullo jure irritatur, quandò coram Parocho, & testibus celebratur contractus absque impedimento dirimente; tùm quia matrimonium inter fidelem, & infidelem si non esset prohibitio Ecclesiæ, esset validum etiam secundùm opinionem *Sanchez*, & tamen non esset Sacramentum, ergo ratio Sacramenti potest separari à ratione contractûs, ergo qui intendit contrahere, & non recipere Sacramentum, quamvis non recipiat Sacramentum, validè contrahit, qui intendit recipere Sacramentum. Secùs dic de eo, qui intendit recipere Sacramentum, & non contractum facere; nam hic neque recipit Sacramentum, neque contrahit matrimonium propter defectum materiæ & formæ, quæ consistit in contractu.

Secunda pars conclusionis, quòd scilicet non reciperet Sacramentum, probatur, quia non est validum Sacramentum, quandò deficit intentio illius recipiendi, vel conficiendi, *Conc. Trid. de Sacramentis sess. 7. can. 11.* Sed in hoc casu deficit intentio ministri id est contrahentium, qui non habent intentionem sufficientem recipiendi, seù conficiendi Sacramentum, ergo non recipiunt Sacramentum matrimonii.

Ex quo infertur in praxi, quòd quandò aliquis contraheret sine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt illud matrimonium non sit Sacramentum, quia deficit in ministro intentio necessaria, tamen manet validum in ratione contractûs, ità ut contrahens non possit deindè alteri nubere, neque in posterùm poterit tale matrimonium effici Sacramentum, *Pontius ubi sup.* qui etiam docet infidelium matrimonium nullo modo effici Sacramentum, quæ de re diximus cùm de matrimonio.

Rogabis secundo, quid requiratur, ut matrimonium celebratum per literas, vel procuratorem sit validum?

Respondetur, tria requiri. Primo requiritur præsentia Parochi, & testium scilicet ut procurator celebret matrimonium coram Parocho, & testibus, alioquin invalidè celebrat, *Sanchez lib. 2. disp. 12.*

Secundo requiritur, ut literæ non sint fictæ, idest ut non sint factæ sine animo contrahendi, & ut procurator non sit fictè constitutus, *cap. fin. de procurat. in 6. Gutierez de matrim. cap. 45.*

Tertio requiritur, ut habeat speciale mandatum ad contrahendum cum certa persona, *cap. fin. de Procurat. in 6.* immò non potest talis procurator alium substituere, nisi habeat speciale mandatum ad substituendum, *glossa in d. cap. ult. de procurat.* neque debet procurator excedere fines mandati. *l. diligenter. ff. mandati. Gutierez de matrim. cap. 47. Sanchez d. disp. 11. num. 87.*

Rogabis tertio, an si procuratore misso ad contrahendum, mandans incidat in amentiam, valeat matrimonium?

Respondetur, duas esse opiniones. Prima est Sanchez de matrim. *lib. 2. disp. 11. num. 12.* ubi ait quod si procuratore misso, dans mandatum incidat in amentiam, & talis perseveret dùm procurator nomine suo contrahit, valet matrimonium, quia prior consensus non revocatus, sicut baptismus [illegible] pore furoris receptus, si fuerit antè furorem [illegible] latus, *cap. majores de Baptismo*, sicut etiam [illegible] temporis esset dormiens, valeret matrimonium.

Secunda opinio est *Basilii Pontii de matrim.* [illegible] *cap. 15. num. 14.* qui ait, non valere matrimonium. Ratio est, quia pro forma, & causa contractus [illegible] consensus, ergo nullum est matrimonium [illegible] quòd si moreretur mandans eo tempore nihil [illegible] procurator, ergo etiamsi incidat in amentiam [illegible] æquiparatur morti quoad consensum.

Neque obstat primo, quòd baptismus antè amentiam postulatus, validè confertur in amenna. Respondetur enim quòd in baptismo sat est, volontatem præcessisse, neque revocatam esse: at in matrimonio requiritur consensus perseverans etiam in ipso fieri contractûs quia consensus per verba expressus, vellper signa est, forma matrimonii: ità *Pontius ubi sup.*

Neque obstat secundo, quòd si dormierit valeret matrimonium, nam qui dormit est capax habendi consensum, secùs, qui est amens.

Rogabis quarto, utrùm sit validum matrimonium sine præmissis denunciationibus, contractum à procuratore nomine Titii qui concesserat procuratori facultatem contrahendi matrimnnium suo nomine, servata forma Tridentini vel præmissis denunciationibus.

Respondetur valere matrimonium, ità *Sanchez loco cit. Gutierez de matr. cap.* 43. *num.* 20. *Conimb. disp.* 27. *dub.* 3. *num.* 3. & alii cum eis. Probatur, qui addit in mandato formam juris non intendit novam inducere, sed antiquæ se conformare, sed denunciationes requiruntur de substantia matrimonii, ut suppono probandum suo loco; ergo, etiamsi denunciationes omittantur, absque licentia Episcopi, validè à procuratore matrimonium contrahitur.

Rogabis quinto, quænam verba sint à procuratore adhibenda quandò matrimonium contrahit nomine alterius?

Respondetur adhibenda esse hæc, vel similia verba, Recipio te in uxorem nomine Titii, vel Titius accipit te uxorem me mediante, & femina respondere debet. Ego te mediante duco Titium, quia hoc modo explicatur sufficienter consensus de præsenti, *Covarr. de matrim. par.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. *Sanchez loco cit.*

Rogabis sexto, an peccet mortaliter procurator contrahendo matrimonium nomine alterius in peccato mortali?

Respondetur negativè, quia non est minister consecratus ad hoc, contrahentes verò graviter peccant, utpotè Sacramentum recipientes in peccato mortali, & ponentes obicem gratiæ. Undè mittens procuratorem ad contrahendum, tenetur sub mortali esse in gratia tunc temporis, quo probabiliter credit procuratorem contracturum matrimonium, tunc enim ipse suscipit Sacramentum *DD. cit.* quòd si ipse principalis dormiat tunc temporis, quo celebratur matrimonium; peccaret mortaliter, *Sanchez ubi sup.* alii verò putant peccasse tunc temporis, quo advertit matrimonium tunc temporis contrahendum, & noluit se disponere ad Sacramentum dignè suscipiendum, non verò peccare mortaliter, dùm dormit, quia tunc non habet advertentiam.

*In §. Quòd si scientibus.*

COncluditur in hoc textu, quòd si acta facta sint à procuratore revocato, principali non afferunt præjudicium, quia non tenent. Idem dicit *textus in cap. ex insinuatione eod. tit. lib.* 6.

Dices obstat *tex. in l. si procuratorem, ff. de procuratoribus*, ubi habetur contrarium.

Respondetur, quòd textus ille procedit, quandò facta fuit revocatio ignorante parte, & ignorante Judice: & ità observatur in praxi, ut scilicet notificetur parti revocatio, & Judici *glossa in cap. in nostro de procurat.* aliàs principali præjudicaretur in sententia.

*In §. finali.*

COncluditur in hoc textu, quòd morte mandantis finitur procuratio, sivè mandatum, *l. inter causas. ff. mandati, & morte mandatarii sivè procuratoris*, latè *Novarius in prag. de procurat.*

Limitatur primo conclusio, quandò actus confertur faciendus post mortem, quia tunc morte non finitur: *l. si ego §.* 1. *ff. de jure dotium, Novarius ubi suprà.*

Limitatur secundo in causa pia: undè si mando facere aliquod pium opus, tunc mandatum morte mandantis non finitur, sed mandatarius mandante mortuo potest adimplere mandatum, *Tiraquellus de pia causa privil.* 82. & 132. *Novarius de elect. fori q.* 35.

Limitatur tertio in mandato facto à Summo Pontifice alicui Episcopo, vel Prælato, quia eo mortuo successor ipsius Episcopi, vel Prælati obedire, & exequi debet, nisi, sit directum personæ, *DD. cit.*

Limitatur quarto favore pacis; undè si vulneratus sit aliquis, qui constituit procuratorem ad pacem faciendam, hic procurator potest facere pacem post mortem vulnerati, *Marsilius singul.* 44. multas alias limitationes videas apud DD. citatos.

Rogabis, an mortuo Episcopo expireat casus reservati?

Respondetur, expirare eos casus reservatos, qui erant reservati ab Episcopo propria auctoritate, non verò illos, qui de jure, vel de consuetudine ipsi reservantur, neque illi, quos per proprium statutum sibi reservat, quia cùm staturum duret post mortem, *cap. fin. de officio legati* reservatio quoque durabit, & absolutio petenda est à successore, seù à capitulo sede vacante Hæc omnia docet *Gavantus in Enchyridio Episcoporum in verb. casus reservati*, *Rebeut in Aphorismis Episcoporum, in verb. casus reservati num.* 4. *Piacesius in praxi novissima Episcop. par.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 21. contrà alios *Diana tom.* 4. *tract. miscell.* 108.

---

## *TITULUS III.*

### De Pactis, et Transactionibus

VIsum est suprà de Judiciis, & de aliis, per quos judicia exercentur. Verùm quia interdùm partes veniunt ad concordiam per pacta, & transactiones, meritò ponitur hîc titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd pactum ex *l.* 1. *ff. de pactis* est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus.

Dicitur (*Placitum, & consensus*) cùm enim partes contrahunt. Primo tractant inter se, & sic est placitum, deindè consentiunt. Hoc autem pactum suam habuit originem à jure gentium, ex ratione naturali ad amicitias conservandas, & sic pacta pacis acta dicuntur, est enim homo animal sociabile; undè societatem requirens, eam per pacta inire quærit, & ideò ab infantia pueri paciscuntur inter se, & ideò dicitur væ soli, quia si ceciderit sublevantem non habet.

Sciendum secundo est, pactum aliud esse nudum, aliud vestitum: pactum nudum dicitur, quod consistit in sola conventione, qualis est contractus innominatus antequàm adimpleatur ex altera parte, nec est addita forma stipulationis, vel juramentum, qualis etiam est contractus, qui traditione rei perficitur, nam hic antè traditionem rei videtur contractus nudus, seù pactum nudum, contractus vestitus dicitur ille. qui majorem habet firmitatem, quàm habeat nudum pactum.

Vestitur

Vestitur autem pactum pluribus modis. Primo scilicet re ipsa, ut si ex una, & altera parte sit adimpletum. Secundo, verbis accedente forma stipulationis. Tertio, scriptura, ut si quis fateatur tibi satisfactum esse. Quarto, juramento. Quinto specifico nomine contractûs, ut sunt contractus nominati, dummodò sint perfecti.

Ex quibus notant DD, pactum nudum actionem non producere, ut si conveni tecum pacto simplici des permutando equo meo cum tuo, antè traditionem, & rei interventum nullo pacto potest contrà te actio intentari, dantur tamen aliqui casus in quibus ex pacto nudo oritur actio. Primo favore dotis; dos enim nudo pacto promissa actionem producit, *l. unica. C. de rei uxoria act.* Secundo si convenisti aliquod donare ex pacto nudo; *l. si quis argentum §. fin. C. de donat.* Tertio de jure canonico pactum nudum parit actionem, *cap. 1. de pactis.* ubi *Canonistæ.* Quarto de jure Regni nostri, per clausulam, *Sola facti veritate inspecta* pactum nudum producit actionem, undè vigore dictæ clausulæ poterit Reus ex pacto nudo conveniri in Regno nostro, & condemnari, *Rovitus in prag. 1. de ord. Judic. n. 17.*

Sciendum est tertio, pactum aliud esse expressum, aliud tacitum; expressum est, quod fit verbis expressis: tacitum verò est de quo non fecerunt mentionem, sed ex vi legis venit; ut si conduxi domum, licèt expressè non obligaverim res illatas, tamen ex vi legis censentur obligatæ, *l. 2. ff. in quibus causis pignus, vel hypot. tacitè contrahitur, §. item Serviana instit. de action.*

Pactum etiam tacitum dicitur si ego habeo duos debitores correos, qui mihi debent centum in solidum, si ab uno exegi quinquaginta, & deindè peto ab alio totum debitum, poterit ille se tueri dicendo, quòd fecerim pactum me ab unoquoque partem sibi contingentem tantùm petiturum, quod pactum licèt non sit expressum, est tamen tacitum à lege inductum, quia ex quo partem debiti ab uno recepi videor à jure solidi recessisse; quòd si pactum fecerim cum uno ex duobus reis de non petendo, tale pactum non prodest alteri correo, *Francus dec. 476.*

Sciendum est quarto, quòd contractus est actus inter duos, vel plures, ex consensu ipsorum, ultrò citròque obligationem producens; ità ferè omnes *in l. 1. ff. de pactis, & in l. Labeo. §. contractum ff. de verb. signif.*

Dicitur (*actus*) loco generis: quia ut benè *Azorius par. 3. lib. 6. cap. 1.* contrahere est agere, qui enim contrahunt aliquod agunt, & ideò contractus est actus: intelligitur tamen externus, quia ut ait *Bonacina tom. 2. disp. 3. q. 1. ar. 1.* cùm contractus inter homines celebretur, debet exteriùs exprimi, homines enim non intuentur corda, nisi per signa externa.

Dicitur (*inter duos, vel plures*) nam licèt non omne pactum sit propriè contractus, tamen omnis contractus est pactum: constat autem ex de *l. 1. de pactis:* pactum esse duorum, vel plurium in idem placitum, & consensum, ut propterea dicatur à pacto nomen pacis derivari, quasi effectus, ait *Molina tom. 2. disp. 252.* quòd à sua causa traxerit originem, cùm enim fiat per pactum, ut homines idem sentiant, & velint, pax inter illos gignitur, sicut actus, qui est contractus, dicitur contractus, quia illæ plures voluntates in unum traduntur.

Dicitur obligationem producens ultrò, citròque quia effectus contractûs est hic, scilicet ut partes contrahentes ultrò, citròque invicem obligentur, ut patet in contractu emptionis, & venditionis, ex quo remanet obligatus tàm emptor ad pretium solvendum, quàm venditor ad tradendam rem; sic in contractu mutui, depositi, &c. ubi obligatur accipiens ad ea restituenda.

### *Quotuplex sit contractus.*

Contractuum species diversæ à DD. assignantur, quas enumerare longum esset, ac superfluum, ad paucas tamen veluti ad capita reducemus, & ideò.

Dico primo: contractus alii sunt onerosi, alii lucrativi, seù gratuiti, onerosi sunt, in quibus aliquid tradi debet, qualis est venditio, in qua onus imponitur venditori ad tradendam rem, & emptori ad solvendum pretium. Gratuiti sunt, in quibus nihil reddi debet pro eo, quod datur: tales sunt promissio, donatio precarium, ad quos contractus reducitur donatio causa mortis, legatum, & testamentum, sunt enim donationes quædam: sic etiam gratuitus contractus est commodatum, quo gratis conceditur usus rei, quale est etiam mutuum, &c. *DD. in l. 2. ff. si cert. petatur.*

Dico secundo: contractus alii fiunt in gratiam recipientis tantùm, ut mutuum, alii in gratiam tradentis tantùm, ut regulariter accidit in deposito, quod regulariter traditur in utilitatem deponentis, alius denique fit in gratiam utriusque, ut emptio, permutatio, pignus, societas, &c.

Dico tertio: contractus alii sunt nominati, alii innominati, & nominatus contractus est. qui habet speciale nomen, quo ab aliis distinguatur, ut v. g. emptio, venditio mutuum, locatio, societas, &c. Innominati contractus sunt, qui non habent speciale nomen, sed genericum, qui reducuntur ad quatuor species. Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, & sic.

Si tu tradas panem Caio, ut tibi tradat vinum, est contractus innominatus do ut des, neque hoc casu est venditio, cum non traditur vinum ut pretium panis.

Si verò des panem Caio, ut pro te laboret, erit contractus innominatus do ut facias.

Si verò labores pro Caio, ut tibi det panem, erit contractus facio ut des.

Si servias Caio, ut te doceat, & instruat, erit contractus innominatus facio ut facias.

Resultat verò utilitas, an contractus sit nominatus, an innominatus, nam in contractibus nominatis non est locus pœnitentiæ, *l. sicut C. de action. & obligat.* in contractibus verò innominatis re integra locus est pœnitentiæ, veluti si dedi tibi centum, ut pro me vadas Romam, ego possum me pœnitere, & repetere datum, priùs quàm tu iveris Romam, & antequàm inchoaveris illud, soluto tamen interesse, puta si emisti necessaria ad profectionem, *l. si pecuniam,* ubi *DD. C. de condict. causa data, & causa non secuta.*

Dico quartò: contractus alii sunt bonæ fidei, alii stricti juris: bonæ fidei sunt, qui dependent in multis ab arbitrio Judicis, ut potest accidere in emptione, venditione, locatione, societate, commodato, deposito, pignore, permutatione, & similibus: stricti juris sunt illi, qui dependent ex certis verbis, nempè stipulationibus, ad quæ adstringitur Judex, & hoc accidit in contractu feudali præcipuè, & emphiteotico, *Covar. in regul. possessor. par. 2. §. 6. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 3. num. 11. Molina disp. 259.*

Dico quinto: contractus alii perficiuntur re ipsa tradita, nec sunt perfecti antè rei traditionem; alii perficiuntur verbis, & requirunt certam verborum formam, qualis est stipulatio, ut si quis dicat spondes date centum & alter dicat spondeo: alii contractus perficiuntur solo consensu exteriùs utriusque explicato, qualis est venditio, emptio matrimonium, &c.

Dico

Dico ultimo: contractus habet quædam substantialia, quædam solemnia, quædam naturalia, & quædam accidentalia.

Prima pars, quòd sint in contractu quædam substantialia, patet in emptione, ubi pretium consensus, & res sunt de substantia, sine quibus non potest esse talis contractus. *l. pacta conventa*, ubi *glossa, & Bald. C. de contrab. empt. l. nec emptio. ff.* de *contrab. empt.*

Secunda pars, quòd sint in contractu quædam solemnia patet, nam in contractu facto à minore, vel pupillo requiritur consensus tutoris, & Judicis decretum, quod si fiat sine ipsis, habebit quidem venditio omnia substantialia, sed deficiunt solemnia, *glossa. & Bald. in l. quacumque §. fin. ff. de Publiciana in rem actione.*

Tertia pars, quòd scilicet adsint in contractu quædam naturalia, patet in eis, quæ intelliguntur in contractu. Verùm possunt removeri ex conventione partium, ut est evictio, licèt enim evictio veniat in contractu, *l. ex empto, ff. de action. empt.* tamen possunt partes pacisci, ut non teneantur de evictione, ut in *d. l. ex empto*, & sic evictio dicitur naturale emptionis.

Adverte tamen, quòd quandò venditor fecit pactum, ut non teneatur de evictione, tenebitur ad pretii restitutionem, *l. emptorem §. qui autem, ff. de contrab. empt.* quòd si dixerit venditor se nolle teneri, nec ad pretii restitutionem, tunc *glossa in d. §. qui autem* dicit tale pactum valere quam *glossam* communiter approbari docet *Tiraquell. de retractu lignagier §. 12. num. 16.* neque hoc pactum esset contrà naturalem æquitatem, quia lucraretur venditor pretium ex voluntate emptoris: immò etiamsi venditor habuerit fidem de pretio, cum pacto apposito, ut non teneatur de evictione, neque ad restitutionem pretii, tunc poterit adhuc cogi ad solvendum pretium, sic decisum in S. C. refert *Francus dec. 239. per totam.*

Quarta pars, quòd scilicet dentur in contractu quædam accidentalia, patet, nam pactum, quod apponitur à venditore domûs, ut sibi eam locet emptor per certum tempus, accidentale est contractui, *gloss. & Bald. in l. pacta conventa, C. de pactis.*

*Quinam contractus pariant obligationem in foro conscientiæ?*

REspondetur dicendum, omnes contractus liberos, & spontè factos parere obligationem in foro conscientiæ, nisi jure positivo sint irriti *DD.* citati & ratio est, quia jus naturæ dictat servandam esse promissionem alteri factam, & acceptatam, ergo qui violat talem obligationem, facit contrà jus naturæ.

Ex quo principio infertur primo contractum celebratum cum errore circà substantiam esse irritum, & consequenter obligationem non producere, quia de substantia contractûs est consensus, cui nihil est magis contrarium, quàm error, *l. si per errorem, ff. de jurisd. omn. Judic.* & ideò si emptori credenti emere gemmam, tradatur vitrum loco gemmæ, invalidus est contractus defectu consensûs, quia emptor non consentit in emptionem vitri, sed in emptionem gemmæ.

Ampliatur primo hoc corollarium in contractu celebrato cum errore comitante (dicitur autem error comitans, qui sic comitatur contractum, ut nullo modo ad eum inducat, sed eo sublato adhuc contractus fieret, ut si liber contrahat cum serva matrimonium non cognita conditione servitutis, quam si cognovisset, adhuc cum ea contraxisset, vel si quis emit crystallum pro gemma, illud empturus etiamsi cognovisset non esse gemmam, sed crystallum) esse invalidum, quia deficit in consensu, & in voluntario, *l. tùm ab ea, ff. de contrab. empt.* undè ad contractum celebrandum non sufficit consensus, qui daretur, & reipsà non datur, sed requiritur, ut de facto consensus detur, *Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5.* licèt ergo error comitans non faciat involuntarium, tamen neque facit voluntarium, *Bonacina tom. 2. disp. 3. de contractibus q. 1. punct. 2. §. 1.*

Infertur secundo contractum factum cum errore circà qualitatem rei, (ut si putaret quis contrahere cum homine, quem putavit appellari Petrum, & reverà appellatur Joannes, vel qui contraheret cum homine, quem putaret juvenem & reverà esset senex, vel qui donaret agrum suum, cùmque diceret esse decem jugerum cùm reverà esset viginti) non esse invalidum. Ratio est, quia qui errat circà qualitatem, & non errat circà substantiam rei, verè cognoscit substantiam, licèt non cognoscat qualitatem: ergo si talis contrahens contrahit, verè vult substantiam, quam cognoscit, licèt non velit qualitatem, nam si contrahens cognovisset qualitatem, fecisset utique contractum, sed non cum tanto pretio: & hæc est ratio, ait *Lessius*, cur *in cap. cùm dilecti de empt. & vend. & in l. 2. C. de rescin. vend.* expressè habetur, eum, qui deceptus vendidit citrà dimidium justi pretii non posse petere rescissionem contractûs, sed solum supplementum pretii, ut reducatur ad æqualitatem rei, quam vendidit, quia talis venditor deceptus habuit verè voluntatem faciendi venditionem, licèt non sub tali, vel tali pretio.

Rogabis, an dolus invalidet contractum? Ut hoc intelligatur suppono dolum esse deceptionem, qua quis decipit aliquem dicto, facto, vel omissione ejus, quod dicere, vel facere tenebatur, *lib. 1. ff. de dolo.* suppono secundo dolum aliquandò dare causam contractui, aliquando incidere in contractum. Dolus dans causam contractui, est quandò quis inducitur ad contrahendum, non contracturus, si dolus non adesset, Dolus incidens in contractum est, quandò contrahentes adhuc contraxissent secluso dolo, sed non ità libenter, vel non cum tanto pretio. His positis.

Respondetur primo, quemlibet contractum, sivè lucrativum, sivè onerosum dolo celebratum dante causam contractui jure positivo esse invalidum in foro conscientiæ, si proveniat dolus ab altero contrahente. *l. & eleganter. ff. de dolo, l. ea verò §. de illo ff. pro socio. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 31. Coninch. de matrim. disp. 23. dub. 23. num. 79.*

Intellige tamen, primo talem contractum non esse invalidum jure naturæ, dummodò non adsit error circà substantiam, quia si contractus hic esset invalidus jure naturæ, sequeretur etiam, matrimonium esse invalidum, sed matrimonium cum dolo celebratum non est invalidum, ut suppono cùm de matrimonio probandum, ergo: nam adest absolutus consensus hìc & nunc circà substantiam contractûs.

Explicatur verò dolus in contractum incidens cùm una pars aliqua dicit, seù facit, vel omittit facere, seù dicere, ratione quorum altera pars contrahit non legitimè, id est non justo pretio, quem dolum faciunt illi venditores, qui dicunt se asportasse res, quas vendunt à regionibus remotissimis, & dicunt se pluris emisse, quàm emptores offerant, qui dolus dicitur incidens in contractum, non verò dans causam contractui, quia sine ipso adhuc fieret contractus.

Dices talis inductus dolo ad contrahendum noluisset contrahere, neque contraxisset, si scivisset, ergo non contraxit voluntariè.

Respondetur, quòd ex hoc non sequitur, quòd involuntariè

tariè contraxit, sed solùm quòd non habuisset voluntatem contrahendi, si scivisset, & quòd actu habeat displicentiam quòd erraverit, & contraxerit, ut benè notat *Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 4.* sicuti si quis Episcopus confert beneficium clerico, cui non contulisset, si cognovisset clerici conditiones, seù si quis dat eleemosynam homini furunculo, quam non dedisset si eum cognovisset, ut furunculum; verè voluntariè confert beneficium, & eleemosynam licèt in utroque sit voluntas habitualis beneficium & eleemosynam non conferendi, licèt displiceat, quòd beneficium, & eleemosynam contulerit.

Intellige secundo, quòd in foro externo aliqui contractus, videlicet contractus stricti juris non sunt invalidi, sed irritandi, *l. dolo, C. de inutilibus stipulationibus* quamvis deceptus habeat actionem contrà decipientem ne adimpleat, si nondùm adimplevit, vel ut sibi damnum resarciatur, si jam contractum implevit, *l. cùm posteà, C. de pactis*: contractus verò bonæ fidei celebrati, per dolum dantem ipsis causam in utroque foro irriti sunt, *Azorius par. 3. lib. 6. cap. 10. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5.*

Rogabis, utrùm celebrans contractum si fuerit deceptus invincibiliter a tertio, vel à seipso, teneatur contractum adimplere cognito errore, ac dolo si jam contractus adimpletus non est?

Respondetur negativè *Filiuccius tract. 33. cap. 7. quæst. 7. Sanchez de matrim lib. 1. disp. 46.* Ratio est, quia videtur contractus tacitè celebratus cum hac conditione, ut nolint partes eum perficere cognito dolo, immò si deceptus voluerit stare contractui, non tenetur decipiens ei stare antè Judicis sententiam, ut benè *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 64. & lib. 4. de matrim. disput. 15.* quia censetur contractus celebratus cùm hac conditione; Obligo me, si tu te obligas; ergo cum deceptus non teneatur stare contractui, neque tenebitur decipiens, licèt hic teneatur ad restitutionem omnium damnorum, quæ passus est deceptus, cùm peccaverit contra justitiam inducendo alterum per fraudem ad contrahendum.

Respondetur secundo ad quæsitum principale, contractum celebratum per dolum incidentem in contractum, validum esse in utroque foro. *l. si quis affirmaverit, l. & eleganter, ff. de dolo*, quia contrahens consentit actu, DD. ubi suprà.

Atque ex his colligitur eum, qui se finxit, vel pauperem, vel sanctum, ut reciperet eleemosynas, vel eum, qui se finxit habere conditiones requisitas, ut reciperetur in hospitali, vel dotaretur juxtà consuetudinem alicujus, v. g. montis pietatis, teneri ad restitutionem, modò sit ei tradita dos, eleemosyna, propter hunc finem, seù motivum, quia scilicet esset sanctus, vel pauper. Ratio est, quia dotans, vel donans fuit deceptus ex simulata sanctitate, & paupertate; non negaverim tamen non teneri restituere eleemosynam illi, qui nollet, ut talis eleemosyna ei restituatur, quod ut plurimum accidit, quandò eleemosyna esset valdè exigua, *Azor. par. 3. lib. 4. cap. 11. quæs. 8. Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 17. num. 172.* Hæc tamen restitutio facienda esset ipsi tradenti DD. citati.

Colligitur etiam, quòd si quis vovit jejunare per quindecim dies, ad finem obtinendi beneficium, quod audivit vacare, sed reverà tempore voti emissi non vacabat, non tenetur votum adimplere, quia est factum ex errore circà causam finalem voti, secùs si tempore voti verè vacasset beneficium, quia tunc adest causa finalis voti, DD. citati.

Rogabis, utrùm contractus metu celebratus, sit validus?

Ad intelligentiam hujus quæsiti suppono, timorem esse perturbationem animi, provenientem ex apprehensione mali imminentis, & alium esse cadentem in constantem virum, alium verò non cadentem, primus gravis, secundus levis appellatur: Primus turbare potest hominem constantem, & fortem & inducitur per mortis timorem; mutilationis, acerbi cruciatûs, longi carceris, exilii, ut in *tit. ff. quod metûs causâ & in tit. decretalium de his, quæ vi, metûsve causa fiunt.* Idem dic de amissione omnium bonorum, vel majoris partis, non enim quis absque bonis potest honorificè vivere, quæ mala non solùm dicuntur graviora respectu nostri, quandò nobis ipsis imminent, sed etiam quandò filiis imminent aut quandò imminent Patri, matri, uxori, fratri, amico arctissimo, &c.

Metus levis est, cùm quis minatur alteri centum aureos, nisi faciat aliquid: quòd si minetur quis alteri auferre centum aureos, nisi det librum, dicitur hic metus respectivè gravis, & cadens in constantem virum. His positis.

Respondetur primo contractum celebratum metu gravi, aut levi validum esse jure positivo, exceptis quibusdam casibus, ità *Sanchez de matrim. lib. 4. disput. 8. Azorius par. 3. lib. 4. cap. 33.* Ratio est, quia nullum jus prohibet talem contractum valere, sed tantùm jus perhibet rescindi contractum per metum celebratum, *l. ultima, C. de his, quæ vi, metûsve causâ fiunt*: ubi cùm perhibeatur talem contractum infirmari, sequitur anteà fuisse validè celebratum.

Sunt verò multi casus, in quibus contractus celebrati per metum gravem injustè incussum ad extorquendum consensum, sunt ipso facto invalidi. Primus casus est matrimonium, & sponsalium contractus, *cap. veniens 2. cap. cùm locum de sponsalibus.* Secundus casus est contractus dotis promissæ, vel solutæ, quia sicut matrimonium per metum gravem celebratum, est invalidum, ità etiam est invalidus contractus dotis, quod est quid accessorium matrimonii: accessorium enim sequitur principale, *si mulier, §. si dos, ff. eodem titulo.*

Dices si contractus per metum celebratus, esset invalidus, sequeretur illum, qui rem aliquam accepit per metum, acquisivisse dominium illius rei, & posse sibi fructus retinere; sed hoc est absurdum, cùm nullus ex sua iniquitate locupletari debeat, ergo contractus per metum celebratus invalidus est.

Respondetur, quòd ille, qui rem aliquam accepit per metum, non potest fructus retinere, non quia contractus est invalidus, sed quia rescindendus est contractus, & domino restituenda sunt omnia damna ab eo, qui metum injustè incussit, ut benè *Sanchez loco citato.*

Dices metus, & dolus in jure paria sunt, *l. dolo, C. de inutilibus stipulation.* sed contractus celebratus per dolum dantem causam contractui est invalidus ergo, & per metum celebratus.

Confirmatur, quia ex *l. 2. C. de rescindenda venditione* habetur irritam esse emptionem factam per metum, ergo contractus per metum celebratus est invalidus jure positivo.

Respondetur negando antecedens, metus enim, & dolus non sunt in omnibus paria: dolus enim ipso facto irritat, metus verò solum irritandum facit. Ad confirmationem respondetur emptionem appellari ibi irritam, non quòd sit ipso facto irrita, sed quia declaranda est irrita.

Respondetur secundo, contractum celebratum per metum gravem, aut levem, injustè incussum ab homine ad extorquendum contractum, irritandum esse ad arbitrium ejus, qui passus est metum, Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 9. Ratio est, quia æquitas non patitur, ut alter reportet injuriæ alteri illatæ commodum.

Limitatur hoc in matrimonio contracto per metum levem, vel in voto solemni emisso cum metu gravi, quia non sunt irritanda, *Lessius*, & *Sanchez loc. cit.* immò ad evitandas lites, nec in foro externo conceditur actio ad rescindendum contractum celebratum metu levi, ut benè docent DD. citati.

Respondetur tertiò contractum celebratum per metum justè incussum non esse rescindendum, ita *Sanchez lib. 4. disp. 8. num. 8.* nam in tali contractu nulla adest injuria, ob quam rescindi debeat. Hinc.

Infertur primò, restituenda esse ea, quæ superior extorsit per suas preces importunas, cùm talia videntur superiori tradita ab invito: eleemosynas verò, quam importunis precibus extorquet pauper non tenetur restituere, ut benè *Sanchez lib. 4. de matrim.* tùm quia preces pauperum parvipenduntur, ideòque metum reverentialem non inferunt, tùm etiam, quia qui eleemosynas tradidit, non optat sibi earum restitutionem fieri.

Infertur secundò cum *Lessio*. & aliis locis citatis, non teneri uxorem stare contractui, neque solvere fidejussionem, quam fecit ob metum reverentialem mariti, sed posse revocare consensum, & eos, qui aliquid acceperunt, debere restituere.

Infertur tertiò cum *Sanchez loc. cit. disp. 9.* & aliis filium non teneri solvere ea, quæ patri morienti promisit solvere propter importunas preces patris timens patris indignationem, quia talis promissio facta est ob metum reverentialem.

Infertur quartò, omnes contractus, & donationes factas latronibus, seù rescissiones (quæ rescissiones dicuntur distractus) si metus gravis intercesserit, irritari posse ad arbitrium ejus, qui passus est injuriam, ad id enim lex actionem concedit, ut patet ex suprà citatis: idque intellige, sivè metus illatus sit ab altero contrahente, sivè ab alio tertio sine participatione contrahentis, ut ex multis DD. docet *Bonacina loc. cit. par. 2. §. 3. num. 5.* quòd si metus sit levis, contractus facti ob talem metum irritari non poterunt, ad id enim actio in jure concessa non est, ne lites multiplicentur, tùm etiam, quia in foro externo metus levis non præsumitur fuisse causa contractûs. *l. nec minorem, ff. de eo, quod metûs causa.*

Observa tamen, quòd ille, qui passus est aliquod per metum levem, & multò magis per metum gravem, posse in conscientia uti justa regula compensationis faciendæ, & ultrà compensationem aliquid ultrà surripiendo ab eo, à quo passus est metum: Ratio, est quia metus levis etiam est injuria, ergo potest, qui illam passus est omni meliori modo quærere, ut sibi injuria illata resarciatur.

Infertur quintò, per contractum metu celebratum transferri dominium, sed non irrevocabiliter, & solidè sed solùm revocabiliter, ut benè *Lessius loco citato num. 39.* quia remanet jus in eo, qui metum recipit in jus, & in personam.

Infertur sextò non debere restitui ea, quæ quis recepit ex vi contractûs celebrati per metum justè incussum, neque talem contractum posse rescindi ab eo, cui incussus est justus metus: undè cùm quis minatur alicui, qui ei centum promisit, accusationem apud Judicem, nisi solvat promissionem, vel cùm quis minatur ei, qui fecit sponsalia, excommunicationem, nisi contrahat matrimonium, talis enim metus est justè incussus, quia voluntarius est ei, cui incutitur, nam voluntariè se talibus minis supposuit.

Quæstio tamen est, an incutiens metum excommunicationis, vel accusationis possit in conscientia retinere ea, quæ acceperit per talem metum, si animum non habebat procedendi ad accusationem seù excommunicationem?

Respondetur contrà *Molinam*, & alios posse id retineri in conscientia, ita *Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 9. num. 9. Lessius ubi sup. num. 42.* Ratio est, quia qui minatur accusationem, habet jus accusandi, & licèt decipiat, quia non habet animum accusandi; tamen talis deceptio, seù dolus, est justus; cùm sit jus accusandi, cui juri, ut quis cedat, & non accuset, potest aliquid accipere, & addit *Lessius* posse aliquem repetere, quæ perdiderit ludo prohibito minando accusationem ei qui vicerit, etiamsi animum non habeat accusandi.

Infertur septimò, non esse restituenda ea, quæ quis accepit per contractum factum, ut alium liberaret à metu illato, v. g. à latronibus, talis enim contractus non est factus per metum, qui infertur, sed occasione metûs illati à latronibus.

Infertur octavò, contractus requirentes plenum voluntarium esse irritos si fiant per metum: Ratio est, quia quæ fiunt per metum, fiunt partim voluntariè, partim involuntariè, ergo ea, quæ requirunt plenum voluntarium, non possunt fieri per metum.

Sunt autem contractus requirentes plenum voluntarium. Primò matrimonium. *cap. veniens de sponsalibus* (modò metus ad illud contrahendum non fuerit justè incussus) Secundò promissio, seù solutio dotis: dos enim utpotè accessoria ad matrimonium sequitur ipsius naturam. *l. si mulier §. si dos. ff. quod metûs causa.* Tertiò promissio, seù traditio rei Ecclesiæ, in quibus alienandis certa requiritur solemnitas, *cap. 115. q. 6.* Quartò ingressus ad religionem, & votum emissum, *cap. 1. de his, quæ vi.* Quintò contractus factus ex auctoritate tutoris per metum extorta, *l. 1. §. fin. ff de auctoritate tutoris.* Sextò testimonium factum à testibus in testamento metu adhibitis *L. qui testamento, ff. de testam.*

*Azorius* verò *par. 3. lib. 4. cap. 7. quæst. 8.* enumerat donationem, remissionem debiti, seù juris, nam cùm donatio, & remissio fiant omninò liberaliter, per metum fieri non possunt; addit etiam jurisdictionem metu concessam, seù prorogatam, *l. 2. ff. de Judiciis*; addunt alii contractum sponsalium, & renunciationem beneficii.

*Lessius* verò id negat, & primò dicit, quòd donatio non requirit majorem libertatem, quàm alii contractus, ergo si alii contractus facti per metum non sunt ipso jure irriti, neque erit irrita donatio, quæ dicitur fieri gratis, ad differentiam contractuum, qui dicuntur onerosi.

Secundò dicit, quòd jurisdictio metu extorta à Judice à partibus litigantibus, qui Judex non haberet aliàs jurisdictionem, irritatur in *C. de Judiciis* (sicut etiam irrita est absolutio censuræ per metum extorta) non verò omnem jurisdictionem.

Tertiò docet sponsalia, & renunciationem beneficii non esse irrita, sed irritanda, idque docet, tùm ex *cap. literis de desponsatione impub.* tùm ex *Navarro*, qui consequenter docet eum, qui ob metum renunciavit beneficio, stante renunciatione, neque teneri ad recitandas horas, neque posse ordinari ad titulum illius beneficii.

Infertur nonò, voluntarium non tolli per metum, sivè gravem cadentem in constantem virum, sivè levem, non cadentem in constantem virum. Ratio est, quia actiones, cùm fiant in particulari, fiunt consideratis omnibus circumstantiis, sed considerata circumstantia, ex quo oritur, v. g. metus mortis, naufragii, crudelitatis latronum, &c, quis verè vult projectionem, direptionem, donationem mercium, &c. ergo tales actus, scilicet talis projectio, direptio, & donatio verè voluntariè fiunt, licèt dicantur ex *Arist. 3. Ethic. cap. 1.* istæ actiones factæ ex metu habere voluntarium mixtum, seù diminutum, undè

meritò

meritò docent DD. quòd contractus, qui requirunt plenum voluntarium, non valent si metu fiant.

Observa tamen primo per violentiam tolli voluntarium, nam actus voluntarius fit ab intrinseco principio cum cognitione finis, ergo qui violentiam patiens aliquod agit, involuntariè id agere censendus est, quia ut benè *Arist. 3. Ethic. cap. 1.* violentum est id, quod fit ab intrinseco, ipso re nihil ad id conferente. sed potiùs repugnante.

Observa secundo, posse aliquod esse involuntarium & voluntarium secundùm diversas rationes, undè mors Sanctis Martyribus erat involuntaria, quatenùs ea à Tyrannis, iniquè ipsis inferebatur, erat verò voluntaria, quatenùs ipsi passivè propter Dei amorem mortem sustinebant.

Observa tertio, voluntarium tolli per aliquam ignorantiam, quia non possumus velle, quod non cognoscimus, sed quod ignoramus invincibiliter, nullo modo cognoscimus, ergo non possumus id velle.

Verùm ad perfectam hujus rei cognitionem sciendum est cum *S. Thoma 1. 2. q. 6. art. 8. Valentia tom. 2. disp. 2. q. 1. punct. 5.* & communiter DD. ignorantiam multiplicem esse.

Prima enim dicitur ignorantia pravæ dispositionis, quia scilicet cum errore contrario conjuncta est, sic dicitur ille, qui nesciens virtutem justitiæ, putat contractum usurarium esse licitum.

Secunda dicitur puræ privationis, ut si quis ignorat scientiam, quam potest habere.

Tertia dicitur ignorantia juris, ut si quis ignorat quid de hac, vel illa re jus statuit.

Quarta dicitur facti, ut si quis ignoret quomodò aliqua res successerit.

Quinta dicitur invincibilis & antecedens, ut si quis operatur aliquem actum, quem, non operaretur si sciret: ut cùm quis adhibita omni diligentia projicit sagittam in hominem putatum ab eo feram in quem si scivisset esse hominem, sagittam non projecisset.

Sexta alia dicitur ignorantia vincibilis, & consequens, sic ignorant culpabiliter, vel quia non vult scire, vel quia ignorat quod tenebatur scire.

Septima alia dicitur ignorantia concomitans, quæ non est causa actûs, quia actus peccati fieret etiam tali ignorantia comitante posita: undè *Arist. 3. Ethic. cap. 1.* docet, aliud esse ex ignorantia agere, aliud verò ignoranter agere: agere enim ex ignorantia est, quandò agimus ex ignorantia tanquàm causa actûs: agere autem ignoranter, est agere cum ignorantia concomitanti.

Est etiam ignorantia vincibilis gravis quandòque crassa, & supina, quæ tunc est, quandò ex lata ignorantis culpa, nulla, vel ferè nulla diligentia adhibetur ad scientiam adipiscendam, quandòque est solùm culpabilis, quandò scilicet adhibetur aliqua diligentia ad scientiam adipiscendam, sed quæ moraliter non æstimatur sufficiens. Scio, ultimam hanc divisionem negari à *Suario tom. 5. in 3. par. disp. 4. sect. 10. num. 10.* sed admittendam esse ex multis DD. probat *Sanchez lib. 1. summæ cap. 16. num. 6.* ex quibus.

Primo deducitur cum *S. Thoma 1. 2. q. 76. ar. 3.* aliisque communiter ignorantiam vincibilem antecedentem, sivè consequentem non excusare à culpa, quia, cùm ipsa sit culpabilis, & voluntaria, quicquid ad eam sequitur tale est.

Deducitur secundo, ignorantiam invincibilem antecedentem, sivè juris, sivè facti excusare à culpa, nam ignoratur malitia actûs, & sic licèt non excusentur à furto, excusantur tamen à malitia sacrilegii, qui furantur in Ecclesia invincibiliter ignorantes malitiam sacrilegii; sed solùm scientes malitiam furti, DD. citati.

Rogabis, quænam requirantur ad ignorantiam invincibilem?

Respondetur cum communi DD. schola apud *Sanchez lib. 1. num. 7. & de matrim. lib. 9. disp. 32.* ad ignorantiam invincibilem requiri, ut qui actu operatur, actu non advertat, neque malitiam objecti neque scrupulum aliquem habeat de tali malitia, nam si aliqua cogitatio de his, vel de horum aliquo non occurrat, tunc est vera ignorantia invincibilis.

*Utrùm contractus celebratus sine solemnitate requisita à jure, valeat?*

UT hoc faciliùs intelligatur, supponere oportet aliam esse solemnitatem accidentalem, aliam substantialem actûs: accidentalis est, cujus omissio non invalidat contractum; substantialis verò, cujus omissio invalidat contractum, ut putà, si contrahentes essent inhabiles ad contrahendum, vel quandò aliter contractus non valeret. Hoc posito.

Dico primo, contractus celebratus absque solemnitate substantiali non valet, nedùm in foro externo, sed neque in foro conscientiæ, *Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 3. num. 35.* Ratio est, quia contractus accipit vim à forma præscripta in jure, ergo sine ipsa est invalidus.

Ex quo benè deducitur primo, contractum matrimonii factum sine Parocho, & testibus invalidum esse, *Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.* sic testamentum non factum cum septem testibus, est regulariter invalidum, *l. hac consultissima, C. de testamentis*: & alienatio facta inconsulto Episcopo, non valet, ut benè *Lessius loco citato lib. 2. cap. 19. num. 34.*

Infertur secundo, invalidos esse in utroque foro contractus pupillorum, celebratos sine auctoritate tutorum, vel curatorum de re immobili, vel pretiosa; nam in hoc casu requirunt jura prædicta auctoritatem tanquàm solemnitatem substantialem, & irritant contractus aliter factos, *l. si minor. C. de prædiis Minor. Menoch de præsumpt. l. 2. præsump. 80.*

Infertur tertio, teneri restituere Titium ea, quæ accepit ex contractu gratuito sine solemnitate substantiali facto, etiam antè Judicis sententiam, ea verò, quæ accepit ex contractu oneroso non solemni celebrato sine fraude, possunt titulo compensationis retineri loco rei æqualis traditæ, quandiù non repetuntur, quia nullum affert retinens damnum. DD. cit.

Infertur quarto, hæredem venientem ab Intestato non teneri restituere hæreditatem hæredi instituto in testamento minùs solemniter celebrato, etiamsi verè sciret testatorem habuisse, & decessisse cum hâc voluntate, scilicet ut ille succederet, quem instituit hæredem in testamento minùs solemni, nam nullus est titulus, ex quo ei bona debentur. Adde quòd talis hæres, neque tenetur solvere legata in testamento illo minùs solemni relicta, quia, cùm non subsistat principale testamentum, neque subsistit legatum, quod est accessorium, ut benè docent DD. apud Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 7. Covarr. in cap. cùm esses de testamentis num. 8. contrà multos apud Manticam de conjectur. ultim. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 10.

Posset tamen hoc casu hæres veniens ab intestato compelli ad jurandum, num ipse sciat talem fuisse testatoris voluntatem, quòd si fateatur talem fuisse Testatoris voluntatem, cogendus est non ex vi testamenti, sed ex vi propriæ confessionis ad restituendam hæreditatem, vel legata, *l. fin. C. de fideicommissis.* DD. cit.

Infertur quinto, hæredem institutum in minùs solemni testamento non esse tutum in conscientia retinendo hæreditatem invitis hæredibus venientibus ab intestato DD. cit. non ignoro tamen satis probabiliter

biliter multos DD. apud *Dianam tract.* 10. *de legibus resol.* 27. asserere, posse tuta conscientia hæreditatem sibi retinere, dummodò sciat nullam fuisse adhibitam fraudem in tali testamento.

Infertur sexto non teneri hæredem adimplere voluntatem testatoris, quam testator in Schedula expressit, cum illa scriptura non sit testamentum, nisi essemus in casu, quo testator liberos in ea pagina hæredes instituisset, ut benè *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præs.* 3. *Julius Clarus in §. testamentum quæst.* 8.

Sicut & in testamento ad pias causas non requiritur solemnitas de jure civili requisita, sed sufficit solemnitas juris gentium, *cap. relatum* 1. *cap. cùm esses de testamentis*: quæ depositio etiam in terris Imperii, & in foro sæculari servari debet DD. cit. à *Covarr. in d. cap. relatum*: & sic in legatis ad pias causas tenetur hæres adimplere voluntatem testatoris etiam in schedulâ relictam, quia non requiritur solemnitas de jure civili requisita in testamento ad pias causas.

Dicitur verò ad pias causas testamentum, quandò pia causa, puta pauperes, Monasterium, &c. instituuntur hæredes, *Tiraquellus de pia causa in præfatione.*

Rogabis primo, an testamentum pium valeat etiam in conscientia respectu legatorum non piorum in ipso factorum?

Respondetur secundùm communiorem sententiam esse invalida, *Grassus in §. testamentum q.* 155. *Clarus in §. testamentum q.* 6. quæ tamen legata non applicantur Ecclesiæ, sed venientibus ab intestato, *Tiraquell. de pia causa privil.* 78. ubi *Riccius in additionib.* legata verò pia relicta in testamento invalido ob defectum solemnitatis, valida essent, *Covar.* & alii ubi suprà.

Rogabis secundo, an debeatur hæreditas quandò testator in testamento instituit hæredem piam causam, sed antequàm perficeretur testamentum, migravit de hac vita.

Respondeo hæreditatem applicandam esse piæ causæ, nam voluntas perfecta defuncti servanda est, *Bart. in l. in testamentis ff. de fideicommissis*, *Covar. in cap. relatum*. *Decius cons.* 159. contrà *Clarum in §. testamentum q.* 7. *Borrium dec.* 140. *Grassum in §. testamentum q.* 19. & alios.

*Explicatur an contractus sub causa celebratus, vel sub demonstratione, aut conditione pariat obligationem.*

AD intelligentiam observa posse dispositionem fieri sub causa finali, aut impulsiva, dicitur verò causa finalis, ob quam fit actus, qui aliter non fieret, ut si dem eleemosynam alicui consanguineo, aliter ei non daturus: impulsiva dicitur, quandò ego etiam darem: potest etiam fieri sub modo, qui concipitur per dictionem *Ut*, ad differentiam conditionis, quæ concipitur per dictionem *Si*, quòd si dubitetur inter DD. an dispositio sit concepta sub modo, an sub conditione, judicanda erit sub modo, *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr. Gomes.* 1, *tom. var. cap.* 17. Hoc posito.

Dico primò dispositio facta ob causam finalem non valet, causa finali non subsistente, ideò non valet institutio hæredis, qua quis instituit aliquem hæredem, quem credebat esse filium suum, alioquin non instituturus si credidisset non esse suum filium, ut regulariter præsumendum est, *l. si pater, C. de hæredib. instituen.* Sic erit invalida secunda institutio, qua quis Caium instituit hæredem, putans Titium, quem anteà instituerat in alio testamento mortuum esse, sed posteà comperitur superstes, *l. ult. ff. de hæredib. instit.* dummodò expressè, vel tacitè non approbaverit secundam institutionem testator, putà qua sciens vivere primùm institutum persistit in secunda voluntate, seù in secunda institutione.

Dico secundò contractus factus sub modo valet, licèt modus non adimpleatur, quia modus non suspendit obligationem, *l.* 1. *&* 2. *C. de donation.* dummodò modus sit justus, honestus, & possibilis.

Ex quo infertur primo, si relinquantur centum Monasterio, ut aliquid faciat, debentur Monasterio illa centum, etiamsi non adimpleat modum, nam non videtur modus causa finalis, sed impulsiva legati, *Lessius de donation. dub.* 16. *num.* 127. *Azorius par.* 3. *lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 5.

Infertur secundo, quòd si alicui Ecclesiæ legata fuerint centum eo pacto, ut singulis diebus celebraretur missa in tali Ecclesia, aliàs applicentur certæ personæ tunc si Missæ non celebrentur, non deberi, quia censetur dispositio conditionalis, idque patet ex particula revocatoria legati & pœna devolutionis; DD. citati. Si verò sit facta dispositio sub modo, tunc debetur legatum modo non adimpleto, & agitur solùm ad adimplendum modum.

Dico tertio contractus factus sub conditione honesta, & possibili de futuro eventu incerta non valet antè conditionis eventum; posita verò conditione valet, ac si ab initio fuisset purè facta, *l. hac venditio* 7. *ff. de contrahend. empt. l. potior* 11, *ff. qui pot. in pign. hab. Sanchez lib.* 5, *disp.* 8. *num.* 50.

Ex quo sequitur valere legatum factum alicui, ut non nubat cum tali persona, vel cum tali genere personarum, vel in tali loco, *l. sed si hoc §. fin. cum lege sequenti, ff. de condit. & demonstrat. l. Titio centum, §. Titio centum, ff. de condit. & demonstr.* sic si dicat testator, relinquo centum Bertæ si non nubat, & Berta erat vidua, valet legatum, ità ut debeat Berta adimplere testatoris voluntatem ad hoc ut valeat legatum: si verò Berta erat virgo, tunc potest habere legatum etiamsi nubat, *Auth. cui relictum, C. de indicta viduit. toll. l. Titia, ff. de cond. & demonstr.*

Sequitur secundò, valere legatum factum feminæ si nubat, casu quo non nubat, sed Religionem ingrediatur, quia non præsumitur, quòd testator exclusèrit Religionem, *Authen. de Sanctissimis Episcopis §. Sed & hoc præsenti*, *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsum.* 148. *Mantica de conject. ultim. vol. lib.* 11. *tit.* 18. *Sanchez de matrim. lib.* 1. *disp.* 33. Idem dic si alicui feminæ relicta sunt ducenta, si nubat, centum verò si Religionem ingrediatur, quia debet habere integra ducenta Religionem ingrediendo. DD. cit.

Sequitur tertio, quòd si hæreditas relinquatur sub hac conditione, v. g. Titio si absque liberis decesserit hæreditas transeat ad Caium: si Titius fiat Religiosus Monasterium excludit substitutum, & sic Caius non succedit, sed Monasterium, quod habetur loco filii, *cap. in præsentia extrà de probat.*

Sequitur quarto secundùm DD. citatos legatum relictum pro feminis maritandis, deberi etiam feminis ingredientibus Religionem, quia hæc dicitur matrimonium spirituale celebrare, licèt aliqui contrarium dixerint, legas *Sanchez loc. cit.*

Sequitur quinto, contractum factum sub conditione impossibili, vel turpi de futuro esse invalidum, quia nullus tenetur adimplere id, à quo debet se abstinere. Si verò conditio turpis est de præsenti, vel de præterito non tollit validitatem obligationis, quia tales conditiones non sunt propriæ conditiones, neque actum suspendunt & consensus sufficiens fuit jam in actu consummato, ut si quis dicat, trado tibi hanc vestem, quia odio prosecutus es, vel quia prosequeris Titium, *Sanchez lib.* 5. *de matrim. disp.* 15. *Lessius lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 5.

Sequi-

Sequitur sexto, contractum matrimonii celebratum sub conditione impossibili, vel turpi non irritari, sed conditionem haberi pro non adjecta, ut *in c. fin. de cond. appositis*, sicut est de institutione hæredis, vel legati. *Sanchez lib. 5. disput. 3. nu. 8. Gutierez de matrim. cap. 82. nu. 59.* ut enim speciale est in matrimonio, ut conditio turpis habeatur pro non apposita, ità favore ultimæ voluntatis; putà legati, fideicommissi, &c. In aliis verò contractibus conditio impossibilis vitiat contractum, qui denuò celebrari potest de voluntate contrahentium, quòd si conditio impossibilis, vel turpis credatur à testatore possibilis, vel honesta, vitiatur dispositio, *l. servo manumisso, ff. de condit. indebit. Gomesius 1. tom. var. cap. 12. Sanchez. lib. 5. disp. 3. num. 8. de matrim.* Rogabis, an contractu celebrato sub conditione, possit unus contrahentium recedere à contractu antè adimplementum conditionis? Respondetur non posse, seclusa donatione causa mortis. nam in tali contractu jam est nata obligatio ex pacto, & conditione contrahentium in foro conscientiæ, DD. apud *Sanchez lib. 5. disput. 6. num. 8.*

*Explicatur quomodò contractus simulatè, & fictè facti debeant ratificari.*

AD intelligentiam suppono, contractum simulatum non esse verum contractum, ut ex terminis ipsis apparet, & ideò nullum Jus ex tali contractu oritur. *Azorius par. 3. lib. 6. cap. 12.* & ideò tenetur committens fraudem in talibus contractibus lucrum, quod facit, restituere, & sic usurarius, qui mutuam dedit pecuniam, eamque in eodem loco recipit, & simulat se aliam recipere in alium locum, ut videatur licitè recipere lucrum ex contractu cambii, tenetur tale lucrum restituere, quia verè contractum cambii non celebrat, sic qui fingit alteri dare fundum: ut possit is ordinari ad titulum patrimonii, vel ut possit opulentam uxorem ducere, verè tamen non dat, quia is, cui videtur dari fundus, obligat se ad eundem restituendum, tenetur ad omnia damna, quæ ex tali simulatione proveniunt: sic etiam, qui simulat se donare filio suo Clerico sua bona, ut vectigalia, seù tributa non solvat, tenetur talia vectigalia compensare, & indè restituere. His positis

Dico primò, contractus tunc fiunt simulatè, & fictè, quandò contrahentes apparenter tantùm contrahunt, id est verbis, sed non animo, & voluntate. Signa verò hujus simulationis, ut benè *Azorius ubi suprà*, sunt si fiat contractus, vel quandò locatur, vel venditur res exiguo pretio.

Dico secundò, ad ratificandum contractum, & faciendum verum illum contractum, qui priùs erat fictus, & simulatus, necesse est ut tollatur id, per quod erat fictus, & ponatur id per quod fiat verus, quia si omnia remanent, ut erant prius erit semper contractus fictus, & simulatus; & ideò.

Sequitur primò, cùm *Henriq. Soto* iisque relatis suprà, contractum fictè celebratum, ex eo solùm, quòd unus contrahentium non consentit, non requirere ad sui validitatem, ut uterque contrahentium de novo consentiat, sed sat est, ut unus tantùm consentiat, ille scilicet, qui non consensit priùs, qui consensus debet accedere cum aliquo signo externo exprimente talem novum internum consensum, undè si in matrimonio alter conjux consensit, alter verò non, satis est ad tale matrimonium convalidandum, ut ille conjux de novo consentiat, qui priùs non consenserat, detque signum exterius talis consensûs nedùm verbis, sed aliquo alio modo, quo explicet habere conjugem, ut conjugem.

Sequitur secundò, contractum fictè celebratum, ex eo quòd uterque non consenserat, debere exigere ad sui validitatem consensum ambarum partium, *Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 20.* sic validatur matrimonium sublato impedimento, & de novo conjuges, consentientes, & se tractantes, ut proprius vir, & uxor. Sic si propter aliquod impedimentum non valuerit professio in Religione, confirmabitur professio detecto impedimento, & iterùm consentiente Monacho, & Prælato Religionis, qui habet jus admittendi in Religionem.

Sequitur tertio, contractum invalidum sine solemnitate intrinseca à lege requisita esse validandum, & ratificandum, apponendo iterùm eandem solemnitatem, DD. citati.

*Quomodo contractus validentur Juramento?*

AD intelligentiam suppono primo, aliud esse juramentum esse validum, aliud verò juramentum confirmare contractum; ut benè *Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 7.* nam ex eo quòd juramentum sit validum, nihil aliud sequitur, nisi quia jurans teneatur ex se præstare quod juravit; donec illi relaxetur juramentum, ex eo verò quòd juramentum confirmet contractum, sequitur quòd jurans teneatur præstare quod juraverit, & etiam, quòd alter contrahens, in cujus favorem præstitum est juramentum habeat contrà jurantem Jus exigendi, quod illi ratione contractûs per juramentum jam firmati debetur.

Suppono secundo, cum communi, jurantem per juramentum nihil aliud facere nisi attestari, seù invocare divinum nomen, ut testetur verum esse, quod ipse jurat, scilicet facturum, quod promittit, ex quo sequitur jurantem esse obligatum ad implendum quod promisit, alioquin quantùm de se est, adduceret Deum, ut testem falsi, quæ est maxima divinæ majestatis injuria, quod adeò verum est, ut in *cap. debitores de jurejurando*, dicatur, eum, qui promisit cum juramento usuras solvere ad redimendam vexationem, teneri eas solvere, quod idem dicendum est de eo, qui aliquid latronibus promisit cum juramento, ut eorum manus effugeret, uterque enim se juramento ad talem solutionem obligavit, licèt alter coactus ex necessitate, alter verò ex metu, qui non tollit voluntarium: poterit tamen uterque ab Episcopo petere relaxationem juramenti.

Suppono tertio, neminem posse obligari per juramentum ad peccandum; ratio est, quia peccaret si peccatum non faceret, quod implicat contradictionem, *cap. non est obligatorium de regul. Juris in 6. & tex. in cap. cùm contingat de jurejurand.* dicit servandum esse juramentum, dummodò non tendat in præjudicium salutis æternæ, quà propter juramentum de faciendo aliquid contrà publicam utilitatem non valebit; v. g. si diligenter de foro comperentur: undè juramentum de asportando extrà Regnum equos, frumentum, arma, alisque similia esse invalidum, sic in *cap. quemadmodùm de jurejurando* dicitur, temerarium esse illud juramentum, quo maritus promisit se nunquàm accusaturum esse uxorem, quia casus posset accidere, in quo teneretur illam accusare.

Suppono quarto id, quod confirmatur, debere habere ex se aliquam firmitatem saltem debilem, nam si nullam haberet firmitatem, esset nihil, nihil autem confirmari non potest, ut benè Lessius *ubi suprà*. His positis.

Dico primo, juramentum validum confirmat illos contractus, qui per se obligationem naturalem habent, vel promissionem factam, & acceptatam de non revocando, eos verò contractus, qui

qui omninò irriti nullam producunt obligationem, non confirmat juramentum.

Probatur, quia, cùm ad confirmandum contractum requiratur antecedens obligatio saltem debilis, si contractus nullam habet obligationem, non potest confirmari: si verò habet aliquod robor, tunc confirmari potest, ergò quia contractus invalidi nullam habent ne debilem quidem obligationem, non poterunt juramento confirmari. Ex quo.

Sequitur primo, ex contractu jurato oriri duplicem obligationem, una expressa facta homini, in cujus favorem factum est juramentum, altera Deo; debet enim observari promissio, ne Deus producatur, ut testis falsi: & ideò in *cap. debitores de jurejurando*, dicitur juramentum debere reddi Domino; quandò verò contractus non firmatur juramento, solùm oritur obligatio ergà Deum, quia si contractus non est firmus, nullum jus potest ab altero contrahente acquiri contrà jurantem; atque hine.

Sequitur secundo, juramentum, quandò confirmat contractum, non posse ab Episcopo relaxari, quia talis relaxatio esset contrà jus tertii, scilicet alterius contrahentis; & ideò *in Auth. Sacram. puber. C. si adversus vendit & in cap. 2. de pactis*, dicuntur talia juramenta esse inviolabiliter servanda, & omninò custodienda: cùm verò juramentum non confirmat contractum posse relaxari, quia non fit injuria tertio, nullum enim jus ex tali juramento provenit.

Sequitur tertio, renunciationem, seù dispositionem bonorum juratam, quam fecit novitius antè duos menses proximos professioni sine licentia Episcopi, vel Vicarii esse irritam, quia tale juramentum appositum tali renunciationi irritum declaratur à *Trid. sess. 45. cap 16. de regular.*

Sequitur quarto, omnes contractus nudos, seù pacta nuda firmari juramento, quia hi contractus, ut diximus, producunt obligationem naturalem, & ideò vestiuntur juramento.

Sequitur quinto, juramentum appositum in promissione nondùm acceptata non confirmare illam antè acceptationem, quia talis promissio antè acceptationem nullam parit obligationem in promittente, licèt explenda sit à jurante, ne Deus addocatur in testem falsum, poterit tamen peti talis juramenti relaxatio, quia, cùm nullum ex tali juramento jus sit acquisitum, nulli fit injuria, si relaxetur.

Sequitur sexto, omnes contractus innominatos, & etiam contractus inducentes ex se, vel ex promissione de iis non revocandis, obligationem naturalem, confirmari juramento, ut patet ex dictis: contractus verò inducentes obligationem naturalem præter innominatos sunt, ait *Lessius ubi suprà*, contractus Minoris præsertim de re mobili factus sine auctoritate Curatoris, donatio facta inter maritum, & uxorem, inter Patrem, & filium non emancipatum, promissio solvendi, & non repetendi, quod ludo prohibito promissum est, fidejussio mulieris facta in instrumento publico.

Sequitur septimo, omnes contractus irritos de jure, qui nec naturalem quidem obligationem producunt, sivè, quia sunt in præjudicium Reipublicæ, sivè quia sunt in præjudicium alicujus privati, Juramento non confirmari, quia non potest confirmari, quod ex se nullam habet firmitatem; sunt autem hi contractus; Renunciatio fori Ecclesiastici facta à Clerico: matrimonium metu factum, vel promissum, professio Religionis, seù votum metu extortum, renunciatio futuræ successionis in paterna hæreditate, alienatio fundi dotalis, vel rei donatæ propter nuptias, licèt Bonacina aliter sentire videatur de alienatione fundi dotalis *disput: 3. quæst. 1. punct. 1. num. 7.* quod verum est: promissio instituendi hæredem Titium, v. g. non revocandi testamentum, solvendi censum in pœnam, si testamentum mutetur, donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum.

Sequitur octavo, omnes promissiones factas de re impossibili, non firmari juramento, immò neque juramentum indigere relaxatione, quia tale juramentum est invalidum; nemo enim obligatur ad aliquod impossibile, *cap. non est obligatorium. de regul. Juris in 6.* sic est in promissione dolo extorta, quandò qui per dolum aliquod promisit, ut si dolo juraverit se facturum aliquod, quod non cognovit, quia juramentum non cadit super incognitum, & ideò juramentum de stando alicui contractui solubili, semper obligat cum hac conditione, scilicet nisi deprehendat jurans deceptum fuisse, ut docet *Bart. in l. si quis pro eo ff. de fidejussor. Abbas in cap. cùm contingat de jurejurando.*

Sequitur nono, promissiones factas metu, vel cum injuria tertii non confirmari juramento, quia si firmarentur, utique acquireretur jus cum injustitia, ergò cùm in his promissionibus nullum jus acquiratur promissario, potest promittens, vel petere relaxationem juramenti, vel facta solutione, qua satisfecit juramento, statim repetere solutum, *cap. ad audientiam de his, quæ vi, &c.*

Sequitur decimo, quandò juramentum confirmat contractum, teneri hæredes jurantis præstare id, quod tenebatur jurans præstare: ità ex multis docet *Bonacin. loco citato.* Ratio, quia quandò juramentum confirmat contractum, tunc obligatur jurans obligatione reali, proveniente ex vi contractûs, sed obligatio realis ad hæredes transit, quia est onus existens in rebus, in quas ipsimet hæredes succedunt, *l. necessario, §. quòd si pendente, ff. de peric. & commodo rei vend.* ubi DD. at verò si juramentum non confirmet actum, donec relaxetur, obligatur jurans illud observare obligatione personali, ut docet *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 48. *art.* 2. obligatio autem personalis ad hæredes non transmittitur.

Sequitur undecimo, contractum factum invalidum civiliter contrà juramentum de eo non faciendo, non firmari juramento præsenti: exemplum est, si quis juravit se non donaturum uxori, & posteà donet cum juramento non revocandi donationem, tale juramentum non confirmat juramentum per se civiliter invalidum, quia tale juramentum secundum induceret obligationem contrà obligationem non dandi, quam priùs habebat vigore prioris juramenti, *DD. apud Lessium citato loco.*

Quæres primo, quandò possit peti absolutio, seù relaxatio juramenti?

Respondetur, quotiès fuit præstitum per vim, seù metum gravem incussum tam ab alio contrahente, quàm à quocumque tertio absque culpa contrahentis, etiamsi juraverit, se non petiturum relaxationem talis juramenti, quia adhuc peti poterit, si per vim datum fuit. Idem, si fuisset præstitum per dolum incidentem in contractum: quòd si dolus dederit causam contractui, tunc non petitur relaxatio juramenti, quia contractus est irritus, ut suprà: poterit etiam peti relaxatio juramenti, quandò fuit quis injustè læsus in contractu, in quo juramentum emisit: in foro tamen externo conceditur relaxatio juramenti ob læsionem enormem, id est ultrà dimidium justi pretii. *Gutierez de juramento par. 1. cap. 26. Covarr. de pactis par. 3. §. 4. Sanchez in summa lib. 3. cap. 2. nu. 18.* Notandum tamen est, quòd si adesset periculum contemptûs Christianæ Religionis, non debet Superior relaxare juramentum, undè, ut

benè

benè docet *Sanchez ubi suprà*: si captivus apud Infideles jurasset, se ad illos rediturum, tenetur ad illos redire etiam cum periculo vitæ, ut Christianæ Religionis contemptus evitetur. Sic, si Christianus injustè redactus ad captivitatem ab Infidelibus, juramentum ipsis præstitisset tradendi certam pecuniæ summam in pretium suæ redemptionis, non posset hanc relaxationem obtinere, quia adesset periculum scandali, seù blasphemiæ, & contemptûs Dei. communiter DD. apud *Sanchez ubi suprà.*

Quæres secundo à quo peti, & obtineri possit relaxatio juramenti, dum justa subest causa illius obtinendæ?

Respondetur, distinguendo duos casus. Primus est quandò petitur absolutio juramenti, quoad vinculum spirituale, & tunc debet peti ab Episcopo, vel ab ejus Vicario, vel à Capitulo Sede vacante, *Gutier. rez lib. 1. quæst. Canonic. cap. 19. Sanchez lib. 3. cap. 21. Sbrozzius de offic. Vicarii quæst. 35. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 5. num. 9.* Superior verò relaxans debet esse Prælatus ipsius jurantis, quandò sunt diversæ Diœcesis contrahentes, nam Prælatus relaxans debet habere eum, cui relaxatur, ut suum subditum. Quòd si in relaxatione requiratur partis citatio, tunc deberet fieri à Prælato illius, cui juratum est, cùm non possit non subditus trahi extrà territorium, *l. extrà territorium, ff. de jurisd. omn. Jud. Sanchez ubi sup.*

Secundus casus est, quandò relaxatio non fit quoad vinculum spirituale tollendum, sed quatenùs tollitur obligatio: & hæc fieri potest ab eo, cui factum est juramentum, cùm unusquisque possit cedere juri suo, & ideò juramentum, si fuerit extortum per vim, poterit legitimus Superior sivè Ecclesiasticus, sivè laicus cogere eum, cui promissum est ad remittendam obligationem, ut ex *cap. 1. de jurejurand.* docent Canonistæ. *Sanchez ubi sup. cap. 22. Item de matrim. lib. 1. disp. 32.*

Quæres tertio, quandò in relaxatione juramenti opus sit citatione partis?

Respondetur, non opus esse, quandò petitur relaxatio solùm in foro conscientiæ. Secundo quandò petitur solùm ad effectum agendi, vel excipiendi in judicio contrà illum, cui juratum est ut quandò usurarius petit solutionem usurarum, cujus promissionem extorsit per injuriam, & jurans petit relaxationem juramenti. Erit ergò opus citatione, quandò in foro externo petitur, ut obligatio omninò auferatur, quia hoc casu non potest agi in præjudicium partis, ea non citata. *l. fin. C. de legibus, Sanchez ubi sup.*

Ex dictis habes primo, perjurum, qui nullam habet causam veniendi contrà juramentum, effici infamem, amittere actionem, nec à Judice debere audiri *l. si quis major*, ubi *DD. C. de transact. Anna alleg. 28.* & potest Laicus adire Judicem Ecclesiasticum, ut pro observantia juramenti cogat promittentem. *Polidorus Ripa observ. 36. Borellus in summa decisionum in titulo de juramento num. 67. tom. 1.* cui addas *Galiculam de absol. juramenti, & Bilottam eod. tract. Riccius in collect.* 1360. dicitur verò perjurus, quandò juramentum jam confirmat contractum.

Habes secundo, differre plenam absolutionem à juramento à simplici relaxatione; nam plena absolutio petitur coram Judice Ecclesiastico à quo obtinetur causa cognita, & parte, in cujus beneficium est juratum, prorsùs audita etiamsi à Summo Pontifice petatur. *Anna ubi sup. Afflict. dec. 30. & in praxi Curiæ Archiepiscopalis cap. 4. & 3 1. Genuensis* & ex hac absolutione tollitur vis juramenti. Si verò petitur relaxatio ad finem agendi, conceditur absque alia causæ cognitione, & partis citatione, immò ipsa parte non audita, & contradicente, *Afflictus dec. 220. num. 10.* tàm si petatur in Curia Romana, quàm si petatur in aliis Curiis Ecclesiasticis, *Anna ubi sup. & in singulari 2.* & si à tali relaxatione pars appellaverit, non impeditur, quominùs possit procedi super rescissione contractûs. Sic decisum in S. C. testatur *Franeus dec. 602.*

Secundo differt plena absolutio juramenti à simplici relaxatione, quia licèt plena absolutio, & simplex relaxatio ad finem agendi concedatur à Judice Ecclesiastico, *cap. venerabilem de electione*, tamen plena absolutio concedi debet ab Episcopo Diœcesis illius, cui est juratum: si verò petatur simplex habilitatio potest peti à quocumque Judice, etiam loci transeuntis, DD. citati.

Conveniunt verò plena absolutio, & simplex relaxatio. Primo, quia in utraque debet fieri mentio de omnibus & de singulis pactionibus, promissionibus, & capitulis appositis in contractu, quia quot sunt, tot juramenta censentur adhibita, & quot juramenta sunt, tot requiruntur absolutiones, & habilitationes, *Bald. in l. 2. de jurejuran. & in cap. debitores eodem tit.* & si agens esset absolutus ab uno, non poterit agere super alio, & si juratum esset non petere absolutionem, debet in specie peti ab isto juramento absolutio, seù habilitatio, *Afflictus dec. 220. Riccius in dec. Curiæ Archiepiscopalis 8.*

Quòd si petatur absolutio ab omnibus, & singulis juramentis appositis in contractu, tunc non requiritur alia absolutio, *Afflictus ubi sup.* qui hanc cautelam tradit.

Item in utraque debet fieri mentio de lite pendente, omnique alia causa inducente conjecturam, quòd si non esset expressa utique non fuisset concessa, nam si impetretur subreptitiè non valet, *Thorus in compendio decisionum, in verb. absolutio à juramento tom. 1.* quòd si pars, cui fuit juratum opponat, de subreptione absolutionis, poterit Judex laicus de illa cognoscere, *Afflictus dec. 220.* dicens ità fuisse sæpiùs judicatum, quòd si dubitetur de validitate, vel nullitate absolutionis concessæ tunc solus Judex Ecclesiasticus de ea cognoscit, & procedit: sic decisum refert *Pisanellus ad Afflictum ubi sup. Riccius collect. 2419. par. 4.* & videas eundem *Riccium in addit. ad Afflictum*, si eum illudere velis, & videre an suum sit quod ibi scripsit, legas eundem *lib. 2. var. resol. cap. 290. in tit. de absolutione à juramento.*

Secundo conveniunt, quia sicut plena absolutio non conceditur post incursum perjurium, ita nec simplex relaxatio ad finem agendi, *Anna alleg. 28. Molfesius cons. 43.* nisi obtineatur à Summo Pontifice in forma gratiosa, vel à summa Pœnitentiaria, *Borellus ubi suprà.*

Habes tertio principalem causam, ob quam petitur relaxatio juramenti esse metum, qui non sufficit si solùm sit reverentialis, nisi concurrat læsio, ut benè Rovitus in prag. 1. ad S. C. Maced. num. 60.

Et in contractu mulierum alienantium cum viro res dotales, debent probari minæ, verbera, & alia. Menochius de arbitr. jud. lib. 2. casu 135. & sequenti, & lib. 7. de præsump. præs. 127. qui metus difficilis est probationis, Philippus Paschalis de patria potestate cap. 3. num. 38. par. 3. & opus est probare minas, vel verbera fuisse illata in specie ex causa contractûs, quem rescindi petit, *Afflictus dec. 146. Anna singulari 341.*

Quòd si velis cautelam, ut non possit mulier rescindere contractum ex causa metûs, fac ut fiat alienatio à muliere causa cognita, & coram Judice, nam ejus præsentia facit cessare omnem metum, *Covarr.* in

*in cap. quamvis pactum par. 2. §. 1. num. 8. Afflictus dec. 30. num. 3.*

*Explicatur de qua culpa teneatur quis in contractibus.*

VIdimus suprà quandò dolus, & metus cadentes in contractibus illos reddat invalidos; nunc videndum est, ex qua culpa teneatur quis in contractibus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, culpam differre à dolo, quia qui contrahit cum dolo, habet animum nocendi, qui verò contrahit cum culpa potest habere scientiam illius culpæ, vel etiam ignorare, & non semper habet animum lædendi.

Sciendum secundo est, culpam reperiri in triplici genere. Prima enim dicitur culpa lata. Secunda levis. Tertia levissima. Culpa lata est omittere eam diligentiam in re, quam omnes Homines adhibent, ut si accepisti vestem à Francisco, & eam reliquisti in cortili, vel in scalis domus.

Culpa levis est omittere, quod homines diligentes facere solent, ut si accepisti pallium tibi commodatum, idque posuisti in domo, quam tamen non obserasti, ex qua alius surripuit, quo casu tu commisisti levem culpam, quia non fecisti, quod diligentes homines facere solent.

Culpa levissima est omittere ea, quæ diligentissimi homines faciunt, exempli gratia deposui apud te librum, & tu discedens de domo, includisti illum in ea, & obserasti, sed non observasti utrumnè fuerit obserata domus, vel arca, ubi eum posuisti, & accedens fur observat eam non esse obseratam, & furatur librum, in hoc casu dicitur culpa levissima commissa.

Accedit his omnibus casus fortuitus, est autem casus fortuitus eventus rei inopinatæ, ut incursus latronum vel hostium, ruina domûs, vel naufragium, & alii casus qui habentur in *l. in rebus commodatis §. 1. ff. commodati*. His positis.

Dico primo, quòd quandò contractus est solùm in utilitatem accipientis, tunc accipiens tenetur ad restitutionem damni secuti, non solùm ex dolo, vel lata, vel levi culpa, sed etiam ex levissima, & ideò si quis accepit librum sibi commodatum, qui ei furto sublatus est, ex dolo, vel lata, vel levi, aut levissima culpa tenetur restituere: ità *Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 8.* & cum eo omnes, idque colligi docent *ex textu in l. contractus; ff. de regul. juris, l. si ut certo. §. nunc videndum. ff. commodati, cap. unico de commodato.*

Dices: culpa levis est tantùm peccatum veniale, ergo durum videtur condemnare aliquem ad reddendam rem ablatam ob culpam venialem.

Respondetur cum communi Civilistarum, & Canonistarum opinione, accipientem rem commodatam teneri ex culpa levissima, quia illam in sui tantùm utilitatem accepit, & ideò talis obligatio est in accipiente non ratione peccati, sed ex natura contractûs. Fruitur enim accipiens re commodata absque ulla utilitate dantis, sed ex mera illius liberalitate, ergo tenetur illam custodire maxima diligentia, cui opponitur levissima culpa, qua de re *Sylvester in verb. culpa q. 4. & in verb. commodatum q. 4.*

Dices secundo: precarium est in gratiam accipientis, & tamen precario accipiens non tenetur ex culpa levi, vel levissima, ut colligitur ex *l. contractus, ff. de regulis juris. & ex l. quæsitum, §. cum quoque, ff. de precario l. 1. & 2. ff. depositi l. 1. §. precarium, ff. de precario.*

Respondetur, quòd licèt precarium sit ex liberalitate dantis, & vergat in utilitatem accipientis, sicut est in commodato, tamen non tenetur recipiens ex levi, & levissima, sed solùm de dolo, & lata culpa, cujus ratio disparitatis est, quia in precario liberum est concedenti pro suo libito precarium liberare, & revocare, tradens verò commodatum, non potest pro suo libito commodatum repetere, & revocare, ergo meritò accipiens precarium non tenebitur pro tanta culpa, cùm dependeat ex voluntate concedentis: in commodato verò secùs est, nam pro illo tempore, quo conceditur res, non potest commodans eam evellere, & sic non pendet ex concedentis voluntate pro eo tempore.

Dico secundo, quandò contractus est in utilitatem solius dantis tunc accipiens tenetur ex dolo, & culpa lata, non autem levissima, vel levi.

Probatur hæc conclusio ex *d. l. contractus, citata, & ex l. sicut certo, §. interdùm, ff. commodati*, undè depositarius tenetur solùm ex dolo, & lata culpa, non ex levissima, vel levi, quia depositum est contractus in gratiam deponentis tantùm celebratus, ergo ad ipsum spectat deponere rem apud virum diligentem, *l. quod Nerva ff. depositi, l. magna negligentia, ff. de verb. signif.* immò neque fieri potest pactum, ut depositarius non teneatur de dolo.

Dices ex omnibus legibus allatis habetur, quòd depositarius teneatur tantùm de dolo, ergo falsa nostra conclusio, teneri etiam ex culpa lata.

Respondetur, leges illas, & alias aliquandò nomen doli intelligere latam culpam, sicuti aliquandò nomen culpæ intelligunt levem, & levissimam, ut in *d. l. quod Nerva.*

Dico tertio, quandò contractus est in gratiam utriusque nempè dantis, & accipientis, tenetur ex dolo, & culpa lata, atque levi, accipiens: ex levissima verò non tenetur, *l. contractus, ff. de regul. juris, l. divisa, C. locati.* Et ideò accipiens pignus in securitatem crediti, tenetur de dolo, lata, & levi culpa, quia pignus traditur in utilitatem utriusque contrahentis, nam accipiens illud accipit in crediti securitatem; tradens verò aliquod aliud accipit: idem dic de famulo, cui custodienda res domestica traditur, qui etiam ex levi culpa tenetur, quia est contractus in utriusque gratiam celebratus. *Azor. par. 3. lib. 7. cap. 8. quæs. 5.*

Dico quarto: tribus modis potest accidere casus fortuitus. Primo modo, quandò oritur ex culpa antè casum, ut v. g. si ego sciens exponam rem acceptam ab altero, periculo perdendi illam, ut si sciens esse latrones in aliquo loco velim illàc transire cum nummis vel gemmis, quæ à latronibus mihi auferantur.

Secundo, quandò mora præcessit casum, ut si rem commodatam præfinito tempore non restituam, & furto, vel alio inopinato eventu illa res pereat, quæ apud eum, qui dedit, si reddidissem, illi non periisset.

Tertio, quandò quis se obligare velit ad omnem casum fortuitum, qui tres modi omnes ità accepti, possunt parere obligationem restituendi rem, quæ periit: adverte tamen, quòd cùm aliquis se obligat ad quemcumque casum fortuitum poterit accipere pro rei custodia, aliquod ampliùs, cùm sibi onus imponat, quod est pretio æstimabile.

Adverte tamen, quòd quandò exprimitur in contractu obligatio servandi rem ab omni periculo, per illud periculum, non intelligitur casus fortuitus, & ideò debet exprimi, ut ille teneatur etiam ex casu fortuito, & si exprimatur aliquis casus fortuitus, & addantur etiam similes casus, non intelliguntur illi casus fortuiti, qui majoris infortunii sunt, quàm ille, qui exprimitur in contractu.

*Explicatur quinam possint contrahere?*

REspondetur cum communi DD. sententia eos posse contrahere, qui habent posse actu disponere

de

de rebus suis, de quibus contrahunt: ratio est, quia per contractum alienantur res, obligantur, mutuantur, &c. ergo is, qui contrahit, utitur, administrat, & disponit de rebus suis. Ex quo.

Infertur primo, homines Religiosos simpliciter loquendo non posse contrahere, quia nullum habent dominium, idque verum est tàm de Religiosis existentibus intrà claustra, quàm extrà claustra sivè existant extrà claustr. de licentia Summi Pontificis, sivè non, ut sunt Apostatæ, quia hi omnes Religiosi tenentur observare votum paupertatis & sic sunt dominii incapaces, *Navar.* & alii communiter.

Quòd si Religiosis concedatur licentia à Superioribus contrahendi expressè, vel tacitè, poterunt contrahere, sed non ultrà facultatem traditam, & ad contractus, quos facerent obligaretur Monasterium, & superior tales contractus debet habere ratos, & ideò Religiosi absentes causa studiorum, vel alterius negotii de licentia superiorum, possent facere omnes illos contractus, quos attenta qualitate negotii recta ratio postulat, ut faciant, quia ad omnes hos contractus faciendos, censetur concessa tacita licentia, ut docet *Abbas in cap. 4. de officio ordinarii*; & ideò nota primo, peccare eum Religiosum, qui contrahit ultrà facultatem traditam, quia cùm possit superior non habere ratum, exponit eum, cum quo contrahit, periculo perdendi rem suam. Nota secundo Religiosum extrà claustra viventem quomodocùmque posse, dùm vivit, convertere in suam utilitatem, & usum ea bona, quæ acquirit, quia de hoc videtur concessa tacita facultas ut benè *Molina disp. 40.* Nota tertio fidejussores Religiosorum contrahentium ultrà facultatem iis concessam, non obligari, quia contractus factus ultrà facultatem nullus est; secùs si fidejussores apponerentur ad assecurandum contractum, posito quòd Prælatus, seù superior nollet illum habere ratum, tunc enim fidejussores obligarentur non solùm naturaliter sed etiam civiliter, ut benè *Molina ubi sup.*

Infertur secundo cum communi DD. clericos posse contrahere de bonis patrimonialibus, & quasi-patrimonialibus, & etiam de bonis beneficialibus, saltem quoad eam partem, quæ ad eos spectat ob congruam ipsorum sustentationem: de alia verò parte, quæ superfluit, si contrahunt, valet contractus, supponendo, clericos beneficiatos esse Dominos talis partis, sed peccant graviter, vel leviter, juxtà gravitatem, seù levitatem materiæ, quia talem partem deberent expendere in pios usus, in pauperes alendos, &c. non potest tamen clericus de bonis mobilibus, seù immobilibus Ecclesiæ disponere, quia nullus beneficiatus in particulari est dominus talium bonorum, cùm dominium talium honorum pertineat ad totum capitulum, & Episcopum, ut alibi dicemus.

Infertur tertio, Reos criminis læsæ Majestatis, Rebelles, aliosque delinquentes. quorum bona ratione delicti confiscantur Fisco, antè latam sententiam de confiscatione bonorum posse contrahere, ità tamen ut lata sententia retrotrahatur confiscatio ad diem commissi criminis, & consequenter rescinduntur omnes contractus facti ab eo die, omniaque Fisco applicantur, communiter DD. quos refert, & sequitur *Molina disp. 91.* Ratio est, quia antè latam sententiam tales Rebelles retinent dominium bonorum, quia verò tale dominium ex eo die, quo crimen commissum est, affectum est tali qualitati, ut posita sententia tanquam conditione transferatur ad Fiscum, meritò retrotrahitur, & talis Fiscus neque tenetur reddere pretium, quod delinquens accepisset pro rebus suis venditis, nisi fortè tale pretium extaret: & ideò peccant tales delinquentes, qui contrahunt titulo oneroso, dùm adest periculum confiscationis suorum bonorum, quia exponunt illum, cum quo contrahunt, periculo & damno, quòd si tale periculum notum sit illi, cum quo contrahunt, non peccarent, quia tunc is, cum quo contrahunt videretur cedere juri suo, *Molina ubi suprà.* Sicut peccaret etiam talis delinquens si antè latam sententiam in fraudem Fisci donat aliis bona sua, quia scilicet facit Fisco fraudem: Poterit tamen de talibus bonis vivere delinquens, & alere familiam, aliasque alienationes facere ad talem alimentationem faciendam.

Infertur quarto filiosfamilias posse contrahere de bonis castrensibus, & quasi-castrensibus, quia filiifamilias habent dominium, & administrationem talium bonorum: non verò possunt filiifamilias sine consensu patris de bonis adventitiis, & profectitiis contrahere. Ratio est, quia horum bonorum non habent administrationem. sed eam habet pater cum usufructu: quòd si pater exponeret filium ad negotiandum de his bonis adventitiis, & profectitiis, validi essent contractus, quia censerentur facti de consensu patris

Infertur quinto, infantes. scilicet minores novem annis cum dimidio si sint feminæ, vel minores decem annis cum dimidio, si sint masculi, prodigos, furiosos, amentes, seù stultos (nisi fortè fieret talis contractus, eo tempore, quo tales amentes habent lucida intervalla) non posse contrahere: ratio est, quia omnes hic enumerati, vel non habent, vel saltem censentur non habere usum rationis, quo rationabiliter sua bona administrent.

Infertur sexto, pupillos proximos pubertati, scilicet feminas minores 12. annis, majores verò novem annis cum dimidio, & masculos minores decimo quarto anno, & majores decimo cum dimidio, sic etiam simpliciter minores, qui scilicet de jure communi non adhuc compleverunt 25. annum, & de jure Regni nostri 18. annum, posse contrahere in suum commodum sine auctoritate Tutorum, vel Curatorum, & posse sibi alios obligare, non verò posse se aliis obligare: cujus doctrinæ ratio alia non est, nisi privilegium à jure tali ætati concessum, ex *l. non eo minùs, ff. de procurat.*

Infertur septimo. prodigum, cui prohibita est administratio bonorum, non posse contrahere, & contractum cum eo celebratum, esse invalidum nisi consensus Curatoris intercedat. *l. si curatorem. l. si certi conditio, ff. si certum petatur, l. is. cui bonis ff. de verb. oblig. Sanchez lib. 6. disput. 38. num.* 20. undè acceptum à tali prodigo retineri non posset. nisi tamen retineretur ratione compensationis alterius rei.

Infertur octavo, Servos contrahendo obligari naturaliter, & in conscientia ad servandum contractum, seu promissionem, l. quod attinet, ff. de reg. juris. *l. servi, ff. de action. & obligat.* civiliter tamen non obligari, d. l. quod attinet, excipitur tamen ab hoc promissio, seu pactum certæ pecuniæ pro libertate, *l. promissæ, C. an servus pro sua proprio, l. vix ff. de Judiciis.* Molina disp. 261.

An autem res minoris alienata cum licentia Tutoris, vel Curatoris, validè sit alienata, quæstio est? ad quam

Respondetur distinguendo duos casus, Primus est, quando Pupillus alienat res immobiles, vel etiam mobiles, quæ servando servari possunt, ut aurum, argentum, gemmæ, servi, &c. Et tunc ultrà licentiam tutoris, vel curatoris, etiam Judicis decreto opus est, & justa causa, qualis est solutio debitorum, necessitas sua alienandi, &c. quod Judicis decretum debet in actis inseri, l. lex qua tutores 22. *C. de administrat. tutor.* Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 38. nu. 6.

Secundus est, casus, quandò pupillus alienat res mobiles, quæ servando servari non possunt, & tunc requiritur tantùm licentia tutoris, vel curatoris, non requiritur auctoritas Judicis, *Sanchez ubi sup.*

Infertur nono, Curatorem non posse contrahere cum Minore, nisi palàm, & bona fide contrahat, quia prohibetur contrahere, non secùs, ac tutor cum pupillo, *l. pupillus, ff. de auct. tutor.*

*De emptione, & venditione.*

VIdimus suprà de contractibus in universali, nunc de contractibus in specie videndum est; & ut ordinatè procedamus.

Primo, agemus de contractibus, qui solo consensu celebrantur, quales sunt emptio, & venditio, locatio, & conductio, societas, mandatum, quibus addemus cambium, emphiteusim, & feudum, nam ut benè docet *Azorius part. 3. lib.* 10. census, & cambium sunt species emptionis, & venditionis, emphiteusis verò, & feudum sunt species locationis.

Secundo agemus de contractibus, qui perficiuntur traditione, qualia sunt mutuum, commodatum, depositum, precarium, pignus & permutatio.

Tertio agemus de contractibus, quos *Azorius lib.* 11. appellat improprios, & dubios, eo quòd ex una tantùm parte obligationem pariant, & sub his comprehenduntur quasi-contractus, & contractus, qui celebrantur verbis, ut sunt stipulatio, donatio, pollicitatio, transactio, assecuratio, sponsio, fidejussio, & quasi-contractus.

*Explicatur quid sit emptio, & venditio.*

EMptio est pactio pretii pro merce, venditio verò est pactio mercis pro pretio, *l. 1. ff. de contrah. empt. Valentia tamen tom. 3. disputat. 5. quæst. 2. punct.* 1. ait, quòd emptio est contractus, quo pretium pecuniarium datur pro re, venditio verò est contractus, quo datur res pro pretio pecuniario.

Dicitur contractus, seù pactio loco generis, quia in hoc convenit cum aliis contractibus.

Dicitur, quo pretium, quia per hoc differt hic contractus à permutatione, in qua non traditur pretium, sed una res cum alia permutatur, & appellatione pretii venit pecunia, quæ mensura est omnium rerum venalium, & sic emptor quamlibet pecuniam publico sigillo signatam solvere potest, nec eam venditor recusare potest, *l. 1. cum sequentibus, C. de veteris numismatis promissione lib.* 11. nisi tamen aliud fecissent pactum emptor, & venditor. *Filiucius tract. 35. part. 2. cap. 11. quæst. 6. nu.* 488.

Dicitur pro merce, id est pro eo, quod loco pecuniæ traditur, sicut est omnis res vendibilis, mobilis vel immobilis.

Dices etiam in locatione, & venditione datur pretium, cùm enim quis equum, vel domum conducit, pretium solvit, ergò emptio, & venditio à locatione non differt.

Respondetur, quòd res, quæ locatur non datur pro pretio, sed ejus usus conceditur, at in venditione traditur res pro pretio, & sic differt emptio à locatione. Ex qua definitione.

Infertur primo, ad contractum emptionis, & venditionis tria requiri scilicet pactionem, pretium pecuniarium, & mercedem, & ideò non requiritur per se loquendo scriptura, neque stipulatio, neque traditio rei, quæ venditur, neque traditio pretii, pro quo res venditur.

Infertur secundò emptionem fieri posse per litteras, vel per nuncium inter absentes, quia cùm emptio solo consensu celebretur, & consensus præstari possit per litteras, vel per nuncium, sequitur, emptionem sic posse celebrari, *d. l. 1. §. fin.*

Infertur tertio, quòd cùm traditio non sit de substantia emptionis, si disponat statutum, ut de re empta solvatur gabella, debet statim in eo loco solvi, ubi contractus celebratur, non ubi res traditur, si contractus sit absolutus, quòd si celebratus sit sub conditione, tunc quia conditione adveniente retrotrahitur ad tempus facti contractûs, debentur gabellæ priori gabellario, si tempore traditionis, vel conditionis adimpletæ alius gabellarius mutatus sit. Idem est quandò quis vendit rem sui amici cum pacto ratihabitionis, quia posita ratihabitione amici, validus est contractus, & retrotrahitur ad tempus, quo celebrata fuit venditio, *cap. ratihabitionem de regulis Juris in 6. Genesius 2. lib. variar. cap. 12. num. 30.*

Infertur quarto, validum esse contractum emptionis, quandò constitutio pretii refertur in certam personam determinatam, puta Vendo tibi equum quanti Sempronius judicaverit, quo casu non censetur contractus perfectus, quòusque pretium definiatur. *l. fin. §. pretium, C. de contrah. empt.* quòd si Sempronius moriatur, vel noluerit judicare, tunc rescinditur contractus, quia non potest perfici ex alterius defectu, & ideò Gabella erit solvenda posteriori gabellario, si mutatus sit primus, id est, qui tempore, quo pretium determinatur, reperitur in exigendis gabellis, *DD. ubi suprà*, quia tunc perficitur contractus, quo pretium determinatur, non sic est in contractu conditionali, in quo conditione veniente fictione juris retrotrahitur contractus ad tempus antecedens.

Infertur quinto, quòd si cum pecunia detur alia res, putà cùm pro domo dantur centum aurei, & equus, talis contractus censetur emptio, quia res, quæ traditur, exceditur a pecunia, quòd si res, quæ traditur, excesserit pecuniam, tunc permutatio, non emptio censetur. Si verò res, & pretium sint æqualia tunc ille erit contractus, quem partes celebrare intendant, scilicet emptionis, aut permutationis ad eorum libitum, &c.

*Explicatur, quomodò justè celebratur emptio, & venditio.*

UT emptio, & venditio justè celebretur, plura requiruntur, &c.

Primò, ut personæ, quæ emunt, & vendunt possint emere, & vendere, nec à Jure prohibeantur, ideò furiosi, prodigi, Religiosi, aliique qui à jure prohibentur, emere, aut vendere non possunt. Sic usufructuarius, licèt fructus perceptos vendere possit: non tamen jus percipiendi fructus, utpotè personale, vendere potest. *Azorius par. 3. lib. 8. cap. 3. & 4.* sic maritus licèt rem acceptam in dotem possit vendere, cùm eam recipit pretio extimatam, non tamen vendere potest rem dotalem, quam recipit pretio non extimatam, nec ex consensu quidem uxoris, ut in *titulo ff. & C. de fundo dotali, instit. quibus alienare licet, vel non*; sic etiam Princeps licèt vendere possit Oppida, & Urbes, propter publicum Regni utilitatem; tamen libera debet esse civibus facultas se redimendi, si offerant tantum pretium, quantum alteri personæ Urbs, vel Oppidum venderetur. Sic Christiani non possunt vendere merces, arma, &c. Infidelibus, immò excommunicatur in Bulla Cœnæ Domini, quicumque arma asportant ad Infideles, qua de re legas titulum. *C. quæ res vendi non possunt*, & alium titulum, *quæ res asportari non possint.* Sic Syndici, & electi Universitatis non possunt res ejusdem Universitatis alienare, & in Regno nostro, servatur, ut nihil facere possint in præjudicium Universitatum Syndici,

& Electi

& Electi sine Regio assensu, & justa causa, ut in *Pragm. de administr. Universitat.*

Secundo requiritur, ut justè celebretur emptio, ut servetur æqualitas inter pretium, quo emitur, & mercem, quæ venditur, quia si non servaretur æqualitas, emptor, vel venditor injuriam paterentur, & sic justitia non servaretur. Ex quo

Infertur primo in emptione, & venditione non posse recipi, nisi justum pretium, quod quidem ex *Arist. lib. 2. ethic. cap. 7.* duplex est, aliud legitimum, seù legale, aliud naturale, seù vulgare: legitimum, quod lege Principis taxatur, & ideò legale appellatur: naturale verò illud est, quod communi hominum existimatione statuitur: pretium naturale habet latitudinem, & suos gradus nempè supremi, medii, & infimi: pretium verò legale non habet hanc latitudinem, sed in indivisibili consistit, *S. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 1.* ubi *Cajetanus, Bannes, Aragonia, & cæteri DD. & nos infrà*: undè putant multi DD. Pragmaticam taxantem pretium frumenti tempore inopiæ esse servandam sub peccato mortali, & obligatione restituendi etiam tempore inopiæ, & sterilitatis, ità *Salas de emptione & vendit. dub. 7. num. 3. Salonius de just. & jure tom. 2. quæst. 77. art. 1.* qui multos citat; ego tamen in hac re contrarium teneo cum *Molina de justitiâ, & jure tom. 2. tract. 2. disp. 364. num. 7.* qui docet, quòd si frumentum anteà erat certa lege taxatum; quandò supervenit necessitas puta sterilitas, & inopia, non teneri homines vendere triticum pretio tempore abundantiæ taxato; immò Princeps injustè ageret non mutando pretium taxatum *Lessius lib. 2. c. 21. dub. 3 n. 14.*

Quòd si pretium determinasset Princeps tempore sterilitatis, tunc etiam tempore abundantiæ tenerentur illud subditi servare, quia pro tempore sterilitatis solet taxa constitui, sicut si pretium Ovium, vel aliorum animalium sit lege taxatum, quandò dicentur alia ejusdem speciei, quæ notabiliter aliis excederent, possent vendi ultrà pretium lege taxatum, secùs si excessus esset in modico. *Molina de just. & jur. tom. 2. disp. 364. Reginal. in praxi tom. 2. lib. 25. c. 16. sect. 3. n. 384.*

Hinc docet *Filiuccius tom. 2. tract. 35 cap. 4. num. 88.* vendentes fructus meliores pretio majori, deteriores pretio taxato peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Idem docet *Fernandez in instruct. confessor. par. 3. cap. 22. n. 4.* de eo, qui vendit carnes electas, pisces meliores; quia eo ipso, quòd pretium est taxatum, intelligitur comprehendere res ejusdem speciei, etiamsi sit modicus excessus in bonitate, vel deterioratione. Undè recedas à *Alolfesio in summa tom. 2. tract. 12. cap. 5. num. 89.* qui excusat hos venditores, dicens posse aliquid plus ultrà taxam recipere, vel ratione laboris, vel damni, quod sustinent in vendendo residuo carnis. Id enim verum esset, si macellarii residuum venderent, etiam pretio currenti, at constat experientia eos pretio currenti residuum vendere, quòd si aliquandò minùs vendant, excessus pretii carnis electæ est longè major, sine comparatione, quem tamen excessum injustè percipiunt.

Recedas etiam, à *Rodriquez in summa tom. 4. cap. 172. num. 1.* qui docet illud plus macellariis, & aliis dari ratione gratitudinis, & omninò liberaliter, quod tamen falsum est, quia emptores nisi illud pretium darent, res illas non haberent, & ideò bene *Megala 2. 2. lib. 2. cap. 6. quæst. 3. num. 113.* monet emptores, ne spe majoris pretii inducant macellarios, & alios venditores ad electionem carnis, quia peccarent mortaliter, utpotè proximum inducentes ad transgressionem taxæ pro notabili quantitate; ex-

cusarentur tamen à peccato, si ipsi peterent simpliciter carnem electam, & macellarius spontè diceret se nolle dare illam, nisi pretium excedat, quia tunc emptores redimerent eorum vexationem: observat etiam *Megala ubi suprà*, non excusari à peccato macellarios, & alios, ità vendentes, ob pœnam in Edicto extimatorio statutam, nam ea non obstante committunt injustitiam circà pretium. Et tandem observat. *Graff. in decis. par. 1. lib. 2. cap. 93. num. 21.* non excusari hos tales propter læsionem parvam; quia dicta rei parvitas non excusat, quandò fit intentione accipiendi notabilem quantitatem.

Rogabis, quodnam sit pretium naturale? Respondetur, esse illud pretium, quod res habet non à principe taxatum, sed ex communi hominum extimatione, & dici solet pretium vulgare, & triplex est, scilicet, infimum, seù pium, medium, seù moderatum, & supremum, quod rigorosum vocant: undè si pretium infimum alicujus rei sit nonaginta quinque, medium erit centum, rigorosum centum & quinque, & ideò potest quis eandem rem vendere infimo pretio rationæ præsentis, & numeratæ pecuniæ, quam sine violatione justitiæ potest alteri vendere pretio rigoroso, quia illi vendit in credito sine pecunia præsenti, & numerata: sic, ut suprà vidimus, licitum est vendere res credita pecunia pretio rigoroso, & postea illas emere statim numerata pecunia pretio infimo, vel medio. *Layman. in Theolog. morali lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. num. 16. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. nu. 130.* & alii apud eos, quia in tali emptione, & venditione emitur res justo pretio, dummodò tamen non fiat pactum inter emptorem, & venditorem, ut rem emptam iterùm sibi vendat pretio medio, vel infimo, DD. citati.

Infertur secundo, ex iisdem principiis eum esse tutum in conscientia, qui emit nummo aureo gemmam à rustico ignaro valoris gemmæ. Undè si in aliqua regione res aliqua parvi extimetur, idque ignorent Incolæ, poterit parvo emi, sicuti fecerunt Hispani ementes aurum apud Indos. Sic si lapidario esset ignota virtus alicujus lapidis pretiosi, qui scit illius valorem, poterit pretio communi illum emere: sic qui in fasce herbarum, olerum, vel lignorum, quæ ad cibum hominum, vel animalium, vel ad ignem venduntur, inveniat herbam magnæ virtutis ignotæ, poterit eam emere pretio currenti, ut communiter docent DD. apud *Molinam tom. 2. tract. 2. disp. 353. Lessius lib. 2. cap. 81. dub. 11. num. 11. nu. 85.* ratio est, quia tota illa res, ad eum usum, quo vendi solet, non pluris extimatur, sic qui sciret in aliquo fundo latere Thesaurum, vel venam metalli pretiosi, poterit illum emere non majori pretio, quàm secundùm externam superficiem valet, quia communiter ager ille non extimatur ratione thesauri, vel venarum, ergò licitum est illum emere pretio currenti.

Infertur tertio, etiam Clericos teneri vendere res pretio à Principe taxato, non quidem vi coactiva, quasi etiam ad pœnam compelli possint, sed vi directiva, quia cùm jure naturali teneantur vendere res justo pretio, & justum pretium est illud, quod à lege taxatum est, sequitur eo pretio teneri vendere. *Sotus de just. & jure lib. 1. qu. 6. art. 7. Molina tom. 2. tract. 1. disp. 31. num. 13. Salonius 2. 2. quæst. 77. art. 13. controv. 10.* ea verò statuta, quæ prohibent extractionem annonæ, videlicet vini, frumenti, &c. extrà territorium deferri, ut conservetur abundantia in Civitate: non ligare Clericos dixerunt contrà Hispanos, & *Menochium tom. 8. cons. 800. num. 38.* omnes nostri, ut *Azorius part. 3. lib. 5. cap. 19. Bartholom. à Sancto Fausto in speculo confess.*

*confess. disp.* 33. *quæst.* 10. *Belletius in disquis. Cleric. part.* 1. *tit.* 6. *part.* 3. *Marta de jurisdict. part.* 4. *casu* 83. *Grammaticus decis.* 100. *num.* 15. *Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect.* 21. *num.* 420. qui communiter docent, cavendum esse à *cons.* 800. *Menochii*, quia in multis librir deletum est, utpotè contrà Ecclesiasticam libertatem, Idem dic de *cons.* 100. ejusdem Auctoris, adversùs quem scripsit *Surdus cons.* 301.

Infertur quarto, quòd, cùm pretium naturale sumatur ex communi hominum extimatione, poterit aliqua res plus vendi ex aliquibus circumstantiis, quarum Prima est multitudo emptorum quæ facit, ut res plus vendi possit idque ratione periculi, quod homines subeunt carendi re. Secunda est affectus ad rem, quem venditor habet, ut in gemmis, vel antiquis statuis accidit, quæ cariùs ex tali effectu vendi solent. Tertia circumstantia, & causa est lucrum cessans venditori, vel damnum emergens, quod venditor patitur vendendo pecunia credita, ob quod augeri solet pretium: dummodò venditor esset conservaturus res usque ad tempus solutionis & dummodò deducat expensas, quæ in eis conservandis faciendæ essent. *Cajetanus* 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *Sotus de Just. & jur. lib.* 6. *qu.* 4. *art.* 3. *Joannes de la Crux in directorio par.* 1. *propos.* 7. *quæst.* 5. *dub.* 7. *conclus.* 2. *& alii*, Quarta causa est periculum amittendi totum vel partem pretii, vel periculum rècuperandi pretium cum expensis, & molestiis, cùm tale periculum, cui se exponit venditor, sit pretio extimabile.

Semper tamen de hoc est admonendus emptor, scilicet ideò ei rem vendi cariùs, quòd adest damnum, vel periculum ex parte venditoris, ne invitus emat emptor majori pretio. *Lessius. & alii citati.*

Infertur quinto, posse res emi minùs, quàm valent, si emantur anticipata solutione, quandò anticipata solutio est emptori causa damni emergentis aut lucri cessantis, aut adsit periculum rem emptam non recuperandi, quia cùm hæc omnia sint pretio extimabilia, potest emptor per viam compensationis retinere pretii diminutionem, *Bonacina ubi sup. num.* 20.

Infertur sexto, rem minùs, vel plùs vendi posse ex aliis causis: si enim vendatur minutim, cariùs venditur, quàm si in magna quantitate: sic si merx offeratur ultrò emptori, minùs venditur, sic res sub hasta pluribus concurrentibus cariùr venditur, quàm paucis concurrentibus; immò etiamsi vendatur res voce præconis duplo, vel pluris minùs vendatur, quàm valeat, non est restituendum, quia justum pretium in subhastatione etiam illud est, quandò res duplo venditur, quàm valeat, & ex parte emptoris illud est, quod potest extorqueri absque fraude, & in excessu pretii præsumitur donatio, cùm nec ignorantia, nec fraus, nec necessitas cogat emptorem ad sic emendum, vel venditorem ad sic vendendum, *Bonacina ubi sup. par.* 4. *num.* 21.

Quòd si in tali subhastatione intercesserit læsio ultrà dimidium justi pretii, poterit læsus contrà lædentem agere, & contractum rescindere, vel ut suppleatur justum pretium, sivè venditio facta sit sub hasta, sivè non, ut benè ex DD. docet *Sanchez in summa lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 21. *Canonistæ* communiter in *cap. cùm causæ de empt. & vend. Francus dec.* 224. & alii communiter.

Ampliatur, ut nec teneatur ad restitutionem ille, qui in subhastatione rogavit amicos volentes emere, ne plus offerrent certa quantitate, ad hoc, ut ipse posteà emeret rem illam pretio infimo secundùm illum modum vendendi, ut docent *Bonacina de contract. disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 10. quia non omne monopolium mercatorum, ut non nisi certo pretio emant, est iniquum, si reverà illud est pretium justum. Idem dic de eo, qui vult officium, vel vectigalia emere, quia hoc non est caritatem inducere, sed industria uti, & ideò tunc peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem, quandò vi, vel fraude impediret alios, ne augeant pretium, & sic intelligitur *Megala secunda lib.* 2. *cap.* 6. *quæs.* 50. *num.* 146.

Infertur septimo, gemmas insignes, Canes, Falconea picturas antiquas, & similia, quæ non habent pretium taxatum à Principe, vel communi hominum extimatione, posse vendi eo pretio, quo voluerit venditor, ut tenet *Sotus de just. & jure lib.* 6. *q.* 2. *art.* 3. *Valentia tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 20. *p.* 2. *Reginaldus in praxi lib.* 25. *cap.* 16. *sect.* 4. *num.* 286. quia cùm harum rerum nulla sit necessitas, vendi poterunt, quantùm in mente ab unoquoque extimantur.

Infertur octavò, contractum illum, seù vulgo ludum *Beneficiata*, seù *Sorte*, validum, & licitum esse, quandò scilicet plures conferunt pecuniam, singuli tamen modicam, & levem, nec potest minister hujus contractûs, seù ludi, excedere pretium justum rei habita ratione laboris, &c. & qui parvam pecuniam solvit, potest rem sibi retinere, quia simul cum aliis justum pretium solvit, & se subjecit periculo lucrandi, & perdendi, quòd si fraus adhiberetur ab aliquo, ut scilicet sors uni obveniret, tenetur, qui fraudem commisit, reliquis restituere saltem, quod ipsi contribuerunt, *Bonacina ubi suprà par.* 4. *num.* 26 *Martinus del Rius in disquisit. magic. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *q.* 2. & alii apud eos.

Infertur nono, non posse rem cariùs vendi eo, quòd sit valdè utilis emptori, nisi concurrat lucrum cessans, vel damnum emergens venditoris, nam venderetur emptori utilitas, quæ propria est emptoris, sicut nec indigentia emptoris particularis, est sufficiens causa augendi pretium, cùm non possit res cariùs pauperi, quàm diviti vendi, sicut nec augeri pretium potest ex eo, quòd venditores extraordinarias subeunt expensas, undè si navis, qua merces vehebantur submersa sit, aut exusta domus, in qua merces servabantur, non potest ob hoc pluris vendere mercator DD. ubi suprà.

Infertur, decimo venditores, qui mendaciis affirmant, rem sibi tanti extitisse, vel tanto pretio aliis vendidisse, ut emptorem traherent ad rigorosum pretium, non peccare mortaliter, neque teneri ad restitutionem; nam hæc sunt communia mendacia, & homines ferè communiter norunt, hæc esse stratagemmata vendentium, quibus emptores fidem non præstant: idem dic de emptoribus affirmantibus, rem aliis minoris emisse, ut ad infimum pretium descendant DD. cit.

Infertur undecimo, iniquum esse illud pretium, quod vel emptores, vel venditores sine privilegio Principis inter se de industria convenientes, atque adeò monopolium facientes constituunt, ut scilicet nemo emat vinum, v. g. nisi tanti. vel nemo emat frumentum, nisi tanti (monopolium enim dicitur à monos, qui est unus, & polium, quod venditio, undè monopola, id est exercens monopolium dicitur unus venditor) ratio est, quia pretium, ut justum sit, debet vel à legislatore, vel ab hominibus prudentibus imponi, qui debent considerare conditiones, & circumstantias, puta copiam, inopiam, necessitatem mercium, copiam emptorum, pecuniarum, &c. at verò pretium constitutum ab emptoribus, seù venditoribus monopolium facientibus non ex recta ratione, & administratione procedit, sed ex prava cupiditate avaritiæ imponi præsumitur, undè graviter isti à jure castigantur, *l. unica. C. de monopoliis*, *Sylvester in verb. emptio. q.* 13. *&* 18.

Quòd si pretium à mercatoribus taxatum per monopolium non esset, neque ultrà rigorosum pretium,

neque

neque infrà infimum, utique peccatum contrà justitiam non esset, quia pretium esset, nisi id, vel vi, vel fraude facerent: peccarent verò contra charitatem quandò hoc faciunt, quia emptores ipsorum culpâ emunt rigoroso pretio, aliis empturi medio, vel infimo pretio, & ob id sentiunt incommodum, *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 2.*

An verò peccent contrà justitiam, qui tempore messis omnes merces emunt, easque recondunt ut cariùs vendant, quos vulgo *Ricattieri* appellant; quæstio est, ad quam affirmativè respondet *Rebellius de obligat. justitia par. 2. lib. 9. q. 18. sect. 3. num. 38.* negativè verò respondet *Bonacina de contract. disp. 3. par. 2. punct. 5. num. 5. Molina de justitia. & jure disp. 345.* cui videtur adhærere *Lessius lib. 2. cap. 21. dub 20. num. 150.* probatur, quia tales non peccarunt contrà justitiam, quandò emerunt, nam supponimus emisse pretio currente, nec peccant supprimendo merces, quia non tenentur vendere ex justitia tunc, sed possunt ea in alia tempora servare, vel deferre in alia loca, nec Cives habent jus eas emendi, si ipsi liberè noluerint vendere, *Diana par. 1. tract. 8. resol. 27.*

Dices: possunt cogi à Magistratu ad vendendum, ergo peccant contrà justitiam.

Respondetur negando consequentiam quia ex eo, quòd possint cogi à Magistratu, solùm sequitur esse aliquod crimen contra bonum publicum, non autem contrà justitiam particularem, ergo ad summum peccabunt contrà charitatem, & bonum publicum, sed non tenebuntur ad restitutionem.

Ideò docet primo *Filiuccius tom. 3. tractat. 35. cap. 8. num. 214.* posse mercatorem sine onere restitutionis impedire alium, ne aliundè ab aliis merces in Civitatem portentur, dummodò id non faciat fraude, minis, &c. Sed ex sua industria, & bonis artibus Secundo docet *Reginald. tom. 2. lib. 5. num. 330.* posse aliquem supprimere merces suas usque ad tempus opportunum, quo possit eas majori pretio vendere secluso monopolio, quia sic faciens utitur jure suo, habet enim jus consulendi sibi, & merces suas vendendi justo pretio. Tertio docet *Bonacina ubi suprà num. 6.* transferentes triticum extrà territorium non peccare mortaliter, etiamsi ob id pretium notabiliter augeatur, quia sic facientes violant justitiam legalem, non commutativam, ergo non obligantur ad restitutionem, sed ad summum peccabunt contrà caritatem, & prohibitionem Principis.

Infertur duodecimo, eum non peccare mortaliter, qui à Principe privilegium obtinet, ut ipse solus possit quædam genera mercium vendere, dummodò eas justo pretio vendat, quod pretium deberet ipse Princeps taxare ad fraudes, & injustitias removendas, DD. citati.

Infertur decimo tertio, posse nedùm personas privatas, sed etiam Senatum & Officiales, ut Consiliarios Principis, aut Vicereges vendere res suas, quandò agnoscunt minuendum esse earum pretium, ex lege, vel mandato Principis, ut contrà Molinam *Lessium, Pinellum, Padillam,* & alios, docent: *Bonacina ubi suprà punct. 5. num. 14. Turrianus in 2. 2. S. Thomæ disp. 18. dub. 1. num. 7. Covarr. in regula peccatum par. 2. §. 4. num. 6.* Ratio est, quia eas vendunt pretio currenti, nec Principis decretum nondùm promulgatum obligat prædictas personas, ergo poterunt vendere pretio currenti. Quòd si Consiliarius Principem induxerit ad eam legem sibi manifestandam ad eum finem, tunc peccat tanquàm inducens Principem ad inferendum damnum aliis per manifestationem dictæ legis. Sicut neque peccat, qui vendit merces civibus, quas scit brevi ab hostibus diripiendas, quia eos prævidet superventuros, nam utitur jure suo, neque hoc est vitium intrinsecum, quod reticet, sed extrinsecum, secùs dic de eo, qui pretio currenti vendit librum, quem scit esse prohibendum non manifestato emptori tali periculo, quia reticet defectum intrinsecum, ob quem prohibendus est, quia eo cognito emptor illum non emisset.

Infertur quarto decimo, eum, qui non exercuit monopolium, posse justè suas merces vendere pretio illo, quod monopolium creavit, quia mercator hoc casu vendit eo pretio, quod est commune, sed pretium commune justum est, etiamsi sit auctum per fraudes aliorum; ergo; docent *Bonacina ubi suprà num. 11. Turrianus 2. 2. dub. 57. dub. 8. num. 7.* contrà alios, qui oppositum sentiunt, *Diana par. 1. tract. 8. resol. 24.*

Tertio requiritur, ut emptio, & venditio valeat, quòd res, quæ venditur sit vendibilis, adeòque sit pretio compensabilis, quia si res non est vendibilis non poterit pretio compensari, adeòque non poterit justè emi, seù vendi, emptio enim & venditio, non est aliud, quàm justa rei cum pretio compensatio. Ex quo.

Infertur primo injustam esse venditionem earum rerum, quæ vendi non possunt, ut res spirituales, sacræ, &c. poterunt tamen Calices, aliaque similia, sivè fracti, sivè integri vendi, non quidem ratione formæ, sed ratione materiæ, quam continent, scilicet ratione argenti, vel auri, vel etiam industriæ, & artificii, quo elaborati sunt, cùm autem venduntur integri, vendi debent solùm ecclesiasticis, ut iis utantur ad pios usus, & etiam pro captivis redimendis vendi possunt, *can. aurum. 12. q. 3.*

Infertur secundo, posse vendi venena, quæ tantùm ad malum usum inserviunt; ea verò, quæ admixta cum aliis rebus possunt humanis usibus inservire, ut venena, ex quibus conficiuntur medicamenta vendi possunt illis, quos constat usuros esse ad humanos usus *l. qui sæpè, ff. de contrah. empt. Sanchez in summa lib. 1. cap. 7. num. 17.*

An verò possit quis vendere res indifferentes, si sciat, emptores abusuros in damnum tertii, quæstio est, & licèt neget *Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 25. cap. 15. num. 265.* Affirmant verò communiter alii apud *Sanchez ubi suprà.* Ideò non peccat, qui meretrici ornamentum aliquod vendit, quod emit ad scandalizandum innocentem: sic non peccat, qui vendit fucos, monilia, & vestes feminis abusuris illis ad adulteria; sic vendens taxillos, & cartas lusorias injustè usuris non peccat; sic deponens pecunias apud usurarium, qui illas exercebit ad usuras, non peccat: sic locans domos meretrici non peccat, etiamsi meretrix honestas vicinas perversura sit: omnium autem causa rationabilis excusans esse potest, vel necessitas vendentis, vel utilitas ejusdem, nec spectat ad venditores examinare intentionem ementium. *Faustus in speculo disp. Confess. 6. q. 101.* qui refert alios.

Hinc benè docet P. *Franciscus Merolla in Theolog. moral. tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 1. coroll. 3. num. 280.* quòd Aurigæ, qui vulgo *Segettari* vocantur non peccant mortaliter deferentes meretricem de uno loco ad alium, quam sciunt illùc peccaturam, quia adest causa non amittendi lucrum, quod ex eo ministerio comparant, sicut etiam docet *Azorius par. 2. lib. 12. cap. ult. q. 8.* famulus deducens concubinam in domum heri, vel alium locum, in quo peccatura est, non peccat mortaliter.

Sic docet, licere famulis cibos condire, & ad mensam ministrare, & lectum sternere concubinæ heri, & ornare heram meretricem: sic possunt famuli sternere equum, & herum comitari, & expectare, sic poterunt jussu heri portare aliqua munuscula ad concubinam, vel alia facere concernentia.

Idem docent DD. apud *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 18. *Layman in Theol. moral. lib.* 2. *tract.* 3. *cap* 13. *num.* 2. *Duardum in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 3. *q.* 13. *concl.* 1. *num.* 1. Captivos Christianos remigantes in triremibus Turcarum non peccare mortaliter, nec incidere in excommunicationem, quia eorum cooperatio contrà Christianos non est propinqua, ut sine illis damnum non fieret, & ideò non sunt audiendi *Navarr. Salas, Ugolinus, Coninch. Toletus*, & alii, qui volunt, animas eorum in peccatis damnari, cùm Torcæ opera eorum affligunt: nisi tamen velimus, tunc peccare mortaliter prædictos Christianos, quandò in eo statu res esset posita contrà Christianos, ut si captivi auxilium denegarent, Christiani magno liberarentur periculo, vel eis conferrent victoriam, quia tunc bonum Christianæ Reipublicæ anteponendum erit propriæ vitæ. Sic peccant, qui directè influunt contrà Christianos, ut sunt dirigentes tormenta, vel ignem applicantes: DD. citati.

Sic docent DD. licere alicui amicum domum suam abducere, & cœnam ei hospitalitatis causa præbere, quem vidit ad cauponam velle accedere causa violandi jejunii, *Layman ubi suprà*, sic licet cauponibus cibum ministrare eis, quos videt solvere jejunium: sic licet alicui vendere Idolum Infideli, aut Judæo, in Synagoga ædificanda operam locare, si magna prematur egestate. Quorum casuum decisio pendet ex eo principio, quia non est directè ad malum cooperari, neque indirectè præbere alteri proximam materiam peccandi ex se indifferentem ex justa causa non intendendo ejus peccatum, sed ad aliud spectando *Tanderus in S. Thom.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. *num.* 144.

Infertur tertio, res pupilli, vel minoris emi non posse à Tutore, vel Curatore, cùm id prohibeatur ob fraudis præsumptionem, *l. cùm ipse. C. de contrahen. empt.* quòd si emat palàm, vel sub hasta, tunc tollitur suspicio fraudis.

Infertur quarto, res litigiosas, de quarum scilicet dominio dubitatur, vendi non posse, *l. censemus, C. de litigiosis*: sic nec res publico usui destinatæ, ut via, forum, &c. possunt à persona privata vendi, *l. sed Celsus, C. de contrahend. empt.*

Infertur quinto, officia sæcularia, scilicet Judicis, Consiliarii, Lectoris, aliorumque Ministrorum Fiscalium vendi posse, ut benè docet *Azorius par.* 3. *lib.* 8. *cap.* 17. *q.* 7. *Filiuccius tom.* 2. *tract.* 24. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 44. Intellige, dummodò vendantur hæc officia personis idoneis pretio moderato, quia per se hæc officia vendibilia sunt, nec stantibus dictis conditionibus adest ullum jus læsum: ergo. In Regno verò nostro adest *prag.* 2. *de Officialibus, & quæ eis prohibeantur*, ubi habetur officia deputata ad administrationem justitiæ, per perceptionem pecuniæ nullo modo posse vendi. Igitur habes, quòd per se, & præcisè si talia officia his hominibus justo pretio vendantur, non erit invalida venditio, ut benè *S. Thom. in epistola ad Ducissam Barbantiæ opusc.* 31. & hæc venditio non nocet, sed prodest Reipublicæ, etenim, qui sic emerint officia, benè ea administrabunt, timebunt omnque, ne propter malam administrationem, à Principe priventur officio, & simul cum officio perdant pretium, quo illud emerunt, & faciliùs Princeps potest malè officia administrantes amovere, si ea ipsi emerint, quàm si gratis ipsis talia officia collata fuissent.

Ampliatur, ut etiam ille, qui habet officium à Rege cum licentia transferendi in alium, possit illud vendere sine ullo peccato mortali, ut docet *Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par.* 1. *priv.* 7. *ar.* 2. *dub.* 10. *concl.* 3. plures alii, quos refert, & sequitur *Salonius* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *contr.* 8. *concl.* 4. quia cùm hic talis habeat potestatem à Principe transferendi officium in alium, poterit illud vendere, quia quòd transferat donationis titulo, vel emptionis, dummodò personæ idoneæ transferat, & justo pretio, peccatum mortale non est; non ignoro tamen, contrarium docere *Azorium part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 7. *q.* 6. *Villalobos in summa tom.* 2. *tract.* 8. *diffic.* 7. *num.* 8. *Malderum* 2. 2. *tract.* 9. *cap.* 1. *dub.* 50.

Quòd si Princeps dat officium alieni, quem certò scit, non esse per se tale officium obiturum; tunc adest tacita licentia vendendi, ut cùm dat feminis, viris nobilibus, & ità *Azorius part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 7. *Corduba in summa quæst.* 117. quòd si sine licentia Principis, modo, quo suprà diximus, vendiderit quis aliquod officium, quidquid sit de peccato, non tenetur ad restitutionem pretii, si habuerit licentiam illud transferendi, *Ledesma, & alii apud Salonium ubi sup.*

Infertur sexto, hominem liberum vendi non posse. *l. sed. & Celsus, C. de contrah. empt.* Tempore verò necessitatis licitum fuit de Jure Civili patri filium vendere ob famem, *l.* 2. *C. de patrib. qui filios distraxerunt*: nunc verò id facere apud Christianos usu receptum non est, quia possunt parentes existentes in extrema necessitate remediis sibi consulere, possunt enim facilè non quidem filii honorem vendere, sed filii operas locare. Id verò, quod Jus civile concedebat Patri, concedebat & Jus naturale, undè etiam filium emancipatum patrem potuisse vendere docet *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 14.

Poterit tamen aliquis se ipsum vendere pro solvendis debitis, vel ad effugiendam occisionem sui; undè cùm Christianus aliquis captus est in bello à Turcis, si Turcæ velint ipsum occidere, potest alteri se ipsum vendere, & pretio, quod ab emptore recipit, se à Turcis redimere. *Navarr. in manuali cap.* 23. *num.* 95. *&* 96. potest etiam quis se ipsum vendere ad alium redimendum exemplo S. Paulini Nolensis Episcopi, quem referunt se ipsum vendidisse pro filio Viduæ redimendo *Azorius ubi sup.*

An verò possit pater filium castrare ipso consentiente, ut voce, & cantu Ecclesiæ deserviat, quæstio est? & affirmat *Salonius* 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. *contr.* 2. dummodò id fiat sine periculo vitæ, & de eorum consensu, requiritur autem consensus, quia postquàm sunt enuchi non possunt esse Clerici, nec conjugati ex *Constit. Sixti V.* quam refert *Salonius*. Negat verò *Tanderus* 2. 2. *S. Thom. disput.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 5. *num.* 101. quia bonum illud Ecclesiæ non est tanti momenti, ut ob id res tam per se à natura aliena suscipiatur, & liberis debet manere libera quoad vitæ statum electio: undè licèt prima affirmativa sententia sit probabilis, tamen negativa est probabilior. *Tanderus ubi sup. Diana tract.* 5. *Miscell. resol.* 38.

Infertur septimo, hæreditatem vendi posse mortuo eo, cui succedendum est; nam est pretio æstimabilis, quòd si vivente eo, cui succedendum est, vendatur, venditio est invalida; cùm sit contrà bonos mores ob periculum imminens ei, cui succedendum est. *l. ultim. C. de pactis*, nisi consentiat Dominus bonorum.

Infertur octavo, rem, quæ venditur, non posse esse alienam, sed debere esse venditoris, & si emptor scit rem, quæ venditur, esse alienam, nullo modo eam emere potest, undè res aliena vendita debet ab emptore Domino restitui, & si sit mala fides ex parte emptoris, eam præscribere non poterit: si verò sit bona fides in emptore, tunc venditio valet. *l. si in*

*emptione*, *§. item si emptor*, *ff. de contrah. empt.* & potest usucapere, & si res à vero Domino vindicetur, potest emptor pretium à venditore repetere; quod etiam potest facere emptor, cùm mala fide emit in foro conscientiæ, licèt enim illi denegetur actio à jure civili ad pretium repetendum, tamen in foro conscientiæ poterit tale pretium exigere, & repetere, nunquàm tamen poterit talem rem male fide emptam præscribere, seù usucapere.

Undè intellige primo, quòd si quis rem alienam à fure bona fide emit, & majori pretio deindè vendidit eam, non tenetur restituere Domino illud plus, in quo locupletior est factus, ut contrà *Lessium lib. 2. cap. 21. num. 134. Sanchez in sua summa tom 1. lib. 2. cap. 23. num. 28.* docent *Molina de just. & jure tom. 3. tract. 2. disput. 721. nu. 10.* quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ illam vendentis justè majori pretio, *text. verò in l. si item*, *ff. de petit. hæredit.* qui videtur contrarium probare, loquitur in venditione hæreditatis, seù juris universalis, in qua venditione illud speciale est, ut pretium succedat loco rei, secùs est in contractibus particularibus.

Intellige secundo, quòd vendens bona fide rem alienam eodem pretio, quo emerat, non tenetur pretium vero Domino restituere. *Molina ubi sup. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 5. num. 29. Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 2. par. 2. lib. 6. cap. 1.* qui plures refert, idque probatur ex eo, quia sic vendens non tenetur Domino ratione injustæ acceptionis, cùm totum bona fide factum sit, neque tenetur ratione rei acceptæ, cum jam alienaverit. Sic nota, quòd Sartor, qui emit rem à mercatore nomine ejus, cui vestem facit, si posteà accipit aliquid, tuta conscientia accipit. *Filiucius tom. 2. tract. 35. cap. 6. nu. 149. Diana tract. 8. resol. 26. par. 1.*

Dices cum *Vasquez*, *Sayro*, *Bannes*, *Aragonio*, & *aliis*, quos referunt DD. citati, tenetur hoc casu venditor restituere ratione pretii, quia pretium succedit loco rei. *d. l. si rem ff. de petit. hæreditatis.*

Respondetur: illud axioma, quod dicit pretium succedere loco rei, non habet locum, nisi in solis universalibus Judiciis, sicut sunt hæreditatis, fideicommissum, & dos, ut benè *glossa in d. l. si & rem vers. quia potest ff. de petit. hæreditatis*, ubi *Bart. & DD. in rubrica ff. solut. matrim. Amator Rodericus de privil. dom. in fructus coloni. num. 11. Surdus dec. 316.*

Intellige tertio, ut qui bona fide consumat res consumpsibiles unico usu, non teneatur verò Domino restituere, quatenùs evasit locupletior, si fur sit potens ad restituendum; Ideò contrà *Sanchez tom. 1. summæ lib. 2. cap. 24. num. 34.* Dico, quòd si quis invitatus bona fide sit ad edendum cibos furtivos, non tenetur restituere Domino id, in quo locupletior evasit, nimirùm quæ domi expensurus erat, quia verus Dominus non habet jus petendi à latrone easdem numero res, si jam consumptæ sint; sed similes, vel pretium, sed jam pretium remanet apud latronem, cùm non sit impotens ad restituendum; ergò recipiens ab illo, restituere non tenetur, quamvis locupletior effectus sit, sed poterit Dominum ad latronem remittere, ut ab eo recuperet res sibi furto ablatas, ità *Salonius 2. 2. quæst. 62. art. 6. controv. 13. conclus. 4. Bannes in p. 2. S. Thomæ quæst. 62. art. 8. dub. 3. concl. 4. Ledesma in summa tom. 2. tract. 8. concl. 24. dub. 3.* ubi docet ità sentire omnes Thomistas.

Intellige quarto, ut si quis emat fundum, vel domum ad plura debita hypothecatam, non teneatur in conscientia dicta debita solvere: licèt in foro exteriori ea debita solvere teneatur. *l. si convenerit. §. si fundus, ff. de pignor. act. l. alienatio, ff. de contrah. empt. cap. cùm non sint de decimis*, ubi textus dicunt, quòd res cum onere suo transeunt: tamen in foro conscientiæ si in rei veritate principalis ob suam inopiam non sit solvendo, non tenetur emptor rei hypothecatæ præfata debita solvere: tùm quia nihil pervenit ad ipsum de prædictis creditis: tùm quia principalis propter inopiam non remanet coràm Deo obligatus: ergò multò magis hic emptor rei hypothecatæ, quia accessorium sequitur naturam principalis.

Dices, potest venditor rei suæ imponere onus hypothecæ, quod transeat in emptorem, ergò tenetur in conscientia emptor solvere.

Respondetur, negando consequentiam, nam licèt onus illud reale sit penès rem obligatam, tamen obligatio conscientiæ solùm respicit personam venditoris, qui solùm transmisit in emptorem actionem realem passivam, non tamen personalem; ergò donec per Judicem condemnetur, non tenetur in conscientia ad solutionem illorum debitorum, ità eleganter, *de more Joannes Valerus in differentiis utriusque fori in ver. debitum differ. 11.*

Intellige quinto, quòd licèt emptor bona fide emens rem alienam non teneatur illam vero Domino restituere, sed possit restituere ei, à quo bona fide emit, ut docet *Salonius quæst. 62. art. 6. Aragonius 2. 2. quæst. 62. art. 6. Azorius par. 3. lib. 4. cap. 3. quæst. 1. cum aliis*, tamen quandò res aliena mala fide emitur, secundùm opinionem multorum, non furi, sed vero Domino restitui debet ab emptore. secundùm opinionem verò *Angeli*, *Paludani*. *Sylvestri*, *Gabrielis*, *Navarri*, & *aliorum*: potest emptor, qui mala fide emit contractum rescindere cum fure, & recuperare pretium, quod pro ea dedit. *Toletus lib. 5. cap. 17. num. 13. Maldcrus 2. 2. tract. 4. cap. 3. dub. 2.* ratio est, quia emptor malæ fidei rescindendo contractum, & reddendo rem furi non restituit illam pejori loco, quàm erat antè, & unusquisque tenetur, & potest magis sibi ipsi consulere, quàm alteri; & ideò Confessarius sine ullo scrupulo potest consulere, ut Petrus, qui rem furtivam emit, furi restituat ad recuperandum pretium, & non vero Domino.

Quarto requiritur in emptione ad hoc, ut valeat, quòd res, quæ vendibilis est, ità exponatur sicuti verè est; nam si non exponatur sicuti est, non cognoscitur ab emptore secundùm substantiam, vel saltem secundùm circumstantiam; adeòque illam vel emere non voluisset, vel saltem noluisset emere, ut suprà tanto pretio, & sic contractus erit injustus ex defectu voluntarii, quia scilicet emptor noluisset emere, ut suprà de contractibus in communi diximus. Ex quo.

Infertur primo injustas esse eas venditiones, in quibus res defectuosæ venduntur, ac si non essent defectuosæ. Sic v. g. sunt venditiones, in quibus, vel venditur aliquod non habens debitam quantitatem ponderis, numeri, seù mensuræ: ac si illam quantitatem haberet, vel venditur aliquod non habens debitam quantitatem, seù perfectionem, ac si eam haberet: ideòque peccant qui stateras dolosas adhibent in ponderando aurum, argentum, & similia; sic peccant, qui vinum aqua miscent, seù cum lana aliquid aliud, & ex his rebus idem pretium exigunt.

Quid verò dicendum sit de iis bonis, v. g. de vino, quod posita admixtione aquæ haberet eandem perfectionem, quam haberet aliud vinum simplex, ut si quis habens multa dolia vini generosi, apponit ei magnam quantitatem aquæ, ex qua tamen mixtione non efficitur deterius eo, quod passim aliis vendatur, quæstio est, an peccet id faciens, & teneatur ad restitutionem, & respondetur posse fieri: ità post multos docet *Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. pat. 6. num. 17.* Proba-

Probatur, tùm quia talis venditor nullum damnum infert emptori, quia non tenetur ei tradere res majoris perfectionis, & integritatis, quàm ab aliis venduntur: tùm quia rei existimatio sumitur per ordinem ad usus humanos, sed vinum per admixtionem illam aquæ, adhuc est utibile ad usus humanos, ad quos emitur, ergo vendens sic tale vinum non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem, cùm nullius damni causa censeatur.

Infertur secundo, quòd quandò vitium rei, quæ venditur, est occultum, & est tale, ut directè, seù indirectè adversetur intentioni, quam habet emptor in emendo, teneri venditorem talem vitium manifestare, vel abstinere à vendendo, *Valentia tom. 3. disp. 5. q. 20. punct.* 4. ubi addit in hac re omnes DD. convenire, quia deficit voluntas emendi cum tali vitio, ideò, qui equum calcitrosum, & mordacem vendidit, quæ vitia erant emptori occulta, tenetur ei manifestare, nam alioquin teneretur ad omnia damna resarcienda, quæ resultarent emptori, sic qui oves morbidas vendit pro sanis, ratione quarum totum ovile corrumperetur, tenetur emptori manifestare.

An verò possit quis vendere aliquid cum vitio occulto, quod si emptor sciret, rem non emisset saltem eodem pretio, quæstio est? Et respondetur affirmativè, dummodò venditor diminuat de pretio, quanto minùs res propter defectum valet, nam in hac venditione adest æqualitas inter contrahentes, quia supponimus rem cum tali vitio adhuc esse emptori utilem, est æqualitas ex parte pretii, cùm justo pretio ematur pro ratione defectûs ergo, &c. ità *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 11. Bonacina ubi sup. par. 6. num. 4. Beja in suis responsis par. 1. casu 64.*

Dices: talis occultatio dat causam contractui, ergo tollit liberum consensum emptoris, ergo talis venditio est injusta, & illicita.

Respondetur, quòd non est occultatio illa dolosa, quia quandò res vendibilis est utilis emptori, neque ipse exprimit aliquem dissensum, tunc non detegere mercis defectum non est propriè fraus, & dolus, tunc verò est dolus occultatio defectûs, quandò per defectum illum redditur inutilis emptori, vel periculosa, aut non minuitur pretium juxta exigentiam defectûs.

Adverte tamen primo, quòd si venditor advertat emptorem rem illam emere ad revendendum, tunc debet occultum vitium manifestare, ne emptor revendat rem minori pretio, quàm cum illo vitio valeat.

Adverte secundo, quòd si emptor exprimat se nolle rem emere, nisi illo vitio careat, tunc contractus est nullus, cùm conditio non subsistat: secùs si nihil dicat emptor, licèt si vitium nosset, nullo modo esset empturus, vel saltem non eodem pretio.

Adverte tertio, quòd si Sutor conficiat calceos ex parte corii debiliori, non tenetur id manifestare emptori, quia tales etiam utiles sunt, moderandum tamen esset pretium, verùm putat *Filiuccius tom. 2. tract. 35. cap. 6. num. 129.* id in praxi servari non posse, quia omnes eodem pretio vendi solent.

Adverte quarto, justam esse illam venditionem, qua una substantia æquè bona datur emptori pro alia, vel etiamsi sit aliquantulùm deterior, quia dolus in re modica, & levi non irritat contractum, neque ullam inducit obligationem; ideò pharmocopolæ dantes unum pro alio æquali, vel ferè æquali ad medicinam excusantur, *Salas de empt. & vendit. dub. 35. num. 1. 2. & 3.*

Infertur tertio venditorem non teneri per se loquendo manifestare vitium emptori, quandò est vitium patens *S. Th. 2. 2. q. 77. art.* 3. quia non minùs spectat ad venditorem tale vitium manifestare, quàm ad emptorem illud inspicere, ergo sibi imputare debet emptor, si ex sua negligentia non advertit; quòd si de vitio interrogaretur à venditore, teneretur illud manifestare emptor, etiamsi notabile non sit, alioquin via fraudibus aperiretur; DD. cit.

Infertur quarto, contractum factum à venditore ignorante vitium rei, validum esse; tùm quia non videtur adesse dolus; tùm quia sic dicit *textus in l. Julianus, ff. de action. empt.* & ideò nec ad restitutionem damni tenetur, quòd si ignoraret vitium, non poterit cognito vitio tantùm accipere, quantùm accepisset si res vitio caruisset, sed tenetur vel rescindere contractum, vel resarcire inæqualitatem descendendo in pretio, quia non potest plus accipere, quàm res valeat.

*Explicatur, utrùm aliquid emi, aut vendi possit cum pacto redimendi, aut retrovendendi?*

AD intelligentiam hujus rubricæ. Suppono primo pactum de retrovendendo aliquandò apponi in favorem venditoris, ut ei scilicet liceat redimere, aliquandò in favorem emptoris, ut res à venditore redimatur si voluerit emptor sibi pretium restitui, & solent interdùm præfinire tempus contrahentes intrà quod liceat retrovendere, vel redimere: interdùm non præfiniunt tale tempus.

Suppono secundo, quòd si pactum de retrovendendo apponatur in favorem solius venditoris, tunc res minùs valere solet, quandò verò apponitur in favorem solius ementis, tunc res plùs valet, quàm alioquin valeret, *Abbas in cap. cùm Joannes de fide instrum.* ideò res, quæ venditur si valet 30. cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris, valet solùm viginti: alii docent valere minùs quarta parte, *Mascard. de probat. tom. 1. concl. 449. num. 11. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præs. 122. num. 51.* qui docet id Judicis arbitrio remitti. Quòd si apponatur in gratiam utriusque contrahentis, tunc res minùs valet, quàm si in favorem solius ementis apponeretur, & plùs valet, quàm si in favorem solius venditoris apponeretur. Ideò si in favorem solius venditoris valuisset viginti, & in favorem solius ementis 30. in favorem utriusque valet viginti quatuor, aut viginti quinque *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 14. Tusch. tom. 6. concl. 27. Covar. lib. 3. var. cap. 9.* His positis.

Dico primo venditio facta cum pacto de retrovendendo valida est, dummodò concurrant conditiones à DD. requisitæ, ne talis contractus sit injustus, & usurarius.

Prima autem conditio est intentio emendi, & vendendi, undè si deficeret intentio emendi, aut vendendi, esset usurarius, quia censeretur contractus mutui, ex quo aliquod acciperetur.

Secunda conditio est justum pretium, quod si deficeret, non adesset æqualitas, & justitia in contractu, *Card. Mantica de tacitis, & ambiguis conventionibus lib. 8. tit. 20. num. 50.*

Tertia conditio est, ut fructus rei emptæ pertineant ad emptorem, qui dominum acquisivit per contractum: alia requisita videas penès *Menoch. & Manticam ubi sup.*

Dico secundo potest res aliqua vendi cum pacto de retrovendendo pro eodem pretio, vel pro majori, aut minori, prout valebit res tempore retrovenditionis: DD. citati.

Prima pars, quòd possit vendi cum pacto redimendi pro eodem pretio, probatur, quia potest talis contractus celebrari cum pacto, ut tali tempore dissolvatur, ergo etiam cum pacto: ut in tali tempore idem pretium solvatur, & sic de facto solet practicari.

Probatur secunda pars, quia res potest tanti vendi, quanti valet, sed tempore retrovenditionis potest plùs valere, vel minùs, ergo potest talis res vendi cum tali

pacto,

pacto, ut solvatur pretium quo valuerit res tempore retrovenditionis.

Dico tertio, qui emit cum pacto de retrovendendo nullo assignato termino ad revendendum, poterit rem emptam legitimo tempore præscribere: ità contrà *Bonacinam ubi sup. par.* 3. *num.* 18. aliosque quos citat, tenet *Stephanus Gratianus discept. for. cap.* 2. referens sic fuisse decisum *in Rota Romana* pluries: sic etiam tenent alii multi, quos refert *Rovitus in pragm.* 1. *de pacto de retrovendendo num.* 4.

Probatur, tùm quia verba quandocùmque apposita in contractu de sui natura restringuntur à lege ad 30. annos, *glossa in cap.* 1. *in verb quandocùmque de feudis datis in vim legis commissoriæ*; ergo licèt dixerint, ut quandocùmque liceat retroemere 30. annorum spatio præscribitur: tùm quia actio ad repetendam dotem, licèt perpetua sit, *l. in. rebus*; *§. omnis C. de jure dotium*, tamen 30. annorum spatio tollitur, ut benè *Gratianus ubi suprà*, id, quod ampliat etiamsi sit appositum juramentum, & sit dictum ut semper & toties, quotiès placuerit, liceat reemere.

Dices, emptor emens cum pacto revendendi est in mala fide, cùm certò sciat illum potestatem habere reemendi ergo non potest præscribere.

Respondetur, negando antecedens, quia cùm non teneatur emptor offerre rem emptam venditori, poterit credere nolle vendentem retroemere, & sic non est in mala fide, & sat est esse paratum revendere, quandocùmque requiratur, infrà tamen tempora à lege determinata, & sic antequàm tempus 30. annorum labatur, quod secundùm jura tollit omnem præscriptionem, sicut in simili dicimus de legatario, contrà quem hæres præscribit, antequàm legatum acceptetur, cùm possit engitare, quòd nolit cognoscere legatum, & ideò non est in mala fide, cùm illud hæres non teneatur offerre. Sententia ergò hæc in praxi amplectenda est, cui consonat *prag. Regni nostri* 1. *sub titulo de pacto de retrovendendo*, ubi habetur tempore belli, pactum prædictum quoad præscriptionem non currere.

Dico quarto venditor, qui vendidit rem Caio, cum pacto retrovendendi, si Caius eandem vendidit Titio, antequam redimeretur à venditore non potest qui primo loco vendidit vendicare eam à Titio, vel ubicùmque sit. Ratio est, quia eandem actionem habet primus venditor, postquàm Caius vendidit, ac habebat anteà, sed anteà non habebat, nisi solùm actionem personalem in Caium, ut damnum sibi proveniens resarciat, ergo eandem actionem habebit, postquàm Caius eam vendidit, DD. ubi suprà.

*Explicatur, quid intelligatur venditum cum re vendita?*

AD intelligentiam hujus quæsiti: Dico id intelligi venditum cum re vendita, quod ex natura rei est connexum cum re, quæ venditur, non verò id, quod est extrà rem, vel pertinet ad alienum Jus. *Innocentius in cap. ex literis de jure patronatûs*, *Bald. in l. procuratore. C. mandati Bart. in l. si quandò. C. de bonis vancantibus*, quos citat, & sequitur *Azorius par.* 3. *lib.* 8. *c.* 19. Ratio hujus dicti ea est, quia quæ sunt ex natura rei connexa, non censentur separati; ergò si res aliqua transfertur per venditorem in dominium alterius scilicet emptoris, censentur etiam transferri omnia ea, quæ habent cum tali re connexionem. Ex quo.

Infertur primo cum *Azorio ubi suprà*, quòd cùm venduntur aliqua, quæ dicuntur Universitates seù universa bona, v. g. hæreditas, Patrimonium, Curia, Castrum, &c. tunc venditur, etiam quidquid continetur in tali Universitate, v. g. in tali hæreditate, & sic vendito Castro censentur vendita Molendina, Jura patronatûs, & alia in tali Castro existentia, dummodò hæc possidebantur à Domino Castri, non à privatis hominibus, legas *Azorium*; qui multa Jura, & Auctoritates ad hoc affert.

Infertur secundo, vendita equa, vel vacca, censeri venditum pullum, seù vitulum, modò non possit absque periculo pullus ab equa, & vitulus à vaccà separari. *Gomesius*, qui de communi testatur *tom.* 2. *var. resol. cap.* 12. *num.* 14. ratio est, quia hæc censentur connexa inter se, & pro vitulo, & pullo solet augeri interdùm pretium vaccæ, & equæ *l. sed addes*, §. *si quis mulierem ff. locati.* secùs autem dicendum est, si vitulus, vel pullus non lactarentur sed per seipsos pascerentur, & demorarentur in pascuis, quia tunc non censerentur connexa cum equa, & vacca. *l. legatis. §. omnibus*, *ff. de leg.* 2.

Infertur tertio, vendita domo, non censeri venditam pecuniam in eo repertam, sicut vendito pisce non censetur venditus annulus, seù gemma quæ in eo reperitur; ratio est, quia nec pecunia, connexionem habet cum domo, nec annulus cum pisce; præterquàm quòd vendens domum, vel piscem non habet voluntatem, seù intentionem vendendi annulum, seù pecuniam: censentur tamen cum domo, vel fundo vendito vendita omnia, quæ cum tali domo, vel fundo locari, pignorari, vel aliis contractibus obligari consueverunt: puta aquæ ductus, fistulæ, jura, actiones, &c. ut propterea ad lites evitandas, apponi soleant in instrumentis clausulæ claræ, & efficaces, quas in persona venditoris explicans *Speculator in titulo de empt. & vendit. §.* 1. *in* 2. *forma instrumentorum*, sic habet. Vende cum omnibus, & singulis, quæ habentur suprà, vel infrà, omni jure, actione, usu, seù acquisitione rei, vel pro ea quomodòlibet competenti.

Infertur quarto, fructus rei venditæ spectare ad emptorem sivè maturi sint, sivè nondùm ad maturitatem pervenerint, quoad valorem, quem habent tempore venditionis, nisi aliter contractum sit inter contrahentes *Covar.* 1. *tom var. c.* 15. *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. ratio est, quia fructus tempore venditionis censentur pars rei emptæ, ergò si res empta est emptoris, ejusdem sunt fructus. *l. Julianus §. si fructus*, *ff. de act. empt.*

Infertur quinto, quòd si venditor tradit rem emptori soluto pretio, vel habita fide de pretio, & concessa dilatione ad solvendum, fructus ad emptorem pertinent, quia res Domino fructificat.

An verò, si venditor rem tradit emptori, ipse non solvit pretium, possit recipere venditor usuras pretii pro ratione fructuum? quæstio est, & licèt negativè respondeant *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. *num.* 109. *Filiuccius tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 8. *num.* 176. & *alii*, qui communiter docent, non licere venditori in foro conscientiæ usuras, seù fructus pretii non soluti exigere, nec exactiones retinere, nisi ob moram emptoris damnum aliquod venditori emergat, vel lucrum illi cesset, nam sunt usuræ intrinsecè malæ.

Affirmant tamen *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 4. *num.* 5. *Molina. Sà cæteri alii*, quos adducit *Tannerus* 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 2. *num.* 48. qui id colligunt ex *l. ultima*, *ff. de peric. & commodo rei venditæ*, & *ex l. curabit C. de action. empt.* quæ jura etiam in conscientia docent procedere, quòd scilicet liceat venditori hoc casu, si nihil pretii habuerit, omnes fructus accipere, si verò dimidiam, vel tertiam partem pretii, dimidium quoque vel duas partes fructuum ultrà pretium solvat: advertit tamen *Rebellius par.* 2. *lib.* 9. *quæst.* 16. *sect.* 1. *num.* 11. dictum emptorem non esse in foro conscientiæ cogendum ad prædictos fructus, sivè usuras solvendas antè condemnatio-nem

*Filliuccius tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 8. *num.* 174. *Megala* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 1. *num.* 37.

Immò putant multi, teneri venditorem solvere etiam interesse extrinsecum, id est id, quod per accidens emptori evenit, puta si emptor erat rem illam negotiaturus in alium locum illam transferendo, ubi pluris valebat, vel quia mancipia mortua sunt fame ob frumentum non traditum, &c. Ità contrà *Molinam de justitia tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 386. *num.* 10. docet *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. *num.* 102. *Rebellius par.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 17. *sect.* 1. & alii, quos refert, & sequitur *Megala ubi suprà*, quia debitor morosus, est injusta causa illius damni, ergò. In foro tamen civili tenetur venditor solùm ad interesse intrinsecum, non extrinsecum. *l. sterilis §. cùm per venditorem ff. de actionib. empt.*

Et signanter nota, quòd hoc casu non tenetur venditor aliquid solvere, si ejus mora fuit inculpabilis, & non præcessit pactum de solvendo interesse producente, etiam ex mora inculpabili, quia non potest obligari, nisi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum intervenit. *Sylvester in verbo mora. quæst.* 1. *Lessius lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 7. *Bonacina de contractibus. disp.* 3. *quæst.* 3. *part.* 3. *num.* 50. & videtur hoc colligi ex *tex. in cap. non est in mora, de regul. Juris in* 6. ubi habetur, quòd non est in mora, qui exceptione legitima se tueri potest.

*Explicatur cuinam res vendita pereat, vel deterior fiat emptori, an venditori?*

CUm res, quæ venditur, possit vendi, vel determinata in individuo, ut hæc domus, hic equus, hic servus, vel indeterminata, ut si vendantur centum oves gregis, vel decem modii tritici, & determinata ad corpus, ut si vendatur fundus pro mille, aut determinata ad mensuram, ut si dicatur vendo fundum meum quinquaginta nummis aureis pro singulis jugeribus; ideò de unoquoque agendo.

Dico primo, quotiès res vendita post traditionem perit tunc perit emptori, quia ei perit, qui est Dominus, sed emptor est effectus Dominus; ergò ei perit. Idem docet *tex. in l. quod si ff. de peric. & commodo rei vend.*

Dico secundo, quotiès res, quæ venditur fuit certa, & determinata, si pereat antè traditionem, perit emptori, dummodò fuerit venditio perfecta, & absoluta. *l.* 1. *C. de peric. & commod. rei vend. Azorius pat.* 3. *lib.* 7. *cap.* 26.

Neque obstat, quòd antè traditionem emptor non sit Dominus, & per consequens ei perire non possit, nam Respondetur, non ideò perire emptori, quia ipse sit Dominus rei, sed quia volunt Jura commoda, & incommoda in venditione rei determinatæ pertinere ad emptorem.

Quòd si venditio facta sit sub conditione, tunc ipsa pendente periculum interitûs rei antè eventum conditionis pertinet ad venditorem. *l. illud, ff. de periculo, & commodo rei vendita*, si verò res non pereat, sed deterior fiat pendente conditione, tunc damnum pertinet ad emptorem, ad quem etiam pertinet commodum, si res melior fiat *l. necessario, ff. eod. tit.* Ex quibus.

Infertur primo, quòd si fuerit venditum dolium vini ad corpus, puta vendo tibi hoc dolium vini: si pereat antè traditionem, perit emptori; si autem venditio sit facta ad mensuram, puta vendo tibi ex hoc vino tres amphoras, vel tria dolia, tunc si effundatur vinum antè traditionem, periculum est venditori, cui etiam perit, quandò ex pluribus unum disjunctivè venditur, puta vendo tibi hoc, vel illud, &c.

Rogabis, quandò fuit terminus constitutus de consensu utriusque ad mensurandum, res pereat cui perit, emptori, an venditori?

Respondetur, ad eum periculum pertinere, qui fuit in mora, *l. cùm res. ff. de leg.* 2. & ideò pertinebit ad emptorem, quandò per eum stetit, ne res constituto termino mensuretur, pertinebit ad venditorem, quandò id stetit per venditorem, eo verò casu, quo nullus fuit terminus constitutus, tunc tenetur venditor admonere emptorem, coram testibus, ut intrà certum tempus accedat ad mensurationem, quo termino elapso periculum pertinebit ad emptorem, *l. si quis vina, §. ultimo, ff. de peric. & commodo rei vendita.*

Immò si emptor tempore determinato rem emptam non transfert, tenetur de damno venditoris si scilicet non potuit venditor uti doliis, aut alia conducere fit coactus, *d. l.* 1. *ff. de peric. & commodo rei vendita*; & poterit impunè vinum effundere si emptor juridicè admonitus de vino effundendo noluit illud accipere præfixo termino, verùm meliùs faciet, si illud vendat nomine emptoris.

*Explicatur, utrùm, & quandò venditor teneatur de evictione?*

UT hoc faciliùs intelligatis, suppono, evictionem esse rei emptæ amissionem juridicè factam, *l. evictam ff. de evictionibus*: evincere enim ille dicitur, qui rem suam è manibus emptoris eripit: probans in judicio suam esse jure domini. His positis.

Dico primo, omnis venditor, qui rem alienam, quam talem esse sciebat, vendidit emptori ignoranti esse alienam, tenetur de evictione seu tenetur restituere emptori pretium, & quantùm interest rem ipsius factam non fuisse; quòd si vendiderit putans esse suam, tunc solùm ad pretium tenetur restituendum, *Azorius par.* 3. *lib.* 8. *cap.* 3.

Dico secundo, venditor non tenetur de evictione in pluribus casibus.

Primo in contractibus gratuitis, ut in donatione, in quâ donator de evictione non tenetur, *l. Aristo, §. fin. de donat.* quòd si se obligaverit, etiam de evictione teneri, tunc tenetur.

Secundo non habet locum evictio, quandò non denunciavit emptor litem nimirum venditori, ut eam defenderet, *l. emptor C. de evict.* quòd si denunciaverit emptor, tunc tenetur venditor de evictione, & ad omnes expensas factas ab emptore, *l.* 1. *C. de evictionibus.*

Tertio non tenetur venditor de evictione, quandò emptor scit esse rem alienam, quia hoc casu, nisi specialiter fecerint pactum de evictione, ad eam non tenetur, *l. si fundum, C. de evict.*

Quarto, quandò venditore absente emptor non appellavit à sententia, *l. Herennius, ff. de evictionib.*

Quinto, quandò sententia fuit injusta, & per injuriam lata contrà emptorem, vel si res empta violenter aufertur emptori extrà judicium, *l. per imprudentiam, C. de evictionib.*

Sexto, si aliquod casu contingat, *cap. ad nostram de reb. eccles. non alien.* legas alios casus apud *Azorium par.* 3. *lib* 8. *cap.* 3.

Dico tertio, venditor tenetur de evictione nedùm in emptione, sed etiam in aliis contractibus onerosis, *l. libera, C. de sentent. & interlocut. omn. Judic.* Ideò tradens rem alteri obligatam tenetur de evictione, vel si rem permutet cum alia, *l. si permutatione, C. de evict.* sic socii dividentes inter se hæreditatem, de evictione tenentur, *l. si fratres, C. commun. delegatis l. familiæ, C. famil. hercisc.*

In transactione verò, cùm scilicet duo litigantes

inter

inter se contendunt rem aliquam ad se pertinere, & conveniunt, ut unus rem, alter verò pecuniam accipiat: si posteà verus dominus ab eo, cui res tradita fuit, evincat, non tenebitur, qui rem dedit de evictione, quia Caius non accepit pecuniam pro ipsa re, sed pro jure dubio, quod habebat, secùs si traditum sit pretium, vel res aliqua, ut à lite desisteret, quod evincatur, quia tunc tenebitur de evictione, *l. si pro fundo*, *C. de transactionibus.*

Dico quarto, tenetur venditor de evictione, quandò scienter vendit rem alienam, etiamsi pactum fecerit, ut non teneatur, *l. quaro*, *ff. de evict. l. emptorem. §. fin. ff. de action. empt.* quia dolus censetur causa contractûs: si verò pactum fecerit, ut non teneatur, & nesciebat rem esse alienam, tunc non tenetur de evictione, *l. ex empto*, *ff. de action. empt.* tenebitur tamen ad pretium, præsertim si pactum sit generale, ut si evincatur à quocumque; legas *Azorium ubi sup.* Agit verò de evictione quis contrà primum venditorem, non contrà alios, quia nihil cum eis egit.

### *De Mutuo.*

AD intelligentiam hujus rubricæ, quam de mutuo posuimus.

Sciendum est primo, quòd mutuum ex *l. 2. ff. si cert. petat. ex tit. instit. quibus modis recontrah. obligatio*: ità definitur, ut scilicet sit traditio rei numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut similis in genere restituatur.

Dicitur traditio, quia traditione perficitur, sicut depositum, commodatum, & sic differt ab eis contractibus, qui verbis celebrantur, ut stipulatio. &c.

Dicitur rei numero, pondere, & mensura constantis, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia numarata, argentum, &c.

Dicitur cum animo recipiendi tantùndem in genere, quia requiritur, quòd eadem res in genere detur, & per hoc differt à commodato, deposito, & aliis contractibus, in quibus eadem res in specie danda est.

Ex quo infertur primo, mutuum celebrari de iis rebus, quæ recipiunt functionem in genere suo, id est quarum una dari, & substitui potest pro alia, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia: ad differentiam contractûs locationis, & commodati, qui celebrantur de iis rebus, quæ non recipiunt functionem in genere suo, ut sunt domus, equus, &c. & ideò equus non dicitur mutuari, sed commodari, & domus non dicitur mutuari, sed locari, quandò illius usus conceditur pro pretio, *Bart. & DD. in l. 2. si cert. petat. Gomes. 1. tom. var. resol. cap. 6.*

Infertur secundo, non censeri contractum mutui, sed commodati, quandò accipitur pecunia ad ostentationem, & pompam, non ad illam expendendam, nam censetur accepta pecunia cum obligatione restituendi eandem specie, sicut accidit in commodato, in quo dominium rei non transfertur in commodatarium, ità DD. citati.

Infertur tertio, animum mutuatarii debere esse, ut non restituatur idem corpus, sed aliud, nam si fiat pactum, ut idem restituatur, tunc erit vel pignus, vel commodatum, vel depositum, quòd si ex post facto eadem res restituatur, puta quia ea non est usus mutuatarius, tunc non erit contrà essentiam mutui, ut benè *glossa in §. 5. instit. quibus modis re contrah. oblig.* immò nec à principio fieri potest pactum, ut eadem res in specie reddatur, quia tunc non mutuum, sed alius erit contractus.

Infertur tertio de ratione mutui esse, ut eadem res in eodem genere restituatur, non diverso, undè non erit mutuum, si pecunia reddatur pro vino, vel vinum pro tritico, sed erit permutatio, vel venditio, aliud enim pro alio invito creditore solvi non potest, *l. 2. §. mutui datio*, *ff. si cert. petat.* quòd si necessitatis causa accepisset quis pecuniam mutuo, & non habens pecuniam redderet frumentum, esset mutuum. DD. communiter in *d. l. 2.* & facit *textus in l. si vinum in fine*, ubi *glossa*, *ff. si cert. petat. l. si servum, ff. de verb. obligat. Soccinus in regula, solvi unum pro alio 18.*

Sciendum secundo est; quòd mutuum (omissis multis divisionibus) potest dividi primo, quòd aliud sit mutuum expressum, aliud verò tacitum: expressum est, quod fit expressis verbis, quandò quis actualiter dat alteri pecuniam mutuo: tacitum est, quod includitur in aliis contractibus, ut si ego vendidi Titio domum majori pretio, concessa dilatione ad solvendum, censeor virtualiter mutuare pretium emptori usque ad terminum illi concessum ad solvendum, *Molina disp. 313.*

Secundo dividitur mutuum, quòd aliud sit à principio validum, aliud verò invalidum. Primum est quandò paterfamilias mutuum recipit. Secundum quandò filiusfamilias mutuum recipit. Sic mutuum, quod dat pupillus sine tutoris auctoritate dicitur à principio invalidum, validatur tamen ex post facto, puta consumptione pecuniæ, *l. non omnis*, ubi *DD. ff. si cert. petat.*

Tertio aliud mutuum dicitur civile, aliud naturale, & aliud civile, cui naturale cooperatur. Civile solùm est, cùm quis confitetur, pecuniam se mutuo recepisse. Naturale dicitur, quandò verè pecunia numeratur. Civile, cui naturale cooperatur, est, cùm quis per stipulationem promittit pecuniam verè mutuatam restituere, ut docent hîc omnes.

Sciendum est tertio, ex contractu mutui oriri obligationem, quæ regulariter ex omni contractu valido nascitur; dantur tamen aliqui casus, in quibus quis non obligatur ex mutuo, nec tenetur ad dandam rem mutuatam.

Primus est, quandò datur pecunia mutuo alicui Ecclesiæ loco pio, vel Universitati, quia tunc Ecclesia, locus pius, vel Universitas non tenentur ad restitutionem, nisi mutuans probet pecuniam mutuatam conversam esse in utilitatem Ecclesiæ, vel loci pii, *l. Civitas*, *ff. si cert. petat. Auth. hoc porrectum*, *C. de sacros. Eccles. l. 1. C. de solutionib. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 2. num. 12. Rebellius lib. 8. q. 2. sect. 3.*

Quo etiam privilegio gaudet minor, cujus nomine tutor, vel curator aliquod mutuo accepit, nam minor non tenetur solvere, nisi mutuans probet pecuniam conversam esse in utilitatem minoris, *l. 3. C. quandò ex facto tutoris*: datur tamen actio adversùs eum, qui mutuum accepit nomine alterius, potest enim cogi ad servandum illæsum eum, qui pecuniam tradidit, *Lessius*, & alii, ubi suprà.

Secundus est casus, quo mutuum non parit obligationem, quandò scilicet mutuatur aliquid filiofamilias qui non habet bona castrensia, vel quasi-castrensia nec credebatur esse sui juris, quia hoc casu filiusfamilias non tenetur saltem in foro externo, *l. 1. & toto tit. C. ad Macedon.* etiamsi detur ad solvendum quandò erit paterfamilias ut *in prag. 1. Regni nostri sub titulo de contractibus*, quòd si filiofamilias non detur pecunia; sed aliquod aliud, puta vinum, frumentum, &c. mutuo, tunc obligabitur: quia lex loquitur de pecunia, nisi ea detur in fraudem legis, *l. Julianus*, *§. mutui dationem*, *ff. ad S. C. Macedon.* in foro verò conscientiæ teneri filiumfamilias restituere mutuum, docet *Covarr. in regul. peccatum par. 2. §. 3. num. 4. Molina disp. 201.* id quod intelligunt data opportunitate.

Tertius

Tertius est casus, quandò mutuatur pecunia alicui ludenti, quia tunc nullam habet mutuans actionem ad eam recuperandam, ut in *prag. Regni nostri* 1. *sub titulo de Aleatoribus*; quod intelligis *Rovitus* si mutuatur à collusore, vel à tenente ludum, & ego intelligo in foro externo, nam si nulla adesset fraus vel vis, in foro conscientiæ debet restitui.

Sciendum est quarto, mutuatarium, si rem mutuatam amiserit dolo, lata, levi, vel levissima culpa, sibi præjudicium facere, non verò mutuanti, tùm quia est effectus Dominus rei mutuatæ, *d. l.* 2. *§. appellata*, sed periculum spectat ad Dominum, *l. pignus, C. de pignor. act.* ergo: videas *Jasonem in l. si quis nec causam num.* 26. *ff. si cert. petat.*

Sciendum est quinto, quòd in Regno nostro negans mutuum, commodatum, vel depositum; punitur pœna tertiæ partis extimationis rei, ut *in constitutione Regni Regiæ Majestatis, & in prag.* 1. *de negantibus mutuum.*

***Explicatur, an possit mutuator accipere aliquid à mutuatario ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?***

UT hanc rubricam faciliùs intelligas, sciendum est dari damnum emergens, & lucrum cessans: damnum emergens dicitur illud, quod quis patitur in re sua ob mutuum alteri datum, ut si quis ex eo, quòd alteri pecuniam mutuaverit, cogatur accipere aliam pecuniam ad usuram, vel si ex eo quòd alteri pecuniam mutuavit, cogatur domum suam minori pretio locare: lucrum verò cessans, dicitur illud, quod quis non percipit eo, quòd mutuum alteri dederit, ut cùm quis pecuniam ad emendum agrum præparaverat, & eam mutuavit. Hoc posito.

Dico primo, potest mutuator in principio, quandò dat mutuum, pacisci de aliquo lucro seù de aliqua pecunia sibi solvenda ratione damni emergentis, *Azorius par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. *Filiuccius tract.* 34. *num.* 66. Ratio est, quia non debet mutuans pati damnum alteri subveniendo, sed si non pacisceret de damno, vel ejus periculo, utique damnum pateretur, ergo. Quòd si mutuator initio contractùs nullum fecit pactum cum mutuatario de præstando damno emergente, tunc non tenetur mutuatarius illud præstare, quia forsitan mutuatarius non accepisset cum tanto onere mutuum, nisi tamen esset mutuatarius in mora solvendi.

Ut autem possit mutuans accipere aliquod ex mutuo ratione damni emergentis. Requiritur primo, ut tempore contractùs deducatur in pactum damnum, quod evenit, vel imminet. Secundo, ut non deducatur in pactum plus, quàm sit damnum. Tertio, ut damnum reverà sequatur ex causa mutui, nec mutuans potuerit illud commodè evitare.

Ex quo benè sequitur, debitorem, qui fuit in mora restituendi teneri ad restitutionem damnorum, quæ creditor passus est ob dilationem solutionis ultrà terminum, ut suprà.

Quod verò dicimus de damno emergente, intelligitur etiam de lucro cessante. quia potest mutuans pacisci cum mutuatario, ut solvat sibi lucrum cessans ex causa mutui, *Covar.* 3. *var. cap.* 4. hoc autem lucrum cessans, ut possit detrahi. Primo requiritur, ut mutuatio sit causa, cur cesset lucrum, quod habebatur in spe. Secundo, ut lucrum non statim exigatur. Tertio, ut non tantum exigatur ratione lucri cessantis, quantum re ipsa futurum esset lucrum, sed quantùm valet spes lucri detractis expensis, quas fecisset mutuator negotiando, vel alio modo impendendo pecuniam suam. & solet hoc modo liquidari lucrum, v. g. mutuo centum, ex quibus spero quindecim, & libenter darem ego ex illis quindecim quinque pro assecuratione, tunc possum accipere decem pro lucro cessante, quia hæc solvens reddit ipsum securum, & ideò benè poterunt confessarii statim sine consideratione expensarum, laborum, &c. statuere justum pretium lucri cessantis, nedùm in mutuo, sed in aliis contractibus. Legas *Lessium lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 11. *num.* 96. & cum eo alios. Ex quo,

Infertur primo, deberi lucrum cessans, quandò mutuans exposuerat pecuniam negotiationi; à qua vel subtraxit, vel eam non apposuit, quòd si aliam pecuniam haberet otiosam, non potest aliquod accipere, quia nullum pateretur damnum ratione mutui. Quòd si quis sciat, brevi tempore valorem pecuniæ diminuendum esse, poterit illam alicui mutuare, cum pacto ut eam sibi restituat juxtà valorem, quem habebit dicta pecunia, tempore quo restituendum erit mutuum, *Bonacina de contract. disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 5. *num.* 17. tùm quia ità mutuans utitur jure suo, tùm quia nihil recipit ultrà sortem, cùm accipiat tantum quantum tradidit in mutuo; ergo, *Diana par.* 1. *tract.* 8. *resol.* 25.

Infertur secundo, posse aliquod accipi à mutuante ultrà sortem ratione periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expensis, aut laboribus, nam talia pericula sunt pretio extimabilia, quod intellige etiamsi reverà nullum sequatur damnum, quia quod accipit non pro damno actuali, sed pro periculo damni accipit, DD. citati.

Nec obstat *tex in cap. Naviganti de usuris, & cap. in Civitate eodem tit.* ubi probatur contrarium.

Respondetur enim, quòd textus illi loquuntur quandò mutuatarius compelleretur ad accipiendum ipsum mutuantem pro assecuratore, & fidejussore; nos verò loquimur quandò id relinquitur libertati mutuatarii, quia hoc casu non est usura.

Infertur tertio, mutuantem posse pactum facere cum mutuatario, ut nisi solverit tempore præfixo, solvat aliquam pœnam, id est aliquod suprà sortem in pœnam moræ, *Lessius l.* 2. *c.* 20. *dub.* 15. Ratio est, quia mutuatarius existens in morâ peccat contrà justitiam, & propter peccatum dignus est aliqua pœna, ergo potest apponi pœna ex conventione partium, modò pœna justa sit, *c. suam de pœnis, l. si pacto quo pœnam, C. de pactis.* si verò scire velis, quandò pœna hæc imponi possit.

Respondetur concurrentibus tribus conditionibus; quarum prima est, ut non apponatur pœna in fraudem usuræ ad eam palliandam; est verò probabile signum, appositam fuisse pœnam in fraudem usuræ, seù ad palliandam usuram, quandò mutuator pœnam apposuit credens, mutuatarium non fore potentem ad solvendum tempore constituto. *Salonius* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *contr.* 11. *num.* 8.

Secunda conditio est, ut verè mutuatarius sit in culpabili mora solvendi, ideò si ob impotentiam nequeat solvere, non potest aliquid accipi, dummodò ex sua culpa non sit effectus impotens, *Lessius lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. sic qui tempore præfixo non solvit pœnam propter impotentiam, non tenetur eam solvere.

Tertia conditio est, ut pœna sit moderata, nam pœna debet correspondere culpæ, *Salonius de controversus ar.* 3. *contr.* 17. *num.* 4. Ideò si mutuatarius tempore præfixo solvit partem debiti, non tenetur posteà integram pœnam solvere, sed partem pro ratione partis non solutæ.

An verò teneatur quis solvere pœnam conventionalem antè Judicis sententiam, quæstio est, & affirmat *Covarr. Molina. Rebellius. Salas, Emanuel Sà. Menoch.* & alii, quos adducit, & sequitur *Bonacina de contr. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 7. *n.* 4. negant verò, solvendam esse antè Judicis sententiam, *Vasquez. Navarr. Salas, Beja,* & alii, quos sequitur *Sanchez l.* 1. *de matrim.*

*trim.d*, 37. *n*.4. *Lessius ubi sup. dub.* 15. Probatue, quia intentio contrahentium hæc videtur esse, ut scilicet condemnari possint ad pœuam solvendam per Judicis sententiam, quod si exprimant contrahentes se velle teneri ante Judicis sententiam, certè tenentur, cùm pacta vim accipiant à voluntate contrahentium, *l.* 1. *ff. de pactis*. Ideò ut benè docet *Sanchez*, potest pœna conventionalis præscribi si non petatur, *l. omnes*, *C. de præscript.* 30. *annor.* nam debitor credere potest creditorem cedere juri suo.

Infertur quarto, posse aliquod accipi ex mutuo ratione facultatis, qua privat quis seipsum exigendi mutuum, puta qois mutuatur Caio centum, eum facultate non ea petendi per annum. ratione illius facultatis petendi, qua privatur, potest exigere interesse, *Diana par.* 2. *tract.* 8. *resol.* 48. *&* *par.* 5. *tract.* 13. *&* 2. *miscell. resol.* 50.

*Explicatur, an in mutuo possit fieri pactum legis commissoriæ in pignoribus.*

UT hoc faciliùs intelligas, sopponas pactum legis commissoriæ in pignoribus esse, quandò quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito ea conditione, ut si non solvat debitor intrà certum pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur, & dicitur commissorium, quia si non solvit debitor statuto tempore incidit in commissum, id est jus rei suæ amittit propter culpam commissam, non solvendo tempore præfixo. Hoc posito.

Dico primo: pactum legis commissoriæ illicitum est, & usurarium in pignoribus. Sic colligitur *ex cap. significante de pignoribus*, *&* *ex l.* 1. *&* *l. ultima*, *C. de pactis pignorum*, idque ea ratione, quia ex tali pacto videtur accipi aliquid ultrà sortem ex mutuo, sed accipere aliquid ultrà sortem, regulariter est usura. ergo: quòd si tale pactum apponatur in pœnam poterit apponi.

Dices primo: potest in venditione fieri pactum legis commissoriæ, ergo etiam in pignore.

Respondetur negando consequentiam, quia in venditione nulla est injustitia: at verò in pignore est injustitia manifesta, quia acciperetur aliquod pro mutuo ultrà sortem, *Abbas in d. cap. significante*.

Dices secundo: si mutuans apponat pactum, ut nisi solvatur intrà talem terminum, pignus vendatur justo pretio, validum est tale pactum, ergo pactum legis commissoriæ fieri potest in pignore.

Respondetur negando consequentiam & disparitas est, quia in primo casu id non fit in gravamen pro mutuo, sed ut seipsum mutuans servet indemnem: in casu verò nostro apponeretur ultrà sortem mutui exigendo aliquid, quod fieri non potest; & in primo casu nulli fit injuria, cùm hoc pactum liberè fiat. Secundo verò casu fit injuria.

*De Cambiis.*

AD intelligentiam hujus rubricæ, quam posuimus. Sciendum est primo, quòd Cambium est contractus, quo pecunia pro pecunia permutatur, quæ permutatio, aut fit in eodem loco, & dicitur Cambiom naturale, quia transit pecunia de manu ad manu, aot fit in diverso loco, ut cùm traditur hîc pecunia, ut reddatur in diverso loco, & hoc dicitur cambium locale, seù per litteras, & ex utroque cambio exigi potest lucrum, ut infrà. Datur aliud Cambium, quod vocant siccum, quia caret humore, sivè justo titulo accipiendi lucrum, ut cùm quis dat ad Cambinm (qui dicitur campsor, qui verò recipit ad Cambium vocatur campsarius) alicujus pecuniam solvendam in eodem loco, in quo eam tradit confectis litteris ad locum distantem, ad quem reverà litteræ nnn mittuntur, vel si mittuntor nihil operantur, & habetur, ac si non mitterentur, cùm sciat campsor campsarium non habere pecuniam actu, vel potentia in eo loco, ubi litteræ mittuntur, quòd si campsarius in eo loco, in quo accepit ad Cambium creditur soluturus per aliom, ut ex pecunia accepta per venditionem mercium, vel alio modo, tunc hoc Cambium reale dicitur, & non fictum.

Sciendum secundo est, quòd cambium reale, seù manuale, cùm scilicet una species monetæ cum alia permutatur in eodem loco, non est illicitum, sed ob multas caosas potest accipi lucrum est isto cambio.

Et prima est officium cambiandi, sivè hoc à Principe, sivè à Republica sit concessum, sivè fiat spontè à persona privata, nam in utroque casu sunt justi tituli exigendi aliquid lucri, scilicet labor pretio extimabilis; sic permutans pecuniam pretiosiorem pro viliori potest aliquid accipere, ut si det aureum pro argentes, quia campsor id facit in gratiam accipientis. DD. communiter apud *Salas de cambiis dub.* 3.

Secunda est lucrum cessans, ut si, v. g. campsor privat se moneta aurea, quam alio erat asportaturus, ubi futura erat majoris valoris, vel erat empturus merces, quas cum illa moneta aurea minori pretio esset empturus.

Tertia causa est puritas materiæ, in pecunia enim duo possunt considerari, materia ipsa, puta aurea, vel argentea, & valor, qui taxatur à Principe, ut v. g. moneta purioris auri, vel argenti plus valet, quàm valeat alia impurior, etiamsi pretium eodem modo sit à Principe taxatum.

Dices, pretiom monetæ est taxatum à Principe consideratis omnibus circumstantiis, sed inter illas est major, vel minor puritas, & consistit in indivisibili, ergò non potest augeri, quam difficultatem facit *Medina de usuris quæst.* 7.

Respondetur, Principem generatim taxare scuta esse tanti valoris, quòd autem inter ista aliqua sint purioris materiæ, non curatur, non enim potest descendere ad omnia particularia, & ideò cùm pecunia sic emitur, vel traditur, censetur potiùs tradi materialiter, undè non est damnandus, qui pecunias exteras, aurificibus vendit majori pretio, quàm sit earum taxa facta à Principe, quia venderetur pecunia, ut est quædam res; ille verò, qui pecuniam adulterinam exigit scienter, vel ex inadvertentia, non potest eam expendere, & alteri tradere vitio non detecto; neque per hoc, quòd quis fuit deceptus, potest alium decipere, cùm actio, qua deceptus sum, non conferat jus decipiendi alterum. *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 23.

Observa etiam, quòd Thesaurarius alicujus Principis, vel Procurator, seù famulus alicujus Domini inscio ipso, potest cum Domini pecuniis, quæ ad expendendas, vel conservandas habet, negotiari, & lucrum in suam utilitatem vertere, quia tale lucrum est fructus industriæ, dummodò semper servet Dominum indemnem: sic si quis tradat famulo, vel negotiorum gestori mille aureos in auro: ut solvat suo creditori, non curans, qua specie id fiat, & ille eos commutet in monetam argenteam cum lucro, eamque solvat creditori retento lucro, non tenetur restituere illud lucrum, neque creditori, neque Domino, sed potest illud sibi retinere. *Salas de cambiis dub.* 7. *Azorius par.* 3. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 11. *Lessius lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 2. *num.* 18. *Beja par.* 1. *casu* 20.

Sciendum est tertio, cambium locale per litteras factum, quo scilicet campsor dat pecuniam Neapoli Campsario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro, valet. *Filiucius de cambiis num.* 398. & quo major est distantia, eo majus stipendium exigi potest. Ratio autem, quare valeat tale cambium, est quia qui hîc dat pecuniam perindè se

habet,

habet, ac si alibi traderet, cùm debeat facere, ut ibi tradatur.

Sciendum est quarto, cambium reale per litteras cum recambio valet, nec est usurarium.

Exemplum hujus cambii est, mittuntur litteræ, v. g. Romam, ibique acceptantur, & suum producunt effectum, deindè Romæ scribuntur aliæ litteræ, quibus pecunia Neapolim recambitur. Ratio verò, quare valeat hoc cambium est, quia in hoc contractu pecunia presens commutatur cum absente, ergò sicut cambium reale non est usurarium, ità neque cambium cum recambio.

Requiruntur tamen in hoc cambio cum recambio, ut valeat, aliquæ conditiones; quæ etiam in cambio reali ex Bulla Pii V. requiruntur, quam Bullam *Comitolus lib. 3. quæst. moral. quæst. 15. nu.* 10. fatetur se vidisse.

Prima conditio est, ut campsarius litteras scribat, quæ mittantur, & non referantur inanes, nec confingant contrahentes cambia, cambia celebrare ad proximas nundinas, vel ad alia loca, quia esset alioquin cambium siccum, & usurarium cum onere restituendi.

Secunda conditio est, ne fiat pactum de certo, & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis solvendo à campsario, si non solvat tempore constituto, quòd si campsarius fuerit in mora solvendi tempore debito, nihilominùs Summus Pontifex vult, ut non deducatur in pactum; quòd si fiat pactum de lucro incerto, vel apponatur pœna moderata, potest fieri. *Bonacina de contract. disp. 3. quæst. 5. puncto unico num. 9.* Verùm, quia Bulla prædicta Pii V. fundatur in præsumptione fraudis usurariæ, in foro conscientiæ valebit dictum pactum de certo interesse, si moraliter constet, istud esse justum, etiam in locis, ubi dicta Bulla Pii V. recepta est. *Lessius lib. 2. cap. 25. dub. 11. num. 90. Reginald. tom. 2. lib. 25. cap. 14. num. 467.* & hoc casu non peccat mortaliter campsor faciens tale pactum, ut contrà *Salas; Rebellium, & alios,* docet *Emmanuel Sà in verb. cambium num. 6. Granadus parte 2. contr. 7. tractatu 3. disput. 15. sect. 2.*

Tertia conditio est, ne campsor protrahat terminum solutionis ob pactum recipiendi lucrum, ut si campsor det Titio pecuniam sibi solvendam Romæ ad tres menses, & posteà prorogat terminum, quia Caius promittit majus lucrum, si terminus solutionis extendatur; nam Pius V. determinat id fieri non posse, quia acciperetur lucrum ob dilationem temporis, in quo usura apparet. Intellige ergò, hoc non posse accipi ratione dilationis præcisè, cæterùm ratione alterius tituli potest aliquid accipi; puta, quia campsoris pecunia diutiùs exponitur periculo, aut quia plures petunt ad cambium, quo longius distant nundinæ.

*Explicatur, an cambium sit licitum cùm pro campsario respondet procurator campsoris non de propriis, vel alienis pecuniis, sed de pecuniis ipsius campsoris.*

SEnsus hujus quæsiti est. Titius accipit hìc Neapoli centum nummos, solvendos in primis nundinis Salerni. Verùm, quia Titius non habet Salerni pecuniam, vel amicum, aut procuratorem respondentem, petit à campsore, ut sibi concedat suum procuratorem, vel respondentem, qui nomine ipsius Titii satisfaciat, & solvat campsori. Posteà mittuntur literæ campsori, & acceptantur à respondente campsoris, qui nomine Titii campsoris solvit de pecunia ejusdem campsoris, & tandem scribit literas Neapolim campsori, vel alteri, ut exigat centum nummos à Titio, quos pro eo solvit Salerni, & recambit Neapolim, undè hic Neapoli fit solutio cambii & recambii, quæritur ergò, an fieri possit hoc cambium?

Respondetur, duas esse DD. opiniones. Prima est esse illicitum, ut usurarium tale cambium, ità *Sotus, Comitolus, Molina, Rodericus,* & alii apud *Rebellium de oblig. Justitia par. 2. lib. 11. qu. 6. concl. 3. nu.* 10.

Probant hoc præcipuè, quia in vero cambio debet intervenire diversa pecunia, sicut interveniunt diversi Domini, cùm nemo dicatur suam pecuniam commutare cum alia etiam sua: sed in hoc cambio tota pecunia, quæ datur, & accipitur, est pecunia ipsius campsoris, ergò non est vera commutatio, sed ficta: ergo est cambium siccum & inane: sicut non esset vera emptio, sed ficta, quandò merces, & pretium esset ejusdem, & fictè emeret quis suam domum, vel permutaret suum vinum cum suo oleo, vel triticum suum, cum alio tritico suo, quod alibi haberet.

Confirmatur, quia ille respondens, & procurator ipsius campsoris censetur una persona cum campsore, ergò illa solutio, quæ ab ipso efficitur, videtur fictitia, & imaginaria, & litteræ erunt inanes.

Secunda opinio est, hoc cambium esse licitum, nec damnandum de usura: ità *Azorius par. 3. lib. 10. cap. 9. q. 2. Filiuccius tom. 2. tract. 35. p. 2. cap. 8. nu. 436. Bartholomæus à S. Fausto in speculo Confessar. disp. 19. q. 22. & Salonius de just. & jure tom. 2. q. 4. de cambiis ar. 2. q. 12.* docet, sic declarasse Sacram Congregationem Cardinalium.

Probatur hæc opinio, nam solutio pecuniæ non fit in eo loco, ubi recepta est virtute primi cambii, quod verè fingitur in loco ubi facienda erit solutio, sed virtute secundi cambii, celebrati in loco, ad quem missæ fuerunt litteræ.

Confirmatur, quia nullum interesse contingit Campsario, sicut non contingeret interesse si tale cambium solveretur ex pecuniis alterius tertiæ personæ, ergo quia Campsarius non gravatur, sed potiùs obtinet facilitatem in habenda pecunia, & liberatur ab onere quærendi alium, qui solvit cambium, hoc non videtur iniquum.

Ad Argumenta verò pro prima opinione, Respondetur, quòd non est cambium fictum per hoc, quòd idem Campsor emit pecuniam à suo correspondente, qui est una persona cum ipso Campsore. Nam non est novum, quòd idem Campsor duplex officium præstet, scilicet & Campsoris, quatenùs acceptat pecuniam, & Campsarii, quatenùs pecuniam solvit; non enim officit justitiæ contractûs, quòd una persona gerat vices duarum personarum. Jus enim nostrum tàm Canonicum, quàm Civile optimè patitur, ut unus diversas repræsentet personas, ut latè probat *Molfesius in summa tom. 2. tract. 12. cap. 7. num. 51.* sic videmus in mutuo, quòd ipsemet mutuans potest esse fidejussor, seù assecurator, volente & consentiente mutuatario. Habes ergo, tale cambium licitè fieri posse etiam inter personas privatas, & non mercatores, ut benè *Naldus in summa in verb. cambium num. 6.*

*Explicantur aliqua pertinentia ad naturam Cambii.*

QUia sunt multa, quæ ad cambii naturam explicandam necessaria sunt, & possunt optimè explicari singula breviter, ideò agemus de illis omnibus simul in hoc capite.

Dico igitur primo, ob multos titulos posse Campsorem accipere aliquid ex cambio locali.

Primo scilicet potest Campsor aliquid exigere ex cambio,

cambio, quandò pecunia, quæ hic datur ut alio solvatur, sit minoris valoris hic, quàm ubi est solvenda.

Secunda, ratione assecurationis pecuniæ, quia quandò Campsor promittit pecuniam solvere Salerni, tunc obligatur ad omnia pericula, quæ possent esse in asportatione pecuniæ, & licèt Campsor habeat in eo loco paratam pecuniam, unde nulla sentiret incommoda, tamen ex natura rei subit hic periculum, quod in trajectione est, & quia liberat eum, cui in cambium dat à tali periculo; meritò potest aliquod exigere ratione hujus liberationis.

Dico secundo, in contractu cambii, quo Campsor dat pecuniam, ut alibi recipiat, quatuor personæ requiruntur. Prima est Campsor, & est ille, qui dat pecuniam. Secunda Campsarius, & est ille, qui indiget pecunia, vel hic, vel alibi, quo transferenda est à Campsore. Tertia persona est respondens Campsoris. Quarta denique persona est respondens Campsarii, & his quatuor personis perficitur cambium: nam Campsor, v. g. tradit hic pecuniam Campsario, & accipit obligationem à Campsario, ut illam solvat in alio loco, & hanc obligationem transmittit ad suum respondentem, ut in illo loco illam recipiat, & vicissim Campsarius scribit ad suum respondentem, ut solvat illam pecuniam respondenti Campsoris.

In hoc etiam cambio potest aliquid accipi. Primo ratione translationis virtualis, quæ fit de pecunia, quia cùm tradit campsor hic, ut alibi recipiat, censetur facere pecuniam suam absentem. Secundo potest aliquid accipi ratione mutationis pecuniæ præsentis cum absenti, quia pecunia absens minùs extimatur, quàm præsens. Tertio, potest aliquid accipi ratione copiæ, vel inopiæ petentium ad cambium, nam sicut ex multitudine, & paucitate emptorum augetur, & minuitur pretium rerum venalium: ità & in cambio ex multitudine, vel paucitate petentium ad cambium, augetur, vel minuitur valor pecuniæ, sivè illa pecunia sit præsens, sivè absens. Idem dic, si adesset multitudo, & paucitas dantium ad cambium, quia quo pauciores sunt, qui dant ad cambium, eo pluris extimatur pecunia campsoris.

Dico tertio, quòd si campsor rogatus à campsario fidejubeat pro illo, scilicet sumens in se periculum sortis principalis, potest aliquid exigere ratione hujus periculi in se suscepti: ratio est, quia hoc, quòd est sumere in se tale periculum, est pretio extimabile: sicut etiam emens aliquam mercem anticipata solutione, vel vendens credito, potest exigere pignus, vel fidejussorem, ut cautum sit sibi de sorte; quòd si fidejusserit campsor pro campsario, & acceperit pignus pro fidejussione, tunc non poterit aliquid aliud accipere, quia cessat periculum.

Intellige tamen, quòd licèt tradens pecuniam ad cambium possit consulere, & exigere pignus, vel fidejussorem pro crediti securitate, tamen fructus pignoris computandi sunt in sortem, si fortè sit pignus frugiferum, alioquin acciperetur aliquid ultrà æqualitatem *Azorius 3. par. lib. 10. cap. 11. q. 11. Bonacina de contract. disp. 2. q. 6. par. 2. num. 21.*

Dico quarto, potest campsor facere pactum cum campsario, ut si non solvat termino constituto, vel in loco præfixo, accipiat eandem pecuniam ad cambia, & recambia; donec tandem persolverit sortem, quia fortè cessat lucrum ex parte campsoris; quod lucrum potest deduci in pactum. *Salas de cambiis. dub. 22. concl. 2. Filiuccius tractat. 35. num.* 471.

Dico quinto, si campsarius tradat campsori post multa cambia, & recambia partem debiti, potest campsor eam partem computare pro extinctione lucrorum, & interesse cambiorum, ità colligitur ex *l. si usuras, C. de usuris*, & ex praxi quotidiana in solutione omnium debitorum.

Nec obstat, quòd quandò quis est debitor ex multis causis, si aliquid solvat, censetur illud solvere pro debito principali, nisi aliud exprimat. *l. 3. 4. & 5. ff. de solutionib.* sed capitale est debitum principale, ergò si aliquid solvat, censetur solvere ad extinctionem capitalis.

Respondetur, quòd tunc procedit regula tradita in argumento, quandò proveniunt debita ex diversis causis, at in casu nostro unica est causa cambii.

Dico sexto, campsor, qui bona fide dedit pecuniam Titio ad cambium, solvendum Salerni, si posteà cognoscat Titium non habere pecuniam actu, vel potentia correspondentem in eo loco, tunc potest tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Titius Salerni solvisset; nam tenetur Titius servare campsorem indemnem, qui bona fide contractum celebravit, ità post *Molinam*, & alios docet *Lessius de just. & jure lib. 2. cap. 21. dub. 7. num. 63.*

Dico septimo, licitum est uni cambientium recipere mercedem cambii ab altero, quandò uterque æquale lucrum percipit ex cambio, quod lucrum percipere potest ille, qui prævenitur ab altero.

Explicatur hoc dictum, ego egeo pecunia, hic Mediolani, quam habeo Romæ; Tu verò Romæ indiges pecunià, quam hic habes: dicimus ergò, quòd ego tecum cambiendo possum recipere lucrum, quia subeo onus pretio extimabile, & libero te onere, periculis, & expensis transmittendi pecuniam, quod non minus est pretio extimabile: quàm si ego non indigerem hic pecunia.

Confirmatur exemplis, si ego equum conductum transmissurus sum meis expensis ad Dominum, possum eundem equum locare alicui, qui eum Domino ducat, quia locans non facio injuriam Domino sed mihi consulo, & quæro commodum meum. Sic si quis conducturus erat equum Romam versùs, potest operam suam alteri locare, accepto pretio pro labore, & industria deducendi equum Romam; licèt ipse conducturus esset alium equum ad eundem locum, quia subit onus pretio extimabile in gratiam illius, qui transmissurus erat equum Romam, licèt per accidens se habeat, ut reportet commodum expensarum, quas ipse fecisset in alio equo conducendo; hæc omnia legas apud *Filiuccium tract. 53. num.* 399. *Bonacinam de contractibus disput. 12. quæst. 5. punct. 2. num.* 25.

Dico octavo, in cambio ad nundinas requiri personas suprà enumeratas, & nummos, qui reducuntur de uno loco ad alium, & quo longiores sunt nundinæ, eo majus exigunt pretium, pro cambio, & sic minus dant de pecunia, quàm alibi recepturi sunt, quo verò propinquiores, eo minus pretium exigunt, & ideò plus dant pecuniæ pro pecunia, quæ eis in alio loco reddenda est.

Neque damnatur modus cambii tàm ad nundinas, quàm localis, quandò mittuntur literæ, & campsarius delegat creditum: quod ab alio exigere debet ipsi campsori, quia tunc verè solvit, si creditum acceptetur, ut docent communiter DD. citati.

### *De locatione & conductione.*

VIdimus de emptione; & venditione, mutuo, & cambiis, continuatè de aliis agendo ponimus quarto loco locationem. Ad cujus intelligentiam.

Dico primo, quòd locatio est contractus, quo mercede conceditur persona, vel res ad usum, vel fructum.

Dici-

Dicitur, quo res, vel persona conceditur, quia nedùm res mobilis, sed etiam homo locare potest seipsum, vel operam suam alteri.

Dicitur mercede, ad distinctionem commodati, precarii, &c. in quibus usus sine mercede conceditur.

Dicitur ad usum, vel fructum, quia interdùm res locatur ad fructum, ut predia aliquandò ad usum, ut equus, domus, &c.

Conductio autem est contractus, quo mercede ducitur persona, vel res ad usum, vel fructum, ideò dicitur conductor, qui mercedem solvit, locator verò, qui mercedem pro usu rei accipit.

Dico secundo, non omnes res locari possunt, nam sunt aliquæ, quæ prohibentur locari. Ideò res Ecclesiæ ab iis, qui præsunt Ecclesiis, locari non possunt ad longum tempus, id est ad decennium. *Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alien. & in extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* res Ecclesiæ prohibetur locari ultrà triennium; dummodò res illa singulis annis in fructu sit, nam si ex illa re fructuum collectio est biennio, vel triennio, potest absque pœnæ incursu, & sine assensu Apostolico locari usque ad sex annos, & etiam novem. latè *Riccius in praxi par. 1. resol. 100. Gratian. discept. forens. tom. 5. cap 931.* ideò si in omni triennio unus fructus percipiatur, tunc triennium pro uno anno computari debet. *Praxis Curiæ Archiepiscopalis nostræ dub. 6. num. 10. Joannes Baptista Scortia in selectis Summorum Pontificum Constitutionum epitome 42. Theoremate 115.*

Ampliatur conclusio, ut non valeat locatio, etiamsi fiat ad duo triennia, & adjecta conditione, ut post primam incipiat secunda, quia neque talis locatio ultrà triennium valet. *Leppus alleg. 12. Covar. lib. 2. variar. resolut. cap. 16. Alvarus Velascus de Jure emphiteotico quæst. 29. num. 15.* & sumitur argumentum *tex. in §. quòd autem Auth. de non alien. aut permut. rebus Ecclesiæ.* An verò alienatio facta ultrà triennium vitietur in totum, an verò solùm quoad reliquum ultrà triennium, quæstio est. Et prima opinio docet vitiari in totum. *DD. in Auth. qui rem C. de Sacros. Eccles.* sic fuisse decisum in Rota Romana docet *Farinaceus decis. 30. par. 1.* Secunda opinio docet, valere per triennium vitiari tamen in excessu; DD. quos refert, & sequitur *Stephanus Quaranta in summa Bullarii in tit. de alien. rerum Ecclesiast. num. 40.* Tu verò cum *Bonac. de alien. bon. Eccles. disp. 2. qu. unic. p. 2. n. 24.* ità distingue, quòd aut constat, contrahentes ad minus tempus non esse contracturos, & tunc præsumitur contractus individuus secundùm partium voluntatem, *arg. l. si fundus ff. de contrah. empt.* & hoc casu vitiaretur in totum; si verò constet, contrahentes esse contracturos, & tunc contractus præsumitur validus pro primo triennio, invalidus verò pro aliis; Ideò, si quis diceret, loco tibi fundum ad tres annos, quibus elapsis ex nunc pro tunc concedo tibi eundem fundum ob alios tres annos, & sic deinceps, valida est locatio ad primum triennium, invalida verò quoad secundum, & tertium.

Dico tertio, potest conductor, rem, quam ipse conduxit, alteri locare æquè idoneo, & ad eundem finem. *l. nemo, C. de locato, Carrocius de locato, & conducto par. 2. quæst. 15. de sublocatione:* ideò potest Scholaris alterum in domo conducta substituere in sui locum sociis non dissentientibus. *Sylvester in verb. locatio quæst. 3. dicto 5. Rubellius de oblig. justitiæ lib. 14. quæs. 17. Hector Felicius de societate capit. 18.*

Limitatur conclusio, quandò aliter non est deductum inter partes, & modò unus locator non patiatur damnum, DD. ubi supra.

Limitatur secundo, in Civitate nostra Neapolitana. ex *consuetudine prima* sub titulo *de locato, & conducto*, prohibetur, ne possit conductor rem conductam alteri sublocare sine licentia Domini locatoris.

Adverte tamen, quòd quandò locatio fieret à conductore, tunc secundus conductor tenetur pensionem solvere ei, qui est secundus locator, nam cum eo fecit contractum: bona tamen ipsius remanent pignorata pro pensione solvenda Domino domûs. *l. solutum, ff. de pignor. act.*

Dico quarto, locatio reiterata debet probari per scripturam, non per testes, ut sic fuisse decisum in Sac. Cons. testatur *Francus dec. 278. per tex. in l. ne cui, C. locati Tappia in Jus Regni in tit. de locatione domûs. Pragm. prima de locato*, ubi *Novarius*, quæ quidem doctrina procedit, quandò reconductio allegaretur post finitum tempus primæ reconductionis; nam tunc prior reconductor nolens exfractare, continuò allegaret novam reconductionem, & interim novus conductor staret sine habitatione, & sic nova locatio huic secundo facta per Dominum domûs nunquàm haberet effectum, quòd si reconductio allegaretur antè finitum tempus primæ reconductionis, & tunc etiam sine scriptura admittitur probatio ad finem obtinendi terminum ad probandam reconductionem per testes. *Rovitus in prag. 1. num. 12. C. de locato. & conducto*, casu verò, quo admittitur probatio per testes, non minori numero quinque testium reconductio probari debet, sic decisum refert *Thorus in Compendio decisionum in verb. reconductio.*

Dico octavo, primi conductores sunt præferendi secundis conductoribus, quandò sumus in prediis rusticis, ideò, si ego locavi fundum Caio, & posteà eundem loco Sempronio, potest Caius pro eodem pretio Sempronium repellere; si verò sumus in prediis Urbanis; tunc primi conductores non possunt expellere secundos: Ideò si ego locavi tibi domum, & posteà elapso tempore meæ locationis, eam loco Mevio, tu non potes dicere, quòd pro eodem pretio velis in domo permanere. *l. ne cui. C. locati*, sic decisum in Sac. Cons. refert *Francus decis. 406. Gratianus discept. forens. tom. 2. cap. 357. Novar. de privil. miser. personar. privil. 11.*

Dico sexto, si duo habeant unam domum communem, & unus velit uni locare, alter verò nolit, vel unus vult locare ad unum usum, alter verò ad alium, vel unus vult locare personæ honestæ, alter inhonestæ; semper præfertur ille, qui habet majus jus in re, seù majorem partem, vel qui vult locare personæ honestæ: quòd si non sit potior conditio unius, quàm alterius, tunc sortes mittendæ sunt, vel ad Judicem recurrendum est pro concordia; ità *Gomesius 2. tom. variar. resol. cap. 3. num. 14.* eo verò casu, quo unus socius locat rem communem, altero socio dissentiente, tunc si dissentit sinè justa causa, valet locatio. *l. lege l. hæc distinctio. §. cùm fundum ff. locati.*

Dico septimo, regulariter non posse locatorem expellere conductorem durante tempore conductionis, quia non potest recedere à contractu invito conductore, quia per contractum locationis acquisivit jus ad certum tempus: dantur tamen aliqui casus, in quibus id licet.

Primus est, quandò facta locatione conductor pensionem non solvit præfixo tempore. Secundus, quandò abutitur conductor re conducta: ut quandò ibi conducit meretricem, aut alio modo malè utitur re conducta. Tertius est casus, quandò locatori supervenit inopinatus eventus, ob quam ipsi necesse est domum suam habitare, *l. æde, C. locati*, quo casu putat

putat *Covarr. lib. 2. var. cap.* 15. posse conductorem expelli à locatore, etiamsi locator promiserit non expellere. Quartus est casus, quandò domus indiget reparatione, quia tempore locationis non indigebat, & reparatio fieri non potest, nisi conductor de domo expellatur, & tenetur hoc casu locator remittere pensionem ad ratam temporis, vel saltem providere conductori de alia domo æquè idonea, *l. cùm in plures, ff. locati.*

Dico octavo, locator tenetur conductori ad omnia damna, quæ ex locatione inferuntur conductori, undè qui locavit domum non suam, sciens eam non suam, tenetur ad lucrum cessans, & damnum emergens conductoris, *l. si fundus, ff. locati*; *l. si quis domum, ff. eodem.* tenetur etiam ad expensas, quas facit conductor nedùm necessarias, verùm etiam utiles, quæ duraturæ sunt ultrà tempus conductionis, *l. 1.* ubi *DD. C. locati*, eas verò quæ duraturæ non sunt, sed fecit ad sui commodum, non tenetur ei resarcire locator, *l. sed addes. §. Inquilinus, ff. locati. Carrocius de locatione par.* 4. *§.* de *expensis*: de jure verò consuetudinario hujus Civitatis si domus locata indigeat aliqua reparatione, debet inquilinus requirere locatorem, ut infrà 15. dies faciat, quòd si id non fecerit, potest suis sumptibus illud facere, & id, quod expenderit pro rata computare in pensione debita, ut in consuetudine citata suprà.

Dico nono, conductor tenetur ad multa; & primo non potest uti re conducta nisi ad eum finem, ad quem conduxit, nisi aliter constet de mente locatoris, arg. *l. qui juramenta, ff. de furtis.* Secundo, ut stet contractui toto tempore locationis. Tertio, tenetur eandem rem integram restituere. Quarto, tenetur solvere pensionem suo tempore, idest vel secundùm tempus statutum inter ipsos, vel secundùm consuetudinem loci.

Dico decimo. Conductor, qui non potuit uti re conducta, aut fructus ex ea percipere propter aliquod impedimentum superveniens absque sua culpa, puta propter bellum, pestem, &c. non tenetur solvere pensionem ad ratam temporis, quo non potuit uti re conducta, cùm non censeatur conductor se voluisse obligare ad solvendam pensionem pro eo tempore, *l. habitatores, §. ultimo, l. si fundus, ff. locati*; eo verò casu, quo conductor non potuit uti, vel frui re conducta ob casum, vel impedimentum sibi proveniens, tunc adhuc tenetur solvere pensiones, cùm non debeat damnum pati locator ex casu, & culpa conductoris, *Filiuccius tractat. 36. num.* 30. Undè tenetur conductor pensionem solvere quandò non potuit domum habitare, eo quòd illi tempore conductionis necesse fuit alibi pergere: sic qui tempore conductionis assumptus fuit ad dignitatem, pensionem solvere tenetur, sic tenetur conductor solvere mercedem famulo conducto, cujus opera non est usus ob suam culpam, vel defectum, *l. qui operas, ff. locati.*

Advertit etiam *Lessius lib. 2. cap. 42. dub.* 2. quòd si quis conduxerit rem, vel operas alicujus famuli per annum, & non est usus illius opera ob suam culpam, non tenetur ad integram pensionem solvendam, si interim famulus alteri inservivit, & pro servitio accepit stipendium; sed potest tantùm detrahere, quantum famulus recepit alteri serviendo: & sic, si famulus cum primo conductore fecit pactum lucrandi unum carolenum in singulos dies, & posteà non est sua culpa eo usus, potest tantum detrahere de pretio convento, quantum idem famulus accepit ab altero conductore, quia sic servatur indemnis.

Rogabis, an peccet mortaliter locans domum meretrici? Respondetur negativè; ex justa enim causa licet alicui domum locare meretrici absque ullo peccato, etiamsi ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod minimè perpetraret eo loco sibi non concesso, ut ratione situs, &c. vel si meretrix domum illam conducens, plurimùm feminis honestis vicinis noceret: ità DD. communiter, quos sequitur *Barthol. à S. Fausto in speculo Confess. disput. 6. q.* 101. Ratio est, quia locatur res de se indifferens ad bonum, & malum: sicut non peccat vendens, vel locans cartas lusorias injustè lusuris, vel deponens pecuniam apud usurarium, qui illas ad usuras exercebit; Sicut nec peccat mortaliter, qui amico instanter petenti, ut commodaret domum suam ad meretricandum, commodavit, quam si non commodasset in gravissimum damnum incidisset, quia non poterat id denegare absque sui detrimento, & commodare cubiculum ex objecto non est intrinsecè malum, sed indifferens, & ordinatur ad malum ex sola intentione abutentis, *Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 10. coroll. 4. num.* 295.

Advertit etiam *Vincentius Carrocius de locatione, & conductione par. 3. in §. de remissione mercedis q.* 8. quòd ille, qui domum conduxit, si in ea non potest habitare ob vexationem spirituum, vel ob pestem supervenientem, non tenetur solvere pensionem, quia impedimentum non provenit ex parte conductoris, sed ex parte rei spectantis ad dominium domus. Idem dic, si domus conducta Fisco adjudicetur propter delictum locatoris.

Adverte ultimo, quòd si quis conduxit fundum; & superveniat posteà magna predii sterilitas, non tenetur ad integram solutionem pensionis; dummodò nulla adsit culpa conductoris, sed tantùm casus fortuitus, puta grandines, nives, inundationes, imbres insolitæ, &c. *l. ex conducto, §. si vis, ff. locati*: diceretur verò magna sterilitas secundùm aliquos, quandò fundus non redderet dimidios fructus, quos reddere consueverat; alii magnam vocant sterilitatem, quandò detracta expensarum extimatione, & semine, non supersunt fructus, qui sufficiant ad dimidiam pensionem solvendam, quòd si sterilitas unius anni compensetur cum fertilitate alterius anni, ut solet accidere in locationibus ad plures annos celebratis, tunc non potest conductor diminuere pensionem, *l. si uno anno, ff. locati, Carrocius ubi sup. q. 8. num.* 45.

Ille verò, qui conduxit predium, vel molendinum, si eo anno supervenit magna fructuum ubertas, tenetur augere pensionem, dummodò non superveniat ubertas ex sua industria, sed ex clementia Cœli. Ratio autem ea est, quia æqualis debet esse utrinsque conditio, sed ex sterilitate superveniente tenetur locator diminuere, ergo ex abundantia supervenienti tenetur conductor augere pensionem, dummodò hic modus augendi sit in usu, ut benè *Emmanuel Sà in verb. conductio num.* 11. sic qui conduxit molendinum, tenetur ad augendam pensionem, si aliis molendinis eo anno impetu aquarum destructis, longè majus lucrum percepit: modò hoc sit in usu, *Bonacina de contract. disp. 3. q. 7. punct. 5. num.* 14.

*Explicatur conductio famulorum, aliorumque Officialium.*

AD intelligentiam hujus rubricæ. Dico primo, contractus, quo famulus locat operas suas alteri, validus, & licitus est, non enim apparet quo titulo sit invalidus; cùm opera famuli digna sit stipendio, & mercede: dignus enim est operarius mercede sua, quòd si contractus locationis fiat ad rem illicitam, est invalidus, quia nullus potest rem suam locare ad opus illicitum, à quo tenetur abstinere.

Dico secundo, stipendium solvendum famulis, aliisque Officialibus debet esse justum, si ipsi fideliter laboraverint: idque ex eo patet, quia debet in contractu servari æquali-

æqualitas, ergo etiam in hoc contractu locationis famulorum, quòd si aliter inter famulos, & dominos conventum sit, tunc poterunt habere minora stipendia, *Carrocius de locatione par.* 1. *q.* 10. nec potest famulus compensatione uti, quandò justum habet à Domino stipendium, poterit tamen compensatione uti in rebus domini famulus, quandò præstitit aliqua obsequia, ad quæ alias non tenebatur, modò illa non præstiterit gratis, & liberaliter, sed animo accipiendi mercedem, DD. ubi suprà. Immò *Valerus in differ. utriusque fori in verb. locatio diff.* 8. *num.* 1. docet, quòd semper quod famulus facit per aliqua grandia, & extraordinaria servitia, excedentia pretium conventum, tunc Dominus ex gratitudine, & honestate, & debito legali non morali tenetur compensare ad æquivalentem satisfactionem, & hoc casu non potest famulus ullam facere compensationem.

Dico tertio, famulus conductus per annum, si infirmetur per mensem, non debere habere salarium pro tempore infirmitatis, ut benè *Bart. per tex. ibi in l. si uno*, *§. item cùm quidam. num.* 3. *ff. locati*. Ratio est, quia stipendium solvitur ob operas quotidianas, nec tenetur domino pensionem solvere, quandò non utitur re conducta ob defectum locatoris; sed dominus non utitur opera famuli ob morbum, ergo. Unde recedas à *glossa in l. arboribus* 13. *§. de illo, super verb. agrotante. ff. de usufructu*. quæ dicit deberi salarium pro tempore infirmitatis *Carrocius de locat*, *& cond. q.* 10.

Et nota, quòd non tenetur dominus suis expensis, & sumptibus curare infirmum famulum in domo sua, cum ex nullo jure constet, has expensas pertinere ad conductorem secluso pacto, & conventione, dummodò non existat famulus in extrema, vel gravi necessitate.

Dico quarto famulus, qui ob infirmitatem non potuit servire certo tempore, si vult servire alio tempore, & integram habere mercedem potest quandò opus est certum, ut si conduco operas tuas, ut facias mihi domum, vel librum scribas, nam cùm eadem sit domus, quæ ædificatur hodie, ac cras, si quis hodie est impeditus, potest ædificare cras, & debet sibi tempus suppleri; quandò verò opus non est certum, putà si dicatur, promittis mihi servire ad certum tempus, tunc quia aliæ dicuntur operæ hodiernæ, aliæ verò crastinæ, si quis promisit operas certi temporis, puta præsentis anni, vel mensis Novembris, &c. non potest supplere operas, alio anno, vel mense, arg. *tex. in l. usufructus mihi in biennium*, *ff. de usufructu legato*. Quòd si tenebatur quis ad operas unius anni, vel mensis simpliciter, non adjecto de quo anno, vel mense, & tunc non serviens uno anno, vel mense potest alio supplere, si fuerit impeditus in primo anno, vel mense. *l. servus qui testamento in fine*, *ff. de statu liber. Bart in d. l. si uno*, *§. item cùm quidam*, *ff. locati*, & in simili est decisio *Afflicti* 73.

In conscientia tamen indistinctè tenetur dominus famulum redeundum admittere, vel ei solvere mercedem temporis, quo servivit, etiamsi redire nolit, nisi domini multùm interesset immoratio, & servitium famuli, nam in tali casu ad nihil tenetur in conscientia, si ejus interesse tantùm valeat, quantùm id, quod famulo debet. *Valerus in differ. utriusque fori*, *in verb. locatio*, *diff.* 4. *Suarez in enchyr. casuum conscientiæ lib.* 1. *verf. locatio*, *§. famulo*.

Dico quinto: conducens operam alicujus, si per conductorem stetit etiam ob casum fortuitum, quominùs locator operam suam præstaret, in foro civili tenetur ad omnem mercedem, *l. si alis*, *§. cùm quidam*, *ff. locati*, si ipse locator alteri non locasset operas suas: in foro verò conscientiæ non tenetur, nisi ad eam, quam sua culpa locator amisit. Ideò consuluit, & optimè *Valerus in differ. utriusque fori in verb. locatio*, *differ.* 3. quòd quidam, qui vesperè operam cujusdam pro die sequenti conduxerat, & statim manè certiorem fecisset locatorem, se non indigere opera ejus, non tenetur ad mercedem illius diei, si certum erat, ab illo pro illo die aliquem inveniri conductorem, etiamsi non locasset illi operam suam, ratio est, quia poterat se locare cum alio si voluisset, vel in suis terris, quas habebat, operari, & nullam operæ suæ mercedem locator amittit causa conductoris, sed sua culpa, quia voluit esse otiosus, sicut in simili possessor malæ fidei non tenetur ad fructus, quos in veritate dominus rei non erat probabiliter percepturus, ut quia rem non locasset, si habuisset, *Sylvester in verb. restitutio il.* 3. *q.* 1. & alii apud *Valerum ubi sup.* & apud *Joannem de la Crux in directorio conscientiæ par.* 1. *q.* 7. *art.* 6. *dub.* 14. *concl.* 1.



Dico sexto, conducens famulos constitutos in necessitate sese ultrò offerentes minori pretio, quàm alioquin conduxisset, non peccat mortaliter, quia licèt necessitas rei valorem non minuat, tamen ultroneæ merces vilescunt, etiamsi tradantur ob necessitatem vendentis: sic excusantur illi, qui conducunt operas puerorum, tradendo illis solùm victum, quia hoc reputatur ex communi extimatione omnium justum stipendium: sic possunt artifices aliquid exigere pro puerorum institutione, quos instruendos suspiciunt, cùm ipsorum opera digna sit premio.

Dico septimo, in locatione famulorum cognoscitur justum stipendium, quandò est tantum, quantum alii recipiunt, seù quandò non desunt multi alii, qui libenter inservirent pro eodem pretio, quia res tanti valet, quanti communiter æstimatur: erit etiam justum pretium illud, quod conventum fuit, dummodò famulus sponte, & non invitus convenerit de tanto pretio, quia non tenetur dominus aliquod ultrà conventionem tradere, si famulus liberè convenerit; eo verò casu, quo famulus remittit domino determinationem mercedis, tunc non poterit dominus dare quod voluerit, sed tenetur saltem dare infimum pretium, quia famuli mens videtur, ut dominus determinet pretium, quod sibi justum videbitur.

Dico octavo, dominus expellens de domo famulum nondùm elapso termino constituto, tenetur ad integram solutionem mercedis, nisi ex gravissima causa moveatur ad ipsum expellendum, ità docent *Azorius* 3. *par. lib.* 8. *cap.* 13. *Filiuccius tract.* 36. *cap.* 6. *num.* 107.

Probatur, quia conductor tenetur solvere pensionem, quandò non est usus re conducta ob culpam, & impedimentum conductoris, *l. qui operas*, *ff. locati*; sicut ille, qui locavit navem ad merces asportandas, si per ipsum non stetit, quin merces asportarentur, potest vecturas navis exigere, *l. colonus*, *§. navem*, *ff. locati*. Sic Advocatus, qui operam suam locavit ad litem prosequendam non tenetur stipendium restituere si lis domini culpa intermittatur, *d. l. qui operas*; *ff. locati*; sicut etiam legatum factum Advocato, vel Procuratori, ut eorum vita durante singulis annis centum solvantur eis, eo tamen adjecto onere, ut hæredibus testatoris legantis patrocinentur in litibus: si hæres nulla existente causa Advocatum, sivè Procuratorem à patrocinii munere removeret, adhuc debetur tali Advocato, *l. Mævia* 13. *ff. de annuis legatis*, ut sic decisum in S. C. testatur *Donatus Antonius de Marinis tom.* 1. *var. resolut. resol.* 243. Vide etiam *Thorum in compend. decisionum in verb. Salarium an debeatur Advocato par.* 1.

Dico nono: Dominus, qui se obligavit tanto pretio determinato ad molendum, vel inserviendum alicui familiæ, vel collegio, non potest augere pretium, si posteà augeatur familia, seù numerus personarum in illa familia, quia ejusdem debet esse incommodum, cujus est commodum, sed commodum esset ipsius domini, si familia diminueretur, ergo ejusdem debet esse incommodum diminutionis familiæ, quòd si notabiliter angeatur numerus, tunc posset augere pretium, sicut si notabiliter diminueretur, tenetur eum minuere, quia talis casus non videtur prævisus à contrahentibus: Ideò Medicus, qui certo pretio se obligavit ad inserviendum alicui Seminario, si crescat numerus, salarium augeri non benè petit: sic nauta, qui se obligavit ad aliquem transferendum in Hispaniam, quem se translaturum credebat spatio quindecim dierum, sed posteà tempestate orta transtulit per mensem, non potest aliquod ultrà pretium taxatum petere: ratio est, quia non tenetur conductor præstare casum fortuitum, cujus periculo locatur se voluntariè subjecit.

Ille verò mercator, qui posuit merces in navi Indiam versùs v. g. si interim ejus merces à pyratis captæ sint in medio itinere absque culpa nautæ, tenetur ei solvere aliquod stipendium, v. g. dimidium, vel paulò minus. Sic etiam ad aliquam mercedem tenetur, quandò navis vi ventorum reversa est ad portum, quia usus est re aliena, usus enim navis pretio extimabilis est. Sic qui equum accepit ducendum ad aliquem locum, si equus pereat antequàm perveniat ad locum destinatum, potest recipere aliquod stipendium ad taxam itineris.

Dices obstat *textus in l. uno §. item cùm quidam, ff. locati*, ubi habetur potuisse mercatorem repetere pretium vecturæ à nauta, quia nave amissa, munere vehendi functus non erat, ergo nautæ stipendium non debetur, nisi ad portum pervenerit.

Respondetur, quòd in eo textu navis perierat in ipsomet portu, antequàm nauta fungeretur munere vehendi. Ille verò, qui conduxit navim, vel currum Romam usque, sed nauta, vel currus in medio itinere detentus est, quia erant in navi, vel curru merces prohibitæ ipsius conductoris, tenetur integram pensionem solvere, quia non est usus re conducta ex culpa sua, DD. ubi suprà.

Dico decimo, valet contractus, quo aromatarius locat omnia vasa, & medicamenta suæ tabernæ ad decem annos v. g. illaque certo pretio extimata, cum expresso pacto, ut teneatur conductor singulis annis solvere decem pro centenario pretii æstimati, & in fine conductionis restituere vasa, & medicamenta eodem pretio extimanda, ut contrà *Patrem Megaliam cons.* 85. docet *Cavalcanus par. 2. dec. 13. num. 66.* ubi dicit, ità fuisse decisum Papiæ, & Mediolani anno 1582. ubi quidam Speciarius totam suam Apotecam cum vasis, domo, & medicinis, aliisque rebus, quæ in dicta Speciaria conservabantur, locavit alteri Speciario cum extimatione rerum & pacto, quòd finita locatione deberet, & præfatam Apothecam cum dictis rebus extimatis, & inventariatis restituere.

Ratio autem, quare contractus valeat, ea est, quia licèt periculum rerum Apothecæ sit conductoris, ex vi extimationis, & numerationis ipsarum factarum, & sic in hoc dictus contractus transcendit terminos dictæ locationis, quia proprium est pertinere periculum rei locatæ ad ipsum locatorem; nihilominùs manet locatio, quia sic actum est inter contrahentes, sicut Dominus habet dominium super deposito facto de pecunia non consignata in sacculo, sed numerata, quia licèt dominium talis pecuniæ transierit in depositarium vigore dictæ numerationis, ut patet ex *l. Lucius, & ex l. dies sponsaliorum, §. qui pecuniam ff. depositi, l. quòd si ab initio, ff. de rebus creditis*; nihilominùs manet depositum, ergo cùm in dicto contractu maneat locatio, de cujus natura est, ut solvatur aliquid pro locatione, meritò cessat ibi omnis usura, quæ in contractu mutui realis solùm committitur, vel virtualis; legas *Joannem Valtrum in diff. utriusque fori, in verb. usuræ differ. 3. num. 9.*

*Quibus modis finiatur locatio: & an locatio transeat ad hæredes?*

UT hanc rubricam perfectè intelligas, sciendum est primo, quòd locatio duobus modis finitur. Primo lapsu termini constituti, *l. ne rui, C. locati*, statim enim, quòd finita est locatio, potest conductor liberè expelli, nec jus habet, ut aliis conductoribus præferatur, nisi conduxerit predia communitatis, aut Fisci. quia semper in his conductoribus, præfertur primus conductor aliis conductoribus, modo iste velit solvere augmentum pretii, quod ab aliis offertur, *l. penul. & fin. C. de location. predior. civilium lib.* 11. quòd si locator sciens finitum tempus locationis, permittit conductorem retinere rem sibi locatam, tunc non censetur finita, sed prorogata locatio. *Cardin. Mant. de tacit. & ambig. convent. lib. 5. tit. 15.* censetur verò prorogata locatio, si sumus in predio rustico per annum, quod si finito sequenti anno conductor iterùm perseveret in re conducta, sciente & patiente locatore, tunc censetur etiam prorogata locatio in sequentem annum, & sic deinceps: in predio verò Urbano, ut est domus, contractus censetur solùm prorogatus, donec alter contrahentium ab eo discedere velit, *l. item quæritur cum seq. ff. locati.*

Secundus modus, quo locatio finitur, est mutuo contrahentium consensu, nam res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. *l. nihil tam naturale, ff. de regulis juris.* quòd si fiat locatio cum hac conditione, ut duret, donec locator voluerit, tunc finitur non solùm locatore volente positivè, ut finiatur, verùm etiam sola ipsius morte, nam voluntas finitur morte *l. 4. ff. locati.*

Sciendum secundo est, quòd locatio transit ad successorem universalem, qui nedùm in re locata, verùm etiam in aliis succedit, cùm hæres repræsentet personam prædecessoris, & in ejus jura, & onera succedat. Successor verò singularis, qui succedit in re particulari, qualis est emptor, donatarius, vel legatarius, non tenetur stare contractui locationis celebrato ab eo, qui succedit in re particulari *l. emptorem C. locati*, quia singularis successor non repræsentat personam locatoris, nec ipsius obligationem suscipit, ergò neque tenetur stare ipsius locationi, nisi antecessor in alienatione aliter expressè, vel tacitè dixerit. *Card. Mant. de tac. & ambig. convent. lib. 5. tit. 10. num. 39.* licèt autem *tex. in d. l. emptorem C. de locato, & conducto*, dicat, non teneri emptorem, ut singularem successorem locationi persistere, sed licere ei colonum, seù inquilinum ad sui libitum expellere, tamen textus ille varias recepit ampliationes à DD. & limitationes, quas satis utiliter collegit novissimè *Barthelomeus Scappuccinus in suo opusculo*, quod edidit sub titulo *de successore singulari.* Ideò.

Rogabis, an dispositio *textûs in d. l. emptorem*, locum habeat in colono partiario, qui dicitur ille, qui pro conductione Domino pecuniam non solvit, sed fructus pro certa parte conventa dividit cum locatore, ità ut possit hic expelli ab emptore fundi, non finita locatione facta cum primo Domino?

Respon-

Respondetur, quòd aut agitur de fructibus pendentibus, qui mox sunt colligendi, & expelli non potest, aut de fructibus futuri temporis, in quorum futura collectione nullos sumptus fecit, & expelli potest, cum nullum patiatur detrimentum: ità docet *Card. Mant. de tacit. & ambig. convent. tit. 31. lib. 5. Scappuccinus ubi sup.* observa etiam hìc obiter quòd si colonus partiarius se obligavit asportare fructus ad domum Domini suis sumptibus non tenetur ità francos conducere, ut etiam gabellas solvere teneatur: ea ratione, quia hoc est debitum Principis, & sic collecta, præcisè per Dominum solvenda est. *Bald. in l. acceptam quæst. 14. C. de usuris Carroc. de locato. par. 5. gradu 6. quæst. 8. n. 2.* ubi etiam docet, tunc colonum partiarium non teneri dare Domino partem arborum desiccatorum, vel tempest te avulsarum, *Pinellus in l. 1. num. 12. C. de bonis maternis.*

Ampliatur hæc doctrina, etiam in legatario, cui aliqua res legata est, quæ alteri locata reperitur, quia licèt legatarius dicatur quodammodò hæres in re legata, tamen locationi perseverare non tenetur. *Mantic. de tacit. & ambiguis tit. 10. num. 5. Cappuccinus loc. cit. ampliat. 3. ubi num. 8.* advertit secùs dicendum in fideicommissario universali, quia is locationi stare tenetur, sivè locatio facta sit à testatore, sivè ab hærede gravato.

Ampliatur secundo in donatario, qui nec etiam tenetur stare locationi per donantem factæ. *Albericus in l. arboret num. 2. ff. de usufruct.* licèt *Scapuccinus* aliter intellexerit *Albericum in 4. ampliat.*

Ampliatur tertio in marito, qui nec etiam tenetur stare locationi factæ per uxorem de fundo ipsi in dotem assignato, *Card. Mant. ubi sup. num. 9.* & sic contrà mortuo marito, non tenetur uxor stare locationi per ejus virum factæ de fundo dotali. *Alex. in l. si filiofam. §. si vir. ff solut. matr.* licèt alii contrarium dixerint, quos refert *Cardin. Tuschus pract. concl. littera L. conclus. 419.*

Ampliatur quarto, ut neque teneatur proprietarius stare locationi finito usufructu, quia usufructuarius non habet plenam rei administrationem, ideò non extenditur locatio oltrà ejus vitam, *Gratian, disc. forens. cap. 57. num. 17.*

Ampliatur quinto, ut neque Prælatus teneatur stare locationi factæ per ejus prædecessorem: si tamen locatio Prælati nomine facta fuerit, & etiamsi dictum esset pro se, suisque successoribus, quia Prælatus usufructuario æquiparatur, secùs verò si nomine Ecclesiæ in evidentem ejus utilitatem facta sit locatio, quia tunc successor in prælatura stare tenetur. *Canonistæ in cap. fin. ne Prælati vices suas. Rota Romana in decis. 1. in novis de locato. Scappuccinus ubi suprà ampliat. 14.* & sic ubi locatio non fuerit facta nomine Ecclesiæ in evidentem ejus utilitatem, semper successor potest conductorem expellere, etiamsi anticipatè affictum solvisset; immò etiamsi ipse successor pensionem à conductore recepisset, nisi expresè, & nominatim locationem ratificaret, ut probat *Scappuccinus ampliat. 15. Card. Tuschus pract. concl. litt. L. concl. 919.*

Ampliatur sexto, ut neque resignatarius in cujus favorem aliquod beneficium resignatur, teneatur stare locationi factæ per ejus prædecessorem, resignatio enim, & mors beneficiati æquiparantur. *Putrus decis. 468. lib. 2. Scappuccinus ampliat. 17.*

Ampliatur septimo, ut neque emphiteoticarius teneatur stare locationi factæ per Dominum directum, *Gutierez canon. quæst. lib. 2. cap. 18.* quòd tamen intelligitur de emphiteusi Privata, nam secùs est in emphiteusi Ecclesiæ, vel Fisci; tunc enim stare teneretur, & rationem diversitatis assignat *Bart. in l. cognovimus, C. de mancipiis, & colonis patrim. lib. 11.* quia colonus Fiscalis vel Ecclesiæ haberet recursum ad Fiscum, vel Ecclesiam; ne ergò Fiscus, vel Ecclesia damnum patiatur, meritò tenetur stare secondus successor particularis primæ locationi. *Scappuccinus ampl. 11. num. 7.* & nota signanter, quòd sicut successor particularis hoc casu non tenetur stare locationi, ità Colonus, si recuset stare, cogi non potest, cùm sint correlativa. *l. feudum, ff. locati. Surdus decis. 52.* quòd si locator venditor cederet omnia jura sua, & omnem actionem sibi competentem contrà conductorem, tunc remanetur adstrictus, ut omninò teneatur locationem observare. quæ verba dantur pro cautela in Instrumento. *Surdus ubi sup. Card. Mant. de tac. & ambig. lib. 5. tit. 10. num. 44. & 45.*

Limitatur verò prædicta conclusio ex textu desumpta in *d. l. emptorem. C. locati, & conduct.* primo non habere locum, quandò quis vendit rem cum pacto redimendi, & deindè vigore pacti redemit, quia is, si rem, quam reemit, invenit locatam, tenetur stare locationi, *Bald. in l. 1. in fine C. de Jure Fisci lib. 10. Peregrinus de fideicommiss. art. 40. num. 97.* quia eo ipso, quòd emptor locat, censetur locare, de voluntate venditoris, qui si voluisset reemendo locationem potuisset impedire, quod cum non fecit, censetur tacitè consensisse. *Bald. ubi sup. num. 35.*

Limitatur secundo in filio, qui cùm mortuo Patre, pleno jure succedat in bonis paternis, & adventiis, consequenter si aliquod predium adventitium, in quo habebat Pater usumfructum, locatum invenerit, tenetur locationi persistere, cùm pater præsumatur bonum consilium pro filio capere, nisi locatio esset facta ad longum tempus, quia tunc filius ad observantiam non obligaretur. *Pinellus in l. 1. C. de bonis maternis. par. 3. num. 63. Scappuccinus ubi suprà limitat. 14.* Idem dicas de filio, quem pater instituit hæredem in legitima super aliquo predio, quod alicui locatum reperitur, quia is locationi stare tenetur. *Carrocius de locato par. 4. in tit. de successore q. 15. Scappuccinus ubi suprà num. 8.*

Limitatur tertio in successoribus Rectorum Hospitalis, Conservatorum, Electorum Civitatis, œconomorum alterius pii loci, & similium, hi enim tenentur stare locationibus per prædecessores factis. *Jason in l. Præses, C. de transact. Covarr. var. resol. lib. 2. cap. 15. Peregrinus ubi sup. num. 98.* quod ampliant in omni administratione bonorum à lege, vel homine datâ, ut diximus in tutore, qui si bona pupilli locaverit, finita tutela, pupillus locationem illam ratam habere tenetur, dummodò locatio non sit ad longum tempus. *Mantica ubi suprà titulo 10. lib. 50. num. 22.*

Limitatur quarto, in successore Jurisdictionis, qui licèt sit successor particularis, tamen tenetur stare locationi, seù Officiali, quàpropter si fuerit locata Terra Baronis, & ibi inveniatur Capitaneus positus à Barone, non potest talis Capitaneus non adhuc finito officio expelli à novo conductore illius Terræ. *Francus decis. 216. Osasch. dec. Pedamont. 82.* Verùm si officium sit provisum antè locationem, & expeditæ patentes, tunc conductor, si noluerit recipere illum creatum à Barone offerendo officii salarium, poterit alium constituere ad sui electionem, *Franc. ubi sup.* & addentes ad eum, neque erit obligatus dare lucra, & gagia, quæ in officio lucrari posset, quia illa debentur, & compensantur cum labore, & sic sat erit salarium offerre. *Freccia de subfeudis auct. 3. Capiblancus de auctor. Baro-*

*Baronum, tom. 2. super pragm. 5. nu. 10. Rovit. conf.* 81.

Limitatur quinto, in successore succedente ex sententia Judicis in aliqua re, quia hic locationi persistere tenetur, quia semper Judex intelligitur jus tertii reservare, & nullam conductori injuriam facere. *Gratian. discept. for. lib.* 1. *c.* 37. *Sard. dec.* 40.

Limitatur sexto in successore, qui sciebat rem esse locatam; hoc enim scientia nperatur, quia videtur tacitè locationi consensisse: intellige tamen, quòd successor ille particularis sit certioratus de tali re, licèt venditor nullum jus coloni reservaverit. *Surdus decis.* 265. *Scappuccinus limit.* 17.

Limitatur septimo, ut non procedat, si tempore locationis conductor convenit cum locatore, qui posteà vendidit, quòd afficto durante non possit vendere rem, legare, donare, aut quemcunque contractum facere, vel si locator pro contractûs observantia omnia sua bona obligavit, quia his casibus tenetur emptor stare colono, quia propter conventionem, & hypothecam, quæ intervenit, censetur jus in re constitutum. *l. si creditor §. fin. ff. de distract. pignor. Osasch. dec.* 156. *Ludovisius decis.* 68.

Limitatur octavo, quandò locator recepisset pensionem anticipatam totius temporis, quia hoc casu singularis successor tenetur stare colono, vel si locatio esset facta ad longum tempus, cui successor singularis præcisè stare tenetur, cùm per eam Jus in re constituatur: DD. citati.

Limitatur nono in emente à Fisco, qui Fisci colono stare tenetur: DD. ubi suprà. In omnibus verò casibus, in quibus successor tenetur stare locationi, si conductor fuerit ab illo expulsus, poterit petere reintegrari in priorem statum saltem Judicis officio. *Scappuccinus ubi sup. limit.* 20.

### *De contractu Feudi, & emphiteusis.*

VT hanc rubricam perfectè intelligas. Sciendum est primo, quòd emphiteusis est contractus: quo quis tradit rem suam immobilem alteri, quoad dominium utile sub certa pensione reali solvenda in recognitionem Dominii directi *l.* 1. *C. de jure emphiteotico.* Ideò qui Caio predium tradit ad quindecim annos, cum onere solvendi sibi centum nummos aureos in recognitionem dominii directi dicitur contractum emphiteusis celebrare.

Sciendum est secundò. feudum dictum esse à fide, seù fidelitate, quo Dominus feudi tradit Vasallo rem suam immobilem, quoad dominium utile, cum onere obsequii, & personalis servitii, ideò in hoc consistit principalis differentia inter feudum, & emphiteusim, quòd in feudo exigitur pensio personalis, in emphiteusi verò realis, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia simili re; licèt etiam in feudo possit addi aliqua pensio solvenda ex pacto. Differt etiàm emphiteusis à locatione, quia emphiteusis tantùm in re stabili consideratur, locatio verò in re tàm mobili, quàm stabili, ideò equus, v. g. potest locari, licèt non possit in emphiteusim concedi, non tamen differt emphiteusis à locatione ad longum tempus, cùm in utraque transferatur utile dominium, quod non accidit in locatione ab breve tempus.

Sciendum est tertio, quòd emphiteusis alia est perpetua, alia verò temporalis: Perpetua est illa, quæ conceditur nullo præfinito tempore, temporalis verò illa dicitur, quæ conceditur ad unam, duas, vel tres generationes, id est vitas emphiteutarum.

Alia emphiteusis est Ecclesiastica, alia communis, sivè profana, emphiteusis Ecclesiastica dicitur, quæ ab Ecclesia conceditur, profana, quæ à personis laicalibus; alia est emphiteusis nova, cùm scilicet primo instituitur, alia antiqua, cùm scilicet alias erat instituta.

Alia etiam dicitur emphiteusis hæreditaria simpliciter, ut quæ pro omnibus hæredibus conceditur, alia hæreditaria mistè, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, non pro omnibus.

Alia verò est familiaris, quæ conceditur solùm pro his, qui sunt de familia, quamvis non sint hæredes.

Sciendum est quarto, plures conditiones requiri ad emphiteusim, ut colligitur *ex l.* 1. *&* 3. *de jure emphit.*

Primo enim requiritur, ut talis contractus emphiteusis celebretur per scripturam. *glossa in l.* 1. *in verb. alienatio, C. de jure emphit. Julius Clarus in §. emphiteusis quæs.* 4. quòd si de consuetudine alicubi receptum sit, non requiri scriptutam, tunc opus non erit ea.

Secundo requiritur, ut fiat contractus emphiteusis de rebus immobilibus, ut agris, domibus, pratis, &c. origo enim emphiteusis fuit, ut quæ solo adhærebant, cum sterilitate traderentur aliis, ut colerentur, & efficerentur fertilia, & fœcunda.

Tertio requiritur, ut non sint bona Ecclesiæ, quia bona Ecclesiasticarum personarum non possunt locari ad longum tempus, nec tradi in emphiteusim, nisi adsit causa legitima cum debitis solemnitatibus requisitis à jure in alienatione rerum Ecclesiasticarum. *Card. Mantica de tacit. & ambig. conven. tom.* 2. *lib.* 22. *tit.* 7. qua de re alibi dicemus.

Quarto requiritur, ut singulis annis solvat emphiteuticarius canonem; seù certam pensionem, consistentem in pecunia, vel in fructibus, quæ pensio solet esse ut plurimùm minor, quam valeant fructus rei emphiteoticæ, nam non solvitur ad lucrum, sed in recognitionem dominii directi. Quòd si emphiteuticarius per duos annos cessaverit à tali solutione, & emphiteusis sit Ecclesiæ, vel alterius pii loci, tunc cadit ab emphiteusi, & amittit rem emphiteoticam cum omnibus melioramentis in ea factis. *l.* 2. *C. de jure emphit. cap. potuit de locato & conducto.* Si verò emphiteusis fuerit personæ privatæ, tunc per triennium non solvens cadit ab emphiteusi, nisi tamen vellet purgare moram celeritate solutionis. *Magonius decis. Lucensi* 6. purgatur verò mora, si breviter satisfiat antè judicialem citationem, vel statim post citationem antè sententiam. *Cardin. Mantica de tacit. & ambig. convent. tom.* 2. *lib.* 22. *tit.* 27. *n.* 35. Ex quo.

Infertur primo, emphiteoticarium cadere ab emphiteusi ob non solutum canonem ab ea die, qua Dominus directus ostendit se ita velle, non verò ab eo tempore, quo fuit in mora solvendi canonem, quia, cùm jus expellendi spectet ad proprietarium, & in ejus favorem sit introductum, consequenter non videtur emphiteoticarius cadere ab emphiteusi, nisi quatenùs Dominus directus vult illum expellere. DD. ubi suprà.

Infertur secundo, non teneri emphiteoticarium relinquere rem emphiteoticam, antequàm fuerit expulsus auctoritate Judicis, quia nemo tenetur pœnam subire antè Judicis sententiam, *Abbas*, & alii in *cap. fin. de jure emphiteotico*, *Julius Clarus in §. emphiteusis q.* 11. *Magonius dec.* 70. *num.* 46.

Rogabis, an si pereat res concessa in emphiteusim, teneatur emphiteoticarius pensionem solvere?

Respondetur, quòd si pereat in totum absque culpa emphiteutæ, tunc ad nihil tenetur ampliùs solvendum, *DD. in l.* 1. *C. de jure emphit.* Ratio est, quia res domino perit, &, destructo principali, destruitur, quod in ipso erat, quòd si remaneat aliqua pars notabilis apud emphiteutam, tunc tenetur solvere

solvere pensionem, etiamsi illa pars remanens non sit correspondens quoad fructus pensioni, nam emphiteuta solvit pensionem in recognitionem dominii directi, non verò pro fructibus: ergo sicut si haberet augmentum in re emphiteotica per alluvionem, utique sibi accresceret, ità etiam illi cedit damnum sterilitatis. undè dici solet.

*Si res perit tota, nihil debet emphyteota.*
*Sed si pro parte, nulla se liberat arte.*

Et sic quia re emphyteotica perempta non tenetur emphiteoticarius pensionem solvere, consequenter neque tenetur re destructa eam reædificare, vel reficere, quia non se obligavit ad casus fortuitos.

Quinto requiritur in emphytheusi, ut possit emphiteoticarius privari re emphiteotica, quotiès efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel levi emphyteutæ, ut si emphyteuta arbores incidat; vineam non putet, &c. *Auth. qui rem, C. de Sacros. Eccles. Menoch. de arbitr. Jud. casu* 78. qui loquitur de emphyteusi, tàm Ecclesiæ, quàm personæ privatæ.

Sexto requiritur, ut licet possit emphiteuticarius rem emphyteuticam alteri donare (modò non sit res Ecclesiæ) legare, vel tradere in solutum quoad jus, quod ipse habet, cùm hoc à jure non prohibeatur, tamen non poterit rem emphyteoticam per venditionem alteri tradere secundùm jus utile, quod ipse habet, aut locare ad decennium, seù tradere alteri in emphyteusim, absque consensu domini directi, qui debet admoneri, nùm ipse velit pro eodem pretio emere, & sic si emphiteuticarius non admoneat dominum directum, & bimestre expectet ad deliberandum, nùm ipse velit emere, incidit in commissum, seù caducitatem, *l. ultima, C. de jure emphyteotico, cap. potuit de locat. Mant. de tacit. & ambig. convent. lib.* 12. *tit.* 28. Admonito verò domino duo menses conceduntur ad deliberandum, nùm ipse velit emere, quibus elapsis poterit emphyteuticarius vendere.

Et adverte, quòd quandò venditur hæc res, tunc à secundo emptore, qui est secundus emphiteoticarius, debet solvi lodemium domino directo in recognitionem principalis dominii, quod laudemium est quinquagesima pars pretii rei emphyteoticæ, *l.* 3. *C. de jure emphyteotico*, licèt de consuetudine videatur solùm trigesima pars, & potest esse major, vel minor secundùm locorum consuetudinem.

Quòd tamen laudemium non debetur in pluribus casibus, & signanter. non debetur primo, quandò pater tradit rem emphiteoticam in dotem. Secundo, quandò plures habentes eandem rem in emphyteusim, eam inter se dividunt. Tertio, quandò res emphiteutica redit ad priorem emphyteutam ex pacto de retrovendendo. Quartò, quandò succedit in emphiteusi, hæres necessarius, qui suus nuncupatur in jure, ut filius, vel nepos in potestate existens, *Filiuccius tract.* 36. *num.* 132.

An verò debeatur laudemium ex re donata, quæstio fuit in S. C. & tandem videtur S. C. penès *Francum dec.* 201. inclinasse in eam sententiam, ut scilicet debeatur, quia ratio, in qua fundatur *textus in l. fin. C. de jure emphit.* ut debeat solvi laudemium, ea est, quia scilicet solvitur quinquagesima pars in recognitionem directi dominii, sed in donatione præjudicium fit directo domino, ergò in donatione laudemium solvi non debet donatario: legas *Amodeum de Ponte de laudemio q.* 30.

Rogabis, an ad hoc ut emphiteuticarius repellatur, requiratur Judicis sententia?

Resp. requiri sententiam, sic docet *Augustinus Berous in cap. potuit de locato*: immò si post sententiam statim, vel antequàm feratur, solutio fiat, tunc potest Judex ex æquitate decernere, ut censeatur purgata mora, quæ purgatio moræ ex æquitate canonicà inducta est, *Rota Romana dec.* 410. *par.* 4. *Mantica dec.* 270.

Septimo requiritur in emphiteusi, ut illi solùm succedant in re emphyteotica, qui in investitura, seù contractu emphiteotico exprimuntur; undè si data sit usque ad quartam generationem, ea finita cessat emphiteusis, & transit hoc casu ad filios etiam non hæredes: nam generatio patris sunt ipsiusmet filii, aliique descendentes, secùs si in contractu facta sit mentio hæredum, quia tunc filii non succedunt, si non fiat hæredes. Ideò si dicatur, concedo tibi, & filiis tuis hæredibus, & filii justa de causa sint exhæredati, non succedent.

Quòd si dicatur concedo tibi, & tuis filiis, non succedent filiæ feminæ, nisi aliud exprimatur secundùm unam opinionem, quia nomine filiorum non veniunt feminæ, quia est stricti juris contractus emphyteoticus, sicut etiam feudum; secundùm aliam verò opinionem etiam feminæ succedunt, legas *Covarr. lib.* 2. *var. cap.* 18.

Adverte etiam, quòd in emphyteusi Ecclesiastica, concessa alicui pro se, & filiis; filius naturalis tantùm non succedit, nec nomine filiorum comprehenditur, quia Ecclesia valdè abhorret à filiis illegitimis, utpotè ex peccato genitis, quòd si emphiteusis est secularis, comprehenduntur filii naturales, *Azorius par.* 3. *lib.* 10. *cap.* 10.

Sciendum est quinto, quòd feudum aliud est proprium, aliud improprium, proprium est illud, quod feudi naturam servat, improprium dicitur illud, quod naturam habet impropriam, seù quod ex pacto naturam feudi mutat, & ideò vocari solet feudum ex pacto, seù providentia, quia acquiritur vigore pacti, ex investitura derogatur juri, quod domino alioquin competeret, *Mant. de tacit. & ambig. convent. lib.* 23. *tit.* 3. *num.* 2.

Secundo dividitur feudum, ut aliud sit regale, aliud non regale: feudum regale dicitur, quod conceditur à Principe non recognoscente Superiorem, vel à Rege, ut Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus, *cap.* 1. *in tit. quis dicatur Dux*: non regale dicitur, quod nihil habet dignitatis, vel eminentiæ sivè à Principe, sivè ab alio conferatur, *cap.* 1. *de his, qui feud. dar. poss.*

Tertio feudum aliud dicitur antiquum, aliud novum, aliud paternum, feudum antiquum est illud, quod majores communis cognationis habuerunt suprà quartum gradum, paternum est illud, quod possederunt parentes, seù progenitores, usque ad quartum gradum, ut avus, proavus, abavus, atavus; tritavus verò, & reliqui superiores appellantur majores, & feudum ab ipsis possessum non vocatur paternum, sed antiquum: datur autem feudum maternum, quod videlicet à femina tanquàm cognationis capite descendit, *cap.* 1. *de feudo femineo.* Feudum novum dicitur illud, quod non obtinetur ex successione, sed in ipsa investiti persona cœpit, *cap.* 1. *de successione feudi.*

Quarto, aliud feudum dicitur francum, aliud non francum: francum dicitur illud, quod est liberum à legibus pœnalibus feudorum, vel dicitur, illud, quod est francum, & liberum ab omnibus servitiis, *Sanchez in summa lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 41.

Quinto (omissis variis divisionibus) aliud dicitur feudum ligium, aliud non ligium: ligium dicitur illud, quo quis jurat alicui se ei fidelem futurum, nullo excepto, non ligium verò dicitur, quo quis jurat alicui fidelitatem excepto supremo domino, ut si quis juret Duci se ei fidelem futurum exceptis iis, quæ pertinent ad Imperatorem, vel Regem, seù supremum Principem.

De

### *De fidejussione, seù assecuratione.*

AD intelligentiam hujus rubricæ. Sciendum est primo, quòd fidejussio denotat fidem suam alteri dare, & jubere, & ità definitur, est contractus, quo quis suscipit in se obligationem alterius promittens sub fide sua illius adimpletionem, seque in illius defectum obligans. Ex quo.

Infertur primo, non teneri fidejussorem ad plura, aut majora, quàm tenetur principalis, pro quo fidejubet. nam gerit personam principalis, & tenetur in illius defectum, *§. fidejussores, ff. de fidejussoribus*: & quandò contractus, quo principalis se obligavit, est invalidus, tunc fidejussio est invalida. *l. cùm lex. ff. de fidejussorib. Card. Mant. de tacit. & ambig. convent. lib 16. tit. 9.* sicut neque regulariter loquendo potest conveniri fidejussor antequam solutio petatur à principali debitore, nam ipse tenetur in defectum principalis, *Auth. præsente. C. de fidejussor.* quia tamen renunciare solent ut plurimùm fidejussores huic beneficio, & beneficio *constit. Divi Adriani, C. de constituta pecunia*; Ideò conveniuntur non facta cum principali discussione.

Infertur secundo, fidejussorem teneri ad solvendum debitum sui principalis antè sententiam Judicis, nam sicut principalis tenetur antè sententiam Judicis, ità fidejussor antè eandem sententiam tenebitur, & quidem si fidejusserunt plures in solidum, tunc tenentur in solidum, si verò pro parte, ad partem tantùm solvendam cogi poterunt; quòd si essent duo obligati fidejussores in solidum, & unus solvit, tunc potest petere à principali creditore, ut sibi cedat jus agendi contra alium fidejussorem: ideò si tres se obligaverunt ad solvendum tercentum, & unus posteà integra solvat tercentum, tunc potest agere contrà alios cessa sibi actione à principali creditore ad consequenda bis centum, quæ pro eis solvit. *l. ut fidejussor, l. fidejussoribus 17. ff. de fidejussoribus l. cùm alter, ff. de compensationibus, l. Modestinus, ff. de solution.* & potest fidejussor denegare solutionem debiti, quòusque sibi per principalem creditorem non fiat cessio actionum contrà alios fidejussores, quæ cessio fieri debet antequàm solvat fidejussor creditori, nam si facta solutione illam petat, non potest creditor illam facere, quia creditor nullum ampliùs habet jus in alios confidejussores, cùm ei integrè satisfactum sit.

Infertur tertio, fidejussorem, qui se obligavit pro aliquo infrà annum, si per principalem prorogetur tempus debitori, remanere liberum ab obligatione, quia obligatio non se extendit ultrà conventionem partium: si verò se obligaverat simpliciter, non remanet fidejussor liber ab obligatione fidejussionis, nam obligatio indefinita non tollitur lapsu temporis, *l. Celsus, §. idem ait, ff. de arbitris. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 16. tit. 21.* in dubio autem tempus intelligitur adjectum ad limitandam obligationem, *l. item quæritur, §. qui impleto, ff. locat. & conduct.* sicut etiam liberatur fidejussor ab obligatione, quandò promisit præsentare aliquem, qui posteà crimen capitale commisit, modò fidejussor non fuerit in dolo, vel lata culpa patrati criminis, *l. Sed & si quis relegatus, ff. si quis cautionib. l. si decesserit, ff. qui satisdare cogant.* quòd si fidejussit quis pro aliquo, qui capite plectendus erat, eo aufugiente, fidejussor capite non erit plectendus, quia non censetur se ad hanc pœnam obligatum, nec se potuit obligare, cùm nemo sit membrorum suorum Dominus, *l. liber homo ff. ad leg. Aquiliam.*

Infertur quarto, fidejussorem posse agere contrà debitorem, ut liberetur à fidejussione in tribus casibus. Primo scilicet, quandò fidejussor fuit condemnatus ad persolvendam fidejussionem, *cap. fin. de fidejussor.* Secundo, quandò debitor vergit ad inopiam, *l. in omnibus, ff. de Judiciis*, ibi dicitur creditorem in die vel, sub conditione posse agere contrà debitorem in tali casu ad extorquendam cautionem crediti solvendi tali die, vel adimpleta conditione. Tertio, quandò debitor multo tempore fuit in mora solvendi post elapsum tempus constitutum ad solvendum vel quandò ità conventum est ab initio inter ipsos, *Oynotimus in institut. civilibus in §. in omnibus, in tit. de fidejussor.*

Infertur quinto, fidejussorem posse pecuniam accipere pro fidejussione. Ratio est, quia suscipit obligationem, qua se obligat ad solvendum pro debitore, quæ quidem obligatio est pretio extimabilis, nec tenetur fidejussor eam gratis suscipere, etiamsi nullum pateretur ex hoc incommodum ipse fidejussor, quia pretium non accipit pro periculo, sed pro obligatione, quam suscipit, quæ pretio extimabilis est; sicut etiam poterit creditor aliquid accipere à fidejussore volente se eximere ab obligatione fidejussionis, quia, cùm fidejussio sit pretio extimabilis tàm ratione obligationis, quàm ratione periculi, quod habet amittendi creditum; potest aliquod accipere, *Covarr. lib. 3. var. cap. 27.*

Infertur sexto; teneri debitorem ad restitutionem damnorum, quæ fidejussor patitur ob culpam suam, quia scilicet non solvit debitum tempore præfixo, immò nedùm tenetur solvere debitum, quod fidejussor pro ipso solvit, sed etiam expensas & damna, quæ passus est, dummodò culpa debitoris intervenerit, *§. si quis autem instit. de fidejussor.* non enim debet quis damnum pati ex officio, quod incommodum alterius præstitit, *l. si servus communis, §. quod verò, ff. de furtis*, quòd si debitor non solvit absque sua culpa, sed ob impotentiam, tunc tenebitur tantùm ad debitum principale, non verò ad expensas, quas fidejussor fecit; *Azorius 3. par. lib. 11. cap. 12. dub. 5.*

Infertur septimo, posse fidejussorem propria auctoritate satisfacere creditori, etiamsi interpellatur extrà judicium, modò id non faciat in fraudem principalis debitoris, quia utiliter dicitur gerere negotium sui principalis, eumque relevat ab obligatione, quà ergà creditorem tenebatur, ut benè docet *tex. in l. idemque, §. fidejussores, ff. mandati.*

Infertur octavo, obligationem fidejussionis transire ad hæredes, *l. potest accipi, ff. de fidejussor.* nam obligatio ex contractu transmittitur ad hæredes, *Institutista* communiter *in §. fidejussor, de fidejussor.*

Sciendum est secundo, fidejussionem duplicem esse, aliam scilicet judicialem, aliam verò extràjudicialem; fidejussio judicialis est, quæ fit in judicio, ut cùm quis promittit constituere aliquem sub pœna pecuniaria certo loco, & tempore, qui si non constituit, tenetur pœnam solvere, extrajudicialis fidejussio, seù privata dicitur, quandò quis se obligat extrà judicium in defectum principalis ad solvendum.

Sciendum est tertio, eam personam posse fidejubere, quæ habet bona ad satisfaciendum in defectum principalis, modò habeat illorum bonorum liberam administrationem, nec repellatur à jure; latè *Azorius par. 3. lib. 11. cap. 21. dub. 1.* Ideò pupillus, religiosus, & pauper fidejubere non possunt, & quidem pupillus fidejubere non potest, quia liberam non habet bonorum administrationem, pro patre verò carcerato fidejubere potest, *Auth. captivi, C. de Episc. & Cler.* cum auctoritate tamen Curatoris valet, Religiosum verò fidejubere non posse pro laico sine licentia Prælati vel majoris partis capituli docet *tex. in l. quod quibusdam, ff. de fidejussor.* sicut

sicut nec Clericum posse fidejubere pro laicis extrà necessitatem, docet *tex. in cap. ultimo de fidejussor. cap. te quidem* 11. *q.* 1. De consuetudine tamen servatur, clericos fidejubere pro laicis salem rarò, modò id faciant absque damno Ecclesiæ, *cap. Odoardus de solution. DD. ubi sup.*

Prohibetur etiam fidejubere mulier, sivè pro marito, sivè pro alio extraneo, *l.* 1, *& toto tit. ff. & C. ad Senat. Conf. Velleïanum.* Exceptis tamen quibusdam casibus, in quibus licet mulieri fidejubere, nec potest uti privilegio Velleïani, ut si fidejubeat accepto pretio; vel si fidejubeat pro dote alterius, vel pro libertate alicujus, vel si fidejussisset in fraudem, ut deciperet, *l.* 2. *ff. ad S. C. Velleïanum*, vel si fidejussit, & posteà ratificaverit fidejussionem; legas *Filiuccium tract.* 38. *cap.* 8. *n.* 157. Quòd si mulier renunciaverit huic beneficio sibi concesso, tunc de jure Regni nostri, neque obligatur, quia qua fragilitate fidejubet, eadem etiam inducitur ad renunciandum, *prag.* 1. *ad S. C. Velleïanum.*

Sciendum est quarto assecurationem esse contractum, quo quis ob pretium, vel aliud interesse, vel gratis suscipit in se periculum rei alienæ, obligando sejad illius compensationem, si perierit, ità ut teneatur ad compensationem totius, si tota res pereat, vel ad compensationem partis, si pars tantummodò perierit, qui contractus reducitur ad contractum innominatum, do ut facias, vel facio ut des, *Filiuccius tractat.* 37. *cap.* 1. *quæst.* 2.

Qui quidem contractus assecurationis non est usurarius, sed licitus, modò justum intercedat pretium pro ratione periculi, quod pretium debet esse æquale obligationi, quam suscipit assecurator in se, & regulatur etiam æqualitate personæ, & consuetudine loci, inter præcipuas etiam conditiones ea est, ut merces existant, ideò non valet assecuratio, quandò quis non habet merces in navi, sed eas fingit habere, esset enim dolus dans causam contractui, eo quòd assecurator intendit suscipere periculum rei extantis, nec sufficit, ut res existat, sed debet esse periculis obnoxia; ideò non potest quis assecurare rem, si jam sciat ad portum pervenisse. *Filiuccius ubi sup.*

### *De contractu pignoris.*

AD intelligentiam sciendum est primo, pignus posse dupliciter accipi. Primo pro re ipsa, quæ pignori traditur in securitatem. Secundo pro contractu pignoris, quo res creditori traditur ad securitatem crediti, & dicitur pignus à pugno, quo videtur res tradita in securitatem retineri, *l. plebi, §. pignus, ff. de verb. signif.* Definitur verò hoc modo. Est contractus, quo res alicui traditur ad securitatem crediti.

Sciendum secundo est, differre pignus ab hypotheca; nam pignus est de re mobili, hypotheca verò de re immobili, quæ licèt obligetur creditori, tamen remanet apud debitorem. Ideò si ego tradam torquem auream pro securitate crediti Caio, constituitur contractus pignoris; si verò pro centum, quæ mihi mutuavit, securum eum faciam in fundo meo, tunc est hypotheca, *§. item Serviana, instit. de actionib. Azorius par.* 3. *lib.* 7. *de pignore, Filiuccius tract.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 1, *num.* 165. *&* 166.

Sciendum est tertio, multa requiri in eo, qui bona aliqua pignori dedit. Primo enim requiritur libera bonorum administratio, *l. filius, §. ultimo, ff. de pignor. l. si convenerit, ff. eodem.* Secundo requiritur, ut res, quæ pignoratur, alienari possit, ex quibus requisitis.

Infertur primo, pupillum absque Judicis decreto non posse rem suam pignorare. *l.* 1, *ff. quæ res pignori oblig. possint*, quia pupillus non habet liberam bonorum administrationem.

Infertur secundo, non posse Prælatum res Ecclesiæ pignorare, *cap. nulli de rebus Eccles. non alien.* ubi DD. sicut nec socius irrequisito alio socio potest rem communem pignorare, cùm non habeat liberam illius administrationem, *l.* 1. *C. si communis res pignori data sit. l. communia. C. communi dividendo, l. nemo ex sociis. ff. pro socio.* Procurator verò res alienas pignorare non potest, nisi habens speciale mandatum. *l. soluto, ff. de pignor. act. l. ultima C. de rebus alien. non alienandis.*

Infertur tertio, res sacras, Jus patronatûs, & similia non posse, seclusa necessitate, pignorari, quia alienari non possunt. *c. cùm Bertoldus de sentent. & re judic.* quòd si Jus patronatûs consideretur, ut cohærens rei temporali, tunc & alienari, & pignorari potest. *Abb. in d. cap. cùm Bertoldus.*

Infertur quarto, feudum, vel emphiteusim cum damno directi Domini in pignus tradi non posse, sine damno verò posse. *l. tutor, §. ultimo. & l. sanè. ff. de pignor. act. l. grege. ff. de pignor. Julius Clarus in §. emphiteusis quæst.* 18.

Infertur quinto, usumfructum tradi posse in pignus, & hypothecam. *l. potior §. si de futura ff. qui pot. in pign. hab. & l. is, qui §. ususfructus ff. de pignoribus*, ratio est, quia alienari potest quoad jus competens usufructuario, finito tamen ipsius usufructu, expirat pignus, quia extincto jure datoris, extinguitur Jus acceptoris. *l. unica, C. si pignus pignori datum sit.*

Infertur sexto, quòd licèt res mihi pignorata alteri pignorari possit, ex *l.* 1. *&* 2. *C. si pignus pignori datum sit*, tamen non possum eam pro majori quantitate pignorare, quia nemo potest plus juris in alium transferre, quàm in se habet. *l. nemo plus Juris, ff. de regul. Juris.* Et prima pignoratio desinit esse statim, ac mihi satisfactum est, quia tunc nullum jus ampliùs habeo in pignus, ergò nun possum in alium transferre, *Azorius ubi sup. c.* 6. *q.* 7.

Infertur septimo, creditorem non posse uti cum damno debitoris pignore accepto, absque consensu expresso, vel tacito ipsius debitoris, quia pignus non traditur ad usum, sed ad securitatem; sine damno tamen, vel de consensu tacito Domini, non videtur illicitum uti pignore, quia nulli damnum, vel injuria inferri videtur, & ideò potest creditor uti equo sibi tradito in pignus, ne torpeat otio.

Sciendum est quarto, multis modis finiri obligationem pignoris, & quidem.

Primo data satisfactione creditori, cui datum erat pignus. *l. item liberatur, ff. quibus modis pignus, vel hypotheca solvitur, l. pignoris causa, C. de pignor. act.* Quòd si creditor remittat pignus, non censetur remisisse debitum principale, si verò remiserit debitum principale, censetur remisisse pignus, nam remisso principali, censetur remissum accessorium, non è contrà. *l.* 1. *ff. quibus modis pignus solvitur. l. pecunia ff. de solutionibus.*

Secundo, pignus solvitur, lapsu temporis, quousque fuerat datum pignus in securitatem debiti, vel adveniente conditione, sub qua fuit datum pignus. *l. solutum §. si fuit, ff. de pignor. act.*

Tertio, alienatione pignoris facta de consensu expresso, vel tacito creditoris vel post factum ratificata ab ipso creditore, modò alienatio valida fuerit. *l. si debitor, ff. quibus modis hypotheca solvitur. l. si consentis. ff. eodem tit. l. si probaveris. C. de remiss. pignor.*

Rogabis, utrùm possit creditor vendere pignus debitoris non solventis?

Pro

Pro responsione suppono, pignus aliud esse conventionale, aliud verò Judiciale; pignus conventionale dicitur illud, quod ex conventione, & pacto privatorum hominum contrahitur, pignus verò judiciale dicitur illud, quod ex sententia Judicis resultat. & datur alicui ad suum creditum. Hoc posito.

Respondetur primo, creditorem posse vendere pignus conventionale, si debitor sit in mora solvendi, dùm inter debitorem, & creditorem conventum erat, ut vendi possit: ratio est, quia ideò pignus creditori traditur, ut ex eo satisfactionem sibi faciat, & putat *glossa in l. creditor hypothecas, C. de distract. pignor. cum Azorio lib. 7. par. 3. de pignor. quæst.* 1. non opus esse, ut creditor denuntiet debitori, se velle pignus vendere, quia id non fuit deductum in pactum, sed absolutè fuit data facultas alienandi.

Respondetur secundo, quòd si inter creditorem, & debitorem nihil actum sit de vendendo pignore, creditor non potest illud vendere, nisi præmissa una denunciatione, seù monitione, & elapsis duobus annis *l. fin. §. fin autem C. de jure dominii impetrando*, præmissa ergo denunciatione, & elapsis duobus annis. potest creditor propria auctoritate pignus vendere, modò inveniat, qui emat: quòd si elapso biennio non inveniat, qui emat, debet adire Judicem, & denunciare debitori. quòd si non compareat debitor, assignabitur à Judice certum tempus ad comparendum, quo non comparente potest creditor petere, ut pignus sit ipsiusmet creditoris, quòd si posteà intrà aliud biennium compareat debitor, & creditori satisfaciat, recuperabit pignus. *l. fin. C. de jure dominii impetrando*, quod biennium à die denunciationis currit, *Bart. in l. si convenerit. ff. de pignor. act.*

Respondetur tertio, quòd si inter debitorem, & creditorem conventum sit, ut pignus non vendatur, tunc creditor non potest vendere pignus, cùm fides data servanda sit, alii tamen tenent, etiam hoc casu posse vendi post trinam monitionem.

Adverte tamen, quòd si emptor non inveniatur, qui justum offerat pretium, poterit admitti creditor ad licitandum, & ei pignus vendi, si justum pretium offerat. *l. cùm in causa, C. si in causa judicati pignus captum sit*, quòd si pignus vendatur majori pretio, quàm sit creditum, residuum restituendum erit debitori, quia venditor nullo jure potest sibi excessum retinere. *l. ultima, C. de jure dotium*, sicut, si vendidit minori pretio, potest residuum repetere à debitore *d. l. ultima citata. Azorius ubi suprà c.* 11. *q.* 3.

Adverte ultimo, quòd si debitor offerat aliud pignus tenetur creditor in conscientia illud recipere, dummodò sit æque idoneum, ac primum, & dummodò non excusetur ab alia rationabili causa nam quilibet tenetur proximo indigenti subvenire, quotiès absque suo incommodo potest.

Quarto solvitur obligatio pignoris emtione ejusdem pignoris, dùm scilicet creditor emit pignus à suo debitore *l. Titius ff. quib. mod. pign. vel hypotech. solvitur.*

Quinto, assertione ipsius creditoris affirmantis expressè, vel tacitè, rem sibi obligatam non esse, quia tunc censetur remittere obligationem pignoris: sic recuperando vel lacerando instrumentum, censetur remittere obligationem pignoris, sic etiam legando vel tradendo instrumentum debiti, creditor debitori censetur remisisse pignus. *l. habeo, ff. de pactis. l. creditricem, C. de remiss. pign.*

Sexto solvitur pignus per sententiam Judicis declarantis, debitorem liberum esse ab obligatione pignoris. *l. differente, ff. quibus modis pignus &c.*

Septimo solvitur obligatio pignoris novatione voluntaria, id est extinctione, & translatione pignoris debiti in aliam obligationem, ità ut prius debitum ex voluntate contrahentium commutetur in aliam obligationem. quia tunc cessat prior obligatio, nisi in posteriori fiat repetitio prioris. *l. novatio, ff. de novationib. Azorius par.* 2. *lib.* 7. *de pignore cap.* 14.

### *De Promissione.*

Quia nomen promissionis potest adaptari tam ad contractus gratuitos, quàm onerosos, non agimus hîc de ea, ut refertur ad contractus onerosos, quia sic de ea egimus, cùm de emptione, mutuo, & similibus: sed solùm de promissione, ut est contractus gratuitus, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd promissio est datio fidei deliberata, vera, & spontanea de re licita & possibili. Hine, qui promittit animo non se obligandi, non teneri ad implendum promissionem, qui verò promittit animo promittendi, & se obligandi, sed cum animo non implendi, tenetur stare promissioni, quia ex tali promissione facta animo promittendi, & se obligandi, consurgit obligatio. Ex quo.

Infertur, non obligari eum, qui dicit tantùm quædam verba urbanitatis, puta, dicendo verba generalia, v. g. promitto, me facturum quicquid velis; vel si dicat: ego, & omnia mea in in tui commodum parata erunt, sicut non obligatur, qui dicit, faciam quicquid dixeris, &c. quia hæc verba non continent veram promissionem, sed simplicem assertionem rei: ità *Bonacina de contractibus disp.* 3. *quæst.* 12. *punct.* 1. *num.* 13.

Infertur secundo, promissionem factam per vim, non obligare promittentem, quia non est spontanea. *Suarez de vot. lib.* 1. *cap.* 13. factum verò per blanditias validam esse, quia blanditiæ non auferunt voluntarium, sed movent hominem, ut voluntariè, & cum amore operetur, sed quod fit ex amore, voluntariè fit, ergo, videas *Sanchez lib.* 4. *de matrim. disp.* 11. qui etiam addit, accepta precibus importunis restituenda esse, si accepta sint ab eo qui quasi coactus tradidit, ut importunitatem repelleret.

Infertur tertio, promittentem teneri adimplere promissionem factam, etiamsi res promissa sit impeditiva majoris boni, quia in promissione homini facta, attenditur id, quod est homini gratius, sed res minùs bona, seù impeditiva majoris boni potest esse homini magis grata. ergò tenetur eam homo adimplere; ideò promittens feminæ matrimonium, tenetur eam ducere: qui verò vovit matrimonium, non tenetur per se loquendo adimplere votum, quia votum debet esse de meliori bono, votum autem matrimonii faciendi, non est de meliori bono, immò est impeditivum melioris boni nempè celibatûs, & ideò promissio facta Deo eò magis ei placet, quo res est magis bona. nam quo res est magis bona, eo magis Deo placet, & sic res impeditiva majoris boni, minùs Deo placet, legas *Farrianum de just. & jure disp.* 74. *dub.* 28.

Infertur quarto, votum, vel promissionem factam de exercendo ludo honesto, aut de sumendis cibis benè confectis ad salutem corporis necessariis, invalidum esse, nam istorum omissio. melior est, quàm eorum executio, licèt enim ludus causa recreationis sit honestus, & actus virtutis, tamen melius est abstinere à ludo quàm non abstinere & ideò votum de ludo, quamvis honesto, invalidum est, sicut ex opposito validum est votum de non ludendo. *San. lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 4.

Adverte

Advertè tamen, quòd votum non ludendi non extenditur ad ludum honestum, nisi aliter constet de voluntate voventis; nam regulariter votum non ludendi intelligitur eo modo, quo dissipantur bona, scilicèt ludo prohibito, secùs dic de eo, qui vovit abstinere à ludo, ob perjuria, blasphemias, &c. quia hic censetur vovere abstinentiam, ab omni ludo, nedùm illicito, sed etiam licito. DD. ubi suprà.

Infertur quinto eum, qui promisit Deo, se fœminam ducturum, quam defloravit, teneri adimplere promissionem Deo factam, quia talis promissio, cùm sit de re meliori, placet Deo, *Sanchez ubi suprà*, quia tenetur deflorator ducere defloratam sub promissione matrimonii, suppono dictum in *titulo de sponsalibus*: ergò deflorator promittit id, quod tenetur, legas *Coninchum de matrimonio disput.* 22. *dub.* 9. *&* 18. *cum aliis.*

Infertur sexto, eum, qui promisit Deo se ducturum aliquam in uxorem ad evitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, cognoscens ex frequenti lapsu se imbecillem, teneri ad matrimonium, nam licèt status cælibatûs sit melior matrimonio, tamen hîc & nunc attentis circumstantiis melius est matrimonium, quàm ejus omissio, quia melius est, quàm uti fornicatione. *Coninch. par.* 1. *c.* 7. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 4. *Coninch. ubi suprà.*

Infertur septimo contra multos, eum, qui promisit meretricem ducere in uxorem, ut illa se recipiat ad meliorem vitam, non teneri promissionem adimplere, quia tale votum videtur invalidum, utpotè impeditivum majoris boni, scilicèt abstinentiæ à matrimonio, quæ secundùm se spectata melior est ipso matrimonio. Ideò qui promisit pauperem ducere, vel meretricem, non validè vovit, & sic potest aliam ducere si voluerit, cùm votum matrimonii fuerit invalidum. Quòd si votum sit factum sub conditione, puta si nubam, seù si quam ducam meretricem, ducam, vel pauperem, tunc tenet votum.

Sciendum est secundo, promissionem differre à donatione, pollicitatione, pacto & stipulatione. Et quidem.

Differt à donatione, quia donatio transfert dominium rei donatæ in donatarium, quandò est facta cum reali traditione, quòd si fiat cum sola verbali, non transfert dominium. undè si dico, dono tibi vestem, quam tibi trado, tunc transfero dominium, secùs si dico dono tibi vestem, quam habeo in domo, quia tunc dominium non transfertur, sic disponente Jure positivo, quod requirit realem traditionem ad dominium transferendum.

Differt secundò à pollicitatione, quia pollicitatio est solius offerentis promissio id est promissio nondùm acceptata tacitè, vel expressè, *l.* 3. *ff. de pollicitationibus.* Promissio verò est datio fidei cum acceptatione, nam res non dicitur data, nisi sit acceptata.

Differt tertio à pacto, quia pactio, seù pactum est quid generalius promissione.

Differt quarto à stipulatione, quia stipulatio est contractus verborum, qui celebratur præcedente interrogatione creditoris, & responsione debitoris. *l.* 5. §. *stipulatio*, *ff. de verb. oblig. l.* 1. *§. verbis*, *ff. de act. & oblig.* est enim stipulatio, quandò quis dicit, promittis mihi centum, & alter dicat promitto.

Sciendum est tertio, promissionem internam non obligare, nisi fiat per modum voti, animus enim in mente retentus obligationem non parit. *l.* 1. *ff. de verb. obligat.* sed promissio interna est animus in mente retentus, ergò; immò nedùm non obligat in foro externo, sed neque in foro conscientiæ si fiat homini; secùs si fiat Deo, qui intuetur secreta cordis. Quòd si fiat Deo in gratiam hominis, adimplenda erit, ideò si promitto ducere in uxorem pauperem ob amorem Dei, & promissio sit interna, me obligat: idem est, si promisero dare eleemosinam pauperi ob amorem Dei.

Quòd si promissio interna fiat cum juramento, revocari poterit etiam antè acceptationem, tùm quia juramentum sequitur naturam actûs, cui apponitur, *l. fin. C. de non numer. pecun.* tùm quia promissio censetur facta cum hac tacita conditione, nisi revocetur antè acceptationem.

*De Donatione.*

AD intelligentiam sciendum est, quòd donatio est liberalis datio alicujus rei, *l. S natus*, *ff. de donat. causa mor.* & ideò non censetur donatio illa, quæ fit ob benèmerita, sed potiùs debiti naturalis solutio, quamobrem benè respondit *P. Marchesius* Societatis Jesu consultus à *Bonacina*, donationem remuneratoriam factam à religioso non subjacere dispositioni *Clementis* 8. *de largitione munerum*, ubi disponitur, Religiosum non posse aliquod donare, & ab eo aliquid accipientem non posse absolvi, nisi facta reali restitutione; talis enim Bulla, de qua *Quaranta in verb. largitio munerum*, loquitur de donatione simpliciter factâ, non verò de donatione remuneratoria. Legas *Bonacinam de contractib. disp.* 3. *q.* 13. *punct.* 1. *num.* 6.

Sciendum est secundo, quòd donatio alia est causa mortis, alia inter vivos.

Causa mortis dicitur, quæ fit ob periculum mortis, in qua, ut fieri possit, requiritur ut donator possit de re donata disponere: ideò filiusfamilias sine consensu patris donare non potest causa mortis, *l. tam is §.* 1. *ff. de donat. causa mortis*; requiruntur etiam quinque testes in donatione causa mortis, *l. fin. C. donat. causa mortis.*

Quæ quidem donatio causa mortis revocari potest à donante usque ad mortem, sicut potest revocari legatum, & testamentum, quòd si faciat quis donationem causa mortis, & apponat pactum non revocandi, censetur donatio inter vivos, *l. ubi ità donatur*, *ff. de donat. causa mortis.* Revocatur etiam ipso jure, cessante periculo, ob quod fuit facta, *l.* 3. *ff. de donat. causa mortis.* In dubio autem donatio censenda est inter vivos, non causa mortis: ea verò donatio quæ facta fuit tempore infirmitatis sine mentione mortis, judicatur causa mortis non inter vivos, ità *Julius Clarus in §. donatio q.* 4. Ideò donatio facta in Codicillis, & testamentis, censetur facta causa mortis, *Clarus ubi suprà.*

Donatio inter vivos dicitur illa, quæ non fit cogitatione mortis, & donator absolutè donat, & vult rem fieri alterius, quam donationem inter vivos non potest donans rescindere, nisi in quibusdam casibus.

Primus est, ob ingratitudinem donatarii, *l. ultima, C. de revocan. donat.* quæ ingratitudo consistit, si donatarius manus injecerit in donantem, vel si eum verbali affecerit injuria, vel si non adimplevit conditiones, sub quibus facta fuit, *l. ultima, C. de revocan. donat. cap. ultimo de donat.*

Secundus est casus, quandò superveniunt donanti filii, quia tunc revocatur ex *l. si unquàm*, *C. de revocan. donat.* quòd si donans renunciaverit tali beneficio, non revocabitur donatio, verùm habebunt filii actionem pro consequenda legitima, *Jul. Clar. in §. donatio. q.* 23.

Tertius casus, in quo potest revocari donatio inter vivos, est, quandò fuerit inofficiosa, puta si pater donaverit non relicta portione pro legitima filiorum, tunc enim inofficiosa dicitur, quia contra officium pietatis est facta, cùm officium pietatis sit relinquere filiis legitimam portionem, *l. si totas*, *C. de inoffic. donat.* Scien-

Sciendum est tertio, dari aliam donationem, quæ dicitur omnium bonorum, præsentium, & futurorum, quæ inter vivos invalida est, nisi fiat Ecclesiæ, vel pio loco aut confirmetur juramento, DD. communiter, quos citat *Julius Clarus in §. donatio q. 19. Covarr. lib. 3. var. cap. 12. & in rubrica de testamentis par. 2. num. 6.* Idque colligitur *ex l. stipulatio hoc modo concepta, ff. de verb. obligat.* Ratio hujus est, quia per talem donationem aufertur potestas testandi, nihil enim haberet donans de quo testari posset facta hujusmodi donatione: at jura volunt, talem potestatem adimi, & tolli non posse: quòd si talis donatio sit causa mortis, valet, nam donatio causa mortis non aufert potestatem testandi: cùm donator possit adhuc alium hæredem instituere, qui recipiat quartam partem, seù falcidiam, *Julius Clarus loc. cit.*

Quòd si talis donatio esset solùm præsentium, valeret, quia per talem donationem potestas testandi non amittitur, quia donator potest adhuc testari, sicut etiam valet donatio, si aliquid sibi donator reservet saltem usumfructum, aut si donaret simpliciter omnia bona non exprimendo futura, quia per talem donationem censentur tantùm expressa & donata bona acquisita.

Si verò talis donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum fiat Ecclesiæ, vel causæ piæ, valida est, quia jus civile non potest impedire opera pietatis, & consilia evangelica, ut sunt tradere bona sua causæ piæ, DD. citati. Valeret etiam talis donatio, si juramento confirmetur, ut ex communi docet *Covarr. in cap. quamvis pactum de pactis in 6. par. 2. in principio* Juramentum enim, quod potest absque interitu salutis æternæ servari, servandum est *cap. cùm contingat de jurejurando, cap. licet. eodem tit. in 6.* Sed in hac donatione potest servari juramentum absque interitu salutis æternæ, ergo hæc donatio juramento firmatur.

Immò putat *Julius Clarus in §. donatio q. 10. num 4.* factam hanc donationem inter fratres, favore agnationis conservandæ validam esse & *Molina disp. 280.* docet, validam esse alienationem omnium bonorum, factam ex causa onerosa aut etiam factam à patre pro matrimonio à filio contrahendo.

### *De Deposito.*

AD intelligentiam hujus rubricæ sciendum est primo, quòd depositum est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur, *l. 1. ff. depositi.* Vndè depositum non transfert dominium, neque usumfructum in depositarium, sed sola rei custodia depositario committitur. Ex quo.

Infertur primo, differre depositum à mutuo, nam in mutuo transfertur dominium, secùs in deposito *cap. bona fides de deposito*, differt à commodato, quia commodatum conceditur ad certum usum; differt à pignore, nam pignus traditur creditori in cautionem, depositum verò traditur ad solam rei custodiam.

Infertur secundo, depositarium non posse uti deposito, sed furtum committere, si eo utatur, *l. sacculum ff. depositi.* Res enim non est deposita ad usum, sed ad solam custodiam: dantur tamen aliqui casus in quibus licet depositario uti re deposita, &

Primus est, quandò credit, hoc domino non displicere. Secundus est casus, quandò dominus concedit usum rei expressè, vel tacitè, in quo casu si res deposita recipit functionem in genere suo, transit in naturam mutui. Dicuntur verò recipere functionem in genere suo, vinum, oleum, & aliæ res quarum una tradi, & permutari potest cum alia *l. Quirinus ff. depositi, l. si certi condictio §. fin. l. si sacculum ff. depositi.* Quòd si depositum consistat in illis rebus, quæ non recipiunt functionem in genere suo, tunc transit in naturam commodati, quandò traditur usus, ut accidit, quandò traditur equus, & illius usus conceditur vel in locatum, quandò pretium exigitur pro usu rei. Immò regulariter potest depositarius uti re deposita, quandò res non est usu consumptibilis nec illi est interdictus usus, ut si tradita sit pecunia non interdicto usu, & depositarius credat, se tempore solutionis habiturum similem pecuniam, qua possit satisfacere, quia dominus non censetur invitus, nec ullum patitur incommodum, sed potiùs subit commodum, quia cùm dominium rei translatum sit in depositarium, res stat ejus periculo, ità ut si pereat, pereat depositario, res enim domino perit, quòd si tradat alicui pecuniam in depositum, sacculo clausam, vel in arca inclusam, vel sigillo munitam, tunc depositarius non potest ea uti, nam dominus qui hoc modo pecuniam tradit, censetur illius usum interdicere. *l. si sacculum, ff. depositi Bonacina de contract. disp. 3. q. 24. punct. 1. num. 3.*

Sciendum secundo est, quòd depositum duplex est, Judiciale scilicet & privatum: Iudiciale fieri solet Primo, quandò debitor deponit pecuniam, quam creditor recusat acceptare. Secundo, quandò pendet lis de aliqua re, & interim deponitur penès tertium, *l. licet. ff. depositi*, quod appellatur sequestrum, quod tradi non debet, nisi lis finiatur, & constet cui tradi debeat. Depositum privatum est, quandò res aliqua deponitur apud confidentem hominem, ut custodiatur, *Azorius de deposito cap. 2.*

Sciendum est tertio, omnes, qui alicujus rei administrationem habent, possunt eam deponere, & etiam fur potest rem furatam penès alium deponere & sibi deponenti competit actio ad rem illam repetendam, *l. 1. §. si prædo, ff. depositi.*

Sciendum est quarto, in deposito saltem quinque requiri conditiones. Primo enim requiritur consensus tradentis, & acceptantis, nam depositum est contractus, qui mutuo consensu perficitur. Secundo requiritur, ut res tradatur, *l. 1. ff. de pactis.* Tertio, ut restituatur eadem res, *l. 1. ff. depositi.* Quarto requiritur, ut restituatur in eo loco, ubi invenitur, quia non est æquum, ut depositarius, qui depositi curam in gratiam deponentis suscepit, expensas faciat in restitutione depositi, nisi tamen depositarius dolo, vel lata culpa transtulerit depositum in alium locum, quia tunc tenetur reducere ad locum, in quo recepit, nisi deponens consentiat recipere in loco, ad quem translatum fuit, *l. si in Asia, §. depositum ff. depositi.* Ratio est, quia deponens non tenetur pati damnum ob culpam depositarii.

Quinto requiritur, ut si res pereat, deponenti pereat; quia deponens est dominus depositi, modò usus rei concessus non sit depositario, & depositum consistat in rebus recipientibus functionem in genere suo.

Rogabis, ex qua culpa teneatur depositarius; Respondeo distinguendo plures casus.

Primus est, quandò ei aliquod traditur pro re custodienda, & tunc, quia talis contractus fit in gratiam utriusque, tenetur depositarius de dolo, lata & levi culpa: ità *Azorius par. 3. lib. 7. de deposito cap. 7. Lessius lib. 2. cap 27. dub. 3.*

Secundus est casus, quandò depositarius nihil accepit & hoc casu depositum censetur celebratum in gratiam solius deponentis, & sic tenetur depositarius de lata solùm culpa & de dolo & ideò, si depositarius rem depositam misit ad dominum per eum, qui se finxit missum à domino & accepto deposito aufugit, tenetur solùm de dolo, & lata culpa, modò non acceperit pretium

pretium, & modò nullam habuerit suspicionem fraudis, eamque per debitam diligentiam non purgaverit, nam, si supicionem fraudis habuit, & non adhibuit debitam diligentiam ad fraudem inquirendam, tenetur ad restitutionem ob culpam.

Tertius est casus, in quo depositarius tenetur etiam de levissima culpa, & casu fortuito, cùm scilicet hoc expressè conventum sit, *l. 1. §. sæpè, & §. si convenit ff. depositi.* Secundò, si fuerit in mora restituendi *cap. fin. extrà eodem.* Tertio, si culpa præcessit usum. Quarto, si depositarius de deposito obtulit, *Civilistæ in §. prætereà, Instit. quibus modis re contrahitur obligatio.*

Rogabis secundo, quænam actio oriatur ex deposito?

Respondetur, duplicem oriri actionem. Prima est directa, quæ competit deponenti, & ejus hæredibus contrà depositarium, & ejus hæredes, *l. 1. §. qui depositi, ff. depositi.* Secunda dicitur contraria, & hæc competit depositario, & ejus hæredibus contrà depositantem, & hæredes illius ad repetendas expensas factas circà rem depositam, vel compensationem damni, si quod passus est depositarius ex re deposita, ut si deponens scienter deposuit equum calcitrosum, aut servum furacem, *l. actionem. ff. depositi.*

Sciendum est quinto, quòd depositum habet multa privilegia.

Primo, negans depositum efficitur infamis, quod non est in mutuo, vel alio contractu, *l. 1. ff. de his, qui notantur infamia, l. depositum. ff. eodem.*

Secundo, potest Judex sæcularis per modum extrajudicialis recognitionis cogere Clericum ad restituendum depositum, *Afflict. dec. 24. num. 3.* quod tamen reprobatur ab *Ambrosino de immun. eccles. cap. 20. num. 53. & à Patre Leonardo Duardo in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 11. num. 3.*

Tertio, adversùs depositum non potest opponi de compensatione, sed statim reddi debet, *l. penult. C. depositi.* De dominio verò an possit opponi, quæstio est? multi negant; contrarium tamen docet *Donellus in l. 1. C. de edendo;* cùm autem dicimus, compensationem opponi non posse contrà depositum, intelligitur in foro civili, nam in foro conscientiæ probabiliter defendi potest, depositarium, vel commodatarium posse retinere rem depositam, vel commodatam, nam jure naturæ, & gentium quilibet sibi satisfacere potest ex re alterius, dùm aliàs sibi consulere non potest, DD. communiter apud *Bonacinam de contractibus disp. 2. q. 14. punct. 3. num. 2.*

Quarto, depositum habet executionem paratam, *l. si quis, C. depositi.*

Quinto adversùs depositum non habet locum dilatio quinquennalis, *Francus dec. 15.* & legas addentes ad eum.

Sciendum est sexto, non licere debitori facere depositum, nisi quandò creditor recusat recipere pecuniam oblatam, *l. si creditrici, l. acceptam, C. de usuris,* undè per solum depositum, non præcedente oblatione pecuniæ numeratæ, & recusatione creditoris, non est satisfactum creditori, quin contrà debitorem liquidare non possit instrumentum, *Caravita ritu 169.* immò neque debent recipi deposita ad impediendam liquidationem instrumentorum in Regno nostro, nisi à Curia pro tribunali sedente, *Prag. 4. de liquid. instrum.* ubi latè *Rovitus.*

*De Precario.*

Ultrà hos contractus, est reperire alium, quem precarium appellamus, & definitur, ut sit contractus, quo quis concedit aliquid alteri cum potestate illud repetendi, quotiès voluerit, ut si ego tradam tibi petenti librum, vel concedam, ut transeas *J. Caponi. Institut. Canonic.* ... *num. 11.* per meum agrum, cum pacto, ut possim librum, vel talem facultatem revocare quotiès voluero, *l. 1. ff. de precario,* & precarium dicitur; eo quòd fiat precibus illius, in cujus commodum conceditur.

Differt autem contractus precarii à mutuo, nam in mutuo transfertur dominium, non sic in precario. Secundo differt à venditione, quòd venditio est contractus onerosus, non verò precarium. Differt tertio à deposito, quia depositum regulariter solùm ad custodiam traditur. Differt etiam à deposito, quia depositum ordinariè fit in favorem deponentis, precarium verò fit in favorem accipientis; & precarium conceditur regulariter ad aliquem usum, depositum verò solùm ad custodiam conceditur. Tertio à commodato differt precarium, quia commodatum non potest revocari quotiès voluerit commodans; precarium verò potest revocari, quotiès dominus voluerit, nam commodatum conceditur ad tempus, vel ad certum usum.

Tandem differt precarium à contractu locationis, quia locatio fit in utriusque contrahentis utilitatem, precarium verò in utilitatem solius accipientis, *Canonistæ in cap. 1. extrà de commodato.*

Requiritur verò in contractu precarii. Primo mutuus consensus dantis, & recipientis, Secundo requiritur traditio rei, sivè sit mobilis, sivè immobilis. Tertio requiritur, ut qui tradit precarium, possit illud repetere quotiès voluerit, nisi aliter postulet charitas, ut si repeti non possit sine gravi detrimento illius, qui precarium accepit *l. 1. ff. d. precario.*

Ex quo benè infertur, non posse in precario fieri pactum, ut ille, qui tradit precarium, non possit repetere rem, nisi post certum tempus quia tale pactum est contrà precarii naturam, & sic invalidum, *l. cùm precarium, ff. de precario.*

Tandem finitur precarium. Primo voluntate ejus, qui illud concessit, Secundo per venditionem precarii à domino factam, *l. quæsitum, ff. de precario.* Tertio per mortem ejus, qui precarium accepit, *l. cum precario, ff. de precario.*

*De Commodato.*

Commodatum est contractus sic dictus, quasi datum sit alterius commodo, ac ità definitur, Est contractus, quo res alteri conceditur ad certum usum. *§. Idem is, instit. quibus modis contrahitur obligatio.*

Ex quo colligitur, differre hunc contractum à mutuo, quia in mutuo nedùm usus, sed etiam rei dominium transfertur in mutuatarium; in commodato verò solùm usus transfertur: peccat tamen commodatarius si utatur re commodata diutiùs, vel ad alium usum, quàm ei concessum sit, *Filiuccius tractat. 34. cap. 8. quæs. 7. num. 7.*

Colligitur secundo, differre commodatum à precario, quia licèt precarium concedatur ad aliquem usum, non tamen videtur concedi ad certum usum, cùm possit repeti ad arbitrium concedentis, quod non accidit in commodato, in quo commodatarius, qui accipit commodatum, non tenetur illud restituere, nondùm elapso tempore, usque quò illud concessum fuit, & si illud voluerit anteà, tenetur ad restitutionem damni, & interesse. Ratio est, quia cùm ipse commodans concesserit voluntariè usum rei suæ, commodatarius acquisivit jus ad illius usum, quod violaret commodans antè tempus repetens, DD. ubi suprà.

Requiritur etiam in commodato. Primo mutuus consensus. Secundo, ut tradatur gratis commodatario ad aliquem certum usum, & ad certum aliquod tempus expressè, vel tacitè, ut si dicat, commodo tibi hunc librum, ut conscribas, quia tacitè censetur concessus

cessus liber ad tantùm temporis, quantùm sufficit ad conscribendum, ut benè *Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 1. Abbas in cap. precarium de precariis.* Tertio requiritur, ut dominium commodati perseveret apud commodantem, quòd si pereat absque culpa commodatarii, non perit commodatario, sed commodanti, tenetur autem commodatarius ad restitutionem ex levissima culpa, nam commodatum celebratur in favorem ipsius commodatarii accipientis, DD. citati.

Tandem adverte, quòd expensæ ordinariæ factæ à commodatario, durante tempore contractûs commodati, spectant ad commodatarium, cujus est commodum, undè si equum commodavi, tenetur ille, cui ego commodavi, equum alere, ferros ad pedes apponere, &c. expensæ verò extraordinariæ pertinent ad commodantem, ideò, si equus commodatus ægrotavit, & factæ sunt expensæ in curando equo, tales expensæ pertinent ad commodantem, *l. in rebus*, *§. possunt*, *ff. commodati.*

### *De transactione.*

QUia titulus noster generaliter erat de pactis, & transactionibus, & satis sufficienter suprà dictum sit de pactis, quarum occasione de contractibus in genere, & in specie egimus, reliquum est de transactione aliqua breviter videre; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd transactio est de re dubia, & lite incerta duorum, non gratuita pactio, *l. transigere*, *C. de transactionib.* Nam quandò pro utraque parte sunt rationes probabiles, & partes nolunt litigare, veniunt ad concordiam, seù transactionem, & appellatur transactio, quia transit actio; nam partes per transactionem removent jura, & actiones, & simul conveniunt, & sic transit, & evanescit actio, *Abbas*. & alii *in rubrica extrà de transactionib.* Fit verò transactio per pactum de non petendo, vel non agendo, vel de remittendo, vel de acceptum habendo, quod sibi debetur, *DD. in rubrica ff. & C. de transaction. cap. 1.* ubi *Canonistæ extrà de transactionib.* Est verò introducta transactio ob bonum publicum, ut recedatur à lite, & facta transactione non est locus pœnitentiæ, & ponitur finis liti in eadem causa inter easdem res, & personas, & impeditur lis futura, undè ex transactione nascitur exceptio litis finitæ, *cap. 1. de litis contestatione in 6.* & pars, quæ adimplevit, quod transactum est, habet actionem contrà aliam partem non adimplentem, quæ actio appellatur præscriptis verbis, ut observet secundùm præscripta verba, quæ facta sunt, *l. si pro fundo*, *ff. de transact.* quòd si apposita sit stipulatio, nascitur actio ex stipulatu, *l. cùm personas*, *C. de pactis*, & transactio etiam in causa criminali admittitur in eo, quod pertinet ad interesse partis, excepta causa adulterii. *l. transigere*, *C. de transactionib.* quòd si fiat de eo, quod pertinet ad Fiscum, non dicitur transactio, sed compositio.

---

## *TITULUS IV.*

## DE ARBITRIS.

TItulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de Judiciis, verùm quia partes metu judiciorum devenire solent ad permittendas suas causas arbitris: meritò ponitur hic titulus de arbitris. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd arbitri dicuntur, qui nullam habent potestatem jurisdictionis: verùm ex partium consensu obligantur in Judices, & eis compromittitur, ut ipsorum sententiæ stetur. *Can. à Judicibus 2. quæst. 6.* qua de re latè *Petrus Gregorius lib. 47. Synthag. Juris cap. 39. Parladorus rerum quotidianarum diff. 43.* Rationem assignant isti DD. quare arbitri fuerunt introducti, scilicet, ut lites celeriter expedirentur, expedit enim lites celeriter finiri. *cap. Jurgantium de sent. & re judic. l. properandum C. de judiciis:* accedit, quia interdùm Judex est suspectus, ad quas causas suspicionis cognoscendas dantur arbitri, *cap. si contrà de offic. deleg. in 6.* debent verè isti arbitri causas judicare ad modum judicum, *l. 1. ff. de receptis arbitris.*

Sciendum est secundo, quòd arbitri sunt in multiplici differentia (omissis tamen multis divisionibus) aliqui sunt arbitri juris, ut sunt illi, qui à jure communi, vel à statuto electi sunt, v. g. Quandò ex aliqua Rota Judicum unus est suspectus, alii de eadem Rota ipso jure sunt arbitri ad cognoscendam causam suspicionis; sic suspectus aliquis de Consistorio, vel de Collegio: alii cognoscunt de eadem causa, & licèt olim indistinctè omnis Judex laicus suspectus allegaretur coràm Judice Ecclesiastico; hodie tamen id expressè prohibetur. *Pragm. 3. de suspicione Official.* si verò allegaretur suspectus Regius Consiliarius, reliqui alterius aulæ poterunt procedere, modò non sint pauciores tribus, & uni ipsorum committitur à Præside, qui referat *Pragm. 1. de suspic. offic.* Quòd si sumus in Terris Baronalibus, & Judex sit suspectus, tunc adeundus est idem Baro. *Regens Rovitus in pragm. 2. & 3. eodem tit.* qui poterit ipsemet cognoscere de causa suspicionis, & si suspectum ipsum declaraverit, poterit causam alteri committere. *Regens Rovitus in pragmat. quærula*, ubi *de delicto quis conven. debeat nu. 5.* In Curia verò Romana proponitur suspicio in Tribunali signaturæ justitiæ, seù gratiæ, & ibi partibus auditis fit causa suspicionis, ut docuit *Marchesanus de Judicis suspicione par. 3. §. 1. nu. 26.*

Secundò dantur arbitri commissarii, & sunt illi, qui eliguntur à partibus ex communi consensu ad aliquam causam, & controversiam dirimendam inter se, & ad invicem compromittunt partes stare sententiæ, seù arbitrio illius arbitri: & non appellare, de quo jurare solent & apponere solent pœnam *Canon. à Judicibus citato.* de quibus latè *Joannes Corasius lib. 4. Mascell. Juris cap. 18. & lib. 50. cap. 11.*

Tertio loco dantur alii, qui appellantur arbitratores, & sunt illi, qui tanquàm in aliqua arte experti, judicant de rebus ad illam artem pertinentibus, ut latè *Abbas in cap. Quintavallis de jurejurando. Bart. in l. 1. ff. de novi operis nunciat.* & sic isti arbitratores de facto solùm judicant, non de jure.

Sciendum est tertio, quòd omnis facultas arbitri, vel arbitratoris, regulatur à potestate eis tributa à partibus in compromisso, adeò, quòd quicquid ultrà dispositum est, nullius momenti reputetur, *l. non distinguemus*, *§. de officio. ff. de arbitris*, *cap. pervenit ad nos. extrà de Arbitris; Afflictus decis. 117. num. 14. Caberanus decis. Pedamont 39. num. 50.* & ideò habens potestatem cognoscendi secundùm jus, nulliter decidit contrà illud; *Anna singul. 111.* quæ potestas tributa arbitro, vel arbitratori, strictè interpretanda est. *Maranta in speculo par. 4. dist. 67. nu. 21. & p. 6. Menoch. consf. 50. nu. 2. Regens Tappia in Jus Regni in tit. de arbitris & Thorus in Compend. decis. par. 2. verb. compromissum petitum.*

In

*In §. sed neque cum quatuor sequentibus.*

AGitur hìc de personis, quæ prohibitæ sunt arbitrari. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd servi non possunt esse arbitri. *l. 3. ff. de receptis arbitris. l. 3. ff. de Judiciis*, sicut nec hæretici, vel Apostatæ, quia carent commercio, *cap. Egeltrudam 3. q. 4.*

Secundo, non possunt esse arbitri Religiosi professi sine licentia Superioris (dummodò non sit frater minor) ità *Fratianus decis. 64. num.* 8. frater verò minor etiam de consensu sui Superioris generalis non potest cognoscere more arbitri. *Bald. cons. 437. aliàs 449. vol. 4. Decius cons. 494. num. 9.* qui id etiam docet de Monacho arbitrante; cum auctoritate verò Summi Pontificis, potest Monachus Sancti Francisci esse arbitrator, & arbiter. *Paulus de Castro in l. 1. §. si quis rogatus 2. hujus nominis num. 3. ff. ad Trabell.* Monachus verò claustralis, qui habere potest bona saltem in communi, potest esse arbitrator de licentia sui Abbatis: arbiter verò non potest esse nisi duobus concurrentibus, licentia sui Abbatis, & utilitate Monasterii, *Riminaldus Junior cons. 403. vol. 3. per totum. Natta consilio 95. vol. 1. & cons. 97. & cons. 183.*

Notandum est, quòd de dicta Superioris licentia constare debet plenè, & non fictè, vel per præsumptiones, ut notavit *Alciatus in responso 431. num. 1.* undè decisum fuisse per S. C. testatur *Regens Rovitus in rubrica de arbitris nu. 11.* laudum factum per Clericum Theatinæ Religionis fuisse invalidum declaratum per S. C.

Tertio Judices ordinarii non possunt esse arbitri, ut per *D D. in l. Judex, §. si quis ff. de arbitris Genedus in collect. Juris Canonici 127. num. 2. par. 2.* Verùm hodie servatur in nostris Tribunalibus, ubi Judices ordinarii possunt esse arbitri, immò totum S. R. C. sic practicari testatur, *Anna in singulari 114.* ubi affert decisiones. Verùm requiritur licentia Superioris ad *tex. in l. si quis litigantium, C. de Episcopali audientia*, & in Regno nostro sic servatur, ut *in pragm. 7. §. item statuimus il. 3. in tit. de officio Judicum*, ubi habetur, quòd nullus officialis potest esse arbiter, vel amicabis compositor, nisi præcedat licentia Proregis, vel ipsius Collateralis Consilii, & hoc casu non recipient trigesimam, vel aliquid aliud; ideò, cùm venit à Prorege dispensatio, ut Officialis ordinarii compromissum acceptent, adesse solet clausula, dummodò non recipiant trigesimam, qua de re legas *Rovitum ubi suprà nu. 32.*

Quarto, laicus non potest esse arbiter in causa spirituali nisi ex licentia Papæ, *c. contigit eod. tit.* & ratio est propter honestatem, quòd si cum laico in causa spirituali adjungatur Clericus, potest in ea causa esse arbiter; *cap. per tuas de arbitris*, quia per adjunctionem Clerici laicus fit habilis, & honestatur honestate Clerici. Idem dic, si essent plures laici, & unus Clericus, quia ille solus Clericus facit habiles omnes laicos, ut in *d. cap. per tuas.*

Quinto, fœmina nullo modo potest esse arbitra, *cap. dilecti de arbitris*, quia conveniens non est misceri mulierem hominum commercio, undè ab omnibus civilibus officiis excluditur, *l. fœmina ff. de regul. Juris*, & sic à Judicando, *cap. forus de verb. signif.* quòd si fœmina sit Regina, Jurisdictionem exercet per Consiliarios: licèt autem fœmina non possit esse arbitra, poterit tamen esse arbitratrix, sicut & Monachus. *D D. in l. fin. C. de arbitris. Abb. in c. Quintavallis nu. 2. de jurejuran.* quia arbitramentum nullo fundamento judiciali fundatur, sic decisum in Rota Romana testatur *Gregorius 15. decis. 204.* Quòd si in fœminam, vel Monacham fuerit compromissum, nedùm ut in arbitrum, sed ut in arbitratorem, tunc si laudum fecerit, valebit, quia, quandò aliquid potuit fieri ab aliquo uti arbitro, & uti arbitratore, præsumitur ab eo factum, ut arbitratore, *Felynus in cap. cùm ex officii nu. 12. extrà de præscriptionib.* quia actus, qui potest fieri ab aliquo uno modo licitè, alio verò modo illicitè, censetur factus modo licito, non illicito. *Menoch. lib. 2. præsumpt. 17. in fine*, addentes *ad Gregorium 15. ubi sup.*

Sexto, nullus laicus potest esse arbiter contrà Clericum, quòd si Clericus habeat causam civilem patrimonialem, hoc casu poterit compromittere in laicum. DD. ubi suprà.

Sciendum secundo est, quòd communiter compromissa solent fieri à partibus in proprios Advocatos, quælibet nominando in arbitrum suum Advocatum, verùm errant in hoc partes, quandò habent bonum Advocatum, quia melius est habere bonum Advocatum, quàm bonum Judicem, quia bonus Advocatus est totus sui clientis, & quandò fit Judex, fit communis pro utraque parte, & si una pars nolit eligere suum arbitrum, erit cogenda per Judicem. *Pistorius lib. 2. q. 69.*

Sciendum est tertio, quòd licèt vigore pragmaticæ incipientis, *odia litium, sub tit. de arbitris*, non disponatur certus numerus eorum, qui possunt ut arbitri intervenire, tamen ut plurimùm unus eligitur pro una parte, & alius pro alia, & in casu discordiæ eligitur tertius, *Gabriel. lib. 2. commun. concl. in tit. de arbitris conclus. 1. Rebuff. ad constitutiones gallicas in tit. de arbitris ar. 1. glos. 2. nu. 7.*

Sciendum est quarto, quòd quandò fit compromissum, & arbitri volunt ferre laudum, debet semper procedere citatio partium, nec coguntur arbitri compromissum acceptare, nisi essent personæ conjunctæ utrique litiganti, qui litigantes vigore statuti, seù pragmaticæ cogerentur compromittere. *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 1. quæst. 44. Cremensis singul. 59. & Hyppolitus de Marsiliis singul. 780.* docet tandem convenire arbitri pro dicendo laudo, si in compromisso non est locus designatus ubi moratur dignior. *Rovitus ubi sup. num. 23.*

*In §. plerèque cum sequentibus.*

AGitur hìc de causis, super quibus peti potest compromissum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd multæ sunt causæ, quæ compromitti non possunt & quidem.

Primo, compromitti non possunt causæ libertatis, vel matrimoniales, *c. penult. de arbitr. cap. causa de integ. restitut.* nisi tamen causa libertatis incidenter evenisset, neque causa restitutionis in integrum, *d. cap. causa.*

Secundo in Regno nostro, licèt adsit *pragmatica 1. de arbitris*, ubi disponitur, causas inter conjunctos usque ad quartum gradum esse compromittendas, tamen id non habet locum in multis causis, ut in causa feudali, in qua compromissum peti non potest. *Scarderius de feudis tom. 2. par. 20. sect. 1. num. 170.* idem in emphyteusi. *Caldus de jure emphit. lib. 4. cap. 9.* Idem in re alienari prohibita compromissum non est necesse, ut petatur, Benitendus dec. 21. Surdus de *alim. tit. 8. quæst. 56. num. 37.* Idem si peteretur vita, & militia à filio Clerico, vel ab alio secundo genito præstanda à primogenito, qui in feudo successit. *Afflictus, dec. 43. Minadous decis. 3.* Idem dic, si essemus in lite super paragio, in qua non habet locum. *Pragm. 1. de arbitris*, ut docet *Fab. de Anna cons. 85.*

Nec ftante Pragmatica prædicta, peti poteft compromiffum in caufis inftrumentariis, etiamfi inftrumenta non effent reaffumpta, fervata forma conftitutionis Regni *Inftrumentorum robur*, puta fi Notarius, & teftis effent mortui, dummodò fint reaffumpta ab alio Notario, fecundùm *Minadoum decif.* 11. quòd fi is, pro quo cantat inftrumentum, ipfe peteret compromiffum, tunc quia poteft favori fuo renunciari, poterit compromiffum petere. *Ludovicus decif. Lucenfi 26. DD. ubi fup.*

Nec cadit compromiffum, quandò ageretur interdicto, undè vi pro fpolio de recenti facto. *Afflictus dec.* 84. nec in caufa teftamenti eadere poteft compromiffum, quia caufa teftamenti de per fe non probat abfque probatione extrinfeca, *Decius conf.* 58. *&* 44. multas alias caufas videas per *Rovitum in d. prag.* 1. *de arbitris.*

*In §. finiuntur cum fequentibus.*

AGitur hìc de modis, quibus finitur poteftas arbitrandi, ad cujus intelligentiam.

Sciendum eft primo, quòd tempus determinatum ad petendum compromiffum (vigore dictæ pragmaticæ primæ, *fub titulo de arbitris*) inter litigantes eft, quandocùmque antè dationem termini, poftea verò intelligitur renunciatum, ficut cuilibet exceptioni dilatoriæ, *Afflictus dec.* 185. *Capycius decif.* 43. *Magonius decif. Lucenfi* 73. poterit etiam peti compromiffum incontinenti, & immediatè poft datum terminum, dummodò non fit ad citationem teftium, & præfentationem articulorum progreffum. *Capycius ubi fup. Camillus Borellus de compromiffis §.* 2. *gloffa* 2. *num.* 25. *& in fumma decifionum in titulo de compromiffis num.* 244. ab eo die tamen, quo petitur compromiffum, Judex non poteft cognofcere de meritis caufæ, nifi de his, quæ concernunt executionem petitionis dicti compromiffi, ut docent DD. citati.

Sciendum eft fecundo, quòd ex pragmatica prædicta tempus faciendi, & diffiniendi negotium ab arbitris, eft duorum menfium tantùm, quòd fi partes in compromiffo appofuerint terminum breviorem, tunc eft ftandum partium conventioni, verùm Practici noftri obfervant, quòd fi per illos duos menfes non fuerit negotium expeditum: fit prorogatio ad eundem terminum, quæ prorogatio facta debet notificari partibus, feù litigatoribus, aliàs non valet, & fic laudum latum poft talem prorogationem eft nullum, *Bald. in l. eos. §. Apoftolos col.* 1. *C. de appellat. Anna fingul.* 110. qui dicit, fic practicari in S. C. noftro, quòd fi arbitri non expediant caufam in tempore compromiffi, tenentur partibus ad intereffe, *Anna fingul.* 36. Tempus verò duorum menfium currit non à die acceptationis, fed à die facti compromiffi. *Antonius Gabriel de arbit. concl.* 2. *Francus dec.* 354. *num.* 3. *&*, 6.

Sciendum eft tertio, quòd expirat poteftas in arbitris definiendi negotium.

Primo per fententiæ prolationem, fivè fit abfolutoria, fivè condemnatoria, quæ fententia dicitur laudum, regulariter enim per fententiam finis liti imponitur, *cap. fignificantibus, cap. litteris de officio delegati.*

Adverte tamen, quòd à laudo dato per dictos arbitros appellari poteft, ut exprefsè dicitur *in d. pragm.* 1. *de arbitris* & cùm tempus non ftatuatur in dicta pragmatica, erit fecundùm jus commune tempus 30. annorum, ut docet *Thorus in Compendio decifionum in verbo recurfus à laudo*, & etiamfi effet juramentum in compromiffo appofitum, adhuc ftante enormiffima læfione appellari poterit. *Pafchalis de juribus patriæ poteftatis cap.* 8. *par.* 1. *num.* 38. quæ læfio hoc cafu remittitur arbitrio Judicis. *Menoch. de arbit. Judic. lib.* 2. *centur.* 1. *cafu* 73. Hæc autem appellatio fieri debet coram Judice ordinario loci, ubi latum eft laudum, quòd fi arbitrorum unus effet Clericus, & alter laicus, ad Superiorem Clerici effet appellandum, nifi partes exprefsè convenerint, quòd in cafu appellationis Judex fit ordinarius loci, DD. citati.

Secundus modus, quo finitur arbitrium, eft lapfu temporis, nam limitata caufa limitatum producit effectum: *l. in agris ff. de acquir. rerum dominio*, & fic, fi fit appofitum tempus arbitrandi, finito tempore non poffunt arbitrari, & currit tempus à die acceptati compromiffi, *l. fi cùm dies §. acceptati, ff. de arbitris. Maranta in praxi par.* 4. *diftinct.* 14. nifi fit prorogatum tempus, quia poteft tempus prorogari, non tamen concedi poteft prorogatio tertia vice, ne nimiùm differatur lis *Afflictus dec.* 46.

Tertius modus, quo finitur, eft morte, vel arbitri, vel litigantium, *cap. ultim. ubi DD. extrà de arbitris*, nam compromiffum ad hæredes non tranfit, nifi fit dictum pro fe, & fuccefforibus, ficut etiam expirat, nec alius fubftitui debet, fi unus ex arbitris moriatur: *gloffa in l. item fi unus, §.* 1. *verfic. item ex eo, ff. de receptis arbitris. Jofeph Ludovicus decif. Lucenfi* 37. ubi docet, quòd expirat, quam etiam fententiam confirmat *Scarderius de feudis tom.* 2. *par.* 10. *fect.* 11. *quæftion.* 34. *num.* 34.

Quarto extinguitur compromiffum per publicationem, feù confifcationem omnium bonorum, ut docet *Marcus Antonius Peregrinus de jure fifci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 87.

Sciendum eft quarto, quòd attentis terminis Pragmaticæ primæ *fub titulo de arbit.* compromiffum peti debet, quandò vertitur lis inter conjunctos ufque ad quartum gradum confanguinitatis, vel affinitatis inclufivè computandum fecundùm jus civile, ut exprefsè ibi habetur, & debet conftare de confanguinitate, vel affinitate tanquàm de qualitate neceffaria, *Gabriel confil.* 33. *num.* 12. *volum.* 2. *Anna fingulari* 102. *& fingulari* 109. *cum pluribus fequentibus*, licèt autem hæc Pragmatica includat quartum gradum, nedùm confanguinitatis, fed etiam affinitatis, tamen procedit etiam inter virum, & uxorem; quàpropter fi lis vertatur inter maritum & uxorem, erit compromittenda, licèt inter fe non fint affines, *Covarr. de fponfalib. par.* 2. *cap.* 6. *§.* 7. *propè finem. Maranta in fingularib. in verb. ftatutum, Rovitus ubi fuprà num.* 26. *Borrellus à compromiffis, §.* 1. *gloffa* 3. *Marcus Antonius Blancus de compromiffis q.* 3. *num.* 30. ad quos recurras, cùm cafus evenerit.

Sciendum eft quinto, prædictam pragmaticam includere minores, vel pupillos, fivè eorum tutores, undè in tali compromiffo facto per tutorem, non requiritur decretum Judicis. Filii verò naturales non coguntur compromittere, ficut nec legitimati. *Gratian. difcept. forenf. cap.* 744. *num.* 25. confanguineus verò, fi cedat extraneo jura, quæ habet contrà fuum confanguineum, hic ceffionarius tenetur facere compromiffum, prout tenebatur cedens, *Marfilius fingul.* 334. verùm contrarium docet *Afflictus decif.* 74. *Maranta par.* 6. *actu* 2. *num.* 24. quorum opinio vera eft.

An verò prædicta pragmatica comprehendat Clericos, quæftio eft? etenim affirmat *Capycius decif.* 66. negant verò *Marta de jurifd. cent.* 1. *num.* 14. *Epifcopus Bellectus in difquif. Clericali par.* 1. *de excepr. clericorum à ftatu laicorum, §.* 3. *num.* 10. tamen opinio prima verior mihi videtur, licèt in praxi fecunda fervetur.

TIT.

## TITULUS V.

### De in Jus vocando.

Titulus hic ad præcedentes, tali ordine continuatur, quia reus vocatur in jus post libelli oblationem, quandò per pacta, vel transactiones non fuit facta aliqua conventio, vel compromissio: meritò post titulum de pactis, & transactionibus ponitur titulus de in jus vocando, debebat tamen Paulus priùs agere de libelli oblatione, & posteà de in jus vocando: tamen quicquid sit de hoc, ad hujus tituli intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd in jus vocatio, seù citatio, est juridica facta citatio ad Judicem competentem, & appellatur etiam notificatio, seù intimatio. *Clem. 1. de appell. Clem. caterùm de elect.* & talis citatio est actus a jure naturæ introductus, & etiam de jure divino. *Clem. pastoralis de sent. & re judicata.* Deus enim antequàm Adam condemnaret, citavit eum dicens. *Adam ubi es. Genes. cap. 3.* & sic sine citatione non valeret Judicium. *cap. Deus omnipotens. 2. q. 1. l. de unoquoque, ff. de re judicata. d. Clem. pastoralis*, & patet in ritu primæ Curiæ Archiepiscopalis, *Menoch. de arb. Jud. lib. 1. q. 17.*

Sciendum secundo est, quòd citatio fieri debet tàm in civilibus, quàm in criminalibus causis: verùm in criminalibus dici solet citatio ad informandum, quia fit super processu informativo, qui processus informativus incipit ab accusatione, & examine testium acto contrà delinquentem, quòd si reus sit, de fuga suspectus, non fit citatio, sed capitur de persona, ut observatur in delictis gravibus, *cap. qualiter, & quandò* ubi *DD. de accusationib.* Quandò verò Fiscus propter causæ gravitatem accipit partem in judicio, & format quærelæ capita contrà delinquentem, petit à Judice, ut citetur reus, & examinetur super dictis capitibus.

Ex quo primo infertur, quòd in judicio, quod fit cum principali, debet citari etiam fidejussor, ut ei obstet, tàm si sit fidejussor contractus, quàm Judicis. *l. sententia, C. de appell.* sic etiam fidejussor tutoris in redditione computorum debet necessariò citari cum tutore, ut sic decisum docet *Mastrill. dec. Siciliæ 2. tom. 1.*

Infertur secundo, quòd licèt de juris rigore creditor instrumentarius virtute clausulæ constituti, & precarii in instrumento adjectæ possit associata familia Curiæ capere possessionem bonorum debitoris absque citatione pro ejus credito; tamen quia adest interesse debitoris in hoc actu, ex quo privatur commodis possessoriis, debet citari, & sic observatur hodie, quicquid aliter antiquitùs observabatur, ut per *Regentem Rovitum in d. pragm. 1. de conservatoriis num. 3.*

Infertur tertio, quòd licet decretum præambuli, ex quo quis declaratur alicujus hæres, ex observantia M. C. V. fieri soleat absque citatione, *Francus dec. 204. num. 2.* tamen id intelligitur, quandò penitùs ignoratur aliquis legitimus contradictor, cui dictum decretum aliquo modo officere possit, *Caravita in Ritu 264. num. 14. Anna alleg. 19. num. 13.* sicut dicimus de hærede, qui mittitur in possessionem bonorum ex beneficio, *l. fin. Cap. de edicto Divi Adriani tollend.* quod ei conceditur absque citatione nullo existente contradictore, *Menochius de remed. possess. remed. 4. num. 458. de adipiscen. possess.*

Infertur quarto, quòd non habens interesse, citari non debet, verùm, si de facto citetur, debet admitti in causa, quia est effectus ex ea habilis contradictor, *Felynus in cap. super his extrà de accusat.* & ideò, si dubitetur de interesse alicujus, cautela est, quòd citetur cum clausula, si sua putaverit interesse, *Felynus ubi sup.* Ratio est, quia taliter citatus non habens interesse, non tenetur comparere, & non comparendo non incurrit in contumaciam, *Franciscus Marcus dec. 493. lib. 1.*

Infertur quinto, quòd citatio non requiritur in actibus, in quibus adest spontanea comparitio, sed ex ea omnis defectus illegitimæ citationis purgatur, *Gaillus lib. 1. observat. 58.* quia citatio principaliter est introducta ad inducendam notitiam, ergo ea habita non curamus de modo, *Felynus in cap. cùm contigerit de rescriptis.* Solet etiam citatio fieri per edictum pro conservatione possessionis; ideò si quis timet turbari in aliqua possessione, potest affigi edictum in ea possessione, per quod moneantur interesse prætendentes, ut veniant ad Judicem ipsius possidentis, quod solet expediri à Collaterali, de quo habes *textum in cap. Regni incipiente ad regale fastigium*, & aliud incipiens, *finis præcepti charitas, & Afflictus decis. 2.* & si esset possessio Clerici, fit præceptum sub pœna censuræ.

Sciendum est tertio, quòd citatio multiplex est, & quidem; Prima dicitur realis, quæ fit per capturam rei. Secunda personalis, quæ fit per capturam personæ. *DD. in l. 2. ff. de jurisd. omnium Judicum.* Tertia est, quæ fit per edictum, scilicet in scriptis, & præcedente proclamatione horrida illa præconis voce, & affigitur in loco publico, & manifesto; & à videntibus aliis referri, ut sic verisimiliter ad notitiam citati devenire possit per relationem, *l. dies cautioni*, ubi *DD. ff. de damno infecto. Canonista in cap. fin. de elect. in 6. Marant. & Muscatellus in titulis de citatione*, & contrà talem citatum legitimè proceditur usque ad sententiam in contumaciam, si non compareat, *Gaillus lib. 1. observ. observ. 55. num. 4.* Quòd si tempore, quo fit, reperiretur absens, tunc citatio non officeret argumento: *tex. in l. de unoquoque, ff. de re judicata*, quòd si reus esset absens malitiosè: putà latitando, tunc in ejus præjudicium habetur pro præsente, *Mathesilaus singul. 122. Felynus in cap. fin. num. 50. de testibus*, ubi agit, quandò absentia dicatur affectata.

Hæc autem citatio, quæ fit per edictum, cùm sit exorbitans à jure communi, non fit, nisi in subsidium, v. g. quandò aliter reus citari non potest. *l. dies, §. prætor ait. ff. de damno infecto, cap. causam, quæ de dolo, & contumacia*, & sic admittitur solùm in casibus à jure expressis, *Clem. 1. de judiciis*, qui autem sint isti casus, legas *Riccium collect. 117. par. 1. Gaillus lib. 1. observ. 57.* qui omnes modi sub duobus præcipuè reducuntur, scilicet incertitudinis, & difficultatis.

Respectu incertitudinis, ut si conficiendum sit inventarium, & creditores sint incerti, expeditur edictum citatorium. *DD. in l. consulta, C. de testamentis. Phanucius de inventariis quæstion. 140.* quod intellige, quandò penitùs creditores ignorantur, aliàs debent citari de persona, vel domi, esto quòd eorum creditum sit incertum, & sub Judice; *Phanucius de inventario par. 3. cap. 91. num. 13.* sic decisum in S. C. testatur *Galluppus par. 2. cap. 2. num. 3.* eadem citatione per edictum, uti potest emptor rei stabilis respectu prætensorum creditorum. *Borrius decis. 251.* & quandò fit talis citatio, apponitur clausula, ut compareant omnes, qui sua putaverint interesse, & sic qui adversùs petita comparent, reputantur specialiter citati. Et ideò etiamsi essent banniti, vel excommunicati, debent audiri, ut contrà *Bald. in l. testam. num. 50. C. de testamentis*, & alios

& alios ipsum sequentes concludit *Scaccia de sent. & re judicata, glossa 20. num. 40.* & sic tales personæ, comparendo antè sententiam habebunt extraordinarias restitutiones, *Giurba dec.* 1: & quid si compareant post sententiam; legas *Surdum dec. 26.*

Respectu verò difficultatis, poterit primo citari per edictum vagabundus, citabitur verò in eo loco, ubi est solitus conversari, *l. eius, qui la. 2. §. si quis. ff. ad municipalem*; sic dicendum est, quandò convenitur insignis Respublica, vel dominus, pro quibus citandis non daretur locus, tunc enim posset citari per edictum in locis vicinioribus; DD. *in cap. unico de foro competenti, cap. ubi periculum, §. porrò de elect. in 6. Clem. causam de electione, Gaillus ubi sup. num. 20.*

Quarta citatio solet fieri per Nuncium *Constitut. Regni citationis litera, & pragm. quilibet agere de ordine Judic.* & potest fieri tam personaliter, quàm domi, dummodò fiat relatio per Nuncium cum subscriptione duorum testium, vel quòd Nuncius referat citasse præsentibus duobus, exprimendo illos per nomina. & cognomina, ut ibi. In citationibus verò, quæ fiunt in Civitate Neapolitana, Creditur Nuncio solùm asserenti citationem fecisse. *Regens Rovitus in rubrica pragm. de citation.* nisi fieret citatio contra Inquisitum ad capitula, ut latè *Francus decis.* 560. sicut etiam in citationibus, quæ fiunt in Civitate, possunt relationes fieri à quocumque de ordine Nuncii nescientis scribere, si verò fiunt extrà Civitatem, & Nuncius nescit scribere, nunc fit relatio à Notario publico. *Hostiensis in cap. Quoniam contrà de probationibus.* Verùm extrà Civitatem solent eligi Nuncii porterii S. C. & Regiæ Cameræ Summariæ, qui sciunt scribere.

Sciendum est quarto, quòd citatio multas requirit solemnitates.

Et primo debet continere nomen illius, ad cujus instantiam fit citatio, & nomen citati, *Vantius de nullitat. ex defectu citationis num. 49. Gaillus lib. 1. obser. obser. 50.*

Secundo, debet continere causam, ob quam citatur *Mysingerius cent. 5. obser. 85. Gaillus obser 51. num. 1.* quod procedit etiam in criminalibus, nam citatio debet continere causam, exprimendo titulum delicti, ut sic practicari docet *Julius Clarius in §. fin. num. 31.*

Tertio debet continere locum, in quo debet citatus comparere, *Maranta in praxi de citatione num. 64.*

Quarto, debet Judex in citatione apponere congruum tempus. & terminum peremptorium ad comparendum, *Gaillus obser. 48.*

Quinto debet citatio continere nomen Judicis, ad hoc, ut videat citandus, an coram competenti Judice citetur, vel ab ordinario, aut delegato, de qua in competentia legas *Afflictum dec. 2. num. 50. Gaill. obser. 48.*

Sexto, si citatio fiat in nostris tribunalibus laicalibus, & intimatio sit facienda in aliqua parte hujus Regni, poterit legitimè intimari loco Baronali, quia ratione directi dominii noster Invictissimus Rex de unaquaque jurisdictione dicitur Dominus, & sic erit valida, *Bart. in l. omnes populi, C. de Episc. & Cler.* in praxi tamen, sivè citatio fiat intrà fines, sivè extrà fines teritorii, vel Regni, semper in commissione citationis rogatur officialis illius loci, quòd permittat citationem fieri, qua de re, *Borrellus in summa decis. in titul. de citatione in ritu 44. num. 66. Gaillus obser. 56. lib. 1.*

Septimo, prima citatio libelli debet fieri principali convento, à quo petitur res vel ejus generali procuratori, *l. eum qui, C. de procurat.* ubi DD. quandò constat, quòd procurator mandatum acceptaverit, *Clem. 1. de procurat.* Quòd si principalis esset præsens in loco Judicii, vel ageretur de re magni momenti, citatio fieri debet principali, *Loffredus cons. 20. num. 3.* Quòd si citetur Universitas, debet citari Syndicus, vel administrator, *cap. humilis*, ubi *DD. extrà; de major. & obed.*

Adverte primo, quòd ob defectum unius solemnitatis deficit citatio, ut docet *Monachus dec. Lucensi* 18. Legas eundem *in decisionibus Florentiæ* 27. 58. & 60. & *in decis. Bononiæ* 10. *Stephanum Gratianum in dec. Marchiæ* 69. 74. *Gaillum* in hac materia legas *lib. 1. pract. obser. obser. 48. cum duodecim sequentibus*, ubi ad satietatem explicat materiam citationis.

Adverte secundo, quòd post citationem, debet nuncius explicare, an citaverit domi, vel personaliter, & statur ejus relationi, ut in *Ritu Magnæ Cur. Vicariæ* 112. & citatio fieri debet die juridica, in qua regitur Curia, non verò die deputata ad honorem Dei, *cap. ex parte, de appellat. cap. ultimo de feriis.*

*In §. sit tamen cum tribus sequentibus.*

Agitur hîc quibus modis citatio reddatur nulla, & citatus non teneatur comparere. Et

Primo redditur nulla citatio, nec Reus tenetur comparere, quandò fit à Judice non competenti, *cap. significasti, & cap. si diligenti extrà de foro competenti, cap. proposuisti, eodem tit.* quòd si quis sit legitimè citatus, & posteà fiat alterius jurisdictionis, ratione præventionis dicitur perpetuata jurisdictio; *cap. cùm plures de offic. deleg. in 6. l. si quis posteaquàm, ff. de Judiciis*, ubi dicitur, quòd privilegium superveniens lite pendente non mutat forum, ut docet decisum *Francus dec.* 544. & latè *Giurba dec.* 82. & 23. quæ regula procedit in privilegio superveniente actori, non reo. Secundo in privilegio superveniente lite contestata. Tertio in privilegio superveniente ex facto in jus vocati, seù procurato in fraudem litis motæ. Quarto in privilegio procurato à Principe ad procurationem partis, qua de re legas *D. Franciscum Merlinum controv. for. cap.* 81.

Secundo redditur nulla citatio, quandò Judex est excommunicatus, vel suspensus, aut alio modo inhabilis, *Speculator in tit. de exemption. in §. viso.* Si verò reus à Judice competente citetur, & antequàm compareat, moritur Judex, tenetur substitutus Judex iterùm citare citatum, *Clem. ne Romani de elect. Abbas in cap. licèt de appellationibus.*

Adverte tamen, quòd si quis est expoliatus, & à spoliatore convenitur, ad cujus instantiam si citetur, non tenetur comparere, sed potest respondere, quòd antè omnia restituatur, *cap. penul. 3. q. 2. cap. ultimo 2. q. 2.* sicut nec tenetur pater citatus ad instantiam filii, vel Patronus ad instantiam liberti comparere, quia filius, vel libertus, dùm vult citare ille patrem, hic verò patronum, opus est, ut impetretur venia à Judice, *l. venia, C. de in jus vocando.*

Tertio redditur invalida citacio, quandò locus ubi dicitur, quòd compareat, est incertus, vel nimiùm generalis, ut si dicatur, quòd compareat in Regno Neapolitano, nam debet destinari locus, seù Curia specialis, *cap. ex litteris de dolo, & contumacia:* debet etiam fieri in territorio Judicis, à quo expeditur citatio, *l. fin ff. de jurisd. omn. Jud. Clement. Pastoralis de sententia, & re judic.* Ideò servatur, quòd Episcopus, cùm vult citare suum subditum in alieno territorio, non expedit citationem, nisi cum

licentia

licentia Episcopi illius loci, ubi reperitur, *Abbas in cap. novit de Judiciis, DD. in cap. statutum de rescriptis in 6.* etiamsi sit delegatus à Papa, qui non potest jurisdictionem exercere extrà locum, in quo delegatus est, nisi petat licentiam ab illo ordinario, *glossa in cap. ut litigantes de offic. ordinarii, Maranta in praxi par. 6. membro 1. num.* 40.

Quarto, non tenetur comparere quis in loco citationis, quandò locus destinatus, non est tutus, puta si esset pestilens, vel alio modo non tutus, *Clem. quandiù de appellat. Scaglionus*, qui de communi testatur super *Ritu 163. num. 19. & 27.* sicut nec tenetur comparere, ubi habet inimicitias capitales, *cap. ex parte de appellat.* quia nemo periculo se exponere debet, *cap. unico de clericis non residentibus in 6.* sed tenetur mittere procuratorem, *Innocentius in d. cap. ex parte.*

Quinto dicitur nulla citatio, quandò contineret angusta tempora ad comparendum, ut per hoc non possit ille comparere, ut in *Ritu Magna Curia Vicaria 123.* qui terminus debet dari secundùm distantiam locorum, *cap. 1. & 2. cap. si primates 5. q. 2.* legas *Caravitam in d. Ritu 123.*

Adverte etiam, quòd quandò fit citatio, dies termini, non computatur in termino. Ideò si prima die Augusti citatur quis, ut compareat decimo die post citationem; die undecimo ejusdem mensis accusari debet prima contumacia, aliàs spirat citatio, & deindè potest, si non compareat ipse reus, condemnari, legas prædictum *Ritum 123. & Ritum Archiepiscopalem secundum.*

*In §. Aliud tamen.*

CONclusio hujus textûs est, quòd citatio facta die feriata ob hominum necessitates valet, dummodò partium accesserit consensus. Idem dicitur in *cap. fin. de feriis*: ad cujus conclusionis intelligentiam, cùm hic fiat mentio de feriis.

Sciendum est primo, ferias multipliciter accipi. Primo enim pro festivitatibus, *l. dies festos, C. de feriis.* Secundo significant aliqua tempora, etiam quòd non sint festiva, dummodò tribunalia sileant, & appellantur feriæ, quia à forensibus negotiis vacationem præstant, *l. Divus, ff. de feriis, Thesaurus dec. 39. per totam.* Tertio appellantur feriæ illi dies, in quibus non fit officium alicujus Sancti, *cap. cùm creatura de celebr. Missar.* Nos verò sumimus hic ferias pro omnibus diebus, in quibus Tribunalia vacant.

Sciendum secundo est, quòd feriæ tribus modis considerari possunt. Primo sunt solemnes. Secundo temporales. Tertio repentinæ. Solemnes feriæ sunt, quæ inducuntur ob Dei reverentiam, & Sanctorum, *Abbas in cap. conquæstus, de feriis*: inter quas numeratur dedicatio Ecclesiæ, & aliæ similes, festivitates. Feriæ temporales dicuntur illæ, quæ conceduntur certis temporibus pro fructibus colligendis secundùm consuetudines locorum, veluti æstatis, &c. *l. prædiis de feriis.* Feriæ repentinæ dicuntur illæ, quæ repentè propter aliquod incidens conceduntur, v. g. propter Principis nativitatem, *l. à nullo. C. de feriis, DD. in l. ultima, C. eodem.* In diebus ergo feriatis nemo compelli potest in jus venire, vel assistere, adeò quòd Judicis jurisdictio eo tempore pendente suspensa dicatur, & si quid interim fit, nulliter peractum censetur. *Magonius dec. Lucensi 37. num. 36.* immò hoc adeò verùm est, ut etiamsi per partes renunciatum sit feriis, non per hoc talis renunciatio Judicibus ad jus dicendum, & testibus ad testificandum noceret, ut nimirùm ad id compelli possint, ut sic decisum docet *Thesaurus dec. 39. ex glossa in l. omnes la. 2. C. de feriis, Rovitus in rubrica de feriis num.* 6. nisi fortè, ut suadet *Thesaurus*, procedetur die feriata ex natura causæ, quia tunc feriis non obstantibus, possent testes ad deponendum compelli, & vocari, quod idem dic, si ex rescripto Principis feriis dispensatum esset, ut per *Annam singul.* 192. licèt *Rovitus ubi suprà* dixerit, quòd si ad partis instantiam dispensatio fuerit obtenta, ut adhuc Judicibus, & testibus non præjudicet.

Sunt tamen multi casus, in quibus feriis non obstantibus in causis procedi potest, enumerati per *Vulpianum in l. 2. & 3. ff. de feriis per Felynum in cap. fin. num. 9. de Judiciis, Speculatorem in titulo de feriis, §. sequitur, Renatum, Coppin. de privileg. rusticorum cap. 7. per totum,* per *Menoch. de arbitr. Jud. lib. 1. q. 30. Borrellum in summa decisionum in tit. de feriis num. 70.* Inter quos connumeratur casus, in quo ageretur de executione sententiæ, quia tunc feriarum tempore pendente, procedi posset, & est elegans decisio *Guidonis Papæ 215. & Capella Tholosanæ 158.* Idemque dixit *Card. Crescentius dec. 221.* aliàs 252. *de sentent. & re judic. Thesaurus dec. 95.* Potest etiam die feriata procedi super constitutione, & provisione alimentorum. Intellige in alimentis præsentibus, seù futuris, non verò in alimentis præteritis, *Bald. in l. 1. num. 6. C. de fideicommissis.* Idem intellige in alimentis debitis ex ultima voluntate, vel jure naturæ, non [illegible] debitis ex contractu. Idem *Bald. in l.* [illegible] *unquàm in 2. lectura, ff. de Judiciis, Rovitus ubi sup. num.* 5.

Ex quo colligitur primo, in die feriata in honorem Dei, prohiberi citationem, & Judicium fieri, *Canonistæ* communiter *in d. cap. fin. de feriis.* Undè præceptum intimandi, vel intimatio ipsa facta parti die festo, est invalida; immò est etiam invalida citatio pro die festo, puta ut compareat in die S. Petri, S. Antonii, &c. *Suarez de religione tom. 1. lib. 2. cap. 3. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. Filiuccius tract. 27. cap. 10. quæst. 3. Bonacina præcepto 2. disp. 5. q. unica punct. 2. num.* 14. qui etiam addunt, quòd talis citatio, neque obligat ad comparendum die proximè subsequenti diem festum, quia tale decretum comparendi die festo simpliciter est irritum ex vi depositionis *in cap. fin. de feriis*, sed decretum irritum non inducit obligationem, ergo. Immò addo ego, quòd talis citatio, si non fiat directè, & formaliter pro die festo, sed pro tali die mensis, vel hebdomadæ, ut pro die Dominico, vel pro die S. Petri, in quem incidit dies festus, nec valet, & nec obligat ad comparendum die sequenti, quia simpliciter tale decretum est invalidum vigore *d. cap. fin. de feriis*, quòd si fiat citatio hoc modo, ut scilicet infrà octo dies compareat reus, si intrà illos octo dies aliquis dies festus incidat, valet citatio, nam datur sufficiens tempus ad comparendum, nec reus obligatur ad comparendum die festo, sed ad comparendum tempore habili, quod intrà terminum assignatum intercedit, relicta reo libertate comparendi, quo die habili voluerit, videas *Abbatem*, & alios *Canonistas in dicto cap. fin.* de feriis.

Adverte tamen primo, quòd posset reus citari, dùm existit in loco, in quo dies festus non celebratur, licèt talis dies festus celebretur in loco Judicii. Ratio est, quia testes possunt ibi examinari ex commissione alia die, tùm potest juramentum præstari. &c. *Suarez*, & alii apud Filiuccium tract. 27. *cap.* 10. *quæst.* 1. *num.* 18.

Adverte secundo, quòd non potest reus citari in loco, ubi dies festus colitur, qui tamen non colitur in loco Judicii, quia citatio pertinet ad strepitum judicialem, sed quæ pertinent ad strepitum judicialem prohibentur, & irritantur die festo, ergo, ità *Bonacina de præceptis Decalogi disp.* 5. q. unicà

*unirâ punct.* 2. *num.* 19. & idem in nostris tribunalibus decisum habemus, scilicet talem citationem non valere, ut refert *Thorus in compendio decisionum in verb. citatio expedita.*

Adverte tertio, quòd citatio de nocte facta valet, sicut quilibet alius actus, adhibitis tamen tribus luminibus accensis, *l.* 1. §. *tria*, *ff. de ventre inspiciendo*, *DD. ubi sup.*

Dices primo: non tenetur quis legibus, & consuetudinibus loci, in quo pro majore anni parte non commoratur, sed Judex deferens citationem non commoratur in loco rei, ut supponimus, ergo posset in tali casu contrà reum inquirere.

Respondeo: nego consequentiam, quia fit transitus ab esse subjectivo ad esse terminativum. Jus enim simpliciter vetat in honorem Dei, strepitum judicialem in die festo non esse faciendum, ubi dies festus observatur, ergo in casu nostro non tàm inspicitur locus, ubi est Judex, quàm ubi fieri debet strepitus judicialis.

Dico secundo, non tenetur Judex in ferenda sententia respicere, an dies festus celebretur in loco rei, sed an celebretur in loco, ubi sententia ferenda est, ergò ità etiam in citatione.

Respondetur: nego consequentiam, quia sententia nullum causat strepitum judiciarium in loco, ubi dies est festus, sicut causat citatio, ideò sententia ferri potest in eo loco, ubi dies festus non est, licèt sit dies festus in loco rei, citatio verò nullo pacto fieri potest, DD. ubi sup.

Colligitur secundo, testes in die festo recipi non posse, nec examinari, quia testes non examinantur, nisi prævio juramento, sed juramentum juridicum non potest exigi die festo, *cap.* 1. *de feriis*, ergo neque possunt examinari testes, *Suarez de religione tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 30. *Filiuccius tractat.* 27. *cap.* 10. *quæst.* 7. *num.* 193. non tamen est prohibita in die festo pura testium examinatio, si anteà præcessit juramentum, & examinatio articulorum, & interrogationum, quæ testibus proponendæ sunt, *Abbas in d. cap. fin. de fer.* Quòd si adesset legitima consuetudo in contrarium, quæ est optima legum interpres, id fieri potest. Idem dic, si adesset alia necessitatis causa, quia ob necessitatem, vel pacis commodum licitum est juramentum exigere. *DD. ubi supr. in c.* 1. *de feriis.*

Colligitur tertio, executionem sententiæ in die festo latam non licitè fieri, sed validè fieri. *Abbas in cap. ult. de judiciis num.* 22. quia executio sententiæ non est actus judicialis, sed aliquid, quod fit virtute actuum judicialium præcedentium.

Colligitur quarto, fidelem in die festo non teneri facere actum charitatis, vel contritionis peccatorum, ità communiter *DD. apud Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 35. ratio est, quia contritio est actus merè internus, sed Ecclesia non potest præcipere actum merè internum; ergò neque in casu nostro, nec peccantes in die festo duplex peccatum committunt, unum contrà observantiam diei, aliud contrà specialem virtutem, ut alibi diximus, cùm de pœnitentia.

Collige quinto, opera corporalia, quæ propriè servilia sunt, prohiberi in die festo, talia sunt fodere terram, putare vites, &c. ut patet *Levit.* 23. omne opus servile non facietis in illo; opera verò corporalia, quæ non sunt propriè servilia, fieri possunt, ut est iter facere, modò non adsit aliqua circumstantia annexa operibus servilibus, ut est quandò cum magno labore imponenda sunt jumentis, vel curribus onera, quæ ducantur. Verùm ego in praxi dico, quòd audita Missa tarò Agasones, seù muliones cum bestiis, vel rhedis oneratis iter inchoantes peccant mortaliter: ratio est, quia ideò inchoatio talis itineris est prohibita, quia habet adjunctam circumstantiam includentem opus servile, ut est onera levare, vel imponere, quod de se servile est, sed dicti Muliones in his oneribus levandis, vel imponendis, non consumunt tempus notabile, ergò ratione parvitatis materiæ à peccato mortali excusabuntur. Quæ verò sit parvitas materiæ excusans à tali peccato in die festo, sicut, & omnem alium laborantem die festivo, quæstio est? etenim putat *Suarez de religione tom.* 2. *cap.* 31. *num.* 2. spatium unius horæ esse notabile. *Filiuccius verò, & veriùs tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 11. *num.* 205. putat duarum horarum spatio, si quis exerceat opus servile in die festo, non peccare mortaliter, quia parvitas materiæ excusans à peccato mortali, non absolutè, & secundùm se, sed respectivè ad totam materiam præceptam spectanda est, ut docet *Sanchez lib.* 1. *summæ cap.* 4. *nu.* 18. sed spatium duarum horarum, licèt secundùm se consideratum, videatur tempus notabile, & magnum, non ità tamen videtur respectivè ad totam materiam præceptam, ergò non peccabit. Undè recedas ab eorum sententia, qui docent, ad mortalem culpam requiri tantum temporis spatium, ut attingat tertiam diei partem, quia est sententia scandalosa, ut benè *Suarez ubi sup.*

Colligitur sexto, tonsores ratione parvitatis materiæ non peccare, si in die festo barbam unius, vel alterius radant. *Azorius lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 5. *tom.* 20. quòd si omnes radant ratione consuetudinis, si adsit, etiam à peccato excusantur, quia cùm prohibitio in die festo operis servilis sit de jure humano, nihil obstat tolli per contrariam consuetudinem, toleratam à Prælatis, *DD. apud Reginaldum tom.* 2. *lib.* 19. *cap.* 3. *num.* 51. *& Fernandez in examine Theolog. par.* 1. *cap.* 7. *§.* 1. excusat eos ex alia ratione, scilicet occasione lucri cessantis, quia aliis diebus ob laborum occupationem radendi non accedunt, quod deducitur ex *cap. licèt de feriis*, ubi Summus Pontifex concedit diebus festivis piscationem eorum piscium, quæ uno anni tempore transire solent, & *Cajetanus in ver. dies festus cap.* 1. *Angelus*, & alii apud *Fernandez ubi sup.* putant id verum in quovis alio lucro transitorio, quomodòlibet repentè occurrente, quia tale lucrum cessans reputatur damnum, & ideò nedùm propter necessitatem evitandi damnum, sed etiam pro acquirendo aliquo utili lucro, quod alio tempore requiri non posset, licitum est uti facultate concessa in eo *cap. licèt*, etsi contrarium doceat *Suarez de relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 9. *cum aliis.*

Sic licitum est diebus festivis computa facere cum operariis, & alia, quæ si facerent diebus laboris, tempus amitterent. *Diana par.* 5. *tract.* 1. *Miscell. resol.* 83.

An verò licitum sit dominis imponere opera servilia mancipiis suis Turcis diebus festivis, quæstio est? & respondeo cum communi, non esse peccatum mortale, quia abstinentia ab operibus servilibus est præceptum Ecclesiæ, ergò non ligat eos; *Diana par.* 5. *tract.* 2. *miscell. resol.* 7. legas *Merollam de legibus.*

Colligitur septimo, Notarios, Commissarios, & alios Officiales Curiæ posse in diebus festis acta transcribere, idem dic de illis, qui sermones Prædicatorum, & allegationes DD. pro mercede exscribunt; *Suarez tom.* 1. *de religione lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 4. quia transcribere, non est opus servile, *Layman lib.* 4. *tractat.* 7. *cap.* 2. *num.* 3.

Colligitur octavo, Rusticos in diebus festis jumentum celebrantes, sivè inter se, sivè cum dominis, non peccare mortaliter, quia juramentum non quod-

cumque

cumque prohibetur in die festo, sed juramentum solemniter in judicio præstitum, nam *textus in cap.* 1. *de feriis*, loquitur *de actionib. judicialibus*, ut benè *Cajetanus* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. quia aliàs omne juramentum ex eo solùm, quòd in festo fit, esset speciale peccatum, sed hoc est absurdum, ergo, & ideò recedas ab *Abbate in cap.* 1. *de feriis*, *& in cap. ult. num.* 18. dicente juramentum extrajudiciale die festo factum, invalidum esse, & ideò secundùm hanc *Cajetani* sententiam, si absit scandalum, non peccant Notarii, qui in diebus festis celebrant rusticorum contractus, quam *Cajetani* sententiam probabilem vocat *Layman in Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 8. *Philiarcus* verò *tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. excusat illos à peccato, ratione necessitatis, nam rustici in diebus laboris non adsunt in Civitate, & ob eandem causam dicit *Suarez de religione tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 25. in parvis oppidis judicia litigantium tolere exerceri in festis, quia in diebus festivis non adsunt rusticani, & agrorum cultores.

Colligitur nono, licere diebus festivis uti Musicis instrumentis, venari, ludere, scribere, gladiari, &c. quia hæc opera non sunt servilia, pingere verò in die festo non licet, quia censetur opus servile, nisi fieret recreationis causa, aut etiam ad finem addiscendi artem. *Azorius*, *Filiuccius*, & alii ubi suprà: sicut nec peccat puella, quæ ut addiscat in die festo recamaturas facit, *Azorius*, *& Filiuccius ubi sup.* nec peccat mortaliter Advocatus in die festo incumbens studiis, informans Judices scripto: agere privatim de lite cum Procuratore, referre causam apud Judicem, ut ea cognita commodiùs ferat sententiam, nec peccat mortaliter Doctor diebus festis conficiens consilia, etiamsi hæc ob lucrum faciat. Ratio est, quia hæc opera sunt procedentia ab anima, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Sed opera animæ non sunt opera servilia, ergo fieri potest in die festo.

Dices, causas facere, sententiam proferre, &c. sunt opera animæ, sed hæc prohibentur in die festo, *cap.* 1. *de feriis*, ergo, &c.

Respondetur, specialiter esse prohibita jus dicere, & causas agere, *cap.* 1. *de feriis*, ubi prohibentur quatuor, Mercatus (cujus nomine veniunt mercatus, qui singulis hebdomadis habentur, hi enim prohibentur, nisi legitima adsit consuetudo, ut hodie est) Secundo, prohibetur placitum, id est lis, & causa, quæ in foro fit, nisi adsit necessitas. Tertio prohibetur Judicium criminale, puta sententia mortis, aut quævis pœna, ergo prohibetur in die festo publicum Sacramentum, id est juramentum judiciale, DD. ubi suprà.

Colligitur decimo, ob multas causas posse aliquem excusari laborantem serviliter in die festo, quarum prima causa est parvitas materiæ, ut suprà. Secunda causa est, cultus Dei, ideò non peccat pulsans organa in die festo, ornans templa, & altaria, præsertim, quandò die præcedenti commodè fieri non potuerunt. Tertia causa excusans est pietas. Ideò mortuum sepelire, infirmis servire, &c. non est peccatum mortale; faciens verò opera pia per accidens à culpa non est excusatus, ut est facere pontes, domos religiosas ædificare, &c. communiter DD. apud *Paulum Layman lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 4. Quarta causa excusans est necessitas, vel alia causa, quæ judicio prudentis justa videtur, nam Ecclesia non obligat cum gravi incommodo, unde excusantur in die festo illi, qui carnes coquunt, qui carnes vendunt, vel alia ad illius diei victum necessaria: molitores verò non excusantur, quia molitura est opus servile, & magnum requirit laborem, nisi tamen id facerent ex necessitate ob multitudinem, scilicet concurrentium ad molendinum, quibus satisfacere nequeunt die feriato, ut suprà diximus de tonsoribus, quòd si utantur molendinis fluvialibus, aut venti, nullum est peccatum, quia in eis exiguus labor requiritur; sic excusantur ob corporis necessitatem, Medici, Chirurgi, & pharmacopolæ, conficientes medicinas, dummodò faciant solùm illas illius diei; sic ratione necessitatis communis excusantur bello deservientes, aggeres, vel foveas struentes, tormenta bellica parantes, muros ædificantes urgente necessitate.

Sic excusantur Cursores, qui etiam interdùm à Missa excusari possunt, ut docet *Tabiena in verb. feriæ num.* 5. excusantur etiam ferratores equorum, qui ferreas laminas pedibus equorum adaptant. Sic excusantur, qui segetes metunt ratione propriæ, vel alienæ necessitatis, ne imminente tempestate pereant, aut qui pratum deferunt in locum tutum, ne pluvia corrumpatur. Excusantur etiam, qui tempore autumni serunt in die festo, timentes futuri temporis periculum, præciso tamen scandalo; & ideò consulunt DD. peti consilium à Parocho, dùm actiones serviles publicè fiunt, etiamsi constet de gravi necessitate, *Filiuccius ubi sup. Layman tract.* 7. *cap.* 4. *citato.*

Rogabis, de quo jure sit præceptum celebrationis festorum?

Respondetur, esse partim naturale, partim ceremoniale, & partim humanum, est naturale obligans omnes, quatenùs lumine naturæ cognoscimus, aliquos dies cultui divino esse deputandos, quibus singuli rebus divinis operam dent, est ceremoniale, quia apud Hæbræos dies Sabbati significabat diem quietis, quia quandò Deus requievit à mundi creatione, dictum fuit Sabbatum, quod posteà fuit amplatum ad totam hebdomadam, juxtà illud, *jejuno bis in sabbato*, id est bis in hebdomada, & juxtà aliud prima die Sabbati, *glossa in l. omnes*, *C. de feriis*, & sic in lege veteri in unaquaque hebdomada dabatur unus dies festus, & dicebatur Sabbatum, & in illo die erat quies, in memoriam creationis mundi, *Genes. cap.* 1. est etiam tale præceptum humanum, quatenùs habet certos dies; ab Ecclesia determinatos, ut diem dominicum loco Sabbati, quòd id fecit Ecclesia: tùm quia dies dominica est signum illius diei, qua Christus resurrexit, tùm propter multas prærogativas, quibus hæc dies gaudet, quas videas penès *Azorium* 2. *par. lib.* 1. *Suarez de religione tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *Layman lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 1. hoc præceptum declarantes.

Rogabis primo, ad quem pertineat diem festum instituere?

Respondetur primo, ad Summum Pontificem, & Concilium generale, quorum festivitates observari debent in tota Ecclesia, quia Summus Pontifex, & Concilium generale habent potestatem suprà totam Ecclesiam, quis verò festivitates instituerit universalis Ecclesia in tota Ecclesia, legas Bonacinam ubi suprà punct. 1. num. 2. qui eas ponit in unoquoque mense.

Respondetur secundo, posse Episcopos jure communi in sua tantùm Diœcesi festivitates instituere cum Clericorum, & populi consensu, Sanchez in summa lib. 2. cap. 43. num. 12. & colligitur ex cap. pronunciandum de consecr. dist. 3. cap. ultimo de feriis, & de consuetudine instituuntur dies festi ab Episcopo, adhibito solùm aliquorum Clericorum consilio, *Azorius Par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. non potest tamen Episcopus instituere diem festum in honorem alicujus Beati nondùm canonizati, *cap.* 1. *de reliquiis & venerat. Sanctorum*, *cap. fin. de feriis*, Sanchez ubi sup.

Respondetur tertio, Principes sæculares, Civitatem,

tem, vel Rempublicam, non posse dies festos tanquàm sacros instituere, quia cultus diei festi est actus religionis, sed potestas sæcularis non potest aliquid religiosum, vel sacrum præcipere, *cap. cùm laïcis. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, *cap. decernimus de judiciis*, & si laïca potestas posset dies festos præcipere, posset etiam prohibere, sed non potest prohibere, ergo. Poterit tamen Princeps laïcus, ut in tali die abstineant subditi ab operibus servilibus sub pœnæ impositione, non tamen præcipere, ut ille dies, ut festivus observetur intuitu religionis, DD. ubi sup.

Rogabis ultimo, à quo tempore incipiat dies festus?

Respondetur, apud nos consuetudine obtenta incipere à media nocte usque ad mediam noctem proximè sequentem, ut in jejunio, licèt apud aliquos incipiat à primis vesperis præcedentis diei, & apud aliquos ab initio ipsius diei festi, *Suarez de religione tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. posset tamen ab Episcopo institui dies festus usque ad meridiem, quo casu Missa audienda esset, DD. citati.

*In §. jam verò.*

CONclusio hujus textûs est, quòd Judex delegatus, quando citationem expedit, tenetur inserere tenorem suæ commissionis, non autem ordinarius, *cap. præterea*, ubi *Abbas de dilationibus*. Secundo debet destinare locum, qui non debet esse valdè remotus, ne partes defatigentur, & non debet esse ultrà duas dietas, *cap. nonnulli*, *cap. dilecti de rescriptis*, & hodie non potest esse ultrà unam dietam, *cap. statutum de rescriptis in 6.* & singula viginti milliaria constituunt unam dietam, *l.* 3. *ff. de verb. signif. glossa in d. cap. nonnulli de rescriptis*, qua de re leg s *Ritum Curiæ Archiep. nostræ*, ubi *Albericus de oliva*, *Hieronymus Campanilis: & Episcopus Riccius* multa adduut.

*In §. item in delegato.*

COnclusio hujus textûs est, quòd delegatus debet in citatione præfigere terminum peremptorium, sicut etiam ordinarius, & elapso termino peremptorio, potest illum prorogare, sicut etiam ordinarius, eo vèro casu, quo Jurisdictio delegati expirat antè terminum, nihil potest facere delegatus, sed successor ipsius omnia faciet, in cujus arbitrio est, uti pristina citatione, & pristino termino, vel iterùm citare; si verò non expiret jurisdictio delegati, poterit ulteriùs procedere, *cap. consuluit. de officio delegati.* DD. *ubi sup.* regulariter enim Judex in terminis, & dilationibus dandis, potest multa ex causa concedere. *l.* 1. *C. quomodò, & quandò Judex.*

*In §. finali.*

COnclusio hujus textûs est, quòd reus interdùm non comparendo excusatur; puta si fuerit impeditus legitimè, *cap. ex literis de restitut. in integrum*, vel si post citationem, ad majus Tribunal fuerit vocatus, quia tunc excusatur à minori, nisi procuraverit dolosè citari ad majus Tribunal. *cap. pastoralis*, ubi *DD. eodem titulo*, in quibus tamen casibus, si citatus impeditus est, legitimè debet respondere citationi allegando causam, vel respondere per Nuncium. *Abbas in dicto cap. cùm dilecti.*

Rogabis, an possit quis citari in Ecclesia? Respondetur, citationem verbalem posse fieri in Ecclesia. Realem verò minimè, quæ per capturam personæ fit, *Maranta in praxi par. 6. in verb. rectè conionatur citatio num.* 729. *Velaschus decis.* 81. *vol.* 1. ubi defendit, quòd si quis sit in Ecclesia, poterit citari, ut se defendat, alias processus valebit contrà cum.

Limitatur verò, quando alicui moranti in aliqua Ecclesia fieret mandatum, ut exiret, & ad domum suam se conferret, ab eâque non egrediendo, nisi aliter ordinetur, quia talis citatio non verbalis, sed potiùs realis habenda est; nam poterit in eo casu Judex laïcus, dùm citatus eo mandato obtemperaret, illum carcerari facere, & sic per indirectum tolleretur libertas Ecclesiastica, in qua non requiritur, ut violetur extractio: sicut in simili etiam sine violentia fieri potest extractio, puta si inquisitus sua sponte de templo egreditur, & Judex laïcus in loco non immuni carceraverit, quia adhuc incidit in sententiam excommunicationis. *Mastrillus decis.* 169. ubi refert decisum, relaxatum fuisse reum ab Ecclesia extractum, non obstante, quòd immunitati renunciasset; quia privilegium est mixtum Ecclesiæ, & personæ tributum: ergò in Ecclesiæ præjudicium renunciari non potuit: & quòd hæc citatio videatur realis, legis *Farinaceum de carceribus, & carceratis quæst.* 30. *num.* 22. *Donat. Ant. de Marinis var. resol. cap.* 44.

## TITULUS VI.

### DE DOLO, ET CONTUMACIA.

TItulus hic ad præcedentes sic continuatur, quia citatus, si nulla legitima causa impeditus non compareat, proceditur contrà eum in contumaciam, meritò ponitur hic titulus de dolo, & contumacia: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd dolus vario modo sumitur, aut enim est bonus, aut malus, dolus bonus est sagacitas, solertia, & prudentia, per quam quis invenit bona, & apta media ad bonum finem, & hujus doli primum est exemplum in Salomone, quandò judicavit inter meretrices, de quo est, *tex. in cap. afferte mihi gladium; de præsumptionibus. DD. in rubrica ff. de dolo*, exemplificatur etiam dolus bonus in exemplo, quod affert *Andreas de Isernia in cap.* 1. *§. publicationis de pace tenenda in usibus feud.* ubi refert, quòd tempore Caroli II. Imperatoris, Pater & Filius fuerunt accusati de homicidio, & cùm esset certum ab ipsis fuisse occisum, sed ignotum à quo: mandavit Imperator, ut suspenderetur Filius, quo audito Pater, statim fuit confessus, quòd ipse homicidium perpetraverit: undè Filius fuit absolutus, & Pater suspensus. Tertio exemplificatur dolus bonus, quandò Judex promittit inquisito liberationem ad hoc, ut veritatem ab eo habere possit. *Isernia ubi suprà.* & de communi testatur *Petrus à Petr. in epitome delictorum lib.* 1. *cap.* 37. & secundùm veram opinionem id potest Judex facere in conscientia, *Archidiaconus in cap. utilem* 22. *quæst.* 2. *Fel. in d. cap. afferte*, licèt *Bart. in l.* 1. *§. non fuit*, & ibi addentes *ff. de dolo* oppositum dicant.

Dolus malus definitur hoc modo, est calliditas, seù machinatio ad aliquem decipiendum adhibita, *d. l.* 1. *§. dolum*, in quo dolo malo multa requiruntur. Primo calliditas in animo, nam si est bona fides, non est dolus, & calliditas consistit in animo dissimulato, qui non propalat vitium rei occultum. *l. sciendum*, *l. ædiles. ff. de ædilitio edicto.* Secundo, requiritur fallacia in verbis mentitis ad decipiendum. *l. falsus*, *§. si quis. ff. de furtis*, & in foro exteriori nescimus calliditatem, nisi per fallaciam, quia per extrinseca demonstrantur intrinseca, *l. cogitationes. ff. de pœnis*, *cap. novit de judiciis*, & ex dolo nascitur fraus tanquàm ejus filia.

Divi-

Dividitur etiam dolus, quòd alius sit ex re ipsa; est quandò ipsa res decipit, sed contrahentes sunt in bona fide, quem dolum Canonistæ appellant deceptionem, quia deficiunt conditiones veri doli, scilicet, calliditas, fallacia, & machinatio: dolus ex proposito, est propriè, & verè dolus, *cap. ad nostram de empt. & vendit.*

Sciendum secundo est, quòd contumacia est voluntaria inobedientia, qua quis monita Judicis adimplere contemnit, *cap. 2. de dolo & contumacia*, & dicitur contumacia à verbo contemno, *Sylvester eod. verb. Cardinalis Zabarella in Clem. 1. eodem titulo.* quæ contumacia triplex est, prima vera, secunda ficta, tertia evidens; vera dicitur, quandò citatus dicit nolle comparere: ficta, quandò comparet, sed illicentiatus recedit; *cap. certum 11. quæst. 3.* evidens est, quandò quis latitat, ne ad ejus aures perveniat citatio, vel si se occultat quis antè citationem, ne ad eum perveniat, *cap. quoniam frequenter, ut lite contestata. cap. ex parte de verb. signif.*

Sciendum est tertio, quòd facta citatione, & inducta ex ea pendentia litis, si citatus non comparеat in judicio, constituto priùs de citatione per relationem Nuncii, ut docet *Abbas in cap. quoniam contrà de probation.* cum aliis allegatis per *Regentem Rovitum in pragm. 6. de citatione*, accusatis contumaciis proceditur contrà ipsum in contumaciam, modò sit major, aliàs si esset pupillus, non poterit fieri contumax, *Paulus de Castro in l. contrà pupillum nu. 3. vers. secunda persona, ff. de re judicata. Gratianus decis. Marchiæ 34. num. 8.*

Sciendum est quarto, quòd accusatur contumacia in nostris Curiis, si citatus in Civitate Neapolitana habitaverit, prima contumacia accusatur die sequenti post citationem absque interventu Judicis ab Actuario ad hoc deputato, alia post tres dies immediatè sequentes Curia sedente pro Tribunali, præcedente sono tubitiæ: ut docent *Follerius in praxi crimin. versic. accusantur contumaciæ num. 2. Maranta in ejus speculo p. 6. tit. & rectè concipitur citatio num. 67. Caravita in ritu M. C. V. 127.* quòd si omiserit accusare dictas contumacias secundùm dictam solemnitatem, vel si accusaverit unam, & desistat in accusando aliam, modò spatio unius mensis, si citatus sit intùs Civitatem, si verò extrà, spatio duorum mensium, tunc citatio erit circumducta, & debet iterùm fieri. *Caravita in ritu 123. num. 8.* sufficit tamen, si eam accusaverit in ultima die dicti mensis, licèt esset 31. dierum: *gloss. in cap. quanta sit de elect. in 6.* sic decisum in S. C. refert *Francus decis. 47.* verùm hæc circumductio in Regia Camera Summariæ, & Sac. Cons. non observatur.

Sciendum est quinto, quòd contumacia tàm in civilibus, quàm in criminalibus multis modis excusatur, ità, ut possit contumax contumacia non obstante audiri.

Primo enim excusatur, quandò præambula citatio esset nulla, & vitiosa, quia tunc nullus est effectus contumaciæ. *Francus decis. 514. num. 2.* hoc enim casu omnis processus factus, est nullus *Follerius in praxi crimin. in verb. & si confitebuntur versiculo vitiata.*

Secundo excusatur contumax, si ex aliqua urgenti causa non potuit comparere, puta propter inimicitias, odia, &c. *Thorus in Compendio decisionum in verb. citatus si non potuit comparere. Riccius collect. 155. par. 1. Menoch. de arbit. Jud. q. 155.*

Debet tamen impeditus se protestare, vel mittere excusatorem, *glossa in cap. querelam de procurat.* qui excusatus, poterit in foro seculari admitti; etiamsi esset Clericus, dummodò præstet cautionem

coram Judice laicò de solvendo expensas, si non probaverit causam allegatæ absentiæ: sic decisum fuisse in S. C. testatur, *Afflictus in Constitut. Regni edictorum num. 28. versic. 7. quæro.*

Tertio purgatur contumacia, quandò contumax vocatus comparet post rectam Curiam, dummodò non discesserint Judices. *l. Divus Antonius, C. de restit. in integrum*, quem singularem appellat *Bald. in ejus margarita in verb. citatio*, quem sequitur, & allegat *Rebuffus ad Constitutiones gallicas in tit. de contumacia, glossa unica ar. 5. num. 2. tom. 3.* ubi ampliat, etiamsi Judices non sedeant pro Tribunali, sed adsint in Curia.

Quarto, purgatur contumacia, si citatus compareat, & reficiat parti adversæ expensas Judicis arbitrio. *Menoch. de arbitr. Judicum lib. 2. cent. 2. casu 154.* quæ tamen refectio hodie non servatur: alios modos, quibus purgatur contumacia, videas per *Regentem Tappiam in Jus Regni in tit. de purgation. contumaciæ.*

*In §. Hac autem.*

Agitur hìc de pœnis, quibus punitur Contumax: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd contumax non dicitur propriè delinquere, & ideò impropriè loquendo multis punitur pœnis: propriè enim non dicitur puniri, sed mulctari. *Regens de Ponte cons. 9. num. 3. volum. 2.* undè quotidie in M. C. V. expediuntur exequutoria pro mulcta: mulcta verò appellatur pœna pecuniaria, quæ imponitur vel à lege, vel ab homine, vel à Judice, *l. si qua ff. de verb. & rer. signific. l. aliud est fraus ff. eodem*, undè pœna est tanquàm genus comprehendens tàm pœnam afflictivam, quàm pœnam pecuniariam, quæ dicitur mulcta, *d. l. aliud*, & mulcta semper imponitur solvenda per sententiam, ut notatur in *l. in criminali, C. de Jurisd. omn. Judic.*

Additur etiam alia pœna contrà contumacem; quia Actori condemnatur ad damna & interesse, *cap. cùm dilecti in fine eod. tit.* & possunt sequestrari fructus, *cap. 2. de sequestr. possess. & fructuum*, & Judex Ecclesiasticus interdùm apponit pœnam excommunicationis, vel suspensionis non comparenti, *cap. tua fraternitatis, ut lite non contestata*; ubi tamen advertunt DD. non debere ità facilè imponere Judices Ecclesiasticos pœnam excommunicationis, ne in contemptum veniat. Verùm in subsidium, quandò non est executiò realis, vel personalis, tunc imponant pœnam excommunicationis. *Trid. sess. 23. cap. 3.*

*In §. illud quoque.*

Conclusio hujus textûs est, quòd in pœnam contumaciæ potest Judex mittere actorem in possessionem rerum ipsius contumacis, v. g. Agit quis contrà aliquem actione personali, dicitur verò actio personalis, qua quisquis agit contrà aliquam personam obligatam ad aliquid dandum, vel faciendum, quæ actio personalis mortuo debitore contrà hæredes ipsius transit; & datur etiam hæredibus creditoris: transit enim actio personalis ad hæredes, & contrà hæredes: *l. unica. C. ut actiones ab hæredibus, & contrà hæredes. Afflictus decis. 40.* Actio verò realis intentatur ad rem propriam recuperandam contrà possessorem rei, & recuperatur res ratione dominii, quod est apud ipsum agentem, *l. in rem. ff. de rei vendic. l. officium*, conventus non comparuit, fit à Judice primum decretum ad instantiam actoris, ut mittatur actor in possessio-

possessionem, incipiendo primo à possessione rerum mobilium, quæ si non sufficiant pro debito, devenitur ad possessionem rerum stabilium *l. à divo Pio*, *§. in venditione*, *ff. de re judic.* aliàs executio esset nulla. *Afflictus decis.* 358. *Riccius collect.* 1556. *par.* 4. & an adsint bona mobilia, probatur ex relatione Nuncii missi ad exequendum *Bart. in d. §. in venditione*. *Capycius in sua investitura feudali vers. feudorum executiones fol.* 194. secundo loco discussis bonis mobilibus & stabilibus, fit executio super nominibus debitorum, vel in annuis redditibus quia isti sunt tertia species de per se. *Guctierez pract. quæst. lib.* 3. *quæst.* 83. *Rovitus in pragm.* 5. *nu.* 72. *de censibus. Riccius collect.* 668.

Hic verò missus in possessionem dicitur positus in possessione ex primo decreto, verùm quia non per hoc, quòd mittatur in possessionem, eamque retineat penès se, actor fit verus possessor, & sic fructus non facit suos, quòd si post spatium datum à Judice neque compareat reus, tunc fit à Judice secundum decretum, quo declaratur verus possessor, & tunc dicitur in possessionem positus ex secundo decreto, & facit fructus suos, & habet omnia jura veri possessoris *l. Fulcinus §.* 1. *ff. ex quibus causis in possessionem eatur l. finita §. Julianus ff. de damno infecto.* Verùm hodie recessit ab usu in Tribunalibus hæc missio in possessionem in pœnam contumacis, sed solùm remanet pœna, quòd contumax habetur pro confesso, *l. locorum C. de omni agro deserto lib.* 11. verùm non est talis confessio, quòd sola sufficiat ad condemnationem, *cap. nullus de præsumpt.* quia requiritur etiam quòd actor habeat suam intentionem fundatam, *l.* 2. *§. quòd si actor*, *C. de jurejurando*, *propter calumn. dando Rebuffus ubi sup.*

Quandò verò petit quis possessionem rei suæ per actionem realem, puta petendo assistentiam in illa re, tunc debet primo loco fieri primum decretum, quo actor fit possessor ipsius rei petitæ, & in hoc etiam est maxima differentia inter actionem realem, & personalem, quia in actione personali ex primo decreto quis non fit possessor, sed mittitur in possessionem pro quantitate debiti, at in actione reali fit possessor, in personali est solùm custos rei, & ità non facit fructus suos; at in actione reali est verus possessor, & sic facit fructus suos, DD. ubi sup.

Quandò verò reus permittit, ut elabatur annus, eo persistente adhuc in contumacia fit secundum decretum, quo determinatur, ut non possit ampliùs molestari, nec ampliùs agitari causa super illa re, & possessione, *cap. quoniam frequenter*, *vt lite non contestata*.

### *In §. Sed si missus.*

Conclusio hujus textûs est, quòd si missus in possessionem, fructus dilapidaret, tunc erunt sequestrandi, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd sequestrum est depositi species, & fieri solet quandòque ad instantiam partium, quandòque verò ex Judicis officio, ne partes veniant ad arma, vel ne dilapidentur fructus: his enim casibus fit sequestrum penès tertiam personam, *cap.* 2. *de sequest. fructuum*, *& possess.* & licèt sequestratio regulariter sit prohibita, *l. unica.C. de prohibita sequestratione pecuniæ*, nec lite pendente possessor de sua possessione removeri debet, nec illa sequestrari. *cap.* 1. *sequest. possess. Maynardus dec. Tolosana* 5. *lib.* 4. *Muta dec. Siciliæ* 92. *Franciscus Marcus dec.* 38. *Afflictus dec.* 98. *Gaillus lib.* 1. *observ. obser.* 147. tamen in multis casibus sequestratio fieri potest, & primo, si possessor rei, quæ petitur sequestrari, sit suspectus de dilapidatione, & sit homo malæ vitæ, *Gaillus ubi supra obser.* 14. *Mysincerius cent.* 5. *observ.* 35. sicut marito extante dissipatore, potest dos sequestrari, *l. si cùm dotem*, *§. si verò dotem ff. sol. matrim.* sicut etiam conceditur sequestrum quandò quis per publicum instrumentum ostendit id, quod sibi debetur, *l. jubemus*, *C. de erogat. milit. annonæ lib.* 12. *Milanesius dec. Siciliæ* 12. Sicut quandò partes sunt in armorum procinctu ad evitanda scandala, & rixas, poterit per Judicem fieri sequestrum, *Guido Papa dec.* 246. *Velaschus dec.* 191. *Rota Romana dec. divers.* 124. antè tamen sententiam nunquàm fieri poterit sequestrum, *Cavalcanus dec.* 23. *par.* 1. *Milanesius dec.* 12. *vol.* 1. *Riccius collect.* 2575.

Sciendum secundo est, quòd, ut possit fieri sequestrum, requiritur, ut antè omnia probetur dilapidatio ipsius possessoris, vel alia causa, ob quam petitur sequestrum, puta ut probetur timor barattationis, & dilapidationis fructuum, aut quòd possessor non sit solvendo, *Bergogninus dec.* 23. *par.* 1. in causa tamen hypothecaria, vel executiva semper poterit fieri sequestrum, etiam quòd quis non sit solvendo, nihilque timoris sit de dilapidatione, *Cavalcanus dec.* 23. *par.* 1. *Riccius*, qui multa docet *collect.* 328.

Sciendum est tertio, quòd sequestrum potest tolli pluribus modis. Primo scilicet satisfactione, est enim satisfactio medicina sequestri, *Cavalcanus decis.* 1. *& dec.* 3. *par.* 1. *ex l. fin. §. fin. C. de ordin. cognit. Magonius dec. Lucensi* 6. *Mysincerius observ.* 11. *cent.* 2. *observ.* 35. *cent.* 5. *Grammat. dec.* 51. *Bellonus dec. Genuæ* 190. *Rota* apud *Farinaceum dec.* 35. *par.* 2. *tom.* 1. Quòd si removeatur sequestrum debiti solutione, requiritur Judicis decretum, vel alia legitima causa, *Magonius dec. Florentiæ* 115.

Limitatur verò hæc doctrina. Primo non tolli sequestrum per satisdationem, quandò sumus in personis, in quibus satisdatio non admittitur, ut in patre administrante bona filii, per fideicommissum post mortem restituenda, de quo est *textus in l. Imperator*, *ff. ad Trebellian. Boer. dec.* 61.

Limitatur secundo, non tolli sequestrum juratoria cautione: putassi juret quis, se debitum redditurum, quia sequestrum non tollitur, *Franciscus Marcus dec.* 683. *tom.* 1. *Gaillus lib.* 2. *observ.* 47. multi tamen tenent, quòd sufficiat juratoria cautio, quandò præstari non potest fidejussoria, *Mysingerius cent.* 2. *observ.* 11. & faciunt ea, quæ latè tradit *Novar. lib.* 1. *quæst. for. q.* 163.

Secundo tollitur sequestrum finita lite, quia in tali casu res sequestrata resolvitur ad favorem illius, pro quo lata est sententia, *Magonius ubi suprà*. Sic decisum Sabaudiæ docet *Antonius Faber in dec.* 2. *in tit. de sequestro.*

Tertio tollitur sequestrum Judicis mandato, *l. fin. C. de bonis Auctor. Jud. possid. Magonius dec. Lucensi* 6. quemadmodùm fit mandante Judice, *Rota divers. dec.* 29. *lib.* 3. *vol.* 3. & si sequestrarius rem sequestratam alicui tertio consignaverit absque Judicis ordine, & mandato dicitur violasse sequestrum, & tenebitur ad impositam pœnam, *Verallus dec.* 155. *par.* 3.

Adverte tamen, quòd potest aliquis cogi ad accipiendum officium sequestri, licèt aliqui dixerint, officium sequestri esse voluntarium, & non necessarium, *Joseph Ludovicus dec.* 51. qui sic servari testatur in praxi.

### *In §. Si tamen*

Conclusio hujus textûs est, quòd si actor, qui est positus in possessione ex primo decreto, non potest capere possessionem propter adversarii potentiam,

potentiam, vel dolum (qui id facere conatur ad hoc ut elabatur annus præfixus ad petendam possessionem ex secundo decreto) potest etiam elapso tali anno petere possessionem ex secundo decreto, quia alioquin reus contumax, & impediens in possessionem mitti actorem, haberet ex sua malitia commodum contra *textum in cap. contingit de dolo, & contumacia.*

*In §. Hoc tamen.*

CONclusio hujus textûs est, quòd si reus contumax præstat cautionem de stando juri, non erit puniendus, eo quòd non sit passus, mitti actorem in possessionem. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd cautio, vel est pignoratitia, vel fidejussoria: pignoratitia est, quæ fit captis pignoribus, fidejussoria verò, quandò datur ad majorem cautelam creditori, adjunctus aliquis obligatus pro principali debitore, quæ cautio solet dari in omni contractu, & in omni officio, maximè Reipublicæ, sivè sæculare sit, sivè Ecclesiasticum, *l. officia, ff. de administrat. tutor.*

Cautio verò fidejussoria dari potest. Primo in habilitatione, quæ fieri potest tribus modis. Primo per palatium, quo casu, quandò accusatur fidejussio, vocatur inquisitus per tubictam, & eo non comparente, proceditur ad incusationem. Secundo modo fit habilitatio domi, & tunc facta perquisitione, ibiquè inquisito non reperto, sequitur incusatio, & condemnatio. Tertio modo fit habilitatio per Civitatem, quo casu potest inquisitus per totam Civitatem ambulare, assignatur tamen reo pro citatione domus, ad hoc ut sciat Judex, dùm inquisitum reducere vult, ubi, & in quo loco possit illum citare, & signanter nota, quòd quomodocùmque sit facta habilitatio, si non præcesserit citatio, nunquàm potest fidejussio accusari, *Donatus Antonius de Marinis resol. quotidian. cap.* 134. qui etiam docet ex multis, quòd si contrarium fecerit Judex, puta si sine ulla citatione processerit ad accusationem fidejussionis, liberatur fidejussor.

Admittitur verò cautio juratoria ex *D D. ex l. cùm non facile, C. si cui p ısquàm per legem falcid.* in matre filiorum tutrice, non inveniente fidejussorem, *Thesaurus junior dec.* 21. Secundo in usufructuario inope non inveniente fidejussorem *Guido Papa dec.* 250. *Osasch. dec.* 153. *Surdus dec.* 141. *Gailius lib.* 2. *obser. observ.* 47. apud nos verò fuit decisum, quòd si usufructuarius sit inops, & non inveniat fidejussorem, possessio fundi consignabitur proprietario, qui satisdat de restituendo usufructuario omnes fructus ex rure percipiendos deductis expensis faciendis in cultura, & recollectione fructuum, quia sic consulitur proprietario, quia ipse gubernabit rus perpetuò apud eum remansurum, & usufructuario inopi, qui cautionem præstare non potuit, cui nihil de usufructu minuetur, sic decisum per S. C. testatur *Francus dec.* 497. *Riccius collect.* 318. Datur etiam cautio de judicio Sixti, quæ consistit in hoc, ut oblato libello reus præstet cautionem sistendi in judicio, quia imminere potest suspicio, quòd reus aufugiat, & sic in judicio non sistat usque ad finem motæ litis, *Afflictus dec.* 170. quia reus tenetur sistere in judicio à principio usque ad finem motæ litis, & sic usque ad sententiam, quâ prolatâ expirat cautio, *l. gracè, §. post litem ff. qui satisdar. cogant. ex textu in l.* 1. *ff. qui satisd. cogan. Auth. offeratur, C. de litis contestat. cap.* 1. *de fidejussoribus*, verùm in Regno nostro talis cautio non est necessaria, quia cùm procedamus sola facti veritate inspecta, *prag.* 1. *de ord. judic.* nulla opus est tali cautione: ità *Novar. lib.* 1. *quæst. for. q.* 12. *Riccius coll.* 2554.

Datur etiam cautio de non offendendo, quæ à quolibet peti potest, *Vivius decis.* 341. *Franciscus Marcus dec.* 125. *par.* 1. & ad Judices, aliosque Officiales pertinet, ne impotentes à potentioribus opprimantur, *l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de offic. Præsidis*, & hanc cautionem tenentur præstare omnes consanguinei, familiares, &c. *Gratian. dec.* 33. & etiam filii spurii, *Carrocius dec.* 18. Quòd si uxor unius, qui cautionem dederit de non offendendo, rixata sit cum uxore alterius, cui cautionem præstitit, non per hoc censetur rupta pax, *Barzaranus dec.* 131. quòd si fuerit timor offensæ inter patrem, & filium naturalem, tunc tenetur pater filio cautionem præstare de non offendendo, & filius patri eandem præstare tenetur, *Francus dec.* 418. & præstanda est vicissim inter partes, ità ut si ab uno sit præstita, si ab alio non præstetur, lacerari possit illa prima fidejussio, *Francus dec.* 359. *cum addentibus.*

Datur etiam cautio de solvendis expensis factis in judicio, in casu, in quo actor propter malam causam succumbit, *Abbas in cap. quoniam frequenter, §. illis ut lite non contestata. prag.* 4. *de ordine judic. Cappella Tolosana decis.* 138. *Riccius coll.* 2131.

Datur tandem cautio de rato, quandò procurator non habet mandatum, debet dare cautionem fidejussoriam, qua obligetur ratum haberi id, quod nomine principalis agitur.

In omnibus verò his cautionibus priùs discutitur principalis, & posteà in defectum fidejussor, §. 1. *in Auth. de fidejussorib.* quod intellige in fidejussore conventionali, nam quandò fidejussor datur in judicio, primo loco discutitur fidejussor, cui incumbit onus præsentandi principalem.

*In §. idem juris est.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si actor contrà contumacem non acceperit possessionem, & per ipsum steterit, quominùs eam acceperit. Sibi debet imputare culpam, quia paria sunt aliquid per me non fieri, aut per me stare, quominùs fiat argum. *text. in cap. imputari de regul. juris in 6. & cap. quia diversitatem de concessione præbendæ, cap. plerùmque de rescriptis*, undè vicini, qui fecerunt quantùm potuerunt, ut caperent malefactorem, si non ceperint, non tenentur etiam stante statuto, quòd teneantur pro malefactore ipsi vicini, ut benè *glossa* hic.

*In §. Quæri contingit.*

COnclusio hujus textûs est, quòd in pœnam contumaciæ solet Episcopus imponere pœnam excommunicationis, à qua nemo possit absolvere, & semper quòd excommunicatio est justa, debet remitti ad excommunicantem, *cap. pastoralis, §. præterea de officio ordinarii*, qua de re dicemus alibi.

*In §. Sed ne missus.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si adversarius sit missus in possessionem, qui comparere potuerat, poterit reus se protestari coram testibus, & Notario publico, & appellare ad superiorem ratione gravaminis.

Adverte tamen ex textu in §. Sed ista, quòd in causis beneficialibus ob contumaciam non comparentis, non potest Adversarius mitti in possessionem, quia esset possessio vitiosa, quia in beneficialibus debet ingredi per ostium nempè per collationem, vel institutionem, aliàs possessor diceretur intrusus.

*sus, cap. unico de eo, qui mittitur in possess. lib. 6.*

Adverte secundo, quòd contestata lite tenetur contumax ad omnia damna parti, & ad illius expensas, *cap. 1. de dolo, & contumacia in 6.*

Adverte tertio, quòd Judex in contumacibus non potest cumulare in unico actu plures pœnas, quia non debet afflicto addi afflictio, sed gradatim perseveranti in contumacia, debet adjungi pœna, *cap. prætereà, vers. Clerici de jure patronatûs, cap. cum contumacia de hæret. in 6.*

---

## TITULUS VII.

### De Libelli Conceptione, et Oblatione.

Titulus hic ad Præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de dolo, & contumacia. Verùm quia interdùm reus excusat suam contumaciam ob aliquam causam, quam proponit in libello, meritò ponitur hic titulus de libelli oblatione, seù conceptione: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd libellus est brevis, & ordinata scriptura Judici, & parti declarans intentionem agentis, ità *Cynus in Auth. offeratur, C. de litis contest.*

Dicitur scriptura, quia de substantia libelli est, ut offeratur in scriptis, *cap. 1. & ibi DD. de libelli oblatione.* de consuetudine verò potest servari contrarium. *Oynotimus in §. omnium Institut. de actionib.*

Dicitur brevis, quia respuitur à lege verborum prolixitas. *l. ampliorem, §. in refutatoriis, C. de appell.* nec ulla syllaba superflua poni debet: gaudent enim brevitate moderni, *glossa 1. in tit. ff. quod metûs causa*: undè vulgò in libellis dici solet. Comparet Franciscus, & breviter narrat, &c.

Dicitur ordinata, quòd ordo poscit, ut conclusionem præcedat narratio facti, quia executio non est petenda, antequàm sit lata sententia, *l. 1. C. de execut. rei judicatæ.*

Dicitur Judici, & parti, quia offertur Judici, ut possit secundùm formam libelli proferre sententiam; quia sententia debet esse conformis libello. *l. fin. C. de fideicomm. liber.*

Dicitur parti, quia parti offertur, ut deliberet, an velit cedere liti, vel contendere, *d. Auth. offeratur, & l. 1. d. edendo*, & fit oblatio libelli reo per Judicem post citationem, in praxi tamen Judex unà cum citatione mittere solet libellum reo, vel inserere citationi tenorem libelli, ex quo reus instruatur. *DD. in cap. 1. de libelli oblat.*

Ex quo benè docent, *Jason in d. §. omnium de action. nu. 15. & Oynotimus num.* 106. quòd sicut Logicorum argumentum constat ex majore, & minore, & conclusione: ità apud Legistas libellu constare debet ex narratione facti, quæ habetur pro majore, ex causa vel medio concludendi, quod est loco minoris. Tertio ex conclusione, quæ necessariò sequitur ex medio concludendi.

Infertur etiam ex iisdem DD. quòd Advocatus tria debet antè oculos habere. Primo, ut pauca, & non superflua dicat, quia melius est pauca utiliter proferre, quàm multis inutilibus aures hominum prægravare, *l. 2. §. contrarium, vers. deindè, C. de veter. Jure enucleando.* Secundo debent poni necessaria in libello, & utilia, quæ si probatata fuerint, juvant intentionem actoris, *cap. examinata extrà de Judiciis*, & tandem observare debent Advocati, ut factum clarè, perspicuè, & congruenter narretur, ità ut ex eo resultet medium concludendi, ex quo sequatur conclusio, *Jas. ubi sup. nu. 115.*

Sciendum secundo est, quòd talis libellus duplex est, alius, qui præsentatur in Tribunali inferiore recognoscente Superiorem, ut in M. C. V. qui libellus appellatur comparitio, & fit dicendo hoc modo: comparet Antonius, &c. alius libellus offertur in S. C. & appellatur supplicatio, & fit hoc modo, supplicat humiliter, &c. apud Curias Episcopales dicitur Comparitio. Romæ verò apud S. Petrum fit supplicatio hoc modo. Supplicat humiliter Beatitudini vestræ, vel Beatissime Pater supplicat infrà scriptus N. sequitur deindè, & finit concludendo sic, ideòque petit humiliter, &c. offerens se, quòd vivet perpetuò graturum.

Dividitur etiam libellus, quòd alius sit accusatorius, & dicitur querela. *l. libellorum ff. de accusat.* alius est recusatorius, quo recusatur Judex uti suspectus *cap. suspicionis de offic. delegati.* Alius est libellus appellativus, ut dicemus *cùm de appellat.* alius libellus est reclamativus, quo reclamatur ad idem Tribunal; alius est libellus conventionalis, quo reus convenitur ab actore in judicio, qua de re *Marant. in praxi in tit. de libelli oblatione. Tappia in Jus Regni in tit. de libelli editione. Gaillus lib. 3. observat. observat. 61. cum sequentibus.*

Formatur verò libellus accusatorius in causa criminali hoc modo.

In M. C. V. comparet exponens querelam criminalem contrà D. super his nunc dicendis, nam cùm elapsis diebus, scilicet prima die hujus mensis iret ad patriam suam, dùm esset in quodam loco propè hanc Civitatem, ubi dicitur *à Capo di Chino*, exierunt obviam quinque homines armati, & ut ipse benè perspexit, fuerunt N. P. Q. qui expoliaverunt prædictum comparentem nedùm bonis, quæ portabat super equum, sed etiam vestimentis propriis, quæ bona erant talia, & talia, & tanti valoris, quæ bona asportaverunt versùs Castellem Afragolæ. Ideò petit humiliter ipse comparens, ut capiatur informatio super omnibus istis, isto, & omni modo meliori. Quòd si sit Clericus, dicat: citrà pœnam sanguinis.

*In §. exprimet igitur.*

Conclusio hujus textûs est, quòd debet exprimi in libello nomen Actoris, vel per nomen proprium, vel dignitatis, vel officii. Idem dic de nomine Rei, vel Judicis, dicendo comparet N. coram Episcopo, vel contrà Episcopum: sic etiam exprimi debet nomen officii: puta comparet Procurator Monasterii coràm Patre Provinciali, & licèt olim proponi solebat nomen actionis, puta ago actione empti, venditi &c. tamen hodie non est necessarium sed sufficit proponere narrationem facti. *c. dilecti, & cap. ult. de Judiciis.*

*In §. sunt tamen.*

Conclusio hujus textûs est, quòd in Judiciis Summariis, de plano & simpliciter proceditur, undè causæ Summariæ sunt causæ beneficiorum decimales, matrimoniales, & aliæ. *Clem. dispendiosam de judiciis, Clem. sæpè de verb. signif.* sic causæ modici momenti breviter terminari debent. *Auth. Nisi breviores, C. de sent. & interlocution. omn. Jud.* & in Regno nostro, quia proceditur summariè sola facti veritate inspecta, ut in *cap. Regni detestantes*, omnis solemnitas in libello sublata est, & sufficit

talis,

talis, qualis petitio, *ut in pragm.* 11 *de ord. Judic.* & ibi *Regens Rovitus*, verùm non per hoc talis petitio sustinetur, si est notabiliter inepta, puta sine actione, sicut nec sustineretur libellus, si esset notabiliter defectivus circà obscuritatem, & penitùs ex verbis declaratis non possit eliei intentio agentis; nam tunc rejicitur. Potest verò libellus dici obscurus quinque modis. Primo, æquivocatione. Secundo, generalitate. Tertio alternativa. Quarto locutione non coarctata. Quinto infinitate, quia propter talem obscuritatem conventus non redderetur certus utrùm cedere, an contendere velit, & ideò non adstringeretur se defendere. *glossa d. l. 2. C. de libelli oblat. & in l. 1. ff. de edendo*, nec judex poterit pronunciare ejus sententiam. *Maranta in l. is potest, ff. de acquir. hared. Muscatellus in praxi, in glossa libellus num. 6.*

Adverte tamen, quòd valeret libellus alternativus pluribus in casibus. Primo, quandò petitur aliquid in subsidium, puta, peto rem si extat, aliàs extimationem, quia extimatio in subsidium debetur. *l. fin. C. de fideicom. libert.* vel si dicatur, peto contractum declarari nullum, & si quis sit, beneficio restitutionis rescindi, vel alio modo. *Gaillus lib. 1. obser. observ. 62.* sicut etiam poterit concipi libellus alternativus, quandò competunt plura remedia tendentia ad unum finem inter se compatibilia *Gall. ubi sup.*

Valeret etiam libellus generalis, & petitio extenderetur ad non expressa, quotiès non petita sunt talia, quæ ortum habent ex eodem fonte, & ex natura, & aptitudine actionis intentatæ. *l. contrà negantem. C. ad l. Aquiliam. Anna allegat. 6. Capycius dec.* 20. qui exemplificat in pœna, super qua potest sequi condemnatio, si fuerit damnum petitum, & quandò libellus est generaliter conceptus, puta petendo hæreditatem, computa administrationis, societatis, & tutelæ, semper includitur tacitè singulorum bonorum, & quantitatum petitio sub generalitate verborum. *l. licèt, C. de Judiciis*, & sicut libellus in his judiciis est generalis, ità sententia erit generalis, v. g. condemnamus ad restitutionem bonorum hæreditariorum, ad reddendum computa cum reliquorum restitutione, juxtà liquidationem faciendam tempore executionis sententiæ, & deindè petitur liquidatio, & copiatur processus super ea, & sic certificatur generalis libellus. DD. ubi suprà.

Adverte secùndo, quòd petitio qua petitur aliquid principale, extenditur ad accessoria, ideò si peto fundum, intelligitur petita servitus. *glossa in l. rei 23. ff. de verb. signific. & fructus. DD. in l. ex diverso ff. de rei vend.* immò Judex tenetur condemnare reum ad fructus ex officio, sic decisum testatur *Guido Papa decis.* 405. maximè perceptos à tempore publicationis causæ. *Afflictus* & ibi addentes *decis.* 59. appellatione verò fructuum veniant pensiones, quæ debentur ex beneficiis, arbores ceduæ, aves, & feræ, legas *Boërium decis.* 224. *Cassaneum in consuetud. Burgun. rubric.* 4. §. 7.

Adverte tertio, quòd valet libellus, quotiès petitur aliqua res ex una causa, & tamen probatur deberi ex alia, præsertim in Regno nostro; ubi proceditur sola facti veritate inspecta: quòd si actor non probaverit causam expressam in libello, vel aliam æquivalentem ad fundandam ejus intentionem, absque dubio reus veniret absolvendus ab observatione Judicis, & condemnabitur actor in expensis, salvo tamen jure rectiùs agendi ex alia causa. *Gaill. lib.* 1. *obser.* 67.

Adverte quarto, quòd quandò petitur res consistens in multiplici specie, tunc tenetur actor declarare species, ut reus possit se defendere, & deliberare. *cap. fin.* & ibi *DD. de libelli oblat. Anton. Faber in tit. C, de edendo decis.* 1. sicut si quis agat, ut declaretur contractus, simulatus, debet explicare species simulationis. *Vivius dec.* 104. *lib.* 1. sic si quis allegat, ab aliquo turbari, debet exprimere modos turbationis, *Bald. in l. ab Anastasio, C. mandati. Riccius latè collect.* 608. tenetur verò actor tunc declarare, quotiès instaret reus, aliàs secùs. *DD. in l. in causis, C. de accusat. Anna singul.* 315.

Adverte quinto, quòd in libello allato non est prohibitum addere, vel detrahere. *Muscatellus in praxi primæ instantiæ, glossa petitur num.* 50. verùm respectu additionis, diceretur novus libellus. *Decius, & alii in l. edita, C. de edendo. Gimba dec.* 10. & ideò potest sequi condemnatio super novis additis, dummodò sit facta antè litis contestationem, DD. ubi suprà.

*§. in his quoque casibus.*

Conclusio hujus textûs est, quòd Judex benefacit, si causam terminare faciat sine tela Judicii, sed reducendo partes ad concordiam, quo casu sufficit modica petitio, quæ modica petitio in omnibus causis etiam Summariis requiritur, & ideò expediuntur in M. C. V. in causis modicis mandata etiam compulsiva, puta ad solvendum, exfractandum, exhibendum, &c. nihil innovando, & similia, & in aliis actibus levis præjudicii, quæ mandata expediri debent cum clausula Justitiæ, puta, ut habens causam in contrarium compareat, alias sunt ipso jure nulla. *Ursillus ad Afflictum decis.* 167. *nu.* 50. quæ clausula Justitiæ operatur, ut citatus comparendo resolvatur tale mandatum in simplicem citationem. *Gaill. lib.* 1. *obser.* 19.

Adverte tamen, quòd in libello solent apponi nonnullæ clausulæ, quæ satis conferunt pro justitia, & prima clausula est illa (unà cum expensis) quæ clausula ideò apponi debet, quia expensæ non veniunt, nisi expressè petantur. *Bart. & Bald. in l. properandum*, §. *cùm alterum*, *C. de Judiciis.* taxatio verò erit arbitrio Judicis. *Regens Rovitus in prag.* 1. *de expensis.* Verùm quia est difficultas inter DD. an appellatione expensarum veniant damna, ut latè *Thesaurus dec.* 61. ideò traditur pinguior Cautela, ut dicatur (cum expensis, damnis, & interesse) quia tunc appellatione interesse venirent etiam fructus, *Franch. dec.* 642. *nu.* 8.

Secunda clausula, quæ apponi solet in libello, est (petens super prædictis omnibus, & eorum singulis Jus, & justitiam administrari) & hæc clausula appellatur herba berthonica, quia removet omnem defectum generalitatis, & ineptitudinis. *Vivius dec.* 395. *num.* 3. & super non expressis poterit proferri sententia virtute hujus clausulæ cum clausula omni meliori modo: *Gaillus d. obser.* 61.

Tertia clausula est (non se adstringens) quæ clausula operatur, ut plura proponens, non teneatur nisi ad ea, quæ sufficiant solùm ad reportandam victoriam, DD. in *l. scire.* §. *scire. ff. de excuss. tut.*

Quarta clausula est (citrà præjudicium omnium jurium) & hæc clausula operatur, ut totum id, quod petitur, & geritur, intelligatur conditionaliter gestum, videlicet, quòd quatenùs infert aliquod præjudicium, ità se habeat, ac si petitum, & gestum non sit. *Riccius Collect.* 833. & 1243.

Quinta clausula est (deducens omne Jus) quæ in causis Summariis removet omnem incertitudinem. *Bellamera dec.* 662.

Sexta clausula, quæ apponi solet est (omni meliori modo) quæ clausula multa notabiliter operatur, & quidem petens aliquid vigore talis clausulæ

clausulæ censetur intentasse petitorium, & possessorium. *Ursillus ad Afflictum dec.* 377. item petens plus debito, licèt sit in pœna, tamen cum hac clausula evitabit eam, *Regens Rovitus in prag.* 7. *num.* 50. *de falsis.*

### *In §. oblato.*

Conclusio hujus textûs est, quòd oblato libello debet dari terminus reo ad comparendum, & proponendum suas exceptiones. *c. induciæ* 3. *q.* 3. & datur posteà novus terminus ad probandas exceptiones, si reus illas proposuit, quòd si procurator sit præsens, principalis verò absens, poterit procurator petere terminum ad denunciandum absenti principali. *Speculat. de dilat.* §. 1. *cap. dilectus filius de procur. Rota in dec.* 1. *de procur.* quod quomodò limitetur: legas *Riccium collect.* 1345. & propositis exceptionibus datur actori terminus ad proponendas suas replicationes.

Quia verò interdùm partes volunt videre processum, & illum considerare, & omnia acta ponderare, ideò solet concedi terminus ad percunctandum acta, ut scilicet processum, & acta videant, *c.* 1. & 2. *de dilat.*

Solet etiam concedi terminus partibus ad impugnandas scripturas, *c. series de test.* verùm docet *Capyc. dec.* 55. quòd in S. C. ubi proceditur sola facti veritate inspecta talis terminus denegatur, legas *Ricc. collect.* 847.

---

## *TITULUS VIII.*

## DE EXCEPTIONIBUS, ET REPLICATIONIBUS.

Quia Reus oblato sibi libello debet, vel consentire, vel aliqua exceptione ipsum rejicere, meritò post titulum de libelli oblatione, ponitur titulus *de exceptionib. & replicationib.* ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd exceptio regulariter definiri solet; ut sit actionis exclusio, v. g. Si ego ago contrà te, proponitur à me actio forsitan personalis, quia tu mihi debes centum, si verò tu te defendas, & probes mihi solvisse, hæc est solutionis exceptio, qua excludis meam actionem: vel si ego ago contrà te, quia debes mihi decem, ecce actio, tu excipis de non petendo, ecce exceptio. *l. petens. C. de pactis. l. si unus,* §. *pactus ne peteret, ff. de pactis.*

Sciendum secundo est, quòd exceptio multis modis dividitur (omissis tamen variis divisionibus, quas assignant *DD. in instit. civilibus de except.* & in materiis ordinariis) Principalis divisio est, quòd aut sit dilatoria, aut peremptoria, de qua divisione Paulus noster hîc agit: exceptio dilatoria est illa, quæ negotium principale, & causam differt. Peremptoria verò dicitur, quæ perimit negotium principale, & causam: exemplum exceptionis dilatoriæ est in pacto facto de non petendo per aliquod tempus, quòd si esset in perpetuum, diceretur peremptoria, §. *appellantur. Instit. de except.*

Dividuntur verò exceptiones dilatoriæ, nam quædam respiciunt personam Judicis, quædam personas litigantium, quædam causam, sivè libellum, de quibus tamen omnibus agemus in litera textûs.

Sciendum est tertio, quòd exceptio quantùm ad ad genericam naturam defensionis, est de jure naturali cùm sit in genere defensionis, & habuit originem ab initio mundi *Genes.* 13. ibi *Adam ubi es?* Adam opposuit exceptionem doli, & deceptionis dicens. *Mulier, quam dedisti mihi, decepit me. cap. serpens. de pænit.* 1. *dist.* si verò loquamur quantùm ad formas specificas, & quantùm ad solemnitates exceptionum, est exceptio de jure civili, quia fit in judicio, sicut etiam, & actio Juris civilis est, §. 1. *instit. de act.*

Sciendum est quarto, quòd replicatio competit actori contrà exceptionem rei, *l.* 2. *ff. eodem.* exemplum est, petis decem à me ex causa mutui, hæc actio dicitur, ego excipio de solutione, hæc est exceptio; tu verò replicas, solutionem fuisse factam ob aliud debitum, hæc dicitur replicatio, potest deindè iterùm fieri triplicatio à reo: exemplificatur etiam replicatio in *l. viro atque uxori, ff. solut. matr.* ubi si maritus petat lucrari dotem ob adulterium ab uxore commissum, potest uxor excipere de lœnocinio mariti: & sic primo consideratur actio, qua uxor petit dotem. Secundo exceptio, quam opponit maritus de adulterio commisso. Tertio consideratur replicatio, quia replicat uxor, lœnocinium fuisse commissum à marito, & sic petit compensationem, quæ in delictis optimè fieri potest, quandò agitur civiliter, secùs si agatur criminaliter, quia cùm agitur criminaliter, tunc versatur causa, & favor publicus; Reipublicæ enim interest delicta puniri, *l. ità vulneratus, ff. ad legem Aquiliam,* meritò in publicum præjudicium compensatio non admittitur; quandò verò agitur civiliter, quia tractatur de utilitate privata, ideò opponi potest compensatio, ut in *d. l. viro atque uxori.*

Exemplificatur etiam replicatio in *cap. significasti de divortiis,* habetur enim ibi, quòd si mulier sit dejecta à marito, & petat maritum tanquàm spoliata; si maritus opponat exceptionem adulterii, quo petit separationem, potest mulier replicare de adulterio mariti, scilicet quòd ipse cum alia rem habuerit, ut in *d. c. significasti.*

### *In §. Personam Judicis.*

Agitur in hoc §. de exceptionibus respicientibus personam Judicis, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd exceptio respiciens personam Judicis principalis, est exceptio recusationis Judicis, qua scilicet Judex recusatur ut suspectus: cùm enim periculosum sit litigare sub Judice suspecto, *l. apertissimi, C. de judiciis,* hinc nedùm humanum, sed etiam divinum jus dictat, ne lis à Judice suspecto definiatur, *cap. quod suspecti* 3. *q.* 5. *Menoch. de arbitr. Jud. lib.* 2. *casu* 152. Advertunt tamen nostri, præsertim *Regens Rovitus in commentar. ad pragm. hoc tit. de suspect. offic.* quòd partes debent benè perpendere, an habeant subsistentes causas, & an illas probare possint, ne fortè victi magis exindè acerbum Judicem habeant, & licèt de jure communi civili sufficiat parti allegare suspectum cum juramento, de jure tamen canonico probari debet suspicio saltem per duos testes, *Bald. in d. l. apertissimi, C. de judiciis.*

Causæ verò, ob quas potest Judex recusari, ut suspectus? Prima est consanguinitas, *cap. postremo de appellat* sivè ex parte matris, sivè patris proveniat, & quidem si sumus in consanguinitate, hæc usque ad decimum gradum de jure civili impedit, si verò in affinitate usque ad septimum gradum. *glossa in cap. accedens il.* 2. *ut lite non contestata,* sic decisum refert *Thorus in compendio decisionum in verb. suspicio officialis, Rovitus in prag.* 11. *de suspic. offic.*

Secunda causa est inimicitia, quamvis non sit capitalis,

capitalis, *cap. accedens il. 1. ut lite non contestata, cap. appellantur de accusat. cap. cùm super, cap. insinuante de offic. delegati.* Immò addunt alii, sufficere inimicitiam præsumptam, & omnem justam causam suspicandi, *Mascard. de probat. concl. 953. Vivius dec. 563.* & ità colligitur hæc causa ex *prag. 11. eod. tit.*

Secunda principalis exceptio respiciens personam Judicis est exceptio declinatoria fori, quandò enim Judex nullam habet jurisdictionem, dicitur incompetens, *l. 1. ff. de jurisd. omn. Jud. Afflictus dec. 354.* sicut dicitur incompetens, quandò non habet jurisdictionem in eum, quem fecit citare, *l. 2. C. si à non competente Judice*, v. g. Judex laicus in Clericum, nisi cognosceretur per modum cujusdam extraordinariæ cognitionis, *Afflictus dec. 24. & 85.* dicitur etiam incompetens, quandò excedit Judex suam delegationem, vel tempus officii, *l. eum quem, ff. de jurisdict. omnium Judicum;* verùm Judex ordinarius finito officio usquequò successor veniat, semper tenet locum, *DD. in l. meminisse, ff. de offic. proconsulis;* dicitur etiam incompetens, si velit exercere jurisdictionem extrà suum territorium, *l. ult. ff. de jurisdictione omn. Jud.*

Adverte tamen, quòd ideò opponitur exceptio declinatoria fori, quia actor sequi debet forum rei, *cap. cùm sit generale de foro competenti, l. 2. l. in criminali, C. de jurisdict. cap. si clericus de foro competenti cum multis aliis.*

Quæ tamen propositio limitatur in personis miserabilibus, quia hæ personæ possunt variare forum, *l. unica, C. quandò Imperator inter pupillum, & viduam, Constitutio Regni nostri*, quæ incipit *Constituimus*, ubi dicitur, has omnes personas habere electionem fori, dummodò jurent perhorrescere adversarii potentiam, ubi lis est cœpta, vel incipi debet, *Mastrillus dec. 127. Francus dec. 194.* sub nomine verò personarum miserabilium continetur mulier maritata habens maritum inutilem, Universitas, *Cavalcanus dec. 37. Paschalis de virib. patr. potest. par. 2. cap. 2. num. 88. Riccius collect. 1.* Immò etiam meretrix habet fori electionem, quia dicitur persona miserabilis, *Francus dec. 134. Novarius* latè *de variat. & electione fori.*

Limitatur etiam in Neapolitanis, qui virtute amplissimorum privilegiorum, quæ habent, trahunt, & non trahuntur, ideò Neapolitanus potest convenire exterum in Curiis hujus Civitatis etiam in delictis, *Francus dec. 416. Riccius collect. 38. Rovitus in pragm. 5. num. 3.* ubi *de delictis quis conveniri debeat. Caravita super Ritu M. C. V. 31.* qui hoc privilegium ampliat, & limitat.

*In §. Actoris.*

AGitur hîc de exceptionibus competentibus contrà personam actoris. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd quandò actor agit nomine proprio, & per se, tunc potest contrà eum opponi de excommunicatione, vel minori ætate, vel quandò sit servus, vel deportatus, vel quòd sit furiosus, quandò verò agit per aliam personam, puta per procuratorem, tunc contrà eum opponi potest exceptio procuratoria, quæ appellatur in praxi exceptio legitimationis personæ: undè, si quis ut procurator compareat, debet ostendere mandatum, & datur etiam contrà omnem aliam personam comparentem in judicio; ut scilicet legitimet suam personam, quo jure agat, *Farinaceus dec. 204.* & ideò agens ut hæres, debet exhibere præambulum; agens ut cessionarius, debet exhibere cessionem, & agens, ut procurator, debet exhibere mandatum, *Riccius super l. non ignoret, collect. 306. par. 2.* Filius verò agens ut hæres patris, non debet præsentare præambulum, quia habet præsumptionem pro se, est filius ergo hæres, dùm agitur de ejus commodo, & beneficio, *Mant. de conjecturis ultimar. volunt. lib. 12. tit. 10.* non ità est respectu matris, quia agens ut hæres matris, tenetur probare additionem, *Magonius dec. Lucensi 62. Cartarius dec. Genuæ 54.*

Excipitur etiam contrà clericos, ut non possint esse Procuratores, vel Advocati in foro sæculari, ut in tota 88. *dist. & in cap. 1. 2. & 3. extrà de postulando, prag. Regni 21. §. fin. de officio; S. R. C. & Constit. Regni;* quæ incipit; *Denique clericos*, ubi solùm admittuntur clerici in sacris ad postulandum pro consanguineis, vel familiaribus, aut pro personis miserabilibus: clerici verò in minoribus non prohibentur esse Advocati, *Regens Tappia in d. Constit. Regni, Denique clericos;* qui etiam addit, quòd si de facto reperiatur clericus admissus in judicio, non per hoc processus vitiatur.

*In §. Ex persona rei.*

AGitur hîc de exceptionibus respicientibus personam rei, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd actor tenetur cavere de defensione prosequenda, ad quod cogi potest per cautionis præstationem, sicut cogi potest præstare cautionem de dolo, quòd scilicet absit dolus, & quòd solvet condemnationes. Reus verò potest contrà actorem proponere exceptionem competentiæ, & incompetentiæ actionis, *l. si pupilli, §. videamus, ff. de negotiis gestis;* potest etiam opponere de spolio, nempè si fuerit spoliatus ab actore, potest excipere quòd antè omnia restituatur, *cap. dilectus de ordine cognitionum, cap. re integranda 2. q. 1.* potest etiam reus excipere actori, ut solvat expensas in casu succumbentiæ, possunt etiam per reum, & actorem opponi aliæ exceptiones, ut suprà.

Habet etiam reus exceptionem exhibitionis scripturarum in libello mentionatarum, *l. 1. §. edenda, ff. de edendo*, & Judex mandare debet actori, ut exhibeat prædictas scripturas, aliàs ei denegare debet audientiam, nec procedere in causa, secùs si exhibitio calumniosè petatur, quia forsitan non relevaret *Minadous dec. 1. num. 6.* legas *Thesaurum lib. 1. quæst. for. quæst. 50.*

*In §. Actiones.*

AGitur hîc de exceptionibus respicientibus causam, sivè libellum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd, quandò libellus Actoris est ineptus, vel obscurus nihil concludens, tunc contrà talem libellum posset reus opponere exceptionem DD. *in l. edita, C. de edendo*, & opposita exceptione tenetur actor declarare libellum ex suis partibus obscurum, *Afflictus in Constit. Regni*, quæ incipit dilationes *num. 36. Cepolla in cautela 106.*

Potest etiam opponi exceptio litis pendentiæ, puta si in alio tribunali pendeat lis, quo in casu non debeat molestari in alio tribunali quis, sed ibi lis finiri debet, ubi judicium cœptum est, *l. ubi cœptum, ff. de judiciis, l. Secundum, ff. de exception.* potest etiam opponi exceptio quòd nondùm dies solutionis advenerit, vel quòd non fuit facta citatio partis, & quòd alio modo processus est nullus.

*In §. Hæ verò regulariter.*

COnclusiones hujus textus est, quòd omnes exceptiones dilatoriæ opponi possunt antè litis contesta-

contestationem, posteà verò censentur remissæ, nisi opponantur in ipso actu litis contestationis, vel incontinenti, & sic recessit ab usu hodie *prag. 5. Regni nostri de ord. judic.* ubi dicebatur, opponendas esse intrà tres dies, ut benè *Muscatellus in glossa defendendum par. 5. num. 3. Regens tappia in jus Regni in tit. de exceptionibus.*

Sunt verò multæ exceptiones declinatoriæ, quæ opponi non possunt etiam post litis contestationem.

Prima est exceptio defectûs mandati procuratoris, quæ etiam post sententiam opponi potest,& acta facta cum procuratore non habente mandatum, sunt nulla, & sic nulla est sententia *Abbas, cap. cùm dilecti de empt. & vendit. & in cap. in nostra de procurator.* ad hoc verò, ut omnia acta sint nulla, quandò procurator procedit sine mandato, requiritur, ut reus in quolibet actu protestetur, *Rovitus in commentar. ad prag. de procurat. num. 27. Farinaceus dec. 76. & 80. Riccius collect. 1206. par. 4.* & ideò non dicitur falsus procurator ille, qui caret mandato, *Guido Papa dec. 183.* Quandò verò adesset mandatum minùs solemne, & legitimum, nisi expressè opponatur de ejus invaliditate,tenet judicium: *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 46.* legas *Riccium collect. 1206.*

Secunda est exceptio ineptitudinis libelli,quæ etiam post sententiam opponi potest; immò si libellus est ineptus, inepta est sententia, qua de re suprà.

Tertia est exceptio excommunicationis, quæ semper opponi potest, quia omnia acta facta ab excommunicato nulla sunt, *cap. 1. de exceptionib. lib. 6. Canonistæ in d. cap. 1. de exceptionib.*

Quarta est, quandò exceptio dilatoria superveniret reo post litem contestatam, sicut & regulariter omnis exceptio de nullitate actorum opponi potest post sententiam, *cap. pastoralis, eodem titulo.*

Adverte tamen, quòd exceptiones declinatoriæ opponi possunt in principio litis, quandò reus citatur, *cap. pastoralis eod. titulo*, quia si non opponantur in principio censebitur reus consentire judicio, & jurisdictioni Judicis, coram quo convenitur, *cap. inter Monasterium de sent. & re judicatâ*, quòd si reus petat copiam libelli, non per hoc dicitur consentire Judici, *Bart. in l. non videtur, ff. de judiciis, DD. ubi suprà.*

Exceptiones verò peremptorias opponere potest reus usque ad conclusionem in causa, *l. peremptorias. C. de sentent. quæ rescindi non possunt*, nisi statuatur à Judice terminus ad illas opponendas, nam eo elapso ampliùs opponi non possunt, DD. quos refert *Galluppus in praxi par. 2. cap. 10.*

*In §. His animadvertenda.*

CONclusio hujus textûs est, quòd exceptio excommunicationis dicitur dilatoria, & peremptoria, quia differt litem, quòusque absolvatur comparens, dicitur peremptoria, quandò opponitur contrà aliquem electum, dùm existebat in excommunicatione, quia cùm talis electio non valeat, perimit, quæ exceptio ut suprà in omni tempore opponi potest.

Adverte tamen, quòd ille, qui opponit exceptionem excommunicationis, debet manifestare, an sit major, an minor excommunicatio; Si enim est minor, non obstat, *cap. 1. eod. in 6.* quia major impedit commercium, *cap. Egeltruda 3. q. 4.* debet etiam exprimere nomen excommunicatoris, ut sic sciatur, an sit ordinarius, an verò delegatus, *glossa in d. cap. 1. eod. tit. in 6.* debet etiam opponens talem exceptionem,eam probare infrà octo dies, quòd si non probet, condemnabitur opponens ad expensas.

Adverte secundò, quòd talis exceptio excommunicationis opponi potest in prima instantia; dicitur verò prima instantia totus decursus judicialis usque ad appellationem, ab appellatione verò usque ad secundam sententiam dicitur secunda instantia.

Adverte tertiò, quòd reus necessarius, qui scilicet cogitur venire in judicio, licèt sit excommunicatus, admittitur ad comparendum, & se defendendum, reus verò voluntarius, qui scilicet fuit citatus per edictum in confectione inventarii, ut compareat, non admittitur, si sit excommunicatus, ut docet Paulus hìc.

*In §. Peremptoria.*

AGitur hìc de exceptionibus peremptoriis: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd exceptiones peremptoriæ dicuntur, quæ in totum perimunt negotium principale, & agenti perpetuò obstant, *cap. 1. de litis contestat. in 6.* exemplificatur primo in dolo malo cùm quis dolo fuit inductus ad contrahendum, ut in *titulo de doli mali exceptione, cap. ad nostram de emption. & vendit.* vel si metu inducitur quis ad contrahendum; tunc obstat exceptio metûs, idem dic quandò fuit pactum factum de nunquàm petendo, quia si posteà petat, obstat exceptio pacti de non petendo, aut si debitum est solutum, obstat exceptio solutionis, *§. 1. instit. quibus modis tollitur obligatio*, quòd si quis juraverit non agere, vel non petere, obstat exceptio juramenti, de qua *Covarr. lib. 1. var. cap. 4.* sic exceptio præscriptionis est peremptoria, ex qua impeditur litis ingressus, *Felynus in rubrica de præscription. col. 4.* Sic exceptio transactionis dicitur peremptoria rei judicatæ, vel alia similis, per quam tollitur penitùs actio.

*In §. Et harum.*

COnclusio hujus textûs est, quòd exceptionum peremptoriarum, quædam dicuntur simpliciter peremptoriæ, ut exceptio doli mali, metûs, pacti de non petendo, solutionis, &c. *cap. 1. de litis contestatione.* Aliæ exceptiones dicuntur litis finitæ, ut transactionis, rei judicatæ, & aliæ, quæ per se sunt institutæ ad finem litibus imponendum: Quòd si exceptio litis finitæ opponatur antè litis contestationem, impedit litis ingressum, si verò opponatur post contestationem litis, & tunc impedit litis progressum, quare semper opponi potest, ut ait *Maranta de ordine judiciali memb. 9. num. 13.*

Sunt etiam aliæ exceptiones peremptoriæ, quæ opponi possunt post sententiam, veluti exceptio ratione ætatis, vel militiæ, *l. peremptorias, C. sentent. rescindi non posse, l. 1. & l. miles, ff. de juris, & facti ignorantia.* Sub eadem regula reducitur exceptio, qua quis non tenetur ultrà, quàm facere possit, & exceptio falsi, *Abbas*, & alii *in cap. licèt de procuratorib.*

*In §. Sic etiam.*

DIviduntur hìc exceptiones, quòd aliæ sint præjudiciales, aliæ verò non; præjudiciales exemplificat Paulus primo in exceptione ratione contingentiæ, ut si ego ago contrà te, ut mihi des fundum, prætendens meum esse, & durante causa de proprietate peto fructus illius fundi mihi applicari, potes tu excipere de præjudicio, quia fructuum applicatio sapit naturam possessionis.

Secunda exceptio præjudicialis exemplificari potest in *l. generaliter, ff. de exception. l. fundum Titianum*

*num, l. fundi, l. rei majoris, ff. eodem.* Ideò si filius spurius petat patris hæreditatem, & oponatur ei exceptio indignitatis, ob quam patris hæreditatem habere nequit. Primo cognoscitur de hoc, & posteà de hæreditatis petitione, & dicitur exceptio præjudicialis à dictione (præ) & (judicio) quia de ea primo judicari debet, quàm de causa, de qua agitur, ut *in tit. ff. eod.*

Adverte tamen, quòd in Regno nostro præjudicialia sunt sublata ex constitutione, quæ incipit, *Si civiliter agens*, & ideò notat *Afflictus, dec. 103.* quòd si agatur civiliter, & testes antè conclusionem fuerint accusati de falso, pendente causa criminali falsitatis, potest procedi in utraque causa, dummodò non expediatur civilis antè criminalem, quia constitutio prædicta non habet locum in eo casu. *Capycius dec. 203. Grammaticus dec. 66.* Idem *Afflictus dec. 229. Francus dec. 512.* qui addit, quòd si incidens sit merè Ecclesiasticum, remittitur Judici Ecclesiastico, & interim supersedetur in causa principali, & tenetur posteà Judex laicus habere pro vero, quod pronunciavit posteà Judex Ecclesiasticus, *Afflictus in tit. quæ sint regalia in usibus feudorum, in verb. contrahentium ingestas nuptias.*

*In §. & si cum duobus sequentibus.*

Agitur hîc de exceptione Spolii, de qua latè dicemus infrà *in tit. de restitut. spoliat.*

Breviter tamen hîc dico, quòd exceptio spolii in civilibus causis solùm opponi potest contrà ipsum actorem, qui spoliavit, ut antè omnia reus restituatur; quòd si spolium sit factum à tertia persona, non obstat exceptio spolii contrà actorem, *cap. non debet de regul. juris in 6.* quandò verò sumus in causa criminali, & spolium factum sit à tertia persona: potest reus excipere non esse prosequendam causam, nisi antè omnia restituatur. *cap. sæpè de restit. spoliat.* Quandò verò est quis spoliatus à tertia persona, id est non ab accusatore, & excipiat de spolio contrà accusatorem, erit audiendus in criminalibus, quia non debet fieri molestia in criminalibus contrà spoliatum, nisi priùs restituatur, & hoc dubium priùs fuit motum inter scholares. *cap. 1. §. solet. de restit. spoliat.*

*In §. sunt, & alia cum sequentibus.*

Prima conclusio horum jurium est, quòd exceptiones contrà testes non dicuntur, neque omninò dilatoriæ, neque peremptoriæ, non dilatoriæ, quia non differunt processum super causa principali, nec dicuntur omninò peremptoriæ, quia non perimunt omninò jus agentis, cùm possit alios producere testes, sapiunt tamen naturam peremptoriæ, quia per indirectum testes rejiciuntur, & non adhibitis aliis, remanet jus agentis inhabile, & inutile. *c. sæpè de restit. spoliat.*

Secunda conclusio, quandò testibus objiciuntur crimina, non sunt probanda, sed statim rejici debent, nisi ipsi probaverint, se esse innocentes. *Abb. in c. 2. de ord. cognit.*

Tertia conclusio est, quòd simili modo laborans non potest alteri illud objicere, quòd si agat nomine alterius, poterit illud objicere. *c. cum Ecclesiasticis de except.*

*In §. Postremo.*

Conclusio hujus textûs est, quòd reus opponens exceptionem non videtur confiteri id, quod excipit ad fundandam actoris intentionem, licèt ad sui favorem id benè confiteri videatur. *l. non utique ff. de except. cap. exceptionem de regul. juris in 6.* cujus ratio est, quia excipiens excludit intentionem adversarii, & sic illam non vult juvare, ergò inducta ad unum effectum, non debet parere contrarium. *l. quòd favore, C. de legibus. l. legata, ff. de leg. 1.* patet consequentia, quia exceptiones sunt inventæ favore reorum, ergo non retorquentur in eorum odium, ut illas opponendo, videatur quis confiteri intentionem Adversarii. Ex quo.

Infertur primo, quòd si aliquis petat à me decem, quæ mutuavit, si excipiam me solvisse, videor confiteri mutuum factum esse, adeò, quòd etiam si non prober debitum, solvere teneor: *glos. singularis in l. Julianus, ff. de condit. in deb. Bald. in cap. cùm jure de offic. deleg.* debeo tamen negare mutuum, & si probetur, dicere me solvisse.

Infertur secundo, quòd petens absolutionem ab excommunicatione, non videtur fateri se esse excommunicatum. *Abbas in c. venerabilem de elect. reprobata. glos. ibi, & in cap. cùm dilectus de ordine cognitionum,* quia potest ad cautelam petere. *cap. solet. de sent. excommunic.* & bonarum mentium est timere culpam, ubi non est. *cap. 2. de observ. jejuniorum,* & excommunicatio manifesta probari debet. *cap. 1. de exception. in 6.* quod non fit excipiendo.

Limitatur verò hæc doctrina, quandò contrà excipientem est præsumptio, utpotè si aliquis confiteatur hominem occidisse ad suam defensionem, tunc enim sumitur confessio, quòd videlicet occiderit, sed non exceptio, quòd scilicet ad sui defensionem fecerit. *Bart. in l. Aurelius, ff. idem quæsiit. ff. de liber. legat.* ratione præsumptionis delicti, & casu, quo quis confitetur hominem occidisse ad sui defensionem, ut colligi videtur ex *cap. 1. de præsumpt.* maximè quandò ille, qui occidit, esset homo pessimæ vitæ, quòd si esset bonæ vitæ, tunc non puniretur pœna homicidii *Abbas in c. Auditis num. 32. de præsumpt. Capyc. dec. 155. Grammaticus voto 2.* ubi refert, Proregem Neapolitanum condemnasse quendam ad triremes perpetuò, qui confessus fuerat alium occidisse ad sui defensionem, & ità in tormentis sustinuerat: legas *Andræam Facchineum lib. 1. controv. juris cap. 27.*

---

## TITULUS IX.

## DE MUTUIS PETITIONIBUS.

Visum est suprà de exceptionibus. Verùm quia, postquàm reus opposuit suas exceptiones, de quibus suprà, & succumbit, debet prospicere diligenter, si habeat aliquod jus contrà eundem actorem, ut ipsum reconvenire possit, meritò ponitur hic titulus mutuæ petitionis, de qua mutua petitione agunt *Canonistæ in tit. de mutuis petition.* Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd mutua petitio est conventio ex parte Actoris, & reconventio ex parte Rei, & dicitur reconventio: quia est secunda conventio, & quia sunt duæ petitiones, meritò dicitur mutua petitio. Agunt verò de hac materia, *Speculator in tit. de reconvent.* DD. *in tit. de mutuis petitionib. Civilistæ in Auth.* & consequenter *de senten. & interlocut. Ricc.* collect. *par. 1. & 1159. par. 4.*

Sciendum secundò est, quòd, quandò secunda petitio opponitur per modum reconventionis, tunc causa simul tractabitur coram eodem Judice conventionis, & sic fiet simul causa conventionis, & reconventionis, & unà sententià utraque causa terminabitur: quòd ut fieri

fieri possit, debet statim, quòd quis est conventus, reconvenire, quia alioquin erit priùs tractanda causa conventionis, & secundo loco causa reconventionis. *l. qui prior ff. de Judiciis cap. 2. de ord. cogn.* & reconventio coràm eodem Judice fieri debet, & fit contrà quascumque personas, etiam privilegiatas. *cap. 1. eod. tit. Ritus M. C. V. 67. Francus dec. 193.*

Sciendum est tertio, quòd reconventio assumit naturam causæ principalis, per DD. ubi suprà. Hinc est, quòd si à sententia causæ conventionis appellari non possit, nec à reconventione appellabitur, ut sic decisum refert *Giurba dec. 3.* & si causa principalis sit Summaria, erit etiam Summaria causa reconventionis: undè simultaneo processu erit terminanda. *Misingerius cent. 3. obser. 4.* regulariter enim reconventio habet eadem privilegia, ac habet conventio. *Caacerius lib. 2. var. resol. in tit. de reconvent. cap. 13.* & perempta instantia in causa conventionis, censetur etiam perempta in causa reconventionis. *Magonius decis. Lucensi 58.* & habens arbitrium in causa conventionis, censetur etiam illud habere in causa reconventionis. *Rubinus dec. 31.* Unum tamen moneo, quòd sententia non est nulla, si fuerit decisum super conventionis causa, omissa reconventione, sic decisum Siciliæ docet *Giurba dec. 2.* & sequitur *Marcus Antonius Maccratensis variar. resolution. lib. 2. resol. 8.*

*In §. Proposita ergo, cum duobus sequentibus.*

PRima horum Jurium conclusio est, quòd causa conventionis, & reconventionis debet fieri in eodem tempore: debet enim Judex vicissim audire partes, & dare terminos in utraque causa, & si unico contextu æqualiter inveniet processum compilatum, super utraque pronunciabit, ut docet additio ad *Marant. par. 4. dist. 7. in tit. an Judex sit conventionis, vel contrà. Abbas in cap. 1. eod. tit. & in cap. ult. de re judic.* unica ergo sententia Judex utrumque absolvit, vel condemnat.

Quandò verò reconventio non est facta coràm Judice primæ instantiæ, poterit fieri coràm Judice secundæ instantiæ, id est appellationis, ut docet *Speculat. in titulo de reconventione, §. nunc videamus.*

Secunda conclusio est, quòd reconventio potest intentari coràm Judice conventionis, *l. 2. §. sed. si agant, ff. de judiciis*, & procedit reconventio, licèt dictus Judex esset electus, & deputatus tantùm ad personam agentis. quia tunc, si potestas sit tributa ab eisdem partibus, poterit procedere in causa reconventionis.

Declara tamen prædictam conclusionem, quòd conventus super proprietate rei coràm uno Judice, non possit reconveniri super possessione coram alio, aut è converso, coràm eodem enim conveniendus est, sivè duret, & pendeat primum judicium, sivè sit finitum; *glos. in cap. fin. de judiciis*, quod tamen tunc est verum, quandò idem Judex competens est, & Jurisdictionem habet in utroque casu, secùs autem, si non sit competens, quia forsitan non habet Jurisdictionem in secunda causa, in qua is, qui erat reus in prima, agit, ut actor, quia tunc is, ità conventus super proprietate, poterit alium convenire super possessione, aut è converso coram alio Judice competente, & hoc sivè judicium pendeat, sivè sit finitum, ità *Gabedus decision. Rotæ Lusitaniæ 32.* ubi multa cumulat ad hanc materiam.

*In §. de Arbitris.*

COnclusio hujus textûs est, quòd reconventio non potest fieri coram arbitro, nisi adsit voluntas ambarum partium, quia, cùm compromissum fiat voluntariè, reus sibi ipsi imputare debet, quare hoc non expresserit in compromisso. *cap. cùm dilectus de arbitr.* quòd si sumus in arbitris juris, qui scilicet eliguntur vigore alicujus statuti, ut in Regno nostro, in quo vigore pragmaticæ *odia litium*, omnes causæ inter conjunctos usque ad quartum gradum compromittuntur, tunc etiam coràm talibus arbitris poterit fieri reconventio. *Abbas, & alii ubi suprà, Menoch. de arbitr. Jud. lib. 1. q. 44.* qui latè examinat hanc materiam.

*In §. Interdùm, & sequent.*

PRima conclusio horum jurium est, quòd si quis coràm Judice laico conventus sit, non potest reconveniri in causa, in qua Judex ille laicus cognoscere non potest, veluti de causa juris patronatûs, *cap. si diligenti, cap. ex tenore de foro competenti, cap. quantò de judiciis.*

Secunda conclusio horum jurium est, quòd excommunicatus, si citatus fuerit, in judicio poterit comparere, verùm non poterit alium reconvenire. quia reconventio sapit naturam agendi, quod ab excommunicato fieri non potest, *cap. penult. de sent. excommunic. cap. 1. de except.* poterit verò replicare per viam compensationis, *cap. cùm inter*, ubi *DD. de except.* nam recompensatio est species solutionis, *l. si debitor, ff. qui potior in pignor. habeantur.*

*In §. illis quoque.*

AGitur hîc de causis, in quibus concedatur reconventio. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd reconventio denegatur in omnibus casibus, in quibus proceditur Judicis officio, ut in Apocha Banchi recognita, vel probata per testes, ut in simili docet *Avendanus de exequendis mandatis par. 2. cap. 30. num. 6.* latè *Galluppus in praxi par. 2. cap. 14.*

Secundo non habet locum reconventio, quandò una causa esset Summaria, alia verò plenaria, quod intelligitur quantùm ad effectum simultaneum processûs, quia in hoc casu potest primo loco expediri ea causa, quæ breviorem desiderat dilationem. *Mastrillus dec. 41. Novarius in praxi de electión. & var. fori.*

Tertio non procedit reconventio in causa feudali intentata coràm Paribus Curiæ, quandò de re non feudali in reconventione tractatur. *Minsingerius cent. 1. resol. 100.*

Quarto, non habet locum in omnibus causis executivis. *Cavalcanus dec. 18. par. 2.* sicut nec procedit reconventio, quandò agitur non in forma judicii, puta si petitur aperiri testamentum, & similia DD. citati.

Quinto, non procedit reconventio, si agatur criminaliter, & reconventio fiat pro causa civili: nisi ageretur ratione interesse, quandò verò probaverit quis se innocentem, tunc admittitur reconventio ab eo, qui criminaliter conventus fuerat, *cap. 1. & 2. 3. quæst. 2. Maranta loco citato, Pragmatica Regni* incipiens *Legislatoris sub titulo de accusat.*

Sexto, non procedit reconventio in causa Capitulorum Regni, quandò scilicet agitur pro turbatione in possessione, ità decisum in S. C. testatur, *Anna singulari 432.* neque in judicio manutentionis, ut decisum docet idem *Anna singul. 433.* legas *Riccium collect. 112. per totum.*

Ultimo, aliis omissis, non procedit reconventio in causa depositi: depositum enim ob particulare privilegium habet, ut statim sit restituendum. *cap. bona fides extrà de deposito, DD. ubi suprà.* legas in hac

materia

materia *Riccium collect.* 112. & 1159. & 1969. & 2287. & 2753. ubi multa cumulat ad hanc materiam.

## TITULUS X.

### De Restitutione Spoliatorum.

VIsum est suprà, in quibus causis locum habeat reconventio, verùm quia in causa spolii non habet locum, quia spolium solet frequenter accidere, meritò ponitur hic titulus de restitutione spoliatorum, ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, quòd restitutio est repositio alicujus in statum pristinum, *l. restituere, ff. de verb. signific.* quia per eam ponitur quis in possessionem illius rei, qua violenter fuerat spoliatus, quæ restitutio diversa est, prout diversus est actus, quo quis restituitur, ut colligere licet ex tit. *ff. & C. de sententiam passis, & ex tit. de in integrum restitutione, & ex tit. nostro in decretalibus, de restit. spoliat.*

Sciendum secundo est, quòd violenter spoliatus sivè sit spoliatus per vim ablativam, quæ cadit in rebus mobilibus, ut in *titulo de vi bonorum raptorum*, sivè sit spoliatus per vim expulsivam, qua quis expellitur de aliquo loco. *ut in tit. C. undè vi.* (Datur, etiam vis compulsiva, quæ non habet locum in hac materia, cùm per vim compulsivam, compellatur quis aliquid facere, ut in *titulo extrà de his, quæ vi metûs-vè causâ fiunt*) semper est restituendus, dummodò, verè constet de spoliatione. Secundo, quòd sit facta violenter vi expulsiva, vel ablativa. Tertio requiritur, quòd tempore spolii spoliatus possidebat, quibus positis statim restituendus est, quandò est spoliatus possessione, vel etiam quasi-possessione, quæ in rebus incorporalibus consideratur, *Franciscus Niger controvers. juris par. 2. contr.* 380. *Riccius collect.* 3421. & *collect.* 2236. ubi latissimè agit de hac materia: principale verò requisitum probandum est primum extremum possessionis tempore spolii, *Bald. in l. 4. ff. de acquir. poss.* nec sufficit id probare per conjecturas, & præsumptiones, ut docet *Armandus dec. 3. de acquir. poss. Rota Romana dec.* 165. 328. & 357. in antiquis verò sufficiens est probatio per famam. *Puteus dec. 78. lib. 1. Ricc. dec.* 3715.

*In §. Is quoque cum sequenti.*

COncluditur hîc, quòd spolium intentans non potest reconveniri ad adversario suo, nisi anteà restituatur, *cap. Reintegrandæ 3. q. 1.* quamobrem si Clericus agat contrà alium, dicens de possessione sui beneficii fuisse violenter ejectum, & adversarius per viam reconventionis dicat, clericum illum non fuisse canonicè electum, tunc priùs agendum est de violentia, quàm de Canonica institutione, nam spoliatus antè omnia restituendus est, *c. in literis eod. tit.*

Adverte tamen primo, quòd, quandò quis est spoliatus, adversùs spoliantem non solùm potest intentare interdictum recuperandæ possessionis, sed etiam agere civiliter, si facta sit violentia cum armis. *l. 1. & toto titulo, C. ad l. Juliam de vi publica*, quòd si spolium fiat sine armis, convenitur spolians actione, *legis Juliæ de vi privata*, per quam amittit tertiam partem bonorum, privatur dignitate, & efficitur infamis, ut habetur in *§. item lex Julia de publicis judiciis.*

*In §. sed & si.*

COnclusio hujus textus est, quòd spolium quomodocùmque proponatur, id est sivè per viam actionis, sivè per viam exceptionis, semper spoliatus est antè omnia restituendus, *cap. reintegrandæ 3. q. 1. cap. frequens hoc titulo cap. pastoralis de sequest. possess. & proprietatis.*

Hoc autem remedium habet etiam singularis successor, *Rota Romana apud Cardin. Puteum dec. 176. lib. 2.* immò datur etiam contrà possidentem titulo, ut declarat de communi *Ripa in cap. sæpè de restit. spoliat.* etiamsi possessor bonæ fidei titulum à non vitioso actore habeat, ut latè *Thesaurus dec. 29.* qui tamen moderat sententiam prædictam non procedere, quandò tertius possessor ex titulo, & bona fide possidet per decem annos inter præsentes, quia tunc excluderet agentes remedio *tex. 1. in d. c. reintegrandæ.*

Habent etiam laici in Regno nostro plura remedia conservatoria contrà violenter turbantes aliquos in possessione, & quidem primum remedium datur Vassallis adversùs Prælatos Ecclesiæ indebitè molestantes eorum Vassallos, quo casu poterunt Judices laici mandare, ut Prælati desistant à molestia, & hoc nedùm procedendo per juris remedia, sed etiam de facto ut in *cap. Regni ad regale fastigium*, quòd si turbans sit Clericus, potest Judex mandare, ut desistat à molestia, etiam imponendo pœnam, ut in *cap. Regni Judicis, ac Præsidentis.*

Secundum remedium conservatorium pro laico contrà Clericum habet locum, quandò laicus molestatur à clerico: quia tunc potest Judex laicus facere mandatum, ut clericus desistat à molestia, ut in *c. Regni charitatis affectus.*

Tertium remedium conservatorium est pro clerico contrà clericum, quandò enim clericus alium clericum turbat, & molestat, Judex laicus cognoscere potest, ut in *cap. Regni finis præcepti charitas. Afflictus dec. 24. per totam.* qui etiam addit, quòd Judex laicus per viam extraordinariæ defensionis procedit in secundo, & tertio remedio conservatorio, præstando charitativum subsidium, non verò per viam cognitionis ordinariæ, quia est Judex incompetens, *c. si diligenti de foro competenti. Afflictus d. dec. 24.* qui addit, hoc casu debere fieri citationem per edictum contrà quoscumque sua interesse prætendentes ad dicendum, & allegandum quicquid voluerint, & ad videndum testium producendorum juramenta, & si per notorium facti, & rei evidentiam apparebit querelantem injuriatum, sivè spoliatum fuisse Præsidiali officio, præstanda est ipsi spoliato, ut suam possessionem recuperet, quia Rex in suâ coronatione præstat juramentum defendendi, & protegendi personas Ecclesiasticas, *Clem. 1. de Jurejuran.*

Ut autem hæc remedia capitulorum Regni locum habeant, requiritur ut agatur de spolio violento, si enim violentia non adsit, tunc procedi non poterit vigore, *c. Regni. Francus decis. 701. Anna alleg.* 7. quandò autem adest violentia, tunc etiam unum Monasterium contrà aliud Monasterium potest intentare prædictum remedium capitulorum Regni. *Afflictus ubi sup. Ricc. collect.* 1556. Quòd si mulier turbata sit in possessione fundi dotalis, tunc tale remedium intentare poterit. *Afflictus dec.* 363. legas multa in hac materia, penès *Reg. Tapp. in d. c. finis præcepti charitas*, & *Rovit. in Commen. ad prag. de conservatoriis.*

*In §. fructus quoque.*

COnclusio hujus textûs, est, quòd quandò intentatur remedium, d. cap. reintegrandæ contrà spoliatorem

*torem*, tunc restitui debent etiam fructus: immò nedùm fructus percepti, sed qui percipi potuissent, restituendi sunt, *cap. gravis eod. tit.*

An verò, si agatur contrà tertium bonæ fidei possessorem, condemnetur hic tertius etiam ad fructus à die motæ litis, quæstio est? communis tamen sententia est, quòd si possessor sit bonæ fidei, non teneatur ad fructus, nisi à die motæ litis: si verò erat malæ fidei, tunc tenetur à principio captæ possessionis, ità *Thesaurus junior in addit. ad ejus genitorem dec.* 29.

Quia verò fructus diximus esse restituendos, meminisci oportet, fructus alios esse naturales, qui scilicet producuntur, & specificantur à natura, & parùm, vel nihil in eis operatur homo, ut sunt poma, nuces, &c. alii fructus sunt industriales, qui specificantur ab homine, ut vinum, oleum, & similia; alii sunt fructus civiles, qui vocantur à legibus fructus per quandam similitudinem, ut sunt census, introitus, & aliæ exactiones.

Dividuntur etiam fructus, quòd alii sint pendentes, alii à solo separati. His positis,

Dico, quòd spolians omnes fructus tenetur restituere, sivè sint fructus pendentes, sivè à solo separati & etiam fructus, qui percipi poterant, & spolii occasione non sunt percepti, *d. cap. gravis de restit. spoliat. & in cap. sæpè eod. tit.* omnes fructus consumptos, & non consumptos dicitur restituendos esse.

*In §. Nec restitutionis cum sequenti.*

Conclusio hujus textûs est, quòd non sufficit sola sententia, qua quis condemnetur, ut spolium tollatur, sed requiritur realis restitutio, qua scilicet spoliatus recuperet naturalem possessionem, quæ consistit in corporali apprehensione, & restitui debent omnia ipsi spoliato in eo loco, ubi facta fuit spoliatio, quæ per dolum, sivè per violentiam facta sit, vel alia quacumque injusta causa, *cap. reintegranda* 3. *q.* 1.

Ampliatur quòd si spoliator conveniat spoliatum criminaliter, & actor commiserit spolium, potest contrà actorem opponi exceptio spolii: quandò verò spolium à tertia persona commissum sit, obstabit etiam eidem exceptio spolii, quamvis ab actore ipso spolium factum non fuerit, *cap.* 1. *eodem titulo in* 6.

Quandò verò actor agit civiliter, tunc spoliatus opponere potest exceptionem spolii, si ab ipso actore fuerit spoliatus, non autem si ab alio, *cap. frequens de restitut. spoliat. in* 6.

In utroque tamen casu, & semper quòd spolium opponitur, sivè per modum exceptionis, sivè per modum actionis intentatum sit, statim terminari debet, *cap. cùm Ecclesia, cap. cùm super de elect.*

*In §. Sed hæc.*

Conclusio hujus textûs est, posse spolium opponi per modum actionis, vel per modum reconventionis.

Exemplificatur spolium per modum actionis, quandò Titius agit contrà Seium, ut sibi restituat possessionem, qua eum Seius spoliavit, Titius statim restituendus est, *cap. sæpè hoc tit.*

Exemplificatur spolium per modum reconventionis, quandò Titius Seium spoliavit, posteà convenit spoliatum, sed spoliatus reconvenit eundem Titium de spolio, & utraque causa una sententia terminari debet, *cap. cùm Ecclesia de causa possess. & propriet.* & sic per eandem sententiam Judex condemnabit Titium ad restituendum, & Seium ad id, quod Titio debet, ut benè *glossa & DD.* hìc.

Potest tertio loco opponi spolium per modum exceptionis, puta si Titius convenit Seium ad centum, Seius verò excipit contrà ipsum de spolio, erit Seius antè omnia restituendus, *cap.* 1. *de exception. cap. ultimo de ordine cognitionum.*

*In §. Spoliatus cum sequenti.*

Conclusio horum jurium est, multos dari casus, in quibus spolium committitur, licèt tale non videatur.

Primus casus est, quandò Judex auctoritatem dat, ut fiat spolium, quia hac auctoritate non obstante, statim erit restituendus spoliatus, non enim excusat à spolio auctoritas Judicis, *Bellamera dec.* 105. debet autem probari per spoliatum, quòd non processit Judex judicialiter, quia alioquin præsumeretur judicialiter processisse, & sic spolium non committitur, in dubio enim præsumitur pro Judice, ex quo processit in figura judicii, & non fuit appellatum, ut notant *DD. in cap. quoniam contrà de probat. & in cap. cùm in jure de officio delegati.*

Quod à fortiori procedit, quandò Judex ordinans spolium, esset incompetens, ut per *DD. in cap. conquerente eodem titulo*, vel si decretum, quod pronunciavit, nullum erat, *d. cap. conquerente, cap. causam matrimonii;* ubi *DD. de offic. delegati, & cap. cùm causam eodem tit.* ubi notat *Abbas*, quòd hoc casu posset condemnatus de facto resistere adversùs executionem sententiæ nullæ, immò ingrediens possessionem vigore sententiæ nulliter latæ parte non audita sine causæ cognitione, privatur jure suo, *l. meminerint, C. undè vi, l. fin. C. si per vim, vel alio modo;* est enim in lata culpa, qui utitur sententia nulla, *Card. Puteus dec.* 1183. *par.* 1.

Ex quo infertur, quòd spoliare dicitur Judex, qui dat immissionem contrà non citatum, *Felynus in cap. cùm dilectus il.* 2. *de rescriptis, Rota Romana* apud *Cavalerium dec.* 328. *& dec.* 359. *&* 531. Hoc totum procedit in eo, qui per alium spoliat, *cap. cùm ad sedem eod. tit.*

*In §. Illud cum sequenti.*

Conclusio hujus textûs est, quòd renunciatio spolii, facta à spoliato, non valet præsertim quandò renunciavit is, qui erat minor, *cap. si annum de judiciis in* 6. secundo, quandò fit renunciatio in manibus non legitimi superioris, tunc non valet, & adhuc potest petere restitutionem, *cap. Sollicitè eod. tit.* quandò autem renunciatio spolii fieret antè spoliationem, tunc valeret renunciatio, nec posset agere ad spolium, *cap.* 2. *eod. tit.* ubi, si post spoliationem sit facta renunciatio, non valet, sed potest peti restitutio.

Declaratur conclusio, ut si testes jurent de renunciatione facta post spolium, non purgatur vitium spolii, & spoliatus poterit restitui, quia non censetur facta liberè, sed ex timore, & ex metu, *Paulus* hìc *in glossa*, & addit *Abbas in d. cap.* 2. quòd valeret pactum factum de non agendo pro spolio.

*In §. Sunt, & alii cum quatuor sequentibus.*

In his juribus limitatur regula suprà tradita, quòd spoliatus sit antè omnia restituendus, &

Primo limitatur, si renunciavit antè spolium ut suprà.

Secundo, quandò excipit spolians contrà spoliatum de spolio priùs facto, *cap. ult. de ord. cognitionum.*

Tertio

Tertio, si spoliatus consentit fieri spolium, & ideò de hoc protestari debet spoliatus, *Cepolla cautela* 28.

Quarto, quandò spoliatus per confessionem suam confessus est, spoliantem habere dominium in re, ubi fuit factum spolium, *Abbas in cap.* 1. *extrà hoc titulo.*

Quinto, quandò per publicum instrumentum constat de dominio spoliantis, *Capycius dec.* 27 *&* *dec.* 171.

Sexto, quandò spoliatus antè postulationem restitutionis succubuit in petitorio, quia tunc non est restituendus, *cap. cùm super, cap. cùm Ecclesia de causa possess. & propriet.*

Septimo, quandò spoliator est absens, quia tunc datur tempus, quo possit redire, & se præsentare, *cap. consultationibus de officio delegati:* dummodò non sit absens dolo, vel contumacia, ut in *§. Item si hujus tituli.* Qui autem petit restitui, notat *glossa* hîc quòd duo probare debet, nempè quòd possedit, & quòd fuit spoliatus, *cap. olim eodem tit. cap. causam, qui filii sint legitimi.*

Octavo, non est antè omnia restituendus spoliatus, quandò juris præsumptio militat pro spoliatore contrà spoliatum, ut hîc in *§. Quinimò cap. fin. eod. tit. in* 6. ut si quis poscat, se restitui ad decimas, quas possedisse dicit intrà alienæ parochiæ limites, quia hoc casu adest præsumptio contrà eum, cùm de jure decimæ illi parochiæ debeantur, in cujus territorio prædia sita sunt, *cap. cùm Ecclesia, cap. si constiterit de accusat.* In beneficialibus enim juris præsumptio impedit restitutionem, *Geminianus in cap. fin. eod. tit. Rota dec.* 440. *glossa* hîc.

Nono, non est antè omnia restituendus spoliatus, quandò est hæreticus, vel alius, qui possidere non potest, *cap. quo jure 8. dist. cap.* 1. 23. *q.* 7. quod intellige etiam in crimine, quod inducit privationem beneficii ipso jure, *Abbas in cap. item cùm quis eodem tit.*

Decimo denegatur restitutio, quandò adesset periculum animæ, vel timeatur scandalum, vel si esset spoliatus excommunicatus, quia est priùs absolvendus, *cap. intelleximus de judiciis.*

*In §. Postremò.*

Conclusio hujus textûs est, quòd in petitorio, cùm scilicet agitur de proprietate rei spoliatæ, debet spoliatus audiri etiam in possessorio, si non sit renunciatum spolio, antè petitorii sententiam, quandò verò esset renunciatum, tunc non est audiendus, sed lis terminari debet, lege textum hunc, *& in Clem. unica de causa possess. & proprietatis.*

---

## TITULUS XI

### De litis Contestatione.

Visum est suprà de judicio incœpto, quod suum sortitur initium oblatione libelli, citatione partium, exceptionum, & replicationum propositione, mutuis petitionibus, &c. Verùm quia his propositis incipit forma judicii per litis contestationem, meritò ponitur hic titulus de litis contestatione Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd litis contestatio est negotii principalis hinc indè apud Judicem facta narratio, & subsequens responsio: cùm enim actor proponit suas rationes apud Judicem, interrogat Judex reum, qui respondit: & in hoc consistit formalis ratio judicii, *Abbas in cap.* 1. *extrà eodem titulo & in cap. cùm causam de juram. calumniæ, cap. pastoralis de judiciis:* quandò verò quis convenitur in judicio & non venit post sibi datum terminum, datur officium Judicis contrà illum, ut prosequatur litem, *cap. quoniam frequenter, §. in aliis, extrà ut lite non contestata.*

In Regno verò nostro oblato libello, citatur pars, quæ respondet, & datur terminus ad probandum, *pragm.* 1. *de ord. Judic.* etiamsi talis terminus datus esset in contumaciam, *Francus dec.* 457. *Regens Rovitus in d. pragm. num.* 10. non tamen est ita necessaria litis contestatio de jure Regni nostri, quasi quòd, si omittatur, processus sit nullus, *Afflictus dec.* 283. *Riccius collect.* 42. *par.* 2.

Sciendum secundo est, quòd litis contestatio fieri potest tàm per principales partes, quàm per alios nomine ipsorum. *cap. cùm ad sedem de restit. spoliat.* quòd si lis sit contestata, & per Advocatos deindè fiat responsio, tunc talis responsio, partibus præjudicat, *cap. pastoralis de judiciis, cap. olim de censibus.*

*In §. Igitur.*

Agitur hîc de effectibus litis contestationis, & omissis variis, de quibus *Maranta in praxi in titulo de litis contestatione par.* 6. *memb.* 10. *Riccius collect.* 404. *par.* 2.

Primus est, quia interrumpitur præscriptio, ut usucapio, cùm ponatur possidens in mala fide, *l. mora, C. de rei vend. l. sicut ubi DD. C. de præscrip.* 30. *vel* 40. *ann. l. naturaliter, ff. de usucapion.* verùm usucapionem interrumpit in beneficium interrumpentis solùm, *Borrellus in summa dec. in tit. de litis contestatione num.* 3. *& seq.*

Secundus effectus est, quia præcluditur via exceptionibus dilatoriis, *cap. inter Monasterium de sent. & re jud.* undè non potest recusari Judex, ut suspectus, quia per litis contestationem consentiunt in Judicem, *Speculator in tit. de recusat.*

Tertius effectus est, quia post litis contestationem non potest mandatum procuratoris revocari nisi in certis casibus, de quibus *in l. post litem, & seq. ff. de procurat. cap. quamvis de procurat. in.* 6. *Riccius collect.* 1132. Hinc in praxi etiam mortuo principali post litem contestatam cum procuratore jam effecto domino litis, terminatur judicium in damnum, vel utile hæredis, per *textum in l. nulla dubitatio, C. de procur:* sic practicari in S. C. docet *Freccia de subfeudis lib* 3. *fol.* 262.

Quartus effectus, quia removetur facultas offerendi, undè si per M. C. V. feratur sententia assistentiæ super aliqua domo, vel fundo, & dicatur ut ipsa præstita apprezientur, & ipsius appretiatis adjudicentur, non poterit debitor offerre debitum, & petere cessionem, qua de re legas *Afflictum decis.* 187. *per totam.*

Quintus effectus est, quia licèt debitor possit debitum, quod debet in pecunia, solvere in aliqua specie, tamen, quandò super petitione illius passus est debitor litem contestari, non potest id facere, *Bart.* qui sic respondit *Consultus in l. item veniunt, §. idem rectè, ff. de petit. hæredit.* quod non procedit, quandò talis facultas lata esset à lege, sed ab homine, nam si lata esset à lege, utique etiam post litem contestatam id posset facere debitor, *Jason cons.* 128. *vol.* 4.

Sextus effectus est, quia si aliqua res animata debeatur, & peritur, si post litem contestatam perimat, debentur fructus ab eo, qui est conventus: *l. si homo, ff. de re jud.* dummodò non habeat justam causam litigandi, ut dicit ibi *glossa*, quia si justam habuit litigandi causam, non est in dolo, & consequenter non potest dici fecisse moram, ut explicant *Cagnolus, Decius*, & alii in *l. qui sine dolo ff. de reg. juris:* quandò verò dicatur quis habere justam litigandi causam, explicat *Menoch. de arbitr. jud. lib.* 2. *casu* 177.

Advertte tamen, quòd si post litis contestationem fiant

fiant interrogationes, puta si petatur, quòd reus declaret si est hæres, non tenetur respondere, nisi formetur petitio, ut docet *Gapycius dec.* 97. *in fine.*

### *In §. Admonendi.*

POnitur hîc alius effectus litis contestationis, ut scilicet antè eam non possint recipi, & examinari testes, nec ad sententiam deveniri. Quod tamen limitat Paulus. Primo, si timeatur mors testis, puta si esset mulier prægnans, vel si quis esset peregrinaturus, vel aliter arbitrio Judicis, *glossa, & DD. in cap. quoniam frequenter, ut lite non contestata*, vel si metuatur longa absentia, quod procedit in causa civili, nam in criminali nunquàm recipiuntur testes, nisi lite contestata, quia ageretur de magno præjudicio, *DD. in d. cap. quoniam frequenter. Menochius de arbit. jud. casu* 62.

Tandem adverte, quòd, quandò quis vult examinare testes, deber citare partem ad videndum juramenta testium. *Abbas in d. cap. quoniam frequenter*, & habet annum post examen ad prosequendum; qui annus est continuus, *cap. quadragesima de consecr. dist.* 5.

### *In §. Sunt, & alii.*

AGitur hîc, in quibus casibus litis contestatio non requiratur, &

Primus est, quandò petitur, ut declaretur an aliquis inciderit in canonem excommunicationis latæ sententiæ ob violentam manuum injectionem in clericum, juxtà *textum in cap. si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4. *Bellamera dec.* 361.

Secundus casus est, quandò agitur de liquidatione publici instrumenti, cùm in hac causa ordo judiciarius non exigatur, *Galterius de execut. instr. q.* 14. *num.* 32.

Tertius est casus, quandò agitur de causa hæresis, *cap. fin.* ubi *DD. de haret in* 6. *Simancas cathol. instit. titulo* 64. *num.* 23.

Quartus est casus, quandò agitur de causa depositi, *Abbas in cap. quia propter de elect. Vivius dec.* 191. *n.* 6. nec in causa matrimoniali, *Rota Romana dec.* 402.

Quinto, quandò agitur de sententiis interlocutoriis, & in sententiis censuræ, quia in his proceditur absque litis contestatione, *glossa in d. cap. quoniam frequenter, vel in causis summariis, Clemen. dispendiosam de judic.*

Sexto non requiritur, quandò jus agendi dirigitur Judici tantùm, & non contrà certam personam, ut exemplum est in *Auth. qui semel, C. de litis contestat.* si scilicet actor opposuit actionem, & postea se absentavit, quia tunc Judex, præsente reo, procedit in causa absque litis contestatione. Intellige, quandò actio ad publicum commodum proponitur, tunc enim supplet Judex ex officio suo, quod officium datur de æquitate etiam, ubi deficit actio partis, qua de re *Felynus in cap.* 2. *de officio Judicis*; quod officium Judicis, si exerceatur ad petitionem partis, vocatur officium Judicis mercenarium, quandò verò exercetur à Judice absque alia petitione partis, vocatur officium Judicis nobile, *glossa, & DD. in l.* 1. *ff. de. jurisd. omn. jud. Abbas*, & alii, *in cap. ad sedem de offic. ordin.*

## TITULUS XII.

## DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

TItulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est suprà de litis contestatione, verùm, quia post litis contestàtionem, antequàm deveniatur ad probationes, datur utrique parti juramentum calumniæ. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd juramentum calumniæ, est primus actus, qui sequitur in judicio post litis contestationem, & definitur, ut sit juramentum credulitatis, quod præstant litigantes de conscientia, & bonitate causæ, quam habere opinantur, *l.* 2. *C. eodem. Maransa in praxi par.* 6. *de juram. num.* 26. quod juramentum, vel præstatur à principio per partes, cùm scilicet actor, & reus post contestationem litis jurant de calumnia; *cap.* 1. *& penul. de juram. calumnia*, vel præstatur in specie super aliquo actu post conclusum in causa.

Cùm verò tale juramentum præstatur ab actore, tunc actor tenetur probare; Primo, quòd non animo caluminandi movet litem, sed putans bonam habere causam. Secundo, quòd sit responsurus in omnibus, in quibus erit interrogatus: Tertio, quòd non sit usurus falsa probatione. Quarto, quòd non sit corrupturus Judicem, neque tabellionem. Quinto, quòd non sit petiturus calumniosam dilationem. *Speculator in tit. de juram. calumnia, & DD. citati.*

Si verò hoc juramentum calumniæ præstatur à reo, tunc tenetur reus jurare, quòd putat bonam habere defensionem, & quòd provocatus venit in judicio, *l.* 3. *C. de juram. calumn.* cum *authentica* ibi posita. Quòd si illud actor præstare noluerit, tunc cadit à causa: Si verò illud reus præstare noluerit, ut confessus condemnabitur, *Auth. principales, vers. si quis autem, C. de jur. juran propter calumniam*; quòd si sit præstitum, tunc ejus effectus est, ut arceantur litigantes à calumniis, & ideò ità jurans excusatur à præsumpta calumnia, non tamen excusatur ab expressa calumnia, *Bart. in l. si quis, ff. ad Senat. Cons. Turpill. Maranta ubi suprà.* Cùm verò dicimus, quòd actor non præstans juramentum calumniæ, cadit ab actione, id intelligitur per sententiam condemnatoriam, DD. communiter *in cap.* 1. *de confessis.*

### *In §. Hoc tamen.*

COnclusio hujus textûs est, nón posse clericos jurare in tribunalibus sæcularibus, nisi de Prælati licentia, undè deponere non potest clericus coram Judice laico contrà laicum sine Episcopi licentia, seu Superioris, *cap. super prudentiam, §. potest*, ubi *glossa* 14. *q.* 2. *cap. testimonium*, ubi *DD.* 11. *q.* 1.

Sic pluriès decisum docet *Riccius dec.* 61. *par.* 2. Sic servari in praxi docet *Farinaceus de testib. q.* 61. *num.* 83. *& Genuensis in praxi Archiepiscopali cap.* 36. quia testis absque juramento recipi non potest, *cap. nuper de testib.* sed clericus sine licentia sui Superioris jurare non potest, *cap.* 1. *& fin. de juram. calum.* ergo.

Ampliatur hoc etiam in causa criminali, in qua ut procedant clerici, & examinentur contrà laicos, opus est Episcopi licentia. *d. c. nullus ii, q.* 1. *Carav. in ritu* 144. *Farinaceus ubi suprà*. sic fuisse decisum, docet *Episcopus Genuensis in prax. cap.* 36. Hinc est, quòd licentia, quæ ab Episcopo datur clerico deponenti in Curia sæculari in tali causa, solet

dari

dari cum hac clausula, dummodò non deponat super articulis concernentibus criminalitatem, infamiam, &c. *Episcopus Hieracensis in disquis. cleric. in tit. de clerico teste, §. 2. nu.*50. de qua licentia constare debet, & apparere in actis. *Crotus in tract. de testib. conclus.*49. *Episcopus Hieracensis ubi sup. Ricc. dec.*61.

Ampliatur etiam in Clericis in minoribus, quia nedùm constituti in sacris sed etiam in minoribus repelluntur à testimonio ferendo coràm Judice laico contrà alium laicum sine Episcopi licentia. *Farinaceus de testib. d. q. 61. nu. 59. Riccius loco cit.* Ratio est, quia, si testimonium diceret in causa criminali, & postmodùm sequeretur mors, vel mutilatio, incideret in pœnam irregularitatis, *cap. sententiam sanguinis ne Clerici, vel Monachi. Clarus in §. fin q 27. nu.*8.

Quandò verò quis in criminalibus deponeret, ut testis cum protestatione citrà pœnam sanguinis, evitaret pœnam: sicut eam evitat, quandò accusat cum tali protestatione, quia non est major ratio, cur in accusatione liberetur, secùs in depositione, quia cùm concedatur accusatio cum tali protestatione, erit etiam concedenda depositio per viam testimonii, ità contrà *Felynum in cap. de cætero de homicidio. Martam de jurisdict. par. 4. casu* 136. *nu.* 9. *Julium Clarum in d. §. fin. q.* 24. *nu.* 7. & alios docet *Coninchus, Joannes de la Crux: & alii*, quos refert, & sequitur *P. Diana par. 4. tract. 2. de irregul. dub.* 32.

Ampliatur tertio, ut si de facto Clerici deposuerint contrà laicum in causa criminali, eorum testimonium non probet, neque faciat indicium ad torturam. *Farinaceus ubi sup. nu.* 61. Ratio est, quia quandò quis rejicitur à testimonio ferendo, si deindè examinetur contrà juris dispositionem, neque indicium inducit. *Bald. & alii* quos adducit, & sequitur *Farinaceus ubi suprà num.* 61.

Quandò verò Clericus deponit de facto sine Superioris licentia in causa civili, tunc tenet depositio *Farinaceus ubi suprà Card. Tuschus litt. C. conclus.* 59. *Joannes Vincentius de Anna sing.* 182.

In testamentis verò possunt Clerici esse testes sine Episcopi licentia. *Ricc. & Farinac. ubi sup.* & respondent ad *tex. in d. cap. super prudentiam, §. potest.* 14. *q* 2. textum illum potiùs procedere de honestate, quàm de necessitate. *Caravita in ritu* 144. *Episcopus Genuensis, & Ricc. loc. cit.*

*In §. sed quo casu.*

CONclusio hujus textûs est, quòd quandò personæ Ecclesiasticæ jurant, debent jurare in pectore, non verò tactis scripturis: laici verò tactis scripturis jurare debent, aliàs juramentum eos non obligat in foro fori. *cap. presbiter*, ubi notatur 2. *quæst.* 4. *Thesaurus dec.* 47. *cap. si quis presbyter* 2. *q.* 5. *cap fin. de jurejuran. Carolus de Grassis de effect. cleric. effect.* 36. Ratio hujus rei, quare scilicet Clerici jurant tacto pectore ea est, quia manus quibus Corpus, & Sanguis Christi tractatur, non debent pollui juramento, & licèt de *Grassis ubi sup.* dicat, Clericum jurare debere tactis Evangeliis, tamen in praxi non servatur, nam semper jurant tacto pectore.

*In §. in causis cum sequenti.*

COnclusio hujus textûs est, quòd licèt olim in causis spiritualibus non juraretur de calumnia, tamen hodie juratur, undè in omnibus causis juramentum hoc præstatur. *cap.* 2. *eod. tit. in* 6. *c.* 1. *in fin. eod. lib.*

Ampliatur conclusio, ut non solùm teneantur jurare principales, verùm etiam tenentur jurare procuratores; quandò verò Procurator jurat pro Domino, requiritur speciale mandatum & si jurat proprio nomine, jurabit in animam suam: quandò verò jurat pro Domino, tunc jurabit in animam constituentis. *Maranta part. 6. de juramento calumn. num.* 8.

Ampliatur secundo, ut de calumnia jurari debeat etiam in causa appellationis, quia cùm causa appellationis sit diversa à causa principali, dùm in ea fiunt novæ probationes, & est diversus Judex & diversum Tribunal. *cap. 2. de consuetudin. in 6.* consequenter debet diversum præstari juramentum.

*In §. fin.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si juramentum calumniæ omittatur, non per hoc vitiatur processus. *cap. 1. ubi DD. de juram. calum. in 6.* quòd si juramentum hoc fuisset expressè petitum, tunc eo non præstito, vitiaretur processus, sic decisum in Rota Romana, docet *Cardin. Puteus dec.* 398. *lib.* 2. quòd si constaret ex actis clarè de bono jure illius, pro quo lata fuit sententia, tunc processus non vitiabitur, non obstante dicta omissione juramenti de calumnia, ut colligitur ex *Crescentio dec.* 63. *Ricc. collect.* 1231.

Ultimo loco adverte, posse hoc juramentum calumniæ expressè remitti per partes, quamvis enim id videatur prohibitum, ex *l.* 2. §. *sed quia veremur C. de jurejuran. propter calumniam*. tamen usu contrarium judicatum est. *cap. 1. §. 1. de juram. calumn. in 6.* & licèt dicant multi DD. remitti non posse hoc juramentum, per consuetudinem tamen contrarium receptum est, ut fatentur omnes: & quidem non sine ratione, quia quod privatorum conventione remitti potest, multò magis publica consuetudine remitti poterit, ut docent *DD. in l. de quibus ff. de legibus*, & ideò cùm consuetudine remitti possit. non est hodie in usu hoc juramentum, ex eo, quia facti sumus contemptores Dei, & Religionis ejus, ut docet *Bald. in l. cum post, C. de evict.* & benè dixit *Maranta loc. cit.* litigantes nostri temporis potiùs jurant de calumnia committenda, quàm omittenda.

## TITULUS XIII.

### UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

TItulus hic ad præcedentes sic continuatur, visum est suprà de juramento calumniæ, verùm quia eo præstito, & oblato libello inducitur pendentia litis re reducta in judicio, *cap. 2. ut lite pendente. Abbas in cap. ult. eod. tit.* meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd lis aut sumitur in genere, aut in specie; si primo modo sumatur, comprehendit omnem contentionem, etiam extrajudicialem; si verò secundo modo sumatur, tunc comprehendit contentionem judicialem, ut docet *Abbas in cap. sæpè de appellat. Sylvester in verb. bis in principio*, & dicitur lis à limite, quia ob limites venerunt lites in principio mundi, & definitur, ut sit contentio verbalis in judicio facta.

Sciendum secundo est, quòd lis pendere dicitur regulariter post citationem perventam ad partem. *Clem. causam de testibus. Clem. 2. ubi DD. eodem tit. ut lite pendente*: omnis enim citatio etiam facta in judicio summariissimo, inducit pendentiam litis, ut docet *Caccialupus in tract. de debitore suspecto & fugitivo q.* 15. *nu.* 50. licèt regulariter interdùm ultrà citationem requiratur litis contestatio. *Bald. in l.* 1. *C. commun. divid. Guido Papa dec.* 479. *Ricc. collect.* 817. *& collect.* 139. *par.* 1. *& par.* 4. *collect.* 225.

Scien-

Sciendum est tertio, quòd quicquid fit post litem cœptam, dicitur in fraudem: undè non potest una pars litigans aliquid innovare, & attentare lite pendente circà rem deductam in judicio; ut in toto titulo, *ut lite pendente*; & ratio est, quia à Judice est dirimenda, & decidenda controversia, & interim carent partes potestate aliquid faciendi. *l. si ità quis promiserit, §. 1. l. continuus ff. de verb. obligat.* immò nedùm prohibetur innovare quis rem, sed etiam modum, puta si intentaverit litem via ordinaria, nequit enim posteà agere via executiva, reo contradicente. *Gallesius de obligat. ad formam Cameræ par. 3. quæst. 2. num. 5. Suarez de Paz in praxi civili, & canonica par. 4. cap. 3. num. 31.* Ideò, si quis in judicio ordinario conveniatur, etiamsi pro instrumento quarentigiato molestaretur in alio foro, & coram alio Judice, poterit se tueri hac exceptione litis pendentiæ. *Angelus in l. cùm munus ff. de bonis auct. Jud. possid. Sessa dec. Aragoniæ 40. nu. 3. 1. vol.* in nostris tamen Tribunalibus in causis liquidationis instrumentorum, non adest tale impedimentum; ideò liquidatio fieri potest non obstante pendentia litis circà eandem rem coram alio Judice, ut ex novissima Pragmatica apparet; cujus meminit *Gallupp. in praxi S. C. par. 2. cap. 3. num. 6.* sicut etiam non obstat pendentia litis, quandò esset intentata via ordinaria, cum protestatione tamen, quòd viæ executivæ nullum fiat præjudicium, quia tunc permittitur variatio. *Giurba dec. Siciliæ 100. nu. 53.*

Sciendum est quarto, quòd si fiat aliquod de facto lite pendente, debet antè omnia revocari tanquàm attentatum, aliàs Judex poterit argui de injustitia. *Afflictus dec. 98.* etiamsi pars læsa non instaret. quia revocatio attentatorum ex officio à Judice fieri debet, *Gratianus dec. Marchiæ 70.* nisi tamen procederetur sola facti veritate inspecta, quia tunc revocanda non sunt, sicut nec sunt revocanda, quandò constaret notoriè de non jure petentis revocationem, & ex justa causa sit attentatum. *Gratianus dec. 68. num. 19. Vivianus in sylva com. opin. 77. nu. 10. par. 1.* quandò verò attentatum est aliquid præjudiciale circà id, quod principaliter agitur in judicio, & tunc est antè omnia revocandum, puta si esset occupata possessió rei deductæ in judicio. *cap. non solùm, ubi DD. de appellat in 6.* & non procederet opinio *Afflicti dec. 98.* Quòd si attentatum sit aliquod incidens, & non præjudiciale, & tunc non esset revocandum *Gallup. d. par. 2. cap. 3. num. 8.*

Sciendum est quinto, quòd lite pendente super potestate, nihil fieri potest. Ideò licèt habeat quis potestatem vigore contractûs ingrediendi possessionem propria auctoritate, ut latè docet *Intrigliolus cap. 2. per totum*, tamen, si pendeat lis super rescisione contractûs, pactum prædictum exerceri non potest, *Afflictus dec. 131.* sic hæres caret facultate disponendi de hæreditate, nec potest habere decretum præambuli lite pendente inter interesse prætendentes. *Mingdous decis.* sic pendente lite super suspectione stat in suspenso administratio, & officium exercitum. *Franciscus Marcus decis. Delphi. par. 1. dec. 654.* sic tutor pendente lite super suspectione tutelæ, non potest tutelam exercere, *l. quòd si fortè §. 1. ff. de solut. l. cum quem C. de suspect. tutor. Gaspar. Thesaurus lib. 3. quæst. forens. q. 85.* Quandò verò persona esset conjuncta pupillo, ut removeri non possit, tunc datur coadjutor, qui cum illo administrabit. *Bart. in d. l. quòd si fortè. Guctierez cons. 52. nu. 4.* ubi docet, qui debeat esse talis, coadjutor.

*In §. planè.*

Conclusio hujus textûs est, quòd fructus possunt sequestrari, si lite pendente dissiparentur, idem probat *text. in c. fin. de sequest. possess. & fructuum. l. ab executore, C. quorum appellat. non recipiantur.*

Ex quo collige, quòd licèt sequestrum omni jure sit prohibitum lite pendente, *d. l. unica, C. de sequestr. possess. & fruct.* ubi DD. cùm sit actus privativus possessionis à separando dictus, *glos. in d. l. unica*, & magnum præjudicium est lite pendente, commoda possessionis amittere, undè à lege prohibetur. *Anna singul. 323.* nam esset incipere ab executione. *l. 1. ff. de re judic.* tamen casu, quo fieret sequestrum, semper posset fieri quædam simplex annotatio bonorum, ut magis consultum sit agenti pro futura cautela. *Gallup. in prax. par. 2. c. 3. nu. 13.*

Adverte etiam, quòd lite pendente super aliqua re non potest illa, utpotè litigiosa effecta, alienari, aliàs nulla est alienatio, *l. fin. C. de litigiosis Constitutio Regni nostri* quæ incipit; *eorum fraudibus. Maranta in tit. de multiplici alienatione num 93.* latè *Peregrinus de Jure Fisci in tit. de litigiosis*, Verum tamen est, quòd si alienatio fiat lite pendente, seu ex aliqua urgenti, & necessaria causa, valeret, puta si pro causa dotis, donationis propter nuptias, redemptionis à carceribus, & aliis, de quibus *in d. Constit. Regni*, & ibi *Afflictus, & Regens Tappia*, item si res esset tempore peritura. *Visconte in suis communib. conclus. in verb. litigiosa res* item si ageretur de ampliatione Ecclesiæ, ut latè *Regens Tappia decis. S. C. 7.* latè *Thesaurus quæst. for. q. 64. lib. 1.*

Ex quo, cùm talis res sit invalidè alienata, poterit judicium, quod fuit inceptum contrà principalem, intentari etiam contrà tertium possessorem, in quem facta est alienatio, etiam dicto possessore non citato, lite pendente. *Afflict. decis. 395. num. 9.* dummodò talis tertius possessor non sit Clericus, quia tunc non potest Judex sæcularis exequi contrà ipsum sententiam, *Franc. 545. Gennensis in praxi Archiepiscop. cap. 75. Thorus in Compend. decis. in verb. litigiosa tom. 1.*

Pendente etiam lite multa permittuntur. Primo enim permittitur, ut uniantur acta; fit enim decretum a Præside S. C. quòd Actuarii hebdomadarii videant si est locus unioni, & uniantur, quia ubi lis cœpta est, ibi acta concernentia idem negotium sunt unienda. *l. ubi cœptum, ff. de judic.* nec continentia causæ dividi potest. *l. nulli prorsùs, C. eodem Afflict. dec. 359. nu. 12.* ubi addentes, & hæc unio procederet etiam respectu actorum, in quibus ageretur de instrumento quarantagiato, quia tunc posset opponi litis pendentia. Verùm in tribunalibus nostris si ageretur de liquidatione instrumentorum, hæc exceptio non obstat, ut in *Pragm. Excellen. Comitis Montis Rey 8. sub. tit. de instrum. liquid.*

Secundo permittitur lite pendente, ut denegetur solutio, quæ aliàs fieri deberet, denegatur verò ob dubium litis eventum. *l. si bonæ fidei. ff. de petit. hæred.* ubi DD. & ideò libertus pendente lite super libertate non tenetur Domino præstare servitia. *Bald. in l. cùm aliquis de jure delib.* sic Vassallus excusatur à præstandis Domino servitiis pendente lite super Domino. *Massullus ad Capycium dec. 69.* legas *Galluppum ubi sup. par. 1. c. 3. à nu. 38.*

*In §. sic etiam*

Conclusio hujus textûs est, quòd pendente lite super matrimonio, si aliquis secundum matrimonium contraxerit ritè & rectè, & posteà per sententiam fuit declaratum primum matrimonium non valuisse, secundum irritari non poterit sub prætextu, quòd fuerit

rit factum lite pendente, debet tamen dari pœnitentia contrahentibus, & durante pœnitentia interdicitur carnalis commixtio, si videbitur expediens, *cap. cùm in Apostolica de sponsalibus.*

## TITULUS XIV.

### De Probationibus.

Titulus hic ad praecedentes tali ordine continuatur. Visum est suprà de his, quæ fiunt antè causarum cognitionem, remanebat videre de his, quæ fiunt pro causarum cognitione, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd probatio, est legitima rei occultæ, vel dubiæ per aliqua extrinseca ostensio. *DD. in rubrica de probat.* quia verò sunt à legibus legitimi modi probandi inducti. de quibus addentes ad *Pragm. 22. de ord. Jud. Regens Tappia in Jus Regni hoc tit.* & latissimè *Mascard. hoc tit.* Ideò additur in definitione, est legitima rei occultæ facta ostensio. Dicitur verò probatio quasi proba actio, ex eo, quia probè, & legitimè agit, qui probationem facit. *Abbas, & alii in rubrica hoc titulo.*

Sciendum secundo est, quòd probatio alia est vera, quæ an elici possit ex præsumtionibus juris, & de jure docet *Menoch. de præsumpt. lib. 1. præs. 36.* Alia probatio est plena, quæ scilicet fit saltem per duos testes. *l. ubi numerus ff. de testibus*, de qua probatione *Abbas in cap. Juramentum §. sanè de jurejur. DD. in l. admonendi ff. eodem, ubi Jas. num. 233.* Secunda alia probatio est semiplena, quæ fit per unum testem. *l. Theopompus, ff. de dote prælegata*, de qua probatione agit *Abbas cum Aliis suprà citatis*, & in dubio docent iidem DD. quòd, quandò fit mentio probationis, intelligitur de plena.

Adverte tamen, quòd quando fiunt plures probationes semiplenæ, & imperfectæ, conjunguntur, ut faciant plenam probationem, nam si singula non prosunt, multa juvant, nisi agatur de infligenda pœna mortis. *Franc. dec. 538. & Antonius Faber in eodem titulo dec. 8.* ubi agit, quid in causa matrimonii, latè *Gabriel de probation. concl. 1. & Menoch. de præsump ion. l. 1. præsumpt. 41.*

Adverte secundo, quòd quandò probatio perficitur semiplenè, potest causa cognita, ad hoc ut perficiatur probatio, deferri juramentum suppletorium probationis, qua de re *DD. in d. l. admonendi. Afflictus decis. 36.* ubi addentes, *Maranta par. 6. in tit. de juramento. Riccius collect. 380.* ubi advertit, quòd hoc juramentum non defertur, quandò ageretur de summa maxima, *Afflictus dec. 275. nu. 10.* quod intellige, quandò intentio solùm est semiplenè probata, quia si plusquàm semiplenè probata sit quantitas, tunc etiamsi magna summa sit, potest deferri juramentum prædictum, ità singulariter voluit *Hyppolitus singul. 27.* qua de re *Benitendus dec. Bononiæ 74.* ubi quærit quandò causa dicatur magna, vel modica.

Adverte tertio, quòd quandò nec plenè, nec semiplenè probatum est aliquid, cùm sit difficilis probationis, & adest dolus præsumptus ex parte conventi, ut si essemus in tutore, qui est conventus ad restitutionem quantitatis debitæ ex hæreditate ab ipso administrata, qui si est in dolo, quia inventarium non fecit, datur juramentum in litem, qua de re *Afflictus decis. 360.* quod in quolibet administratore habere locum, quandò adest præsumptio doli, docet *Soccinus cons. 73. volum. 1.* & in praxi servatur, quòd taxatur quantitas, super qua dictus tutor, vel administrator, jurare tenetur, priùs à Judice. *Afflictus ubi suprà, Riccius collect. 1349. & 1359.* ubi de juramento litis decisorio agit, & de causa hujusmodi juramento decisa non potest ampliùs agi. *Cephalus cons. 65. vol. 1. Boerius dec. 305.*

Sciendum est tertio, quòd quandò factum, est notorium, & sic non est probandum. *cap. evidentia de probat.* Sed debet allegari *glossa in l. Cives. C. de appellation. Menoch. de recuper. remed. 15. num. 264.* appellatur verò res notoria multis modis, præsertim si ex actis res clarè deducitur. *Menochius de arbitr. Judic. lib. 1. casu 166.* sicut notoria dicitur res ex confessione facta in judicio, qua de re *Riccius collect. 653.*

Sciendum est quarto, quòd regulariter onus probandi incumbit actori, *l. frustrà. & l. actor. C. de probat. l. veriùs, ff. eodem, DD. in l. qui accusare, C. de edendo.* undè actore non probante, reus absolvitur, etiamsi reus suscepisset in se onus probandi contrarium, *Trivisanus in dec. Veneta 4. num. 30. lib. 1.* vel etiamsi reo denegaretur defensio, *Cepolla cautela 344.* ex quo si frater conveniatur à sorore, vel ejus viro pro dote, & excipiat de inofficiosa, tenetur probare vires patrimonii, *Guttierez pract. quæstion. lib. 5. quæst. 40.*

Sciendum est ultimo, quòd probatio per *Marantam* dicto titulo dividitur in tres species. Prima est, quæ fit per scripturas publicas, & hæc est evidentissima, inter quas connumerantur privilegia, *cap. pia de except. in 6.* vel fit per testium depositiones, & viva voce, *cap. sua de cohabit. Cleric. & mulierum*, vel per conjecturas, & hæc est minùs evidens *cap. afferte mihi gladium de præsump.* vel fit per oris confessionem, quæ est major probatio, *l. 1. ff. de interrogatoriis action. cap. 1. de confessis.*

Dividitur etiam probatio, quòd alia fit juris, alia facti. Prima fit allegando leges, & Canones, sivè directè allegando, videlicet verba legis, sivè indirectè ducendo leges per argumentum. Probatio facti dicitur alia plena, alia semiplena, &c. de quibus suprà.

*In §. partium confessione cum quatuor sequentibus.*

Agitur hic de probatione, quæ fit per oris confessionem. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd confessio aut est judicialis, aut extrajudicialis: extrajudicialis, si tendit ad obligandum & si fit absente parte, inducit, semiplenam probationem, sic docet *Afflictus dec. 364. num. 4. & 375. num. 3. Gabriel de confessis concl. 1. num. 52.* etiamsi fiat absque causa. Ideò licèt confessio sine causa facta, non valeat, ut plena probatio, *Guido Papa dec. 175.* valebit ut semiplena probatio, adeò ut si cum illa concurrant alia adminicula, fit plena probatio, putà depositio unius testis de veritate, *Gabriel de prob. concl. 1. num. 2. Thorus in compend. decis. in verb. confessio extrajudicialis*, fama, vel juramentum; favore verò piæ causæ, confessio facta extrajudicialis, absente parte probat. *Tiraquellus de pia causa privil. 112.* sic inter mercatores confessio extrajudicialis indistinctè præjudicat *Maranta in titulo de probatione testium num. 59. de Laurentiis dec. Avenienensi 7.* ubi latè.

Quandò verò confessio extrajudicialis fit præsente parte, tunc semper præjudicat, licèt ab alia parte acceptata non sit, *Maranta de confessis num. 2* sic decisum docet *Rota Genuensis decis. 2 1 2.* legas ad propositum *Riccium collect. 194. par. 1.*

Confessio judicialis dicitur illa, quæ fit in judicio, & hæc semper præjudicat, cùm in judicio quasi contrahatur, *l. certum, §. si quis absente, ff. de confessis;* undè omnis assertio, quæ fit in judicio per libellum, vel alio modo in sciptis, asserenti præjudicat *Riccius collect. 1059. par. 4.* neque requiritur acceptatio pro parte partis absentis.

Intellige primo, ut tunc confessio facta in judicio confitenti præjudicat, quandò est facta principaliter ad negotium, quia si fiat incidenter ad alium finem non præjudicat *Regens de Ponte conf. 95. num. 16. vol. 1.* & hoc exemplificatur in eo, qui appretiando ejus bona asserat in suo appretio se esse debitorem filio, quia tunc ex tali confessione incidenter facta, non potest ille confitens conveniri, *Paschalis de viribus patriæ potestatis par. 3. cap. 2. num. 7.*

Intellige secundo, quandò confessio esset emanata coram Judice competenti, quia si fit emanata coram Judice incompetenti, non præjudicat, ideò clericus confitens coram laico Judice se fecisse aliquod delictum, non probat talis confessio, ut judicialis; probat tamen, & valet, ut extrajudicialis, ut potè spontè facta, undè facit contrà confitentem indicium ad torturam, *glossa in cap. ad hoc de simonia, & in cap. si cautio de fide instrum. Bart. & Bald. in l. admonendi, ff. de jur. jurando. Decius in cap. at si clerici de judiciis*; sic practicari in nostra Curia Archiepiscopali docet *Genuensis in praxi cap. 6. num. 3. Caravita in Ritu M. C. V. 235.* ubi ait, quòd licèt confessio extrajudicialis in civilibus, & criminalibus nihil probet, fallit tamen quoad indicia ad torturam per *textum cum glossa in l. capite 5. ff. de adult. Carolus de Graffis de effect. cleric. effect. 1. num. 249.* Quandò verò confessio à clerico esset facta in judicio civili coram Judice laico, v. g. si clericus conventus ut laicus confessus fuerit aliquid debere Titio, vel quid simile declaravit in illius beneficium, remissus ad Judicem ecclesiasticum, poterit ● vim illius confessionis cogi, ut solvat, vel observet id quod confessus est saltem per viam obligationis extrajudicialis, si non per viam actûs judiciarii, *Carolus de Graffis num. 253.*

Intellige tertio, ut confessio facta in judicio à principali sibi præjudicet: cæterùm si fiat ab ejus procuratore, nullo modo præjudicat Domino regulariter, nisi sequatur ratihabitio, *l. certum, §. Sed an, & ipsos. ff. de confessis*, vel si fiat mediante mandato speciali, multa ad propositum congerit *Riccius collect. 176. par. 1. & Galluppus in praxi par. 2. cap. 21* ubi an confessio Prælati Ecclesiæ noceat, ejusque successori, & an confessio defuncti noceat hæredi, & an confessio Advocati noceat clienti, & an confessio facta à Procuratore, vel tutore præjudicat pupillo.

Sciendum secundo est, quòd confessio judicialis prætextu erroris in facto proprio, vel alieno non revocatur, *l. non fatetur*, juncta *glossa, ff. de confessis, Riccius collect. 174. par. 1.* sicut neque potest revocari confessio, quandò est à parte acceptata sub prætextu erroris commissi, dummodò deliberatè fuerit facta, quæ talis dicitur, quandò est judicialiter recepta, *Thomas Trivisanus dec. Veneta 5. lib. 1.* quòd si petat pars facultatem declarandi confessionem, tunc est ei deneganda, quo casu poterit eam revocare, *glossa in cap. cùm dilecti, in verb. dilapidatione de accusat. Abbas in cap. Pastoralis de exception.*

Sciendum est tertio, confessionem maximè judicialem posse rescindi, & acceptari pro parte, quandò continet diversa, vel separata capitula, v. g. si quis confiteatur mihi debere centum, & versa vice, quòd ego ei debeo ducentum, tunc ego possum acceptare confessionem de centum, & negare reliquum, *Natta cons. 365.* Quandò verò confessio continet aliquod connexum, tunc debet in totum acceptari, vel respui, v. g. promitto centum, quæ debet mihi Titius, *Cappella Tholosana dec. 414. DD. in l. 1. C. de confessis. & in cap. 1. eod. tit. in 6.* sic dicimus, quòd si quis confiteatur debere mihi centum cum illa taxativa, tantùm, possum acceptare confessionem pro centum, & negare illam taxativam: in criminalibus verò confessio qualificata non dividitur, *Riccius collect. 174.*

Sciendum est quartò, quòd ad hoc, ut inducatur adversarius ad confitendum, dato ei termino ad probandum, fiunt à parte, cui incumbit onus probandi, positiones, & articuli, in quibus distinctè proponit pars, quicquid intendit, & quicquid probare velit, & hæ positiones, seu articuli intimantur parti, ut sic respondeat, & respondendo sublevet adversarium ab onere probandi, qui articuli successerunt in locum interrogationum, quæ fiebant olim à Judice, *cap. præsentium de testibus, DD. in prag. 8. de ord. Judic. Riccius collect. 268.* Nec tenetur pars respondere, quandò positiones sunt impertinentes, puta si quis esset examinandus, ut principalis in causa repulsæ, & interrogetur circà delicta, non tenetur respondere, sed solùm circà consanguinitatem. Sic quandò positiones, & articuli non faciunt ad causam, *Anna singulari 449.* undè solet Judex, quandò dubitatur, an articuli sint pertinentes, mandare instante parte, ut actuarius referat, an positiones sint impertinentes, vel non, & meliùs faciunt practici quandò faciunt, ut deponat principalis cum clausula, *Salvo jure impertinentiarum*, quia tunc vigore dictæ clausulæ, si reperiantur impertinentes positiones, in nihilo sibi præjudicat principalis.

Sciendum èst ultimo, quòd ad hoc ut confessio legitimè fiat. Primo requiritur, ut fiat à pubere, aliàs non valeret, *cap. parvuli 22. q. 8 cap. cùm virum de reg. juris.* Secundo, ut non fiat metu, sed spontè *cap. 2. de his, quæ vi metusvè fiunt.* Tertio, non per errorem, & tandem debet esse certa, non verò ambigua, *l. certum, §. si absente, ff. de confessis.*

*In §. Non tamen.*

Agitur hîc de secundo genere probationis, quæ fit per scripturas. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd actor, quandò vult suam intentionem probare per scripturas, tenetur eas edere, & exhibere. Differt verò edere ab eo, quod est exhibere, quia edere generaliter acceptum idem est ac in apertum deducere; undè mulier parturiens dicitur edere partum, *l. Aretusa, ff. de statu hominum*; sic dicimus edi leges, edi scripturas, &c. *l. 1. C. de emendat. Codicis*; quandò verò edere sumitur in specie, tunc refertur ad copiam instrumenti, quæ edi dicitur, & exhibere in specie refertur ad principale instrumentum, undè mandatum de edendo intelligitur, ut detur copia, ut in toto *tit. ff. de edendo.*

Sciendum secundo est, quòd editio multis modis fieri potest, vel enim fit voce vel scriptura: voce proponendo suam intentionem, & respondendo ad interrogata, vel etiam deponendo per testes, *cap. Joannes de fid. Instrum.* Editio verò in scriptis fit, vel dando copiam prætensionis, & dicitur actio edita, *l. 3. C. de edendo*, vel edendo rationes, & computa, *l. 1. l. non est novum. C. de edendo, vel alia instrumenta, & scripturas, l. qui accusare, C. de edendo.*

Sciendum est tertio, quòd datur scriptura publica, & privata, publica dicitur, quandò fit à publica persona circà eius officium, & auctoritatem, *l. quadam, §. nummularius, ff. de edendo*, vel in actis judiciorum, *Afflictus dec. 271. num. 41.* vel si sit facta auctoritate publica cum interventu Notarii, Judicis, & testium, *Regens Rovitus in pragm. 2. num. 8. de contractibus*, & vocatur instrumentum, quasi mentem instruens circà causam, *l. 1. ff. de fide instrum.*

Sciendum est quarto, quòd instrumentum ad hoc ut valeat, plura requiruntur, quæ omnia enumerat *glossa in l. generali, C. de tabul. lib. 10. Riccius collect. 362. par. 2.* & præsertim in Regno nostro debet

servari

servari solemnitas tradita per *Constitutionem Regni*, quæ incipit, *Bajulos omnes*. & constitutionem aliam, quæ incipit *instrumentorum robur*, videlicet, ut subscribatur à Judice, Notario, & testibus, ut in omni futuro tempore probet, debet reassumi in charta pergamena cum subscriptione prædicta, quòd si Notarius adhuc vivat, licèt Judex, & testes mortui sint, constito de veritate protocolli, adhuc poterit reassumi, & loco mortuorum, alii subscribi, ut in *prag. 1. de fid. instrum.* immò etiam si mortuus sit Notarius, & producitur instrumentum in protocollo, si concurrant aliquæ conjecturæ pro veritate dicti protocolli, adhuc poterit ex auctoritate Sacri Consilii reassumi, *Afflictus dec.* 48. Hodie verò per *prag. 2. de fide instrum.* indifferenter fieri potest reassumptio in casu prædicto, quandò omnes mortui sunt, & loco ipsorum alii subrogantur in subscriptione, & generaliter quandò Notarius est absens, vel alio modo impeditus, poterit Judex mandare alteri Notario, quòd reassumat, *Afflictus decis. 6.*

Adverte primo, quòd si testes, qui intervenerunt in contractu, recusent se subscribere sub prætextu, quòd non recordentur, vel quòd non interfuerint, possunt ad hoc compelli: ita *Capycius dec.* 29. idem *Capycius in ejus investitura feudali, vers. regalia fol. 286.* nam tales personæ ob eorum subscriptiones, quas faciunt ad probationem scripturæ, ut significent se adfuisse, non dicuntur approbare illum actum, *Menoch. de præsumption. lib. 3. præsumpt. 66. num.* 17.

Adverte ultimo, quòd si mortuo Notario reperiatur instrumentum tantùm infilzatum, sed nondum in protocollo descriptum, non poterit mandare Judex, ut reassumatur, sed priùs ut extendatur, & conferatur in protocollo *Afflictus in d. Constit. Bajulos omnes Rovit in pragm. 1. de fid instrum. num.* 30.

Sciendum est quinto, quòd instrumentum ad hoc ut valeat, & probet, requiritur, ut sit factum à Notario Regio, id est creato à Rege, cùm ejus creatio sit de regalibus, *Isernia in cap. 1. in §. commendatorum num. 24. quæ sint regalia*, & sit rogatus intrà territorium, & jurisdictionem Regis creantis, nam extrà nec de consensu partium poterit conficere instrumenta, *Gabriel de fide instrumentorum concl. 1. num.* 2. ideò non potest Notarius Apostolicus in terris Regis conficere instrumenta, nec èconträ, quod quomodò procedat videndus est *Regens Tappia in jus Regni in tit. de fide instrum.* docet etiam *Andreas de Isernia loco citato*, quòd si Notarius sit creatus in uno loco, puta Capuæ, poterit conficere instrumentum Neapoli ex partium conventione, nam cùm simus in eadem jurisdictione, facilitè conceditur prorogatio, & generaliter approbantur talia instrumenta.

Requiritur etiam in Notario, ut sit homo demanialis, nam vassallus non potest conficere instrumentum in beneficium Baronis ejus Domini, ut in *cap. Regni Ladislaus*, neque contrà Baronem, *Afflictus in Constit. Regni in locis demanii col. 3. & 6.* & cùm accidisset in S. C. articulus, an scilicet dispositio prædicti textûs loquens de instrumentis, habeat locum etiam in obligationibus, quæ fiunt penès acta, decidit S. C. apud *Francum dec.* 118. capitulum prædictum non habere locum in talibus obligationibus, quia textus ille loquitur in instrumentis vel aliis scripturis in publicam formam redigendis, inter quas non sunt obligationes, quæ fiunt penès acta Curiæ, ergò ad eas non extenditur capitulum, argum. *l. si verò. §. de viro, ff sol. matrim.* licèt contrarium decisum referat *Galluppus in praxi par. 2. cap. 22. num.* 10.

Adverte, quòd neque valebit instrumentum dotis confectum per Notarium vassallum in beneficium, vel contrà Baronem *Marta voto* 188. Hoc tamen totum, quòd dicimus, procedit & extenditur in instrumento confecto in favorem domini affictatoris alicujus Terræ, sivè Civitatis cum jurisdictione civili, & criminali, ac mero, & mixto imperio, ut consuluit *Visconte in addit. ad Fran um ubi suprà* adducens *Martam voto* 186. Ratio est, tùm quia militat eadem ratio *d. cap. ratione*, scilicet *timoris*: tùm quia in rubrica dicitur de non conficiendo instrumenta per tabelliones subditos ratione jurisdictionis prædictæ. Neque talis prohibitio respicit testamenta, & codicillos, cùm loquatur de instrumentis, *Anna singulari* 244. *Riccius collect.* 614. *Galluppus ubi sup. num.* 11.

Sciendum est sexto, quòd modus probandi per scripturas publicas requiritur in multis casibus, de quibus *glossa in cap. 1. § postquàm de censuris in 6. Riccius collect.* 246. & ultra *glossam* prædictam adest casus, quandò scilicet petitur restitutio dotis, & antef ti in Civitate Neapolis, quia tunc debet produci instrumentum dotale secundùm consuetudinem Neapolitanam, quæ incipit *dos*, & *quarta Minadous cons.* 18. sic etiam quandò uxor petit restitutionem dotis ob vergentiam viri ad inopiam, debet docere instrumentum dotale; sic decisum docet *Molfesius ad Consuetud. Neapolit. par. 7. q. 15. Thorus in compend. decis. in verb. assecuratio an possit.* Quandò verò pro restitutione dotis ageretur judicio assistentiæ contrà tertios possessores, tunc potest obtineri si producatur instrumentum introductum in forma probante, *Minadous dec. 6. Thorus in compend. dec. in verb. assistentia præstari.*

Additur alius casus, in quo requiritur scriptura per *glossam* non numeratus, quandò scilicet probatur assensus requisitus in alienatione rei feudalis, quia non potest probari, nisi per scripturam, nempè per memoriale expeditum per verbum *fiat*, & registratum infrà annum, *pragm. 1. de privil. infrà ann. præsen.* nisi tamen circa res feudales contrahatur cum ipsomet Rege. vel Prorege, vel cum Regia Camera, quia tunc assensus intelligitur tacitè præstitus, sic decisum in S. C. testatur *Galluppus in praxi par. 2. cap. 22. nu.* 16.

Sciendum est septimo, plures esse instrumenti utilitates, quas enumerat *Gallupus ubi suprà num. 18. cum pluribus sequentibus*; ex quibus militatibus quærunt DD. an solvens Titio possit ipsum cogere ad faciendum instrumentum quietationis? Et respondet *Anna singulari 70. ex tex. in l. dissoluta, C. de condict. sine causa*: prout in simili docent, quòd si Titius debet mihi centum, de quibus est obligatus coram testibus, possum etiam ipsum cogi facere, ut conficiat instrumentum de facie ad faciem, ut ait *Afflictus in Constitut. Regni Bajulos omnes num. 87. & 88.* sicut etiam potest debitor cogi ad conficiendum instrumentum cessionario, sed non cum clausula quarantagiæ, id est liquidum & juratum: *Suarez in l. post rem judicatam quæst. penul. ff. de re judic.* legis *Rebuff. ad constit. Gallicas, de litteris obligatoriis art. 2. glossa unica num.* 88.

Rogabis: quid requiratur, ut contrà aliquem possit liquidari instrumentum?

Ut hoc intelligas, supponere oportet, quòd instrumentum in Regno nostro vigore clausulæ quarantagiæ appositæ à Notario, habet paratam executionem. Immò etiamsi non apponatur talis clausula habet eam executionem èx *Ritu* 166. ubi dicitur, quòd adversùs liquidationem instrumenti nulla possit opponi exceptio, nisi in vinculis, aut facto deposito: Ratio est, quia instrumenta hodiè sunt jurata, & juramentum habet paratam executionem, & elapso termino solutionis juratæ debitor est perjurus, *cap. ad vestram de jurejurando absque* alia interpellatione, *Capycius dec. 106. num.* 3. *Regens Rovitus, & Regens Tappia sub titulo de liquid. instrum.* Hoc posito.

Respondeo, quòd primo requiritur, quòd sit liquidum,

dum, & non incertum, vel conditionale: nam si esset conditionale debitum, adveniente conditione, liquidari posset, dummodò tamen intimetur parti, & constet Judici adimplementum conditionis, *Bald. in l. cum testamento, C. de testam. manumiss. Franciscus Marcus dec.* 395. *lib.* 1.

Secundo requiritur, ut principalis creditor sit qui liquidet, & obligatus de facie ad faciem. *Afflictus dec.* 64. vel hæres ipsius creditoris, qui debet ducere decretum præambuli, quandò verò esset facta promissio alicui pro se, & ejus hæredibus ex legitimo matrimonio descendentibus, si producatur præambulum factum simpliciter in personam hæredis extranei, non poterit procedi ad liquidationem, sic decisum in S. C. docet *Galluppus part.* 2. *cap.* 22. *num.* 35. Cessionarius verò liquidare non poterit instrumentum nisi cum principali, vel hærede illius, qui cessit debitum, *Regens Rovitus in rubrica de liquid. instrum. num.* 10. Non tamen cogi poterit cedens invitus ad liquidandum, nisi in actu cessionis se obligaverit ad hoc, idem *Rovitus loco cit.*

Tertio requiritur respectu personæ debitoris, ut non sit debitor ipse Pater, contrà quem filius instrumentum liquidare non potest. *Francus dec.* 162. neque contra matrem liquidare potest, *idem Francus decis.* 166. neque Nurus contrà Socerum, vel contrà. *Minadous decis.* 20. Ratio hujus rei est, quia accusatio instrumenti est causa criminalis, & filius non potest Patrem accusare criminaliter, ubi potest alio remedio civili. Neque fratrem contrà alium fratrem instrumentum accusare potest, ait *Freccia de præsent. instrum. par.* 12. *principali quæst.* 1. *Thesaurus dec.* 110. *num.* 1. *Galupp. num.* 36.

Immò neque possè filium spiritualem susceptum de Sacro Fonte, vel in Sacro Chrismate liquidare instrumentum contrà patrem spiritualem, firmat *D. Antonius de Marinis resol. quotid. c.* 190. cùm non sit minor spiritualis affinitas, quàm carnalis, *cap. qui dormivit* 27. *quæst.* 2. *cap. ità diligente, & cap. sequenti* 3. *quæst.* 3. An verò liquidatio contrà mortuum eo die, quo fuit mortuus, facta, valeat, legas *Gizzarellum dec.* 9.

Quarto requiritur, ut citatio, quæ fit super tenore instrumenti, sit pro vero debito, quia si citaretur in plus, non valeret liquidatio, & puniretur Creditor, *Gizzarell. dec.* 20. ubi addentes. Quandò ergo talis citatio ità fieret, esset nulla. Verùm S. C. determinare solet, quòd iterum citetur: sic *Galluppus num.* 37. Quòd si quis in instrumento apponat unum loco alterius; si posteà producatur fides, vel alia scriptura in promptu, ex qua probetur, reperiri alium ejusdem nominis, & cognominis, tunc impeditur liquidatio, & executio, sic decisum docet *Galluppus loc. cit.* & capitur informatio super indemnitate personæ neque Notarius est in culpa, cùm non teneatur cognoscere contrahentes. *Gratianus dec.* 116. *Gaspar Thesaurus lib.* 2. *quæst. for. q.* 78. nisi tamen id malitiosè fecerit. *Thorus in Compend. decis. in verb. Actuarius, vel Notarius*, latè *Riccius collectan.* 713.

Adverte tamen primo, quòd pendente lite coram arbitris vigore compromissi facti, non poterit liquidari à partibus instrumentum, sic decisum docet *Thorus in Compend. decis. in verb. instrumentum, liquidari an possit*, & an pendente recissione contractùs possit liquidari instrumentum, tradit *Gurba dec.* 100.

Adverte secundo, quòd pendente lite super recissione instrumenti, si fiat depositum sortis principalis, debet liberari creditori cum cautione. *Frecc. de liquid. par* 6. *quæst.* 6. quandò verò essent tertiæ, tunc liberantur creditori absque cautione, ut quotidiè servatur in praxi.

Sciendum est octavo, scripturam privatam esse eam, quæ fit à persona privata, quæ de per se non est apta ad probandum, nisi adminiculata fuerit testibus deponentibus circà verificationem manûs scribentis. *Rovit. in prag.* 2. *num.* 8. *de contract.* quandò tamen est Apocha banchalis, postquàm est probata per testes vel recognita, habet executionem paratam. *Tappia in jus Regni lib.* 3. *sub. tit. de Apochis lib.* 3. quandò verò testes deponunt, debent dicere vidisse scribere, non autem sufficit si dicant, habere notitiam manûs, *Afflictus dec.* 181. ubi addentes, *Grammaticus dec.* 84. vel possunt deponere vidisse scribere, ibi testes subscriptos. *Riccius collect.* 19. multa etiam videnda sunt apud *Nicolaum Genuam in titulo de privata scriptura. Galluppum ubi sup. cap.* 23.

*In §. debet autem cum duobus sequentibus.*

Agitur hîc de probationibus, quæ fiunt per testes. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd testis dicitur ille, qui rei gestæ est probator, & antiquitùs dicebatur superstis, quia erat super statu causæ, *cap. forus, ubi DD. de verb. signif.* probatio autem per testes, major est omnibus aliis, & dicta testium, appellantur depositiones, seù testificationes, quæ in scriptis dari debent lite contestata, *c. quoniam contrà de probat.* & solent citari partes ad videndum juramenta testium, *cap.* 2. *de testibus*; non tamen possunt partes dicta testium audire, nam sunt secretò examinandi, & sigillatim, *cap. ult. de testib.*

Sciendum est secundo, quòd requiruntur in teste multæ conditiones, puta fama, veritas, & similia, quare ait *Menochius de arbit. Jud. casu* 90. hanc probationis speciem satis plusquàm alia esse suppositam arbitrio Judicis, qui maximoperè attendere debet, ut omninò veritati locus sit. *l.* 2. *C. si contrà jus, vel util. publ. c. judicantem* 3. *q.* 5.

Sciendum est tertio, quòd ut valeat testium depositio, multæ requiruntur de jure communi & Regni solemnitates; Primo enim requiritur, quòd citentur in termino concesso ad probandum, quæ citatio etiam in criminalibus requiritur, adeò, quòd etiamsi mille essent, non probarent, nec fidem facerent. *Rovitus in pragm.* 1. *§.* 4. *de bonis proditorum. Francus dec.* 716. *Riccius collect.* 321. *par.* 2.

Secundo requiritur, quòd citetur principalis, contrà quem sunt testes recipiendi ad videndum illorum juramentum, aliàs non valeret depositio, *l. si quandò C. de testibus, Afflictus dec.* 39. & specificatur tempus, & locus, ubi recipiendi sunt testes, & per nomina & cognomina recipi debent, quòd si adesset periculum subornationis, poterit fieri alia citatio respectu principalis ad videndum ipsorum juramenta, absque nominibus, quæ citatio poterit fieri procuratori, qui poterit se protestari de multis. *Rovit. in pragm.* 12. *de ord. Judic.* legas de hac re *Gaillum lib.* 1. *observ. observat.* 49. *Riccium collect.* 692. *Regens Tappia in Jus Regni sub tit. de testibus, Farinaceus dec.* 18. 47. 52. 57. & 205.

Tertio requiritur, quòd præsententur articuli, cum clausula in fine, salvo jure producendi novos, qui articuli debent esse ad causam pertinentes, aliàs rejiciuntur, dicuntur verò impertinentes, quandò aliquid causæ non conferunt. *Rovitus ubi sup. num.* 6. In praxi verò, quandò quis producit articulos impertinentes, licèt Judex illos non rejiciat, concedit tamen parti terminum ad se defendendum adversùs ibi adducta, & probata, ut servari, & decisum fuisse docet, *Rovit. loc. cit.*

Quarto requiritur, quòd testis deponat veritatem, quia, si mendacium dixerit, vel verum tacuerit, debet puniri de falso, *cap. quisquis* 11. *quæst.* 1. *DD. in* 

hi. t.

*l. 1. C. si contrà Jus. &c.* ideò jurare debet, aliàs ei non creditur, nec fidem facit; *cap. tuis extrà eodem, l. jusjurandi. C. de testibus. Gaillus lib. 1. obser.* 101. etiamsi sit Episcopus, vel Cardinalis, *glossa in cap. cùm olim de privilegiis, Magonius decis. Lucensi* 45. *num.* 10. licèt verò testes non jurantes non faciant plenam probationem, eam tamen faciunt semiplenam. *Menochius de arb. Jud. lib. 1. quæst.* 25. quandò verò requiratur nec ne tale juramentum, legas *Ricc. collect.* 263.

Quinto requiritur in nostris Tribunalibus laicalibus, ut in uno articulo non examinentur plures, quàm septem testes; *Pragm. 1. de testium refrenatione*, ex quo quandò expediuntur provisiones à M. C. Vicariæ, & S. C. pro examinandis testibus, expresse debet fieri mentio de dispositione dictæ pragmaticæ, ut in *Pragm. 49. de offic. S. R. C.* & si ultrà numerum prædictum recipiantur, alii nihil probant, & sunt rejiciendi, quandò verò persona, quæ eos producit, esset minor, vel alio modo privilegiata, haberet electionem in rejiciendo eos, qui minùs probant, *Riccius in Prag. 11. de ord. Judic.* qui sic decisum docet *idem Rovit. in d. pragm. 1. de refren. testium num. 3. Thorus in Compend. decis. in verb. refrenatio testium.* In materia verò confinium, & in probandis factis antiquis possunt admitti decem testes, *ut in d. prag.* 1. Unus tamen testis non probat, *cap. licèt causam, de probat. cap. dilecti de elect.* nam vox unius, vox nullius. *l. jusjur. C. de testibus*, quandò verò testis deponens, sit singularis, legas *Riccium collect.* 127. *par.* 1. posset tamen depositio unius testis adminiculari cum fama, & aliis. latè *Gabriel de testibus conclus.* 1. *&* 2. *Farinaceus de testibus.*

*In §. interrogabit cum duobus sequentibus.*

Agitur hìc de modo, quò Judex se gerere debet in testibus examinandis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd nulla causa potest terminari sine probatione, saltem duorum testium, cum in ore duorum, vel trium, stet omne verbum, *cap. novit. de judiciis*, in materia verò peccati evitandi unus sufficit testis. *cap. ut super de testibus.*

Sciendum secundo est, quòd quandò fit nominatio testium in partibus, examinator testium est ordinarius Judex loci. *Constit. Regni*, quæ incipit *in pecuniariis, vel alicui probo Actuario*, sic practicari docet, *Caravita in ritu* 155. quandò verò officialis, vel actuarius loci esset suspectus, datur nota suspectionum. *Prag. 9. de ord. Judic.* quo visa committitur audientia testium aliis officialibus locorum, sed non privatis personis. *Auth. quod eloquentissimum*, ubi *glossa C. de fide instrum.* de jure tamen canonico committitur audientia testium personæ privatæ, ut docet *Vestius in praxi Curiæ Romanæ lib. 2. cap. ult.*

In nostris verò Tribunalibus laicalibus eligitur Scriba causæ, præsertim in M. C. V. In S. C. verò unus ex electis per bussulam, dummodò non sit partibus suspectus: undè in calce termini datur nota suspectorum, aliàs indifferenter eligitur, *Pragm. 9. de ord. Judic.* ubi DD. qui tamen examinator debet recipere unum post alium sigillatim, & secretè. præsertim in negotiis arduis. *Menochius de arbit. Jud. lib. 1. quæst.* 29. & debet examinator testium scribere depositiones testium propriis manibus, ut in *prag. 56. de offic. S. R. C.* & interdùm, quia instant partes, quòd testes recipiantur coram causæ Commissario; vidensJudex importantiam causæ, vel falsitatis periculum, mandat ut recipiantur testes coram ipso, *Thesaurus dec. Pedamon.* 30. quo casu tamen debet fieri depositum certæ quantitatis à parte petente pro Judicis, & examinatoris jure, *Anna singul.* 519.

Servatur etiam in praxi, quòd examinator tenetur secretè penès se retinere, non solùm articulos, sed etiam examen, & attestationes super illis factas, adeò quòd, si illas ostenderit, vel dederit copiam, tenebitur pœna falsi; sic fuisse Paduæ judicatum docet *Alex. in l. is, apud quem, C. de edendo.*

Sciendum est tertio, quòd testes clarè deponere debent, aliàs tenentur declarare eorum dictum, *cap. in præsentia de testibus, Thesaurus dec.* 50. nec debent instrui, sed causam scientiæ debent reddere per quinque sensus, *Maranta de testibus col.* 4. & ideò non valet redditio causæ. Si dicat scio, quia scio: quòd si factum sit de nocte, quod non potest cadere in sensu visionis, non probat testis, si nihil dicat de lumine artificioso, vel lunari, *Thorus in compend. decis. in verb. deponentes vidisse*; qua de re *Farinaceus de testib. q. 80. num.* 160. tenentur etiam deponere de loco, & tempore, *l. solam, C. de testib.* maximè quandò locus, vel tempus est fundamentum intentionis producentis testes, *Regens Tappia in jus Regni, prag. 11. de censibus num.* 43.

*In §. testes verò cum decem sequentibus.*

Agitur hìc de conditionibus, quas habere debent testes. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd testes debent habere septem conditiones. Et quidem.

Primo requiritur conditio. Undè servus non potest esse testis, *l. quoniam liberi de testibus*, licèt enim regulariter nemo prohibeatur, *l. 1. ff. de testibus*, tamen de jure aliqui prohibentur: inter quos. Primo est servus: in criminalibus verò contrà damnum admittitur in defectu testium cum tormentis, *Ricc. in præs.*

Secundo non potest esse testis femina in judiciis: secùs in testamentis ad pias causas, quòd si aliundè sciri non posset veritas, tunc possent testes mulieres esse, *cap. quamquàm 14. q. 2.* cùm periculosa sit commixtio sexuum, *cap. definimus 18. q. 2.*

Tertio caret fide testis malæ vitæ, & famæ, & sic, si sit integra persona probat, requiritur verò, ut sit integra; Primo, quòd sit omninò immunis à crimine. Secundo, quòd procul sit ab infamia. Tertio, quòd sit absens à suspicione criminis, quia non debet in aliquo vacillare, *glossa hic.*

Quarto, non potest esse testis vassallus pro Domino, *Afflictus dec.* 305.

Quinto, nec Domesticus; poterunt verò Domestici testificari contrà, *Capella Tholosana dec.* 4. sicut etiam admittuntur domestici in illis rebus, quæ non nisi per domesticas personas probari possunt, *Antonius Faber in suo Codice in titulo de prob. def.* 60. sicut etiam testis instrumentarius auditur, licèt sit domesticus tempore testimonii, *Antonius Faber de testib. dec.* 7. Sicut etiam sollicitator negotiorum, licèt sit domesticus, tamen admittitur ad testificandum pro domino, *Rota Romana de testibus dec. 12. in novis.* Sic uxor contrà maritum testis esse poterit, *Faber dec. 1. de probat.* sicut etiam admittuntur domesticæ personæ in subsidium, *Mynsincerius cent. 3. obser. 16. Rota Lucensis dec.* 72. *Grammat. dec.* 45.

Sexto, non potest esse testis proxeneta, seù mediator, *cap. dilectorum de testibus*, in eo negotio, pro quo mediator extitit: si verò deponat proxeneta in eo, quod non spectat ad ejus commodum, laudem, vel dedecus, valeret depositio. *Farinaceus dec.* 47. sicut etiam probat, & admittitur, quandò utraque pars consentit, *Antonius Faber de testibus decis.* 56. latè *Riccius collect.* 715. qui refert decisum probare proxe-

proxenetam, quandò deficerent aliæ probationes, & sic in defectum.

Septimo, neque est idoneus testis, qui deponit in causa propria, *l. nullus, ff. de testibus*: undè exculpatio, quam quis facit in articulo mortis, dicens, forsitan talem non fecisse delictum, non prodest exculpato, quia in propria causa quasi deponere dicitur, *Mastrillus dec.* 195. sicut non valet depositio testis habentis commodum in aliquo negotio, in quo deponit *Vivius decis.* 179. sicut nec socius criminis potest interrogari de sociis, nisi in casibus quibusdam, de quibus *Peguera dec.* 5. qua de re *Riccius collect.* 527.

Octavo, neque est idoneus testis Advocatus pro suo cliente, *l. fin. ff. de testib. cap. fin. extrà eodem.* Intellige in his, quæ non scit tanquàm testis, sed ut Advocatus: ideò, si aliqua scit, antequàm ut Advocatus assumeretur, potest de his testificari: secùs si testificaretur super his, quæ sciret occasione consilii ab eo præstiti, quia hæc tenetur Advocatus celare, *Francus dec.* 222. sicut posset etiam Advocatus esse testis pro cliente in alia causa, quàm in ea, pro qua præstat patrocinium, *Faber dec.* 19. *sub titulo de testibus*, sicut etiam poterit testificari contrà suum clientem, *Surdus dec.* 190. Tandem posset Advocatus esse testis pro suo cliente, quandò alia pars vellet in testem producere Advocatum suæ partis adversæ, quia tunc cessat illa ratio, per quam præsumeretur testis corruptus, *Guido Papa dec.* 45. *Riccius coll.* 233.

Nono, neque cives admittuntur, ut idonei testes pro universitate, *l. in tantùm* §. *Universitatis, ff. de rerum divisione*, quod limita, quandò testes deponerent in iis, quæ sunt communia civibus uti universis, quia tunc benè probant pro Universitate, *Capycius dec.* 132. *num.* 2. *Afflictus dec.* 400.

Secundo, limita in Universitate magna, & populosa, *Marta Rota Pisana decis.* 199.

Tertio limita in testibus alicujus Universitatis hìc Neapoli habitantibus, quia possunt recipi in testes pro universitate, sic decisum docet *Anna singulari* 81.

Limita quarto in civibus religiosis, qui pariter admittuntur. Idem *Anna singulari* 82.

Limita ultimo in confinibus Universitatis, qui per testes possunt optimè probari, *Guido Papa dec.* 193. De hac materia videas *Farinaceum dec.* 210. & 312. *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 106.

Decimo, Judæus contra Christianum esse non potest testis, latè *Ursillus ad Afflictum dec.* 414. neque inimicus, & quid, si esset reconciliatus, & quid, si præsumptus, *Menoch. lib.* 1. *de arbitr. Jud. casu* 28. nec pater pro filio, frater pro fratre, uxor pro marito, vel è contrà, *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 46. latè agit de hac materia *Gabriel de testibus concl.* 6. *cum pluribus sequentibus.*

*In* §. *dubium cum sequenti.*

CONclusio hujus textûs est, quòd quandò sunt examinandi testes, possunt recipere dilationes plures, vel minores secundùm Judicis arbitrium, qui poterit etiam differre terminum, ad notata per *Abbatem in cap. licet de probat.* & per *Marantam in par.* 6. *in verb. dilatio.* Sicut impeditus ob causam ad comparendum in termino, potest per Judicem restitui ad dilationem, *Afflictus dec.* 29. Idem *dec.* 50. quandò verò detur dilatio, legas *Riccium col.* 1207.

Quandò verò testes dant juramentum in termino, possunt examinari elapso termino, quia sufficit dedisse juramentum in termino, *Abbas*, & alii ubi suprà.

Tandem advertas, quòd, quandò Judex est remotus ab officio, poterit esse testis ex causa, *cap. dilecti.* & *cap. significavit de testibus.*

*In* §. *Elapsis.*

AGitur hìc de publicatione in causa. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd factis hinc indè probationibus sequitur actus publicationis, quo patefiunt testificata, *cap. fraternitati de testibus*, & in causis, in quibus non datur terminus, vocatur monitio, seù facultas ad dicendum, *Caravita in Ritu* 72. *num.* 13. non tamen per hoc, quòd talis actus omitteretur, causa, vel processus vitiaretur, *Maranta in titulo an judicium sit super petit. vel possessorio*, nec sententia vitiatur, si pronuncietur sine illâ, *Afflictus in Constit. Regni pacis cultum*: immò sententia valet, licèt sit petita testium publicatio, & denegata; *Trivisanus decis. Veneta* 63. *lib.* 1. quod à fortiori procedit in causis summariis, *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *q.* 33.

Sciendum secundo est, quòd talis publicatio plures producit effectus: & quidem primo ex hoc tempore publicationis currit spatium 15. dierum ad petendam declarationem circà usum, ut in *prag.* 28. *cap.* 8.

Secundo ab hoc tempore constituitur possessor in mala fide, adeò quòd tenetur ex tunc ad fructus perceptos lite pendente à re deducta in judicio, *Afflictus dec.* 59. *Peregrinus de fideicom. art.* 49. *num.* 146.

Tertius principalis effectus est, quòd attestationes factæ possunt à partibus vicissim videri, & sic ob præsumptum timorem subornationis præcluditur via producendi alios testes, *d. cap. fraternitatis*, *Gabriel de testibus concl.* 21. *Farinaceus de test. lib. q.* 75.

Quod tamen non habet locum super de novo emergentibus, quia in his poterunt produci novi testes. Secundo, quandò testes non fuerint recepti culpa examinatoris, vel Judicis, *Francus dec.* 371. Tertio, quandò testes fuissent nulliter recepti, quia poterunt recipi etiam post publicationem, *Thesaurus dec.* 287. *Farinaceus ubi sup.* Quarto, in causis criminalibus admittuntur testes etiam post publicationem, *Thesaurus dec.* 262. Quinto, si in prima instantia sit articulatum de certa summa: poterit in secunda probari de majori, *Anna singulari* 312. limita aliis modis, de quibus *Riccius in præsenti.*

Sciendum est tertio, quòd etiam testificatis dictis testium, adhuc possint alii produci, quandò offertur probatio facienda per inspectionem oculorum, quæ probatio requiritur in octo casibus, ut ait *Cassaneus super consuetud. Burgundiæ de judicibus, rubrica* 1. §. 6. *num.* 8. quæ probatio admittitur, & præcedit cæteris, *Afflictus dec.* 216. undè in praxi post hunc actum, solet peti accessus ejusdem causæ Commissarii, super faciem loci, qui non potest denegari, sed à petente fit depositum pro salario.

Sciendum est quarto, quòd etiam post didicita testificata, & facta publicatione recipi possunt alii testes, quandò non fuerunt alii examinati super articulis ex negligentia examinatoris, vel Commissarii, *Francus dec.* 371. & quid si agatur de repetitione? *Anna singul.* 423. Quandò verò pars post hunc actum nihil opposuit, attestationes valebunt, *Menochius lib.* 2. *de præsumpt. præs.* 47.

Sciendum est ultimo, quòd etiam post talem publicationem factam, si producatur instrumentum, vel aliqua scriptura, quæ indigeat aliquo supplemento, & probatione: tunc etiam certificatis testibus, possunt produci testes ad comprobandum, *Afflictus dec.* 33. *num.* 4. *Francus dec.* 631. *vers. sæpiùs*, *Farinac. de testibus q.* 75. *Card. Ludovisius dec.* 583.

In

*In §. Illud juris est, cum sequenti.*

CONclusio horum jurium est, quòd licitum est reprobare testes etiam reprobatorios testium: undè licèt possint testes reprobari, tamen pars adversa poterit reprobare reprobantes primos testes, sed non ultrà, ne scilicet detur processus in infinitum.

Quandò verò adest multorum testium concursus, debet Judex respicere ad testes magis idoneos, & si aliquis existat testis, poterit iterùm examinari, *cap. cùm causam de testibus*: quandò verò testis lapsu linguæ erravit, potest se incontinenti corrigere statim, nam errantis non est consensus, *cap. per tuas eodem titulo*, & examinator debet dicere [ & deindè statim meliùs recordatus ].

*In §. exhiberi cum quatuor sequentibus.*

COnclusio dicitur hîc, quòd scriptura potest exhiberi tàm antè, quàm post publicationem in causa, immò post conclusionem in causa: Dicitur verò conclusio in causa, quandò datur finis probationibus præsertim testium, & dicitur causa appuntata, quia paria sunt sententiam latam esse, & conclusum in causa. *Afflictus dec. 396. nu. 12.* post quam conclusionem in causa, non potest concedi repetitio testium. *Francus dec. 716. num. 9.* Hodie tamen in S. C. practicatur, quòd post conclusum in causa, recipiuntur scripturæ, tàm publicæ, quàm privatæ, sivè præsententur per reum, sivè per actorem: Immò usque ad tempus prolationis sententiæ exclusivè, idque procedit ob clausulam, qua proceditur in Regno nostro sola facti veritate inspecta, qua de re *Gizzarellus dec. 42. num. 1. & 2.* qui addit, quòd in S.C. practicatur, ut post hunc actum recipi possint literæ missæ à reo, vel convento, si petatur, ut actor cum juramento recognoscat illas.

Et in eo termino, qui conceditur producenti scripturas ad concomitandum, poterit conventus probare contrà tale instrumentum. *Giurba decis. 36. Regni Siciliæ.*

*In §. exhibebuntur.*

COnclusio hujus textùs est, quòd scriptura, quæ præsentatur, debet esse pura sine rasura, & cancellatione, aliàs redditur suspecta: quandò verò est in aliquo erratum, & statim error revocatus est, cancellari non debet id, in quo erratum est, sed claudi debet cum aliquo signo ad hoc, ut possit cognosci id, in quo erratum est, ut servatur in praxi per *DD. in cap. cùm dilectus de fide instrumentorum.*

*In §. Quòd si, cum quinque sequentibus.*

AGitur hîc de alio genere probationis, scilicet de juramento. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd juramentum est inventum ad informandam hominum credulitatem, *cap. & si Christus de jurejuran.* Definitur verò hoc modo. Juramentum est assertio, vel negatio de aliqua re honesta, & possibili sacræ rei attestatione firmata, vel nisi dicere volueris, juramentum est invocatio divini nominis in veritatis testimonium. *Abbas in rubrica extrà eodem.* In quo juramento, si loquamur an nascatur obligatio quoad Deum, & non sunt de essentia verba: si verò loquamur, an sit de essentia verba quantùm ad forum exteriorem, & requiruntur, quæ satis sunt sivè sint formalia, sivè virtualia, quæ habentur per nutus, *DD. in rubr. de jurejuran.*

Neque est necessarius in juramento contactus scripturæ sacræ, sed poterit tangi quælibet scriptura, sed nec manus alicujus feminæ honestatis causa. Poterit etiam jurare quis per creaturas. *Genes. cap. 42.* ibi Joseph juravit per salutem Pharaonis, & sæpè in jure Canonico juratur per Evangelium, per Crucem *cap. qui jurat. 22. quæst. 5. cap. ego de jurejuran.* quandò verò juratur per creaturas, non intelligitur per eas absolutè, quia esset idololatriæ species, sed intelligitur per creaturas, ordinando eas ad Creatorem, quatenùs ab illo conservantur, & ab eo conditæ sunt. *S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 6.* undè qui jurat per Crucem, jurat per Crucifixum: ad conservandam tamen simplicitatem, ad terrorem; & auferendum abusum, ait Christus, *nolite jurare per Cœlum, DD. in d. c. & si Christus.*

An verò valeat juramentum præstitum per falsos Deos, quæstio est? dicunt aliqui, peccare tales jurantes, verùm teneri ad juramentum. *Abbas, Innocentius, & alii in d. cap. & si Christus*; ideò dicunt, quòd si Christianus negotietur cum Mahumettano, & juret per Mahumetem, tenet juramentum, sed peccat mortaliter, quod sanè procedit, quandò Christianus necessarium negotium facit cum Mahumettano, & de facili esset contempturus juramentum, si Christianus juraverit per Christum; quia tunc poterit per Mahumetem jurare, nam hoc casu Christianus non videtur approbare Mahumetem, sed potiùs id necessitatis causa facit.

Sciendum est secundo, quod ad juramentum requiruntur veluti Comites. Primo scilicet veritas. Secundo judicium. Tertio Justitia, quæ omnia explicat *S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 3. & Canonistæ in cap. & si Christus de jurejur. & Can. jurabunt. 32. quæst. 1. & can. animadvertendum 22. quæst. 5.* qua de re *Afflictus decis. 80. Gaillus pract. obser. lib. 1. obser. 147. Antonius Faber in suo Codice lib. 4. tit. 1. de fin. 7.* requiritur ergo primo, ut juramentum sit justum: dicitur verò injustum, quandò iniquitatem, & peccatum nutrit. *S. Thomas 2. 2. quæst. 70. art. 2.* Secundo requiritur animi judicium, id est discretio: undè jurans temerè, vel inconsideratè, non dicitur habere judicium animi. Tertio requiritur veritas, cujus contrarium est falsitas, & peccatum mortale *Cajetanus in verb. perjurium S. Thom. ubi sup.*

Sciendum est tertio, quòd juramentum triplex est (omissis variis divisionibus, de quibus *Layman lib. 4. tract. 3. c. 4.*) primum dicitur juramentum assertorium, quòd aliud est affirmativum, quo aliquid affirmatur, aliud negatorium, quo aliquid negatur de præsenti, vel de præterito. Secundum juramentum dicitur promissorium, ut est quo aliquid promittitur dandum, vel faciendum de futuro, tertium dicitur execratorium, quandò scilicet quis jurat imprecando sibi aliquod pœnale, vel alteri, cui juramento simile est comminatorium, quandò quis comminatur pœnam.

Alia divisio juramenti est, quòd aliud sit judiciale, quod subdividitur in necessarium, quod defertur à Judice parti, aliud voluntarium, quod defertur à parte parti extrà judicium. *Mancinus de juram. par. 2. in principio. Petrus Gregor. lib. 5. Syntagm. Juris. c. 4. Layman ubi sup.*

*In §. Judicis inspectione.*

POnitur hîc aliud genus probationis, scilicet quia fit per Judicis inspectionem. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd major omnium probationum est, quæ fit per Judicem inspiciendo delictum, vel in genere, putà reperiendo instrumenta prohibita apud aliquem accusatum, vel corpus mortuum, vel fit inspiciendo delictum in specie, putà si, in actu delinquendi reperiatur delinquens, quapropter debet Judex accedere super faciem loci, & semper delictum in specie supponit delictum in genere; undè

undè, si non reperiatur mulier prægnans, frustrà de imprægnante quæritur, ut in toto tit. *ff. de ventre inspiciendo*, quo in casu femina femina à inspici debet: undè si Judex vellet inspicere feminam in pudendis, privandus est officio *Follerius in praxi criminali fol. 18. nu. 27.*

Sciendum secundo est, quòd probatio per inspectionem oculorum, nunquàm censetur exclusa. *Afflictus decis.* 217. *ex Jasone in l. eum qui §. in popularibus ff. de jurejuran.* undè licèt, testibus publicatis, & notificatis, reprobetur testium productio *cap. ex tenore cap. veniens de testib. Clem.* 2. *eodem titulo. Marant. dec.* 245. tamen hæc probatio exclusa non censetur, qua de re legas *Riccium collect.* 2812.

*In §. sed etsi.*

TRaditur hìc alius modus probandi, scilicet per notorium, quotiès enim res est notoria, ità probata dicitur, ut nulla alia indigeat probatione, neque per testes, neque per scripturas. Ideò dicit *textus in cap. evidentia de accus.* quòd notoria probatione non indigent, licèt autem notorium relevet ab onere probandi, debet tamen allegari. *Riccius collect.* 653. qui inter alios effectus notorii illum enumerat, quòd scilicet licèt requiratur monitio, ut possit Judex Ecclesiasticus procedere contrà concubinarium, *ex Trid. sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* tamen ad puniendum notorium concubinarium nullo modo requiritur: undè in Curia Archiepiscopali nostra, quidam notorius concubinarius, qui nunquàm fuerit monitus, & per nonnullos annos steterat in concubinatu, fuit relegatus à Diœcesi nostra. *Riccius decis.* 36. *idem in collect.* 653.

Adverte tamen primo, quòd factum dicitur notorium. Primo, ex confessione in judicio emanata. Secundo, ex actis judicialibus. Tertio, quidquid in judicio probatum est, notorium dicitur. Quarto ex publicis instrumentis, & bullis Apostolicis. Quinto factum à majori parte loci, notorium dicitur, legas *Riccium collect.* 1155. *& collect.* 3292.

Adverte secundo, quòd notorium triplex est: aliud scilicet præsumptivum, aliud juris, aliud verò facti. Notorium præsumptivum, est vehemens præsumptio, veluti si filius nutriatur in domo alicujus, & hoc omnibus est notorium: hoc ergo casu, si hìc filius nutriatur secundùm qualitatem suam à nutriente, præsumitur filius illius; *cap. per tuas de probat. cap. transmissa qui filii sint legitimi*, notorium juris est, quandò quis confessus est, vel condemnatus, *cap. per vestras eod. tit. l. res judicata. ff. de re judic.* Notorium facti, est publica fama, apud omnes, vel majorem partem, ut non possit aliqua tergiversatione celari, ut est cohabitatio Clerici cum muliere, & hoc notorium facti, potest esse duplex, scilicet facti transeuntis, & permanentis, primum dicitur in facto, quod non est, sed fuit, ut est passio Christi: factum notorium permanens, est continua conversatio, carceratio alicujus, &c. *cap. dilectis de appellat.*

*In §. ad Notorium.*

ALiud genus probationis hìc traditur, quod fit per vehementes suspiciones, quæ ex conjecturis nascuntur, puta si reperiatur nudus cum nuda in loco secreto. *cap. literis de præsumpt.* est autem præsumptio alicujus facti dubii, investigatio per discursum intellectûs: *glossa in cap. Is, qui fidem de sponsal.* differt verò ab indicio, quia indicium est aliqua extrinseca circumstantia facti, per quam intellectus discurrit.

*In §. Fama.*

COnclusio hujus textûs est, quòd fama præstat aliis probationibus non leve adminiculum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, primo, quòd fama, alia est bona, alia mala: fama bona, est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus. *l. cognitionum, §. existimatio, ff. de variis & extraordin. cognitionib.* fama mala, est populi susurratio, vel ejus majoris partis de aliqua re mala.

Sciendum est secundo, quòd fama non facit plenam, sed semiplenam probationem, *l. 3. §. ejusdem quoque. ff. de testib.* probat tamen fama Doctoratum. *Caputaquensis dec.* 277. *par.* 1. probat etiam nobilitatem, idem *Caputaquensis dec. 6. par.* 2. qua de re multa *Ricc. collect.* 206.

Sciendum est tertio, quòd fama probatur, primo, si testis dicat, se à pluribus audivisse, & nominat singulariter personas aliquas. Secundo, ut deponat audivisse à majori parte populi ejus loci, in quo erat fama. Tertio, ut exprimant testes causam, ex qua fama orta sit. *Misingerius cent. 5. obser.* 46. *Peguera decis.* 17. & testes super ea deponentes, debent esse graves, & qualitas ista debet probari, *Magonius decis. Lucensi quæst.* 3. & sic debet originem habere à personis honestis, & fide dignis: DD. quos sequitur *Ricc. collect.* 1133.

Ex quo benè infertur; quòd licèt rumor, seu fama viciniæ super impedimento matrimonii nihil probet. *cap. super eo, de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ. Seraphinus dec.* 13. tamen, quandò hoc dictum esset de auditu, impedimentum præstat ad contrahendum. *Sayr. de consanguinit. & affinit. dec.* 10. quandò verò cum fama unus concurrit testis, probat. *Ricc. collect.* 3016.

Infertur secundo, quòd in concursu semper prævalet fama bona. *Abb. in cap. cùm in tua de sponsalibus*; sicut etiam, quandò concurrunt duo, quorum unus sit puri sanguinis, alius verò impuri, semper illa prævalet, quæ est pro puritate, qua de re *Ricc. collect.* 3375.

---

## *TITULUS XV.*

### DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

VIsum est suprà de probationibus, verùm, quia posteà pervenitur ad sententiam, ex qua nascitur res judicata, meritò ponitur hic titulus *de sent. & re judicata.* Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd sententia sumi potest in genere, & in specie, si sumatur in genere, est determinata voluntas circà aliquem actum cum discursu, ut docet *S. Thom. in 3. dist.* 35. si verò sumatur in specie, tunc sumitur pro pronunciatione juridicè facta à Judice, & dicitur sententia à sentiendo, quasi, quòd Judex proferat illam, sicut sentit; *Abbas Felynus. & alii in rubr. extrà de sent. & re judicata*, & in illo actu debet Judex esse incorruptus, undè meritò apud Gallos Arrestum appellatur, quod vocabulum est græcum, & significat incorruptum, quasi quòd incorruptus debeat esse illius artifex, qui dicitur Judex, sicut talem existimat Princeps ipsum eligendo, *l. 1. C. de offic. præfect. Prætorii.*

Sciendum secundo est, quòd sententia sumpta in specie, est judicialis diffinitio controversiæ finem imponens, condemnationem, vel absolutionem continens pronunciatione Judicis competentis. *l. 1. ff. eod. tit. c. 2. eodem.*

*In §. Primo cum duobus sequentibus*

DIviditur hìc sententia. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd sententia licèt multipliciter

citer dividatur, tamen in materia nostra per *DD. in rubr. extrà eodem titulo dividitur*, ut alia sit definitiva, alia habens vim definitivæ, alia verò dicitur interlocutoria: sententia definitiva dicitur quandò penitùs imponit finem controversiæ, *gloss. in unica de sequestr. poss. & fruct.* undè continere debet condemnationem, vel absolutionem, ut litigantes sint certi de eorum juribus, *l. 1. ff. de re judicat. Maranta in praxi in tit. de sent.*

Secunda sententia dicitur, habens vim definitivæ, & est quandò ex ea terminatur lis, sed non adeò strictè, quin remaneat litiganti aliquid agendum, juxtà exempla relata per *Marantam in d. tit. qui num.* 92. explicat, quòd pluribus modis sententia dicitur quasi definitiva: præsertim si definiat unum articulum substantialem causæ principalis, putà si minor petit restitutionem in integrum, & Judex pronunciat super ætate, scilicet non esse minorem. nam tunc tacitè excluditur minor à restitutione petita, & sic dicitur articulus substantialis causæ.

Tertia sententia dicitur interlocutoria, quandò scilicet terminatur aliquod emergens in controversia, explicat *Menoch. de arb. Jud. lib. 1. q.* 45. præsertim docet, dici emergens, quandò esset terminanda aliqua dilatio, vel aliqua testium depositio, ubi sententia caderet. *cap. significantibus de testib. cap. significavit eod. tit. cap. consultationi de offic. delegati.*

Sciendum secundò est: quòd sententia debet esse justè prolata per Judicem competentem, & si est definitiva, debet esse absolutoria vel condemnatoria. *l. 3. C. de sententiis*, & quia debet finiri negotium, ideò purè, & non sub conditione debet ferri. *l. 1. §. biduum ff. quandò appellandum. Summista in verb. sententia.*

Sciendum est tertio, quòd verba sententiæ debent strictè intelligi, & non ultrà illorum sonum, & significatum. *l. 1. C. si plures una sententia. Abbas in cap. dilecti de verb. signif.* & sententia lata pro uno prodest interdùm alteri, undè lata pro domino directo, prodest utili Domino. *Aymon conf.* 206. *colum.* 1. sic lata contrà Dominum directum, nocet utili. *Afflictus decis.* 396. *num.* 4. licèt regula sit in jure nostro, quòd res inter alios acta, tertio nocere non debeat, quam exornat *Tiraquellus in peculiari tractatu hujus rei*, & legas *Galluppum in praxi par.* 3. *cap.* 1. qui multa congerit remissivè.

Sciendum est quarto, quòd sententia multos parit effectus, & primo parit effectum veritatis inter partes. Secundò parit interesse, ità quòd si ea condemnetur quis simpliciter ad centum, à die latæ sententiæ, pro tempore, quo reus est in mora, debentur usuræ, ut in toto *tit. de usuris rei judicatæ*, & procedi solet ad liquidandum hoc interesse, juxtà damnum, quod actores patiuntur, vel juxtà lucrum cessans, aut damnum emergens, *Francus dec.* 21. *num.* 4. *Menoch. de arbitr. casu* 119. *Riccius collect.* 812. *p.* 4. Quòd si creditor recipiat sortem principalem contentam in sententia, non præjudicat sibi in interesse, quia debetur jure actionis, *Francus ubi suprà, num.* 50. *Muta in dec. Siciliæ* 82. *Rota Genuensis dec.* 61. latè *Philippus Paschalis de patria potestate cap.* 8. *par.* 1. *num.* 240. Quandò verò sumus in interesse præsens antè sententiam, & non petitum, non debetur post sententiam, quia ad illud non extenditur: undè sententia super sorte principali lata censetur absolutus reus quoad interesse, *Gama decis. Lusitaniæ* 191. non tamen debetur interesse ipsius interesse, ut servatur in S. C. teste *Minadoo dec.* 17. *Thorus in compen. dec. in verb. interesse an debeatur ex interesse.*

Adverte tamen, quòd tunc debetur interesse ex sententia, quandò talis sententia continet quantitatem certam, putà centum, nam si contineat incertum, puta quantitates liquidandas, tunc non debetur interesse: ad *textum in l. magnam, C. de contrah. stipulat.* quia debetur interesse ex mora debitoris condemnati, & non solventis, *cap. mora*, ubi *Dynus de regul. jur. in 6. l. Kalendis, ff. de re jud.* at in illiquidis non contrahitur mora, *Bart. in l. non potest, ff. de regul. jur.*

Sciendum est quinto, differre sententiam à re judicata, quia sententia propriè est, quandò pronnnciatum est à Judice, & pars habet tempus appellandi, quòd si tempus prædictum transactum fuerit, tunc dicitur res judicata, *Auth. hodiè, C. de appellat.* & habetur in *Constit. Regni*, quæ incipit *Appellationum tempora.*

Sciendum est sexto, differre sententiam definitivam, & interlocutoriam in multis, de quibus *Maranta ubi sup.* & quidem multis omissis, differunt, quia definitiva terminat principale negotium, & debet fieri in scriptis, *cap. quoniam contrà de probat.* Interlocutoria verò cadit super incidentibus, nec est necesse, ut fiat in scriptis, verùm ut appareat, posteà redigitur in scriptis, *d. cap. quoniam contrà.* Secundò differunt, quia definitiva, non potest à Judice, qui eam tulit, revocari, cùm jam functus sit officio suo, *l. Judex posteaquàm, ff. de sent. & re judic.* Interlocutoria verò revocari potest ab eodem Judice, qui eam tulit, *cap. cùm cessante de appellat.* & sapientis est mutare consilium in melius, *cap. Magnæ* 22. *q.* 1. & ratio, quare definitiva non possit mutari à proferente, est quia sententia definitiva lata, Judex non est ampliùs Judex in ea causa; sed functus est officio suo: quod secùs est in interlocutoria. Tertio differt una ab alia, quia sententia definitiva fit cum majori deliberatione, & in tribunali, quod secùs est in interlocutoria, quæ non ità deliberatè, *cap. ult. de sent. & re jud. in 6. d. cap. cùm cessante.*

*In §. Vocatis cum duobus sequentibus.*

Conclusio generalis horum jurium est, quòd debet Judex judicare secundùm leges, secundùm ea, quæ sunt in actis, *l. ait. Prætor. §. si Judex, ff. de re judicata*; undè, quandò sententia non justificatur ex actis, dicitur constare ex evidenti, & notoria injustitia ipsius, & ea, quæ sunt extrà acta censentur extrà mundum, *Farinaceus dec.* 336. *post.* 2. *volumen consiliorum, Riccius collect.* 1948. nec Judex debet judicare secundùm conscientiam, sed secundùm allegata, & probata, *l. illicitas, §. veritas. ff. de offic. præsid.* conscientia enim propria non debet movere Judices, quia non sunt in foro pœnitentiali, sed judiciali, *Trivisanus dec.* 4. nec conscientiam quomodocùmque sed ex actis habitam habere debet, *Rota Genuensis dec.* 102.

Ampliatur primo conclusio, ut debeat judicare secun. constitutiones ejusdem Regni, ubi judicat, ut habetur in Regno nostro, in constitutione, quæ incipit *puritatem*: debet etiam judicare secundùm loci consuetudinem, & stylum Curiæ, *Gratianus dec.* 237.

Ampliatur secundo, ut debeat Judex animadvertere. Primo, quid sit narratum. Secundo, an sit verum. Tertiò, quomodò pronunciandum sit strictè juxtà petitionem, & conclusionem factam in libello, an verò interdùm etiam in non petitis propter clausulam adjectam, omni modo meliori, ut docent DD. citati, nec potest Judex super facto deducto ex una causa, & probato ex alia sententiam ferre, *l. si stipulatus, §. si Chrisogonus*, ubi DD. ff. de verb. obligat. Quæ tamen doctrina limitatur in Judicibus, qui judicant sola facti veritate inspecta; illi enim possunt judicare super reducta ex una causa, & probata ex alia, *Guido Papa dec.* 58. Copycius dec. 10. Riccius collectan. 1976.

Intellige primo, ut tunc confessio facta in judicio confitenti præjudicat, quandò est facta principaliter ad negotium, quia si fiat incidenter ad alium finem non præjudicat *Regens de Ponte cons. 95. num. 16. vol. 1.* & hoc exemplificatur in eo, qui appretiando ejus bona asserat in suo appretio se esse debitorem filio, quia tunc ex tali confessione incidenter facta, non potest ille confitens conveniri, *Paschalis de viribus patriæ potestatis par. 3. cap. 2. num. 7.*

Intellige secundo, quandò confessio esset emanata coram Judice competenti, quia si sit emanata coram Judice incompetenti, non præjudicat, ideò clericus confitens coram laico Judice se fecisse aliquod delictum, non probat talis confessio, ut judicialis; probat tamen, & valet, ut extrajudicialis, ut potè sponte facta, undè facit contrà confitentem indicium ad torturam, *glossa in cap. ad hoc de simonia, & in cap. si cautio de fide instrum. Bart. & Bald. in l. admonendi, ff. de jur. jurando, Decius in cap. at si clerici de judiciis*: sic practicari in nostra Curia Archiepiscopali docet *Genuensis in praxi cap. 6. num. 3. Caravita in Ritu M. C. V. 235.* ubi ait, quòd licèt confessio extrajudicialis in civilibus, & criminalibus nihil probet. fallit tamen quoad indicia ad torturam per *textum cum glossa in l. capite 5. ff. de adult. Carolus de Grassis de effect. cleric. effect. 1. num. 249.* Quandò verò confessio à clerico esset facta in judicio civili coram Judice laico, v. g. si clericus conventus ut laicus confessus fuerit aliquid debere Titio, vel quid simile declaravit in illius beneficium, remissus ad Judicem ecclesiasticum, poterit vi illius confessionis cogi, ut solvat, vel observet id quod confessus est saltem per viam obligationis extrajudicialis, si non per viam actûs judiciarii, *Carolus de Grassis num. 253.*

Intellige tertio, ut confessio facta in judicio à principali sibi præjudicet: cæterùm si fiat ab ejus procuratore, nullo modo præjudicat Domino regulariter, nisi sequatur ratihabitio, *l. certum, §. Sed an, & ipsos. ff. de confessis*, vel si fiat mediante mandato speciali, multa ad propositum congerit *Riccius collect. 176. par. 1. & Galluppus in praxi par. 2. cap. 21* ubi an confessio Prælati Ecclesiæ noceat, ejusque successori, & an confessio defuncti noceat hæredi, & an confessio Advocati noceat clienti, & an confessio facta à Procuratore, vel tutore præjudicat pupillo.

Sciendum secundo est, quòd confessio judicialis prætextu erroris in facto proprio, vel alieno non revocatur, *l. non fatetur, juncta glossa, ff. de confessis, Riccius collect. 174. par. 1.* sicut neque potest revocari confessio, quandò est à parte acceptata sub prætextu erroris commissi, dummodò deliberatè fuerit facta, quæ talis dicitur, quandò est judicialiter recepta, *Thomas Trivisanus dec. Veneta 5. lib. 1.* quòd si petat pars facultatem declarandi confessionem, tunc est ei deneganda, quo casu poterit eam revocare, *glossa in cap. cùm dilecti, in verb. dilapidatione de accusat. Abbas in cap. Pastoralis de exception.*

Sciendum est tertio, confessionem maximè judicialem posse rescindi, & acceptari pro parte, quandò continet diversa, vel separata capitula, v. g. si quis confiteatur mihi debere centum, & versa vice, quòd ego ei debeo ducentum, tunc ego possum acceptare confessionem de centum, & negare reliquum, *Natta cons. 365.* Quandò verò confessio continet aliquod connexum, tunc debet in totum acceptari, vel respui, v. g. promitto centum, quæ debet mihi Titius, *Cappella Tholosana dec. 414. DD. in l. 1. C. de confessis. & in cap. 1. eod. tit. in 6.* sic dicimus, quòd si quis confiteatur debere mihi centum cum illa taxativa, tantùm, possum acceptare confessionem pro centum, & negare illam taxativam: in criminalibus verò confessio qualificata non dividitur, *Riccius collect. 174.*

Sciendum est quartò, quòd ad hoc, ut inducatur adversarius ad confitendum, dato ei termino ad probandum, fiunt à parte, cui incumbit onus probandi, positiones, & articuli, in quibus distinctè proponit pars, quicquid intendit, & quicquid probare velit, & hæ positiones, seù articuli intimantur parti, ut sic respondeat, & respondendo sublevet adversarium ab onere probandi, qui articuli successerunt in locum interrogationum, quæ fiebant olim à Judice, *cap. præsentium de testibus, DD. in prag. 8. de ord. Judic. Riccius collect. 268.* Nec tenetur pars respondere, quandò positiones sunt impertinentes, puta si quis esset examinandus, ut principalis in causa repulsæ, & interrogetur circà delicta, non tenetur respondere, sed solùm circà consanguinitatem. Sic quandò positiones, & articuli non faciunt ad causam, *Anna singulari 449.* undè solet Judex, quandò dubitatur, an articuli sint pertinentes, mandare instante parte, ut actuarius referat, an positiones sint impertinentes, vel non, & meliùs faciunt practici quandò faciunt, ut deponat principalis cum clausula, *Salvo jure impertinentiarum*, quia tunc vigore dictæ clausulæ, si reperiantur impertinentes positiones, in nihilo sibi præjudicat principalis.

Sciendum est ultimo, quòd ad hoc ut confessio legitimè fiat. Primo requiritur, ut fiat à pubere, aliàs non valeret, *cap. parvuli 22. q. 8 cap. cùm virum de regul. juris.* Secundo, ut non fiat metu, sed sponte *cap. 2. de his, quæ vi metusvè fiunt.* Tertio, non per errorem, & tandem debet esse certa, non verò ambigua, *l. certum, §. si absente, ff. de confessis.*

### In §. Non tamen.

Agitur hîc de secundo genere probationis, quæ fit per scripturas. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd actor, quandò vult suam intentionem probare per scripturas, tenetur eas edere, & exhibere. Differt verò edere ab eo, quod est exhibere, quia edere generaliter acceptum idem est ac in apertum deducere; undè mulier parturiens dicitur edere partum, *l. Aretusa, ff. de statu hominum*; sic dicimus edi leges, edi scripturas, &c. *l. 1. C. de emendat. Codicis*; quandò verò edere sumitur in specie, tunc refertur ad copiam instrumenti, quæ edi dicitur, & exhibere in specie refertur ad principale instrumentum, undè mandatum de edendo intelligitur, ut detur copia, ut in toto *tit. ff. de edendo.*

Sciendum secundo est, quòd editio multis modis fieri potest, vel enim fit voce vel scriptura: voce proponendo suam intentionem, & respondendo ad interrogata, vel etiam deponendo per testes, *cap. Joannes de fid. Instrum.* Editio verò in scriptis fit, vel dando copiam prætensionis, & dicitur actio edita, *l. 3. C. de edendo*, vel edendo rationes, & computa, *l. 1. l. non est novum. C. de edendo, vel alia instrumenta, & scripturas, l. qui accusare, C. de edendo.*

Sciendum est tertio, quòd datur scriptura publica, & privata, publica dicitur, quandò fit à publica persona circà ejus officium, & auctoritatem, *l. quadam, §. nummularius, ff. de edendo*, vel *in* actis judiciorum, *Afflictus dec. 271. num. 41.* vel si sit facta auctoritate publica cum interventu Notarii, Judicis, & testium, *Regens Rovitus in pragm. 2. num. 8. de contractibus*, & vocatur instrumentum, quasi mentem instruens circà causam, *l. 1. ff. de fide instrum.*

Sciendum est quarto, quòd instrumentum ad hoc ut valeat, plura requiruntur, quæ omnia enumerat *glossa in l. generali, C. de tabul. lib. 10. Riccius collect. 362. par. 2.* & præsertim in Regno nostro debet servari

servari solemnitas tradita per *Constitutionem Regni*, quæ incipit, *Bajulos omnes.* & constitutionem aliam, quæ incipit *instrumentorum robur*, videlicet, ut subscribatur à Judice, Notario, & testibus, ut in omni futuro tempore probet, debet reassumi in charta pergamena cum subscriptione prædicta, quòd si Notarius adhuc vivat, licèt Judex, & testes mortui sint, constito de veritate protocolli, adhuc poterit reassumi, & loco mortuorum, alii subscribi, ut in *prag. 1. de fid. instrum.* immò etiamsi mortuus sit Notarius, & producitur instrumentum in protocollo, si concurrant aliquæ conjecturæ pro veritate dicti protocolli, adhuc poterit ex auctoritate Sacri Consilii reassumi, *Afflictus dec.* 48. Hodie verò per *prag. 2. de fide instrum.* indifferenter fieri potest reassumptio in casu prædicto, quandò omnes mortui sunt, & loco ipsorum alii subrogantur in subscriptione, & generaliter quandò Notarius est absens, vel alio modo impeditus, poterit Judex mandare alteri Notario, quòd reassumat, *Afflictus decis. 6.*

Adverte primo, quòd si testes, qui intervenerunt in contractu, recusent se subscribere sub prætextu, quòd non recordentur, vel quòd non interfuerint, possunt ad hoc compelli: ità *Capycius dec. 29.* idem *Capycius in ejus investitura feudali, vers. regalia fol.* 286. nam tales personæ ob eorum subscriptiones, quas faciunt ad probationem scripturæ, ut significent se adfuisse, non dicuntur approbare illum actum, *Menoch. de præsumption. lib. 3. præsumpt. 66. num.* 17.

Adverte ultimo, quòd si mortuo Notario reperiatur instrumentum tantùm infilzatum, sed nondum in protocollo descriptum, non poterit mandare Judex, ut reassumatur, sed priùs ut extendatur, & conferatur in protocollo *Afflictus in d. Constit. Bajulos omnes Rovit in pragm. 1. de fid instrum. num.* 30.

Sciendum est quinto, quòd instrumentum ad hoc ut valeat, & probet, requiritur, ut sit factum à Notario Regio, id est creato à Rege, cùm ejus creatio sit de regalibus, *Isernia in cap. 1. in §. commendatorum num. 24. quæ sint regalia*, & ut rogatus intrà territorium, & jurisdictionem Regis creantis, nam extrà nec de consensu partium poterit conficere instrumenta, *Gabriel de fide instrumentorum concl. 1. num.* 2. ideò non potest Notarius Apostolicus in terris Regis conficere instrumenta, nec èconträ, quod quomodò procedat videndus est *Regens Tappia in jus Regni in tit. de fide instrum.* docet etiam *Andreas de Isernia loco citato*, quòd si Notarius sit creatus in uno loco, puta Capuæ, poterit conficere instrumentum Neapoli ex partium conventione, nam cùm simus in eadem jurisdictione, facilè conceditur prorogatio, & generaliter approbantur talia instrumenta.

Requiritur etiam in Notario, ut sit homo demanialis, nam vassallus non potest conficere instrumentum in beneficium Baronis ejus Domini, ut in *cap. Regni Ladislaus*, neque contrà Baronem, *Afflictus in Constit. Regni in locis demanii col. 3. & 6.* & cùm accidisset in S. C. articulus, an scilicet dispositio prædicti textûs loquens de instrumentis, habeat locum etiam in obligationibus, quæ fiunt penès acta, decidit S. C. apud *Francum dec.* 118. capitulum prædictum non habere locum in talibus obligationibus, quia textus ille loquitur in instrumentis vel aliis scripturis in publicam formam redigendis, inter quas non sunt obligationes, quæ fiunt penès acta Curiæ, ergò ad eas non extenditur capitulum, argum. *l. si verò. §. de viro, ff sol. matrim.* licèt contrarium decisum referat *Galluppus in praxi par. 2. cap. 22. num.* 10.

Adverte, quòd neque valebit instrumentum dotis confectum per Notarium vassallum in beneficium, vel contrà Baronem *Marta voto* 188. Hoc tamen totum, quòd dicimus, procedit & extenditur in instrumento confecto in favorem domini affictatoris alicujus Terræ, sivè Civitatis cum jurisdictione civili, & criminali, ac mero, & mixto imperio, ut consuluit *Visconte in addit. ad Francum ubi suprà* adducens *Martam voto* 186. Ratio est, tùm quia militat eadem ratio *d. cap. ratione*, scilicet *timoris*: tùm quia in rubrica dicitur de non conficiendo instrumenta per tabelliones subditos ratione jurisdictionis prædictæ. Neque talis prohibitio respicit testamenta, & codicillos, cùm loquatur de instrumentis, *Anna singulari* 244. *Riccius collect.* 614. *Galluppus ubi sup. num.* 11.

Sciendum est sexto, quòd modus probandi per scripturas publicas requiritur in multis casibus, de quibus *glossa in cap. 1. § postquàm de censuris in 6. Riccius collect.* 246. & ultra *glossam* prædictam adest casus, quandò scilicet petitur restitutio dotis, & antequam ti in Civitate Neapolis, quia tunc debet produci instrumentum dotale secundùm consuetudinem Neapolitanam, quæ incipit *dos, & quarta Minadous conf.* 18. sic etiam quandò uxor petit restitutionem dotis ob vergendiam viri ad inopiam, debet ducere instrumentum dotale; sic decisum docet *Molfesius ad Consuetud. Neapo it. par. 7. q.* 15. *Thorus in compend. decis. in verb. assecuratio an possit.* Quandò verò pro restitutione dotis ageretur judicio assistentiæ contrà tertios possessores, tunc potest obtineri si producatur instrumentum introductum in forma probante, *Minadous dec. 6. Thorus in compend. dec. in verb. assistentia præstari.*

Additur alius casus, in quo requiritur scriptura per *glossam* non numeratus, quandò scilicet probaretur assensus requisitus in alienatione rei feudalis, quia non potest probari, nisi per scripturam, nempè per memoriale expeditum per verbum *fiat*, & registratum infrà annum, *pragm. 1. de privil. infrà ann. præsen.* nisi tamen circà res feudales contrahatur cum ipsomet Rege, vel Prorege, vel cum Regia Camera, quia tunc assensus intelligitur tacitè præstitus, sic decisum in S. C. testatur *Galluppus in praxi par. 2. cap. 22. nu.* 16.

Sciendum est septimo, plures esse instrumenti utilitates, quas enumerat *Galluppus ubi suprà num.* 18. *cum pluribus sequentibus*; ex quibus multitibus quærunt DD. an solvens Titio possit ipsum cogere ad faciendum instrumentum quietationis? Et respondet *Anna singulari 70. ex tex. in l. dissoluta, C. de condict. sine causa*: prout in simili docent, quòd si Titius debet mihi centum, de quibus est obligatus coram testibus, possum etiam ipsum cogi facere, ut conficiat instrumentum de facie ad faciem, ut ait *Afflictus in Constitut. Regni Bajulos omnes num. 87. & 88.* sicut etiam potest debitor cogi ad conficiendum instrumentum cessionatim, sed non cum clausula quarantagiæ, id est liquidum & juratum: *Suarez in l. post rem judicatam quæst. penul. ff. de re judic.* leges *Rebuff. ad constit. Gallicas, de litteris obligatoriis art. 2. glossa unica num.* 88.

Rogabis: quid requiratur, ut contrà aliquem possit liquidari instrumentum?

Ut hoc intelligas, supponere oportet, quòd instrumentum in Regno nostro vigore clausulæ quarantagiæ appositæ à Notario, habet paratam executionem. Immò etiamsi non apponatur talis clausula habet eam executionem ex *Ritu 166.* ubi dicitur, quòd adversùs liquidationem instrumenti nulla possit opponi exceptio, nisi in vinculis, aut facto deposito: Ratio est, quia instrumenta hodiè sunt jurata, & juramentum habet paratam executionem, & elapso termino solutionis juratæ debitor est perjurus, *cap. ad vestram de jurejurando absque alia interpellatione*, *Capycius dec.* 106. *num.* 3. *Regens Rovitus, & Regens Tappia sub titulo de liquid. instrum.* Hoc posito.

Respondeo, quòd primo requiritur, quòd sit liquidum

dum, & non incertum, vel conditionale: nam si esset conditionale debitum, adveniente conditione, liquidari posset, dummodò tamen intimetur parti, & constet Judici adimplementum conditionis, *Bald. in l. cum testamento, C. de testam. manumiss. Franciscus Marcus dec.* 395. *lib.* 1.

Secundo requiritur, ut principalis creditor sit qui liquidet, & obligatus de facie ad faciem. *Afflictus dec.* 64. vel hæres ipsius creditoris, qui debet ducere decretum præambuli, quandò verò esset facta promissio alicui pro se, & ejus hæredibus ex legitimo matrimonio descendentibus, si producatur præambulum factum simpliciter in personam hæredis extranei, non poterit procedi ad liquidationem, sic decisum in S. C. docet *Galluppus part.* 2. *cap.* 22. *num.* 35. Cessionarius verò liquidare non poterit instrumentum nisi cum principali, vel hærede illius, qui cessit debitum, *Regens Rovitus in rubrica de liquid. instrum. num.* 10. Non tamen cogi poterit cedens invitus ad liquidandum, nisi in actu cessionis se obligaverit ad hoc, idem *Rovitus loco cit.*

Tertio requiritur respectu personæ debitoris, ut non sit debitor ipse Pater, contrà quem filius instrumentum liquidare non potest. *Francus dec.* 162. neque contrà matrem liquidare potest, *idem Francus decis.* 166. neque Nurus contrà Socerum, vel contrà. *Minadous decis.* 20. Ratio hujus rei est, quia accusatio instrumenti est causa criminalis, & filius non potest Patrem accusare criminaliter, ubi potest alio remedio civili. Neque fratrem contrà alium fratrem instrumentum accusare potest, ait *Freccia de præsent. instrum. par.* 12. *principali quæst.* 1. *Thesaurus dec.* 110. *num.* 1. *Galupp. num.* 36.

Immò neque possit filium spiritualem susceptum de Sacro Fonte, vel in Sacro Chrismate liquidare instrumentum contrà patrem spiritualem, firmat *D. Antonius de Marinis resol. quotid. c.* 190. cùm non sit minor spiritualis affinitas, quàm carnalis, *cap. qui dormivit* 27. *quæst.* 2. *cap. ità diligente, & cap. sequenti* 3. *quæst.* 3. An verò liquidatio contrà mortuum eo die, quo fuit mortuus, facta, valeat, legas *Gizzarellum dec.* 9.

Quarto requiritur, ut citatio, quæ fit super tenore instrumenti, sit pro vero debito, quia si citaretur in plus, non valeret liquidatio, & puniretur Creditor, *Gizzarell. dec.* 20. ubi addentes. Quandò ergo talis citatio ità fieret, esset nulla. Verùm S. C. determinare solet, quòd iterum citetur: sic *Galluppus num.* 37. Quòd si quis in instrumento apponat unum loco alterius; si posteà producatur fides, vel alia scriptura in promptu, ex qua probetur, reperiri alium ejusdem nominis, & cognominis, tunc impeditur liquidatio, & executio, sic decisum docet *Galluppus loc. cit.* & capitur informatio super indemnitate personæ neque Notarius est in culpa, cùm non teneatur cognoscere contrahentes. *Gratianus dec.* 116. *Gaspar Thesaurus lib.* 2. *quæst. for. q.* 78. nisi tamen id malitiosè fecerit. *Thorus in Compend. decis. in verb. Actuarius, vel Notarius*, latè *Riccius collectan.* 713.

Adverte tamen primo, quòd pendente lite coram arbitris vigore compromissi facti, non poterit liquidari à partibus instrumentum, sic decisum docet *Thorus in Compend. decis. in verb. instrumentum, liquidari an possit*, & an pendente recissione contractùs possit liquidari instrumentum, tradit *Giurba dec.* 100.

Adverte secundo, quòd pendente lite super recissione instrumenti, si fiat depositum sortis principalis, debet liberari creditori cum cautione. *Frecc. de liquid. par* 6. *quæst.* 6. quandò verò essent tertiæ, tunc liberantur creditori absque cautione, ut quotidiè servatur in praxi.

Sciendum est octavo, scripturam privatam esse eam, quæ fit à persona privata, quæ de per se non est apta ad probandum, nisi adminiculata fuerit testibus deponentibus circà verificationem manûs scribentis. *Rovit. in prag.* 2. *num.* 8. *de contract.* quandò tamen est Apocha banchalis, postquàm est probata per testes vel recognita, habet executionem paratam. *Tappia in jus Regni lib.* 3. *sub. tit. de Apochis lib.* 3. quandò verò testes deponunt, debent dicere vidisse scribere, non autem sufficit si dicant, habere notitiam manûs, *Afflictus dec.* 181. ubi addentes, *Grammaticus dec.* 84. vel possunt deponere vidisse scribere, ibi testes subscriptos. *Riccius collect.* 19. multa etiam videnda sunt apud *Nicolaum Genuam in titulo de privata scriptura*. *Galluppum ubi sup. cap.* 23.

*In §. debet autem cum duobus sequentibus.*

Agitur hîc de probationibus, quæ fiunt per testes. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd testis dicitur ille, qui rei gestæ est probator, & antiquitùs dicebatur superstes, quia erat super statu causæ, *cap. forus, ubi DD. de verb. signif.* probatio autem per testes, major est omnibus aliis, & dicta testium, appellantur depositiones, seù testificationes, quæ in scriptis dari debent lite contestata, *c. quoniam contrà de probat.* & solent citari partes ad videndum juramenta testium, *cap.* 2. *de testibus*; non tamen possunt partes dicta testium audire, nam sunt secretò examinandi, & sigillatim, *cap. ult. de testib.*

Sciendum est secundo, quòd requiruntur in teste multæ conditiones, puta fama, veritas, & similia, quare ait *Menochius de arbit. Jud. casu* 90. hanc probationis speciem satis plusquàm alia esse suppositam arbitrio Judicis, qui maximoperè attendere debet, ut omni ò veritati locus sit. *l.* 2. *C. si contrà jus, vel util. publ. c. judicantem* 3. *q.* 5.

Sciendum est tertio, quòd ut valeat testium depositio, multæ requiruntur de jure communi & Regni solemnitates; Primo enim requiritur, quòd citentur in termino concesso ad probandum, quæ citatio etiam in criminalibus requiritur, adeò, quòd etiamsi mille essent, non probarent, nec fidem facerent. *Rovitus in pragm.* 1. *§.* 4. *de bonis præditorum, Francus dec.* 716. *Riccius collect.* 321. *par.* 2.

Secundo requiritur, quòd citetur principalis, contrà quem sunt testes recipiendi ad videndum illorum juramentum, aliàs non valeret depositio. *l. si quandò C. de testibus, Afflictus dec.* 39. & specificatur tempus, & locus, ubi recipiendi sunt testes, & per nomina & cognomina recipi debent, quòd si adesset periculum subornationis, poterit fieri alia citatio respectu principalis ad videndum ipsorum juramenta, absque nominibus, quæ citatio poterit fieri procuratori, qui poterit se protestari de multis. *Rovit. in pragm.* 12. *de ord. Judic.* legas de hac re *Gaillum lib.* 1. *observ. observat.* 49. *Riccium collect.* 692. *Regens Tappia in Jus Regni sub tit. de testibus*, *Farinaceus dec.* 18. 47. 52. 57. & 205.

Tertio requiritur, quòd præsententur articuli, cum clausula in fine, salvo jure producendi novos, qui articuli debent esse ad causam pertinentes, aliàs rejiciuntur, dicuntur verò impertinentes, quandò aliquid causæ non conferunt. *Rovitus ubi sup. num.* 6. In praxi verò, quandò quis producit articulos impertinentes, licèt Judex illos non rejiciat, concedit tamen parti terminum ad se defendendum adversùs ibi adducta, & probata, ut servari, & decisum fuisse docet, *Rovit. loc. cit.*

Quarto requiritur, quòd testis deponat veritatem, quia, si mendacium dixerit, vel verum tacuerit, debet puniri de falso, *cap. quisquis* 11. *quæst.* 1. *DD. in l.* 1.

*l. 1. C. si contrà Jus. &c.* ideò jurare debet, aliàs ei non creditur, nec fidem facit; *cap. tuis extrà eodem, l. jusjurandi. C. de testibus. Gaillus lib. 1. obser.* 101. etiamsi sit Episcopus, vel Cardinalis, *glossa in cap. cùm olim de privilegiis, Magonius decis. Lucensi* 45. *num.* 10. licèt verò testes non jurantes non faciant plenam probationem, eam tamen faciunt semiplenam. *Menochius de arb. Jud. lib. 1. quæst.* 25. quandò verò requiratur nec ne tale juramentum, legas *Ricc. collect.* 263.

Quinto requiritur in nostris Tribunalibus laicalibus, ut in uno articulo non examinentur plures, quàm septem testes; *Pragm. 1. de testium refrenatione*, ex quo quandò expediuntur provisiones à M. C. Vicariæ, & S. C. pro examinandis testibus, expresse debet fieri mentio de dispositione dictæ pragmaticæ, ut in *Pragm. 49. de offic. S. R. C.* & si ultrà numerum prædictum recipiantur alii nihil probant, & sunt rejiciendi, quandò verò persona, quæ eos producit, esset minor, vel alio modo privilegiata, haberet electionem in rejiciendo eos, qui minùs probant, *Riccius in Prag. 11. de ord. Judic.* qui sic decisum docet *idem Rovit. in d. pragm. 1. de refren. testium num.* 3. *Thorus in Compend. decis. in verb. refrenatio testium.* In materia verò confinium, & in probandis factis antiquis possunt admitti decem testes, *ut in d. prag.* 1. Unus tamen testis non probat, *cap. licèt causam, de probat. cap. dilecti de elect.* nam vox unius, vox nullius. *l. jusjur. C. de testibus*, quandò verò testis deponens, sit singularis, legas *Riccium collect.* 127. *par.* 1. posset tamen depositio unius testis adminiculari cum fama, & aliis, latè *Gabriel de testibus conclus.* 1. *&* 2. *Farinaceus de testibus.*

*In §. interrogabit cum duobus sequentibus.*

Agitur hìc de modo, quo Judex se gerere debet in testibus examinandis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd nulla causa potest terminari sine probatione, saltem duorum testium, cum in ore duorum, vel trium, stet omne verbum, *cap. novit. de judiciis*, in materia verò peccati evitandi unus sufficit testis. *cap. ut super de testibus.*

Sciendum secundo est, quòd quandò fit nominatio testium in partibus, examinator testium est ordinarius Judex loci. *Constit. Regni.* quæ incipit *in pecuniariis, vel alicui probo Actuario*, sic practicari docet. *Caravità in ritu* 155. quandò verò officialis, vel actuarius loci esset suspectus, datur nota suspectionum. *Prag. 9. de ord. Judic.* quo visa committitur audientia testium aliis officialibus locorum, sed non privatis personis. *Auth. quod eloquentissimum*, ubi *glossa C. de fide instrum.* de jure tamen canonico committitur audientia testium personæ privatæ, ut docet *Vestius in praxi Curiæ Romanæ lib. 2. cap. ult.*

In nostris verò Tribunalibus laicalibus eligitur Scriba causæ, præsertim in M. C. V. In S. C. verò unus ex electis per bussulam, dummodò non sit partibus suspectus: undè in calce termini datur nota suspectorum, aliàs indifferenter eligitur, *Pragm. 9. de ord. Judic.* ubi DD. qui tamen examinator debet recipere unum post alium sigillatim, & secretè præsertim in negotiis arduis. *Menochius de arbit. Jud. lib. 1. quæst.* 29. & debet examinator testium scribere depositiones testium propriis manibus, ut in *prag. 56. de offic. S. R. C.* & interdùm, quia instant partes, quòd testes recipiantur coram causæ Commissario; videns Judex importantiam causæ, vel falsitatis periculum, mandat ut recipiantur testes coram ipso, *Thesaurus dec. Pedamon.* 30. quo casu tamen debet fieri depositum certæ quantitatis à parte petente pro Judicis, & examinatoris jure, *Anna singul.* 519.

Servatur etiam in praxi, quòd examinator tenetur secretè penès se retinere, non solùm articulos, sed etiam examen, & attestationes super illis factas, adeò quòd, si illas ostenderit, vel dederit copiam, tenebitur pœna falsi; sic fuisse Paduæ judicatum docet *Alex. in l. is, apud quem, C. de edendo.*

Sciendum est tertio, quòd testes clarè deponere debent, aliàs tenentur declarare eorum dictum, *cap. in præsentia de testibus, Thesaurus dec.* 50. nec debent instrui, sed causam scientiæ debent reddere per quinque sensus, *Maranta de testibus col.* 4. & ideò non valet redditio causæ, Si dicat scio, quia scio: quòd si factum sit de nocte, quod non potest cadere in sensu visionis, non probat testis, si nihil dicat de lumine artificioso, vel lunari, *Thorus in compend. decis. in verb. deponentes vidisse*; qua de re *Farinaceus de testib. q.* 80. *num.* 160. tenentur etiam deponere de loco, & tempore, *l. solam, C. de testib.* maximè quandò locus, vel tempus est fundamentum intentionis producentis testes, *Regens Tappia in jus Regni, prag. 11. de censibus num.* 43.

*In §. testes verò cum decem sequentibus.*

Agitur hìc de conditionibus, quas habere debent testes. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd testes debent habere septem conditiones. Et quidem.

Primo requiritur conditio. Undè servus non potest esse testis, *l. quoniam liberi de testibus*, licèt enim regulariter nemo prohibeatur, *l. 1. ff. de testibus*, tamen de jure aliqui prohibentur: inter quos, Primo est servus: in criminalibus verò contrà damnum admittitur in defectu testium cum tormentis, *Ricc. in præs.*

Secundo non potest esse testis femina in judiciis: secùs in testamentis ad pias causas, quòd si aliundè sciri non posset veritas, tunc possent testes mulieres esse, *cap. quamquàm 14. q.* 2. cùm periculosa sit commixtio sexuum, *cap. definimus 18. q.* 2.

Tertio caret fide testis malæ vitæ, & famæ, & sic, si sit integra persona probat, requiritur verò, ut sit integra; Primo, quòd sit omninò immunis à crimine. Secundo, quòd procul sit ab infamia. Tertio, quòd sit absens à suspicione criminis, quia non debet in aliquo vacillare, *glossa hìc.*

Quarto, non potest esse testis vassallus pro Domino, *Afflictus dec.* 305.

Quinto, nec Domesticus; poterunt verò Domestici testificari contrà, *Capella Tholosana dec.* 4. sicut etiam admittuntur domestici in illis rebus, quæ non nisi per domesticas personas probari possunt, *Antonius Faber in suo Codice in titulo de prob. def.* 60. sicut etiam testis instrumentarius auditur, licèt sit domesticus tempore testimonii, *Antonius Faber de testib. dec.* 7. Sicut etiam sollicitator negotiorum, licèt sit domesticus, tamen admittitur ad testificandum pro domino, *Rota Romana de testibus dec. 12. in novis.* Sic uxor contrà maritum testis esse poterit, *Faber dec. 1. de probat.* sicut etiam admittuntur domesticæ personæ in subsidium, *Mynsincerius cent. 3. obser.* 16. *Rota Lucensis dec.* 72. *Grammat. dec.* 45.

Sexto, non potest esse testis proxeneta, seù mediator, *cap. dilectorum de testibus*, in eo negotio, pro quo mediator extitit: si verò deponat proxeneta in eo, quod non spectat ad ejus commodum, laudem, vel dedecus, valeret depositio, *Farinaceus dec.* 47. sicut etiam probat, & admittitur, quandò utraque pars consentit, *Antonius Faber de testibus decis.* 56. latè *Riccius collect.* 715. qui refert decisum probare proxe-

proxenetam, quandò deficerent aliæ probationes, & sic in defectum.

Septimo, neque est idoneus testis, qui deponit in causa propria, *l. nullus, ff. de testibus*: undè exculpatio, quam quis facit in articulo mortis, dicens, forsitan talem non fecisse delictum, non prodest exculpato, quia in propria causa quasi deponere dicitur, *Massrillus dec.* 195. sicut non valet depositio testis habentis commodum in aliquo negotio, in quo deponit *Vivius decis.* 179. sicut nec socius criminis potest interrogari de sociis, nisi in casibus quibusdam, de quibus *Peguera dec.* 5. qua de re *Ricius collect.* 527.

Octavo, neque est idoneus testis Advocatus pro suo cliente, *l. fin. ff. de testib. cap. fin. extrà eodem.* Intellige in his, quæ non scit tanquàm testis, sed ut Advocatus: ideò, si aliqua scit, antequàm ut Advocatus assumeretur, potest de his testificari: secùs si testificaretur super his, quæ sciret occasione consilii ab eo præstiti. quia hæc tenetur Advocatus celare, *Francus dec.* 222. sicut posset etiam Advocatus esse testis pro cliente in alia causa, quàm in ea, pro qua præstat patrocinium, *Faber dec.* 19. *sub titulo de testibus*, sicut etiam poterit testificari contrà suum clientem, *Surdus dec.* 190. Tandem possei Advocatus esse testis pro suo cliente, quandò alia pars vellet in testem producere Advocatum suæ partis adversæ, quia tunc cessat illa ratio, per quam præsumeretur testis corruptus, *Guido Papa dec.* 45. *Ricius coll.* 233.

Nono, neque cives admittuntur, ut idonei testes pro universitate, *l. in tantùm* §. *Universitatis, ff. de rerum divisione*, quod limita, quandò testes deponerent in iis, quæ sunt communia civibus uti universis, quia tunc benè probant pro Universitate, *Capycius dec.* 132. *num.* 2. *Afflictus dec.* 400.

Secundò, limita in Universitate magna, & populosa, *Marta Rota Pisana decis.* 199.

Tertio limita in testibus alicujus Universitatis hîc Neapoli habitantibus, quia possunt recipi in testes pro universitate, sic decisum docet *Anna singulari* 81.

Limita quarto in civibus religiosis, qui pariter admittuntur. Idem *Anna singulari* 82.

Limita ultimo in civibus Universitatis, qui per testes possunt optimè probari, *Guido Papa dec.* 193. De hac materia videas *Farinaceum dec.* 210. *&* 312. *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 106.

Decimo, Judæus contra Christianum esse non potest testis, latè *Ursillus ad Afflictum dec.* 414. neque inimicus, & quid, si esset reconciliatus, & quid, si præsumptiuè, *Menoch. lib.* 1. *de arbitr. Jud. casu* 28. nec pater pro filio, frater pro fratre, uxor pro marito, vel è contra, *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 46. latè agit de hac materia *Gabriel de testibus concl.* 6. *cum pluribus sequentibus.*

### *In §. dubium cum sequenti.*

Conclusio hujus textûs est, quòd quandò sunt examinandi testes, possunt recipere dilationes plures, vel minores secundùm Judicis arbitrium, qui poterit etiam differre terminum, ad notata per *Abbatem in cap. licet de probat.* & per *Marantam in par.* 6. *in verb. dilatio.* Sicut impeditus ob causam ad comparendum in termino, potest per Judicem restitui ad dilationem, *Afflictus dec.* 29. Idem *dec.* 50. quandò verò detur dilatio, legas *Riccium col.* 1207.

Quandò verò testes dant juramentum in termino, possunt examinari elapso termino, quia sufficit dedisse juramentum in termino, *Abbas*, & alii ubi suprà.

Tandem advertas, quòd, quandò Judex est remotus ab officio, poterit esse testis ex causa, *cap. dilecti. & cap. significavit de testibus.*

### *In §. Elapsis.*

Agitur hîc de publicatione in causa. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd factis hinc indè probationibus: sequitur actus publicationis, quo patefiunt testificata, *cap. fraternitati de testibus*, & in causis, in quibus non datur terminus, vocatur monitio, seù facultas ad dicendum, *Caravita in Ritu* 72. *num.* 13. non tamen per hoc, quòd talis actus omitteretur, causa, vel processus vitiaretur, *Maranta in titulo an judicium sit super petit. vel possessorio*, nec sententia vitiatur, si pronuncietur sine illâ, *Afflictus in Constit. Regni pacis cultum*: immò sententia valet, licèt sit petita testium publicatio, & denegata; *Trivisanus decis. Veneta* 63. *lib.* 1. quod à fortiori procedit in causis summariis, *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *q.* 33.

Sciendum secundo est, quòd talis publicatio plures producit effectus: & quidem primo ex hoc tempore publicationis currit spatium 15. dierum ad petendam declarationem circà usum, ut in *prag.* 28. *cap.* 8.

Secundo ab hoc tempore constituitur possessor in mala fide, adeò quòd tenetur ex tunc ad fructus perceptos lite pendente à re deducta in judicio, *Afflictus dec.* 59. *Peregrinus de fideicom. art.* 49. *num.* 146.

Tertius principalis effectus est, quòd attestationes factæ possunt à partibus vicissim videri, & sic ob præsumptum timorem subornationis præcluditur via producendi alios testes, *d. cap. fraternitatis*, *Gabriel de testibus concl.* 21. *Farinaceus de test. lib. q.* 75.

Quod tamen non habet locum super de novo emergentibus, quia in his poterunt produci novi testes. Secundo, quandò testes non fuerint recepti culpa examinatoris, vel Judicis, *Francus dec.* 371. Tertio, quandò testes fuissent nulliter recepti, quia poterunt recipi etiam post publicationem, *Thesaurus dec.* 287. *Farinaceus ubi sup.* Quarto, in causis criminalibus admittuntur testes etiam post publicationem, *Thesaurus dec.* 262. Quinto, si in prima instantia sit articulatum de certa summa: poterit in secunda probari de majori, *Anna singulari* 312. limita aliis modis, de quibus *Ricius in præsenti.*

Sciendum est tertio, quòd etiam testificatis dictis testium, adhuc possint alii produci, quandò offertur probatio facienda per inspectionem oculorum, quæ probatio requiritur in octo casibus, ut ait *Cassaneus super consuetud. Burgundiæ de judicibus, rubrica* 1. §. 6. *num.* 8. quæ probatio admittitur, & præcedit cæteris, *Afflictus dec.* 216. undè in praxi post hunc actum, solet peti accessus ejusdem causæ Commissarii, super faciem loci, qui non potest denegari, sed à petente fit depositum pro salario.

Sciendum est quarto, quòd etiam post didicita testificata, & facta publicatione recipi possunt alii testes, quandò non fuerunt alii examinati super articulis ex negligentia examinatoris, vel Commissarii, *Francus dec.* 371. & quid si agatur de repetitione? *Anna singul.* 423. Quandò verò pars post hunc actum nihil opposuit, attestationes valebunt, *Menochius lib.* 2. *de præsumpt. præs.* 47.

Sciendum est ultimo, quòd etiam post talem publicationem factam, si producatur instrumentum, vel aliqua scriptura, quæ indigeat aliquo supplemento, & probatione: tunc etiam certificatis testibus, possunt produci testes ad comprobandum, *Afflictus dec.* 33. *num.* 4. *Francus dec.* 631. *vers. sæpiùs*, *Farinac. de testibus q.* 75. *Card. Ludovisius dec.* 583.

In

*In §. Illud juris est, cum sequenti.*

CONclusio horum jurium est, quòd licitum est reprobare testes etiam reprobatorios testium: undè licèt possint testes reprobari, tamen pars adversa poterit reprobare reprobantes primos testes, sed non ultrà, ne scilicet detur processus in infinitum.

Quandò verò adest multorum testium concursus, debet Judex respicere ad testes magis idoneos, & si aliquis existat testis, poterit iterùm examinari, *cap. cùm causam de testibus*: quandò verò testis lapsu linguæ erravit, potest se incontinenti corrigere statim, nam errantis non est consensus, *cap. per tuas eodem titulo*, & examinator debet dicere [ & deindè statim meliùs recordatus ].

*In §. exhiberi cum quatuor sequentibus.*

COnclusio dicitur hîc, quòd scriptura potest exhiberi tàm antè, quàm post publicationem in causa, immò post conclusionem in causa: Dicitur verò conclusio in causa, quandò datur finis probationibus præsertim testium, & dicitur causa appuntata, quia parati sunt sententiam latam esse, & conclusum in causa. *Afflictus dec. 396. nu. 12.* post quam conclusionem in causa, non potest concedi repetitio testium. *Francus dec. 716. num. 9.* Hodie tamen in S. C. practicatur, quòd post conclusum in causa, recipiuntur scripturæ, tàm publicæ, quàm privatæ, sivè præsententur per reum, sivè per actorem: Immò usque ad tempus prolationis sententiæ exclusivè, idque procedit ob clausulam, qua proceditur in Regno nostro sola facti veritate inspecta, qua de re *Gizzarellus dec. 42. num. 1. & 2.* qui addit, quòd in S.C. practicatur, ut post hunc actum recipi possint literæ missæ à reo, vel convento, si petatur, ut actor cum juramento recognoscat illas.

Et in eo termino, qui conceditur producenti scripturas ad concomitandum, poterit conventus probare contrà tale instrumentum. *Giurba decis. 36. Regni Siciliæ.*

*In §. exhibebuntur.*

COnclusio hujus textûs est, quòd scriptura, quæ præsentatur, debet esse pura sine rasura, & cancellatione, aliàs redditur suspecta: quandò verò est in aliquo erratum, & statim error revocatus est, cancellari non debet id, in quo erratum est, sed claudi debet cum aliquo signo ad hoc, ut possit cognosci id, in quo erratum est, ut servatur in praxi per *DD. in cap. cùm dilectus de fide instrumentorum.*

*In §. Quòd si, cum quinque sequentibus.*

AGitur hîc de alio genere probationis, scilicet de juramento. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd juramentum est inventum ad informandam hominum credulitatem, *cap. & si Christus de jurejuran.* Definitur verò hoc modo. Juramentum est assertio, vel negatio de aliqua re honesta, & possibili sacræ rei attestatione firmata, vel nisi dicere volueris, juramentum est invocatio divini nominis in veritatis testimonium. *Abbas in rubrica extrà eodem.* In quo juramento, si loquamur an nascatur obligatio quoad Deum, & non sunt de essentia verba: si verò loquamur, an sit de essentia verba quantùm ad forum exteriorem, & requiruntur, quæ satis sunt sivè sint formalia, sivè virtualia, quæ habentur per nutus, *DD. in rubr. de jurejuran.*

Neque est necessarius in juramento contactus scripturæ sacræ, sed poterit tangi quælibet scriptura, sed nec manus alicujus feminæ honestatis causa. Poterit etiam jurare quis per creaturas. *Genes. cap. 42.* ibi Joseph juravit per salutem Pharaonis, & sæpè in jure Canonico juratur per Evangelium, per Crucem *cap. qui jurat. 22. quæst. 5. cap. ego de jurejuran.* quandò verò juratur per creaturas, non intelligitur per eas absolutè, quia esset idololatriæ species, sed intelligitur per creaturas, ordinando eas ad Creatorem, quatenùs ab illo conservantur, & ab eo conditæ sunt. *S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 6.* undè qui jurat per Crucem, jurat per Crucifixum: ad conservandam tamen simplicitatem, ad terrorem, & auferendum abusum, ait Christus, *nolite jurare per Cœlum, DD. in d. c. & si Christus.*

An verò valeat juramentum præstitum per falsos Deos, quæstio est? dicunt aliqui, peccare tales jurantes, verùm teneri ad juramentum. *Abbas, Innocentius, & alii in d. cap. & si Christus;* ideò dicunt, quòd si Christianus negotietur cum Mahumettano, & juret per Mahumetem, tenet juramentum, sed peccat mortaliter, quod sanè procedit, quandò Christianus necessarium negotium facit cum Mahumettano, & de facili esset contempturus juramentum, si Christianus juraverit per Christum; quia tunc poterit per Mahumetem jurare, nam hoc casu Christianus non videtur approbare Mahumetem, sed potiùs id necessitatis causa facit.

Sciendum est secundo, quod ad juramentum requiruntur veluti Comites. Primo scilicet veritas. Secundo judicium. Tertio Justitia, quæ omnia explicat *S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 3. & Canonistæ in cap. & si Christus de jurejur. & Can. jurabunt. 32. quæst. 1. & can. animadvertendum 22. quæst. 5.* qua de re *Afflictus decis. 80. Gaillus pract. obser. lib. 1. obser. 147. Antonius Faber in suo Codice lib. 4. tit. 1. de fin. 7.* requiritur ergo primo, ut juramentum sit justum: dicitur verò injustum, quandò iniquitatem, & peccatum nutrit. *S. Thomas 2. 2. quæst. 70. art. 2.* Secundo requiritur animi judicium, id est discretio: undè jurans temerè, vel inconsideratè, non dicitur habere judicium animi. Tertio requiritur veritas, cujus contrarium est falsitas, & peccatum mortale *Cajetanus in verb. perjurium S. Thom. ubi sup.*

Sciendum est tertio, quòd juramentum triplex est ( omissis variis divisionibus, de quibus *Layman lib. 4. tract. 3. c. 4.*) primum dicitur juramentum assertorium, quòd aliud est affirmativum, quo aliquid affirmatur, aliud negatorium, quo aliquid negatur de præsenti, vel de præterito. Secundum juramentum dicitur promissorium, ut est quo aliquid promittitur dandum, vel faciendum de futuro, tertium dicitur execratorium, quandò scilicet quis jurat imprecando sibi aliquod pœnale, vel alteri, cui juramento simile est comminatorium, quandò quis comminatur pœnam.

Alia divisio juramenti est, quòd aliud sit judiciale, quod subdividitur in necessarium, quod defertur à Judice parti, aliud voluntarium, quod defertur à parte parti extrà judicium. *Mancinus de juram. par. 2. in principio. Petrus Gregor. lib. 5. Syntagm. Juris. c. 4. Layman ubi sup.*

*In §. Judicis inspectione.*

POnitur hîc aliud genus probationis, scilicet, quia fit per Judicis inspectionem. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd major omnium probationum est, quæ fit per Judicem inspiciendo delictum, vel in genere, putà reperiendo instrumenta prohibita apud aliquem accusatum, vel corpus mortuum, vel fit inspiciendo delictum in specie, putà si in actu delinquendi reperiatur delinquens, quapropter debet Judex accedere super faciem loci, & semper delictum in specie supponit delictum in genere; undè

unde, si non reperiatur mulier prægnans, frustrà de impregnante quæritur, ut in toto tit. *ff. de ventre inspiciendo*, quo in casu femina femina à inspici debet: unde si Judex vellet inspicere feminam in pudendis, privandus est officio *Follerius in praxi criminali fol. 18. nu. 27.*

Sciendum secundo est, quòd probatio per inspectionem oculorum, nunquàm censetur exclusa. *Afflictus decis.* 217. *ex Jasone in l. eum qui §. in popularibus ff. de jurejuran.* undè licèt, testibus publicatis, & notificatis, reprobetur testium productio *cap. ex tenore cap. veniens de testib. Clem. 2. eodem titulo. Marant. dec.* 245. tamen hæc probatio exclusa non censetur, qua de re legas *Riccium collect.* 2812.

*In §. sed etsi.*

TRaditur hìc alius modus probandi, scilicet per notorium, quotiès enim res est notoria, ità probata dicitur, ut nulla alia indigeat probatione, neque per testes, neque per scripturas. Ideò dicit *textus in cap. evidentia de accus.* quòd notoria probatione non indigent, licèt autem notorium relevet ab onere probandi, debet tamen allegari. *Riccius collect.* 653. qui inter alios effectus notorii illum enumerat, quòd licèt requiratur monitio, ut possit Judex Ecclesiasticus procedere contrà concubinarium, *ex Trid. sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* tamen ad puniendum notorium concubinarium nullo modo requiritur: undè in Curia Archiepiscopali nostra, quidam notorius concubinarius, qui nunquàm fuerit monitus, & per nonnullos annos steterat in concubinatu, fuit relegatus à Diœcesi nostra. *Riccius decis.* 36. *idem in collect.* 653.

Adverte tamen primo, quòd factum dicitur notorium. Primo, ex confessione in judicio emanata. Secundo, ex actis judicialibus. Tertio, quidquid in judicio probatum est, notorium dicitur. Quarto ex publicis instrumentis, & bullis Apostolicis. Quinto factum à majori parte loci, notorium dicitur, legas *Riccium collect.* 1155. *& collect.* 3292.

Adverte secundo, quòd notorium triplex est: aliud scilicet præsumptivum, aliud juris, aliud verò facti. Notorium præsumptivum, est vehemens præsumptio, veluti si filius nutriatur in domo alicujus, & hoc omnibus est notorium: hoc ergo casu, si hic filius nutriatur secundùm qualitatem suam à nutriente, præsumitur filius illius; *cap. per tuas de probat. cap. transmissa qui filii sint legitimi*, notorium juris est, quandò quis confessus est, vel condemnatus, *cap. per vestras eod. tit. l. res judicata. ff. de re judic.* Notorium facti, est publica fama, apud omnes, vel majorem partem, ut non possit aliqua tergiversatione celari, ut est cohabitatio Clerici cum muliere, & hoc notorium facti, potest esse duplex, scilicet facti transeuntis, & permanentis, primum dicitur in facto, quod non est, sed fuit, ut est passio Christi: factum notorium permanens, est continua conversatio, carceratio alicujus, &c. *cap. dilectis de appellat.*

*In §. ad Notorium.*

ALiud genus probationis hìc traditur, quod fit per vehementes suspiciones, quæ ex conjecturis nascuntur, puta si reperiatur nudus cum nuda in loco secreto. *cap. literis de præsumpt.* est autem præsumptio alicujus facti dubii, investigatio per discursum intellectûs: *glossa in cap. Is, qui fidem de sponsal.* differt verò ab indicio, quia indicium est aliqua extrinseca circumstantia facti, per quam intellectus discurrit.

*In §. Fama.*

COnclusio hujus textûs est, quòd fama præstat aliis probationibus non leve adminiculum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, primo, quòd fama, alia est bona, alia mala: fama bona, est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus. *l. cognitionum, §. existimatio, ff. de variis & extraordin. cognitionib.* fama mala, est populi susurratio, vel ejus majoris partis de aliqua re mala.

Sciendum est secundo, quòd fama non facit plenam, sed semiplenam probationem, *l.* 3. *§. ejusdem quoque, ff. de testib.* probat tamen fama Doctoratum. *Caputaquensis dec.* 277. *par.* 1. probat etiam nobilitatem, idem *Caputaquensis dec. 6. par.* 2. qua de re multa *Ricc. collect.* 206.

Sciendum est tertio, quòd fama probatur, primo, si testis dicat, se à pluribus audivisse, & nominat singulariter personas aliquas. Secundo, ut deponat audivisse à majori parte populi ejus loci, in quo erat fama. Tertio, ut exprimant testes causam, ex qua fama orta sit. *Misingerius cent.* 5. *obser.* 46. *Peguera decis.* 17. & testes super ea deponentes, debent esse graves, & qualitas ista debet probari. *Magonius decis. Lucensi quæst.* 3. & sic debet originem habere à personis honestis, & fide dignis: DD. quos sequitur *Ricc. collect.* 1133.

Ex quo benè infertur; quòd licèt rumor, seù fama viciniæ super impedimento matrimonii nihil probet. *cap. super eo, de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ. Seraphinus dec.* 13. tamen, quandò hoc dictum esset de auditu, impedimentum præstat ad contrahendum. *Sayr. de consanguinit. & affinit. dec.* 10. quandò verò cum fama unus concurrit testis, probat. *Ricc. collect.* 3016.

Infertur secundo, quòd in concursu semper prævalet fama bona. *Abb. in cap. cùm in tua de sponsalibus*; sicut etiam, quandò concurrunt duo, quorum unus sit puri sanguinis, alius verò impuri, semper illa prævalet, quæ est pro puritate, qua de re *Ricc. collect.* 3375.

---

## TITULUS XV.

### DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

VIsum est suprà de probationibus, verùm, quia posteà pervenitur ad sententiam, ex qua nascitur res judicata, meritò ponitur hic titulus *de sent. & re judicata.* Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd sententia sumi potest in genere, & in specie, si sumatur in genere, est determinata voluntas circà aliquem actum cum discursu, ut docet *S. Thom. in* 3. *dist.* 35. si verò sumatur in specie, tunc sumitur pro pronunciatione juridicè facta à Judice, & dicitur sententia à sentiendo, quasi, quòd Judex proferat illam, sicut sentit; *Abbas Felynus. & alii in rubr. extrà de sent. & re judicata*, & in illo actu debet Judex esse incorruptus, undè meritò apud Gallos Arrestum appellatur, quod vocabulum est grœcum, & significat incorruptum, quasi quòd incorruptus debeat esse illius artifex, qui dicitur Judex, sicut talem existimat Princeps ipsum eligendo, *l.* 1. *C. de offic. præfect. Prætorii.*

Sciendum secundo est, quòd sententia sumpta in specie, est judicialis diffinitio controversiæ finem imponens, condemnationem, vel absolutionem continens pronunciatione Judicis competentis. *l.* 1. *ff. eod. tit. c.* 2. *eodem.*

*In §. Primo cum duobus sequentibus*

DIviditur hìc sententia. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd sententia licèt multipliciter

citer dividatur, tamen in materia nostra per *DD. in rubr. extrà eodem titulo dividitur*, ut alia sit definitiva, alia habens vim definitivæ, alia verò dicitur interlocutoria: sententia definitiva dicitur quandò penitùs imponit finem controversiæ, *glossa in unica de sequestr. poss. & fruct.* undè continere debet condemnationem, vel absolutionem, ut litigantes sint certi de eorum juribus, *l. 1. ff. de re judicat. Maranta in praxi in tit. de sent.*

Secunda sententia dicitur, habens vim definitivæ, & est quandò ex ea terminatur lis, sed non adeò strictè, quin remaneat litiganti aliquid agendum, juxtà exempla relata per *Marantam in d. tit. qui num. 92.* explicat, quòd pluribus modis sententia dicitur quasi definitiva: præsertim si definiat unum articulum substantialem causæ principalis, putà si minor petit restitutionem in integrum, & Judex pronunciat super ætate, scilicet non esse minorem, nam tunc tacitè excluditur minor à restitutione petita, & sic dicitur articulus substantialis causæ.

Tertia sententia dicitur interlocutoria, quandò scilicet terminatur aliquod emergens in controversia, explicat *Menoch. de arb. Jud. lib. 1. q. 45.* præsertim docet, dici emergens, quandò esset terminanda aliqua dilatio, vel aliqua testium depositio, ubi sententia caderet. *cap. significantibus de testib. cap. significavit eod. tit. cap. consultationi de offic. delegati.*

Sciendum secundò est: quòd sententia debet esse justè prolata per Judicem competentem, & si est definitiva, debet esse absolutoria vel condemnatoria. *l. 3. C. de sententiis*, & quia debet finiri negotium, ideò purè, & non sub conditione debet ferri. *l. 1. §. biduum ff. quandò appellandum. Summistæ in verb. sententia.*

Sciendum est tertio, quòd verba sententiæ debent strictè intelligi, & non ultrà illorum sonum, & significatum. *l. 1. C. si plures una sententia, Abbas in cap. dilecti de verb. signif.* & sententia lata pro uno prodest interdùm alteri, undè lata pro domino directo, prodest utili Domino, *Aymon cons. 206. colum. 1.* sic lata contrà Dominum directum, nocet utili, *Afflictus decis. 396. num. 4.* licèt regula sit in jure nostro, quòd res inter alios acta, tertio nocere non debeat, quam exornat *Tiraquellus in peculiari tractatu hujus rei*, & legas *Galluppum in praxi par. 3. cap. 1.* qui multa congerit remissivè.

Sciendum est quarto, quòd sententia multos parit effectus, & primo parit effectum veritatis inter partes. Secundò parit interesse, ità quòd si ea condemnetur quis simpliciter ad centum, à die latæ sententiæ, pro tempore, quo reus est in mora, debentur usuræ, ut in toto *tit. de usuris rei judicatæ*, & procedi solet ad liquidandum hoc interesse, juxtà damnum, quod actores patiuntur, vel juxtà lucrum cessans, aut damnum emergens, *Francus dec. 21. num. 4. Menoch. de arbitr. casu 119. Riccius collect. 812. p. 4.* Quòd si creditor recipiat sortem principalem contentam in sententia, non præjudicat sibi in interesse, quia debetur jure actionis, *Francus ubi suprà, num. 50. Muta in dec. Siciliæ 82. Rota Genuensis dec. 61.* latè *Philippus Paschalis de patria potestate cap. 8. par. 1. num. 240.* Quandò verò sumus in interesse præsens antè sententiam, & non petitum, non debetur post sententiam, quia ad illud non extenditur: undè sententia super sorte principali lata censetur absolutus reus quoad interesse, *Gama decis. Lusitaniæ 191.* non tamen debetur interesse ipsius interesse, ut servatur in *S. C.* teste *Minadoo dec. 17. Thorus in compen. dec. in verb. interesse an debeatur ex interesse.*

Advertes tamen, quòd tunc debetur interesse ex sententia, quandò talis sententia continet quantitatem certam, putà centum, nam si contineat incertum, puta quantitates liquidandas, tunc non debetur interesse: ad *textum in l. magnam, C. de contrah. stipulat.* quia debetur interesse ex mora debitoris condemnati, & non solventis, *cap. mora.* ubi *Dynus de regul. jur. in 6. l. Kalendis. ff. de re jud.* at in illiquidis non contrahitur mora, *Bart. in l. non potest, ff. de regul. jur.*

Sciendum est quinto, differre sententiam à re judicata, quia sententia propriè est, quandò pronunciatum est à Judice, & pars habet tempus appellandi, quòd si tempus prædictum transactum fuerit, tunc dicitur res judicata, *Auth. hodiè, C. de appellat.* & habetur in *Constit. Regni*, quæ incipit *Appellationum tempora.*

Sciendum est sexto, differre sententiam definitivam, & interlocutoriam in multis, de quibus *Maranta ubi sup.* & quidem multis omissis, differunt, quia definitiva terminat principale negotium, & debet fieri in scriptis, *cap. quoniam contrà de probat.* Interlocutoria verò cadit super incidentibus, nec est necesse, ut fiat in scriptis, verùm ut appareat, posteà redigitur in scriptis, *d. cap. quoniam contrà.* Secundò differunt, quia definitiva non potest à Judice, qui eam tulit, revocari, cùm jam functus sit officio suo, *l. Judex posteaquàm, ff. de sent. & re judic.* Interlocutoria verò revocari potest ab eodem Judice, qui eam tulit, *cap. cùm cessante de appellat.* & sapientis est mutare consilium in melius, *cap. Magnæ 22. q. 1.* & ratio, quare definitiva non possit mutari à proferente, est quia sententia definitiva lata, Judex non est ampliùs Judex in ea causa: sed functus est officio suo: quod secùs est in interlocutoria. Tertio differt una ab alia, quia sententia definitiva fit cum majori deliberatione, & in tribunali, quod secùs est in interlocutoria, quæ non ità deliberatè, *cap. ult. de sent. & re jud. in 6. d. cap. cùm cessante.*

*In §. Vocatis cum duobus sequentibus.*

Conclusio generalis horum jurium est, quòd debet Judex judicare secundùm leges, secundùm ea, quæ sunt in actis, *l. ait. Prætor. §. si Judex, ff. de re judicata*; undè, quandò sententia non justificatur ex actis, dicitur constare ex evidenti, & notoria injustitia ipsius, & ea, quæ sunt extrà acta censentur extrà mundum, *Farinaceus dec. 336. post. 2. volumen consiliorum, Riccius collect. 1948.* nec Judex debet judicare secundùm conscientiam, sed secundùm allegata, & probata, *l. illicitas, §. veritas. ff. de offic. præsid.* conscientia enim propria non debet movere Judices, quia non sunt in foro pœnitentiali, sed judiciali, *Trivisanus dec. 4.* nec conscientiam quomodocùmque sed ex actis habitam habere debet, *Rota Genuensis dec. 102.*

Ampliatur primo conclusio, ut debeat judicare secundùm constitutiones ejusdem Regni, ubi judicat, ut habetur in Regno nostro, in constitutione, quæ incipit *puritatem*: debet etiam judicare secundùm loci consuetudinem, & stylum Curiæ, *Gratianus dec. 237.*

Ampliatur secundo, ut debeat Judex animadvertere. Primo, quid sit narratum. Secundo, an sit verum. Tertio, quomodò pronunciandum sit strictè juxtà petitionem, & conclusionem factam in libello, an verò interdùm etiam in non petitis propter clausulam adjectam, omni modo meliori, ut docent DD. citati, nec potest Judex super facto deducto ex una causa, & probato ex alia sententiam ferre, *l. si stipulatus, §. si Chrisogonus*, ubi DD. ff. de verb. obligat. Quæ tamen doctrina limitatur in Judicibus, qui judicant sola facti veritate inspecta: illi enim possunt judicare super reducta ex una causa, & probata ex alia, *Guido Papa dec. 58.* Capycius dec. 10. Riccius collectan. 1976.

Limita-

Limitatur verò conclusio generalis, quandò Judex judicaret sola facti veritate inspecta, ut in Regno nostro, & foro ecclesiastico, quia tunc posset judicare secundùm conscientiam, ideò in S. C. posset Judex judicare secundùm conscientiam, licèt aliter appareat ex actis: ad notata per *Grammaticum dec.* 61. & *per Riccium collect.* 1129.

*In §. Is autem, cum sequenti.*

CONclusio horum jurium est, quòd si Judex gravamen parti intulerit in judicio, aliquid injustè faciens per gratiam, vel per sordes, id est preces, vel pretio, sivè sit Judex ordinarius, sivè delegatus, ab executione officii suspendendus est per annum, & ad extimationem litis parti faciendam, qua suspensione existente, si se divinis ingesserit, irregularitatem incurrit, à qua non nisi per Summum Pontificem liberabitur, (nisi esset occultum delictum) qui quidem annus suspensionis ex tunc inchoatur, *cap. cupientes*, *§. caterùm de electione in 6. cap. quæsivit de verb. signif.* legas *textum in cap.* 1. *eod. tit. in* 6.

Ampliatur conclusio, ut de jure civili efficiatur talis Judex infamis, *l. ultima*, *C. de pœna Judicis, qui malè judicavit*, & aliis pœnis arbitrariis, de quibus *Menoch. de arbitr. Jud.* 343.

*In §. lata cum sequenti.*

COnclusio horum jurium est, quòd si lata sententia, non fuerit ab ea appellatum infrà decem dies, regulariter non potest retractari, quia transit in rem judicatam; nec elapso hoc temporis spatio licitum est appellare. Idem dicit *textus in l. res judicata. ff. de regul. juris*, quia sententia facit de albo nigrum, *l.* 1. *§. fin. cum duabus sequentibus ff. de lib. agnoscendis*, & falsum mutat in verum, *Bald in cap. in præsentia de renunciat.* & verum mutat in falsum & facit ens, de non ente *glossa in l. si non sortem ff. de condict. indebiti.*

Limitatur conclusio in causa matrimonii, in qua ad peccatum evitandum semper quis auditur, *cap. lator hoc titulo*, *Abbas in cap. ex litteris, de restitutione in integrum, glossa hîc in verb. de matrimonio*, sicut etiam limitatur, quandò ex sententia lata oriretur scandalum, ut in nostro textù.

*In §. finali.*

COnclusio hujus textûs est, quòd sententia lata inter duos non præjudicat tertio. Idem dicit *textus in cap. quamvis eod. tit.* Idque ex eo, quia regulare est, ut ad eum actum, ex quo quis lædi potest, vocari debeat, alioquin nullum ei affert præjudicium, *l. nam ità Divus*, *ff. de re judic. l. ultima*, *C si per vim vel alio modo*, *cap. latet quatuor extrà de major. & obed. cap. cum litteris de in integr. restit.* cum aliis, quæ allegat *Abbas in conf.* 68. *vol.* 20. cui conclusioni consonat *tit. C. res inter alios acta*. Ratio hujus conclusionis est, tùm quia qui non fuit citatus in judicio, nullo modo potest ex eo sentire præjudicium, ergò minimè ei nocere potuit, ut *Tiraquell. in titulo prædicto Res inter alios acta in princ.*

Verùm hæc conclusio limitatur, primo ut solùm procedat in eo, qui principaliter præjudicium patitur, nam hic audiendus erit, non verò ille, qui solùm in consequentiam, & accessoriè patitur præjudicium, quia hic poterit pati præjudicium ex re inter alios acta. *Tiraq. loc. cit.*

Secundo limita, quandò ille, qui non adest, si adesset, non potest contradicere aut aliquod allegare ad impediendum actum, & ideò ad legitimationem naturalium veniente patre non sunt vocandi agnati, & alii, qui vocati non potuissent contradicere, Idem *Tiraquellus loco cit*: Sicut nec tenetur Princeps in concedendo privilegio citare, vel vocare eos, quibus præjudicium inferri potest. Multas alias limitationes legas per *Tiraquellum loc. cit. & per Thesaurum dec.* 4.

---

## TITULUS XVI.

## DE EXECUTIONE REI JUDICATÆ.

VIsum est suprà de sententiis, & earum effectibus Verùm, quia transacto tempore, si ampliùs non appellatur, executioni sententia mandatur, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd transacto tempore appellandi, de quo dicemus infrà, pars in cujus favorem lata est sententia, potest petere executionem sententiæ, quæ executio parata est de jure communi, ex *l. post. rem judicatam*, *ff. de re jud. & ex prag.* 1. *de offic. S. R. C.* & in nostro S. C. de ejus antiquo stylo non intimantur sententiæ, sed expediuntur quædam mandata de parendo, ut ait *Thorus in compend. decis. in verb. reclamatio interposita*, latè *Reg. Tappia in jus Regni de executione sententiæ lib.* 3.

Sciendum secundo est, quòd, quandò Judex, qui sententiam protulit, non habet jurisdictionem in loco, ubi illa est exequenda, tàm circà personam, quam bona, ut in Judice laico proferente sententiam contrà clericum in causa reclamationis, vel alio permisso, tunc est imploranda auctoritas Judicis Ecclesiastici *cap.* 1. *de offic. Jud. ordin.* ubi *D D. l. à Divo Pio*, *§. sententiam ff. de re jud.* & Judex laicus, quandò requiritur ab ecclesiastico, ut præstet brachium suum, non potest dicere, quòd vult cognoscere de justitia dictæ sententiæ, *Riccius collect.* 573. legas eum, & *Rovitum in pragm.* 7. *citat.* Quando verò imploratur brachium, servari debet stylus Curiæ loci, ubi brachium imploratum est, *Guido Papa decis.* 23. *Riccius collect.* 1323. *par.* 4. & *in praxi in tit de implor. brachii dec.* 319.

Sciendum est, tertio, quòd si sententia lata est sub actione hypothecaria, super eadem re hypotecata debet exequi, quia ipsam sequitur, sicut lepra leprosum, & aliàs, si fieret executio super re non hypotecata, esset nulla *Afflictus dec.* 318. quandò verò executio fit in actione personali, observandus est ordo traditus à *Jurisconf. in l. à Divo Pio*. *§. in vendit. ff. de re judic.* videlicet, ut primo fiat executio super mobilibus, & si non sufficiunt, super stabilibus, aliàs executio non valet, *Afflictus dec.* 358. *Riccius collect.* 1556. Probatur verò, non adesse bona mobilia ex relatione Nuncii missi ad exequendum, *Bart. in d. l. à Divo Pio*, *§. in venditione*, & sic servatur in praxi: appellatione verò rerum mobilium docent *D D. in l. moventium ff. de verb. signif.* venire primo pecuniam numeratam, *Thesaurus dec.* 160. Secundo veniunt frumenta sata in fundo testatoris. Sic decisum docet *Hieronymus de Laurentiis in dec.* 16. Tertio animalia etiam appellatione mobilium veniunt, *Carrocius dec.* 16. *Riccius collect.* 239. *Pinellus de bonis maternis par.* 1. *num.* 44. Quia verò debitorum nomina non connumerantur inter mobilia, vel immobilia, sed sunt quædam tertia species bonorum, ideò discussis mobilibus, & stabilibus, Tertio loco super illis exequitur, *Suarez in l. post rem judicatam*, *ff. de re judic. in* 2. *q. num.* 1. per *text. in l. etiam. C. de executione rei judic.* Idem dic de annuis reditibus, qui etiam constituunt tertiam speciem de per se, *Gutierez pract. quæst. q.* 83. *num.* 7. *lib.* 5. *Riccius collect.* 668. tunc verò potest super dictis nominibus debitorum fieri executio

executio, quandò clarè constat de debito per confessionem ejusdem debitoris, vel publicum instrumentum, aliàs exequi nullo pacto poterit super dictis nominibus DD. citati.

Quandò verò executio facienda esset contrà pupillum, tunc non est hic ordo servandus, sed incipiendum est à nominibus debitorum, cùm ei magis expediat habere bona, quàm nomina debitorum, quia debitores de facili possunt ad inopiam pervenire, *Bart in l. magis puto*, *§. in primis*, *ff. de rebus eorum*; *quem si vidisset Speculator in tit. de executione sententiæ num.* 16. non reliquisset sub dubio.

Quòd si debitor habeat feuda, tunc ultimo loco fit executio super fructibus ipsius, ut sic decisum refert *Regens de Aponte cons.* 26. *vol.* 2. qua de re *Galluppus in praxi par.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. *cum sequentibus.*

Sciendum est quarto, quòd regulariter potest fieri executio sententiæ contrà omnes, & in omnibus bonis. Dixi regulariter, quia non potest fieri in bonis dotalibus pro debito uxoris post dotis constitutionem contracto, ut decisum refert *Antonius Faber in tit. ne uxor pro marito decis.* 1. *Capycius dec.* 118. Hoc enim casu erit facienda solutio de bonis extrà dotem, quòd si non habeat alia uxor, tenebitur cavere de solvendo soluto matrimonio, quòd si cavere non possit; tunc sufficeret juratoria cautio, *Guido Papa dec.* 447. nec sententia lata contrà virum poterit exequi super fructibus dotis, ut decisum docet *Gama dec. Lusitana* 200. in praxi autem servatur, quòd si fructus sint exuberantes pro oneribus matrimonii, attenta qualitate personarum, illud plus assignatur creditoribus, ut millies fuisse decisum docet *Galluppus loco cit. num.* 30. *Riccius collect.* 386. qui multos enumerat casus, quandò, & in quibus rebus fieri possit executio, ad quos recurras, omnes tamen docent regulariter, executionem faciendam esse in bonis propriis, aliàs, si tertius instat fuisse executum in bonis alienis, impediretur venditio rei executæ, & daretur ei terminus ad hoc probandum, ut servatur in praxi *ex d. l. Divo Pio*, *§. super rebus. ff. de re judic. Covarr. practic. quæstion. cap.* 16. *num.* 3. & quia solebat victor malitioso studio allegare, talem executionem factam fuisse in bonis alienis, idcireò, si quis id allegat, & non probat, incurrit in pœnam ducatorum 12. ut *in prag.* 47. *§.* 4. *de Offic. Magni Justitiarii*, & satis est si probetur, res executas possideri tempore executionis ab illo tertio: qua de re latè *Galluppus par.* 3. *cap.* 2. *num.* 35.

Sciendum est quinto, quòd facta executio ne super aliqua re, expeditur licentia de vendendo, & res exponitur venalis sub hasta, *l. ordo*, *C. de execut. rei judicatæ*: quæ forma subhastandi regulatur secundùm locorum consuetudines. Solet autem in nostro S. C. adesse incantator, qui alta, & horrida voce exponit rem venalem, quæ solemnitas est inventa, ut res vendatur justo pretio, & omnis fraus removeatur, *l. si quos*, *C. de rescind. vendit.* & ideò dicitur auctio, ex quo plus offerenti liberatur, *Auth. Hoc jus porrectum*, *C. de sacros. Eccles.* non tamen admittitur omnis ad offerendum; nam inimicus domini rei expositæ venalis, non admittitur ad rem emendam, *Isernia in rubrica*, *quæ sint regalia in finalibus verbis in usibus feudorum*, etsi contrarium doceat decisum, *Galluppus num.* 40. de cujus decisione non immeritò dubitat.

Quòd si res prædicta exponatur venalis sub hasta, & non reperiatur emptor, tunc ex *d. l. ordo C. de execut. rei judic.* fit adjudicatio creditori, id est in solutum datio illius rei pro ejus credito, facta priùs extimatione circà valorem rei per expertos, *Bald.* & alii, *in d. l. ordo.* quod idem dic. si reperiatur emptor, qui non offerat justum pretium, ex doctrina *Præsidi de Franchis dec.* 81. *in principio, glossa in d. l. à Divo Pio §. si pignora*, *vers. non inveniant*, & *vers. adjudicatur*, *ff. de re jud.*



Immò si non reperitur emptor pro justo pretio, & alia bona habeat debitor, tunc si sit talis debitor hæres, & debeat jure hæreditario, cùm fecisset inventarium, poterit dare in solutum rem creditori, etiamsi habeat opulentam hæreditatem, quæ non reperitur vendi justo pretio, *Surdus dec.* 318. *Gizzar. dec.* 7.

Adverte etiam, quòd debet creditor esse cautus in recipiendo dictam dationem in solutum, nam debet facere, ut sibi fiat expressè, & mediante decreto Judicis, nam si id recipiat à debitore pro executione sententiæ, intelligitur illam recepisse loco pignoris, & ideò poterit deindè ab eodem debitore conveniri, ut eidem restituat fructus, vel eos compenset in sortem. *Afflict. dec.* 137. *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præs.* 49. qua de re *Galluppus loco citato. num.* 42. qui agit, quomodò sit procedendum, quandò concurrunt creditores in re exposita venali.

Sciendum est sexto, quòd executio non potest fieri super fructibus beneficiorum clerici, quandò alibi posset fierit: adnotata per *Abbatem in cap. pervenit de fidejussor.* neque super instrumentis ad gubernanda territoria, *Auth. Agricultores*, *C. quæ res pignori obligari possint*, & est Bulla Pii V. incipiens, *Cupientes*. Neque fit in stipendiis militum, vel libris scholarium, si aliundè possit satisfieri, *glossa in l. Nepos*, *ff. de verb. signif.* sicut neque depositum factum à scholari tempore Doctoratûs, exequi vel sequestrari poterit, ut docet *Rovitus in rubrica de schol. doctor. num.* 18. Neque fieri poterit executio in Breviario clerici, quia clericus illud gratis daret, *DD. in cap. quoad consulationem. eod. tit.*

*In §. Sed multum cum duobus sequentibus.*

Concluditur hîc, quòd sententia in actione reali lata, statim exequenda est, *cap. quærenti de offic. deleg.* non per hoc tamen denegatur, quin justa existente causa differri non possit sententia prædicta, ut si opponatur irretractabilis exceptio nullitatis, adeòque irreparabile afferatur damnum, si exequatur, vel si opponatur nullitas proveniens ex defectu jurisdictionis, vel si opponatur, sententiam fuisse latam per falsas allegationes, qua de re *Menoch. de Arbitr. Jud. q.* 98.

Quandò verò sententia lata esset in actione personali, tunc daretur quatrimestre tempus ad solvendum, *l. debitoribus*, *ff. de re jud.* quod tempus currit à die sententiæ, etsi appellatum fuerit à die confirmationis, *l.* 2. *C. de usuris rei judic.* & conceditur etiam fidejussoribus condemnatorum, *l. fin. C. eodem.* In nostro verò S. C. statim sententia mandatur executioni, ut *in prag.* 41. *de offic. S. R. C. num.* 4. cum pluribus aliis.

Quòd si sententia lata sit in criminalibus, non debet differri, sed statim executioni mandari, *l. cum reis*, *C. de pœnis*, ne detur occasio supplicandi, *l. si quis fortè*, *ff. de pœnis*, non per hoc tamen denegatur, quin à sententia lata in causa criminali non possit appellari, legas *Riccium in præsenti.*

*In §. Cùm igitur.*

Conclusio hujus textûs est, quòd Judex deputatus super executione sententiæ, exceptiones adversùs sententiam recipere nullo modo potest, *cap. de cætero extrà de re jud. l. si non cognitio, l. si contrà jus, l. sicut proponis*, *ff. de re jud.*

Quæ quidem conclusio limitatur, quandò exceptio nullitatis sententiæ esset notoria, quia tunc executor potest

potest eam audire, & cognita sententiæ nullitate potest denegare executionem, *Felyn. in d. cap. de cætero.* Sicut limitatur etiam in aliis casibus, de quibus *Riccius in præsenti.*

## *TITULUS XVII.*

### De Appellationibus.

VIsum est suprà de sententiis, & earum effectibus. Verùm, quia lata sententia solet appellari, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd appellatio, est de minori ad majorem Judicem provocatio, ratione gravaminis illati, vel inferendi, *DD. in rubrica extrà eodem titulo.* Ex qua definitione.

Colligitur primo: appellationem non posse fieri de majori Judice ad minorem, *cap. placuit* 11. *q.* 6. *glossa in cap.* 2. *de consuetud. in* 6. *Sylvester in verb. appellatio.*

Colligitur secundo, appellationem supponere gravamen, vel illatum per sententiam judicialem, vel supponere gravamen inferendum, id est gravaminis suspicionem, si enim quis timet gravamen futurum, antè cœptum Judicium appellare potest ad superiorem ob futurum gravamen, ut docent DD. citati.

Colligitur tertio, appellationem propriè esse à sententia difinitiva, ab interlocutoriis enim, vel aliis actibus, ut sunt conclusiones, nominationes Collegiorum, seù Universitatum, & similium dicitur provocatio, non appellatio, ut docet *Muscatellus in pract. secundæ instantiæ, in glossa sententia. num.* 61. & appellatio à diffinitiva valet etiam non expressa causa, appellatio verò ab interlocutoria requirit causæ expressionem, & gravaminis mentio fieri debet, ut latè *Muscatellus ubi suprà num.* 49. in praxi autem servatur, quòd à decretis etiam interlocutoriis M. C. Vicariæ recurritur ad Præsidem S. C. à quo obtinetur, attenta qualitate negotii, decretatio, quòd M. C. verbum faciat in S. C. ubi discutitur de justitia decreti lati, & si reperiatur gravamen, eo emendato, iterùm remittitur causa ad M. C. ut possit ad diffinitivam procedere. *Regens Rovitus in pragm.* 9. *de offic. S. R. C.* & dicta supplicatio cum decretatione de verbum faciendo debet præsentari in processu eodem, vel sequenti die, quo fuit decretata, ut *in pragm.* 50. *de offic. S. R. C.* & quandò dictus Præses esset absens, impeditus, vel suspectus, debet dicta decretatio obtineri à Decano, de quo *Reg. Tapp. in Jus Regni pragmatica* 8. *de officio S. R. C.*

Collige quarto, quòd appellatio fieri potest solùm per verbum appello, tam in scriptis, quàm oretenùs, *l.* 2. *ff. de appellat.* Hodie verò servatur, ut fiat in scriptis, & quandò sententia continet plura capita, dici solet, appello à partibus, & capitulis, quatenùs contrà me faciunt, quatenùs verò in favorem accepto; quo casu operabitur talis appellatio actum suspensivum judicari in illis, quæ sunt contrà appellantem, & in reliquis peti poterit executio sententiæ, ut docet *Boerius dec.* 73. quandò autem sententia continet plura capita, non diversa inter se, tunc requiruntur illa plura, ut unum caput, & per consequens non poterit sententia pro parte acceptari, & pro parte reprobari, ut ex *l. in hoc judicio, ff. familia hercisc.* cum aliis docet *Menoch de arbit. Jud. casu* 93. *lib.* 2. *num.* 27. Quandò verò capitula dicantur diversa, & quandò non, docet *Bald. in l. ampliorem C. de appell. & Menoch. lib.* 2. *casu* 95.

Sciendum est secundo, quòd appellatio renunciari potest expresè, vel tacitè, expresè quandò expressis verbis fit, tacitè multis modis renunciari potest: & signanter, quandò quis petit dilationem ad solvendum id, ad quod fuit per sententiam condemnatus, quia tunc videtur appellationi renunciare, *l. ad solutionem C. de re judic.* Quod verum est, etiamsi dicta dilatio petatur à Procuratore, quia tunc etiam intelligitur appellationi renunciatum in præjudicium Domini, ut notavit singulatiter *Hyppolitus de Marsiliis singul.* 186. qua de re latè *Gabriel de appell. conclus.* 3. censetur etiam appellationi renunciatum ex omni actu contrario, qui fit ab appellante coram Judice, à quo *ex text. in cap. sollicitudinem de appellat.* modo ille actus à parte adversa sit acceptatus, qua de re *Felynus in cap. ex parte de rescriptis. Riccius collect.* 902. non tamen potest procurator expresè renunciare appellationi, ut sic fuisse decisum in S. C. testatur *Franc. decis.* 579. *par.* 4. ratio est, quia renunciatio est species donationis, quam procurator facere non potest. *Antonius Faber in Codice in tit. de procuratorib. dec.* 39.

*In §. Appellationum cum sequenti.*

COnclusio horum Jurium est, quòd appellatio alia est judicialis, alia extrajudicialis. Prima dicitur, quæ interponitur ab actu judiciali, & in judicio. Secunda verò fit extrà judicium, inter quas multæ sunt differentiæ, ut docet *Abbas in cap. bonæ memoriæ de appellat. num.* 7. Prima enim est, quia in judicio, causa appellandi debet esse vera, *cap. ut debitus, & cap. interposita infrà eodem*; in appellatione verò extrajudiciali, satis est, quòd causa sit verisimilis, & probabilis, v. g. timui verisimiliter gravari in possessione alicujus rei, licet adhuc non sim gravatus, possum nihilominùs extrà judicium appellare. *cap. bonæ memoriæ, & Clem. sicut eod. tit. de appellat.* & ratio differentiæ esse potest, quia injuria fit Judici, si receditur ab eo in judicio sine vera causa, & extrà judicium nulla fit injuria, sed interponitur ad defensionem juris proprii, ergo satis est, eum habere verisimilem causam appellandi: differt etiam una ab alia; nam appellatio propriè dicitur in judicio: provocatio dicitur extrà judicium, *cap. cùm sit Romana. de appellat.* legas *Abbatem, ubi sup.*

Subdividitur autem appellatio judicialis in duas species. Prima enim est antè diffinitivam, quæ appellatur ab interlocutoria. Secunda verò, quandò appellatur à sententia diffinitiva. Inter quas appellationes multæ traduntur differentiæ: etenim appellatio à definitiva solùm voce fieri potest. *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. dummodò fiat statim Judice pro Tribunali sedente; at verò appellatio ab interlocutoria, debet fieri in scriptis, & causa cognita, & expressa tandem appellatio à definitiva statim suspendit Jurisdictionem, & manus Judicis ligat *cap. non solùm eodem tit.* appellatio verò ab interlocutoria non statim ligat manus Judicis à quo, nisi specialiter facta fuerit inhibitio à Judice, ad quem, *d. c. non solùm.*

*In §. Idem juris est.*

COnclusio hujus textùs est, quòd Judex, à quo appellatur, assignare debet certum terminum parti, intrà quem recipiat Apostolos, & si intrà illum terminum non receperit, & appellationem non prosequitur, censebitur causa deserta, sed terminus debet esse congruus: quandò verò Judex, à quo, denegat Apostolos, vel non concedit intrà terminum, potest transmissis actis prosequi appellationem, *c. eod. tit. in* 6.

Appellantur verò Apostoli, breves litteræ, quæ mittuntur à Judice, à quo, ad Judicem, ad quem, continens totam seriem causæ, & motum Judicis, quare protulit

protulit eam sententiam, & appellamur Apostoli quasi missi, ut ait *Abbas Clem. 2. eod. tit. de appell.*

In Regno tamen nostro dantur quinquaginta dies, ad prosequendum coram Judice appellationis, undè sufficit, ut appellans petierit Apostolos quandocùmque post sententiam, dummodò eos præsentet Judici appellationis, unà cum processu antè lapsum 50. dierum, ut in *Constitut. Regni appellationum tempora. Caravita in ritu 260. Riccius in præsenti*; qui quidem quinquaginta dies non concurrunt à die sententiæ, sed à die appellationis *Maranta par. 6. in verb. & quandòque appellatur nu. 221. cum plurib. sequentibus.*

Quòd si Judex hos Apostolos denegaverit, puniendus esset pœna arbitraria. *Maranta ubi suprà, & Riccius in præsenti.*

*In §. Quòd si Judex.*

CONclusio hujus textûs est, quòd si Judex viderit, esse minùs probabiliter appellatum, debet appellationem remittere ad inferiorem Judicem, & condemnare eum in expensis, *cap. significaverunt de testibus, cap. ut debitus eod. tit. de appellat. cap. cùm in Ecclesiæ, eod. tit l. fin. §. illud. C. de temp. appellat. glossa in d. cap. significaverunt, litt. H.*

*In §. Quòd si objiciatur.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si objiciatur, fuisse appellatum non ex causa legitima, Judex ad quem, non potest prohibere, nisi priùs recepta appellatione, ut Judex, a quo, cognoscere incipiat de legitima causa; in praxi verò servatur apud Curiam Archiepiscopalem nostram, quòd in causis delegatis à Papa statim fit inhibitoria, & citatur per nostrum Vicarium pars appellata ad allegandum, quare procedi non debeat, quòd si pars comparens allegatet, non fuisse servatam formam juris, vel appellationem fuisse desertam, de hoc priùs cognoscitur: & facta tali citatione, si pars non comparéat, mittit Vicarius litteras Suffraganeo, ut transmittat acta, & interim supersedeat, & tenetur Episcopus Suffraganeus suis litteris sibi amicabiliter transmissis obedire, ut est *Ritus 36. Curiæ nostra Archiepiscopalis*, & docet etiam *Ricc. in præsenti.*

*In §. Non omnis.*

AGitur hîc de quibusdam casibus, in quibus denegatur appellatio: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd remedium appellationis regulariter conceditur, *glos. & DD. in l. qui restituere, ff. de rei vendic. l. & majoribus C. eodem tit. cap. de appellationib. extrà de appellat.* Verùm in multis casibus talis appellatio denegatur, quos congerit *Regens Tappia in jus Regni in tit. de appellat. & Riccius collect. 166.* & signanter à sententia lata vigore confessionis judiciariæ, non appellatur *Caravita in ritu 187. num. 50.* Secundo à decretis latis in causis super suspicione Officialium, servata forma Regiæ Pragmaticæ, de qua *Francus dec. 408.* Tertiò, non appellatur à significatoriis, & condemnationibus factis à Commissariis deputatis per Collaterale Consilium contrà debitores Universitatum, quia tunc attenta Regia Pragmatica exequitur præstita cautione; non obstante appellatione, seù reclamatione. *Francus dec. 347. Muscatellus in glossa sententia. num. 173. Rovitus in pragmat. 5. num. 48. de administ. Universitatum.* Ultrà verò hos casus enumeratos, dantur alii frequentiores, in quibus appellatio non suspendit sententiam, & quidem.

Primus casus est, quandò esset sententia assistentiæ,

quæ mandatur executioni, quoad caput adjudicationis, appellatione non obstante, juxtà formam traditam *in pragm. 3. de appellat.* & quidem respectu fortis principalis, non verò quoad interesse. *Anna singul. 292.* etiamsi esset notorie injusta. *Rovit. in d. pragm. 3. num. 10. & 12.* an autem id locum habeat in sententia negativa, per quam revocatur assistentia, tractat *Paschalis de viribus patriæ potestatis cap. 8. par. 1. num. 145.* & de clausula constituti, & precarii, requisita in hoc judicio agit *Ricc. collect. 175.*

Secundus est casus, in quo appellatio non impedit executionem sententiæ, quandò scilicèt lata est sententia in nostro S. C. Neapolis, quia cùm sustineat vices antiqui Præfecti Prætorii, ut docet *Afflictus dec. 383.* ab ipsa non appellatur. *l. unica C. de sent. Præfecti Prætorii*, & ideò reclamatur tamùm à prædicta sententia, verùm non suspenditur executio. *Afflictus dec. 231. Capycius decis. 28. & dec. 202. num. 8. Anna singulari 476.* & non proceditur in causa reclamationis, nisi facta reali executione rei principalis, contentæ in sententia, præter expensas. *Afflictus decis. 231.* & hic est stilus S. C. qua de re *Afflictus dec. 358.* quæ executio fieri debet præstita cautione per victorem penès acta de restituendo executionem in causa retractationis, dummodò sit facta reclamatio infrà decem dies, ut in *Pragm. 3. de offic. S. R. C.* & docet *Maranta in praxi in tit. de appellat. num. 11. Muscatellus in praxi in glossa potest, num. 44. in practica secunda instantiæ. Regens Rovitus in pragm. 5. de offic. S. R. C. num. 1.* quod decennium ad hunc finem currità die sententiæ. *Afflictus dec. 344. num. 4.*

Tertius est casus, in quo appellatio non suspendit sententiæ executionem, quandò scilicet ipsam præcedit alia conformis, idque procedit tàm in M. C. quàm in S. C. imponitur enim perpetuum silentium; *Afflictus decis. 28.* & adest pragmatica, quæ conformitas quoad substantiam esse debet, licèt differat in modo *Thesaurus dec. 228. Rovitus in pragm. 62. de offic. S. R. C. Francus dec. 155. Rovit. loc. cit.*

Quartus est casus, quandò sententia est lata à M. C. & est infra summam ducatorum 150. quia tunc servata forma Regiæ Pragmaticæ, de qua *Muscatellus in glossa sententia. num. 133. & sequenti*, non appellatur, quod intellige etiamsi sententia non specificet quantitatem, sed solùm speciem, seù factum extimabile ipsam. *Francus decis. 380.* etiam quod lite pendente majorem recipiat extimationem; *Borrellus in summa decis. tit. 41. num. 8.* Quòd si summa esset ducatorum 150. tantùm, intelligeretur causa etiam infrà summam, nisi cùm interesse liquidando sors principalis talem summam excederet qua de re *Rovitus in prag. 3. §. fin. de offic. S. R. C. num. 8. Riccius collect. 183.*

*In §. & ideò.*

COnclusio hujus textûs est, non dari appellationem adversùs correctionem factam à Prælato suo religioso, quia inter religiosos non est locus subtili strepitui judiciali; *cap. ad nostram de appellat. Abbas Lappus alleg. 54.* sicut nec datur appellatio ei, qui tenetur solvere tributum. *Fredericus de Senis cons. 81.* nec datur in 37. casibus, de quibus *Speculator in tit. de appell. §. in quibus autem casibus*, legas etiam *Riccium in præsenti.*

*In §. sed nec tunc.*

COnclusio hujus textûs est, quòd gravatus à Judice sæculari non debet appellare ad summum Pontificem. Idem dicit text. in §. si dubius §. 1. eod. tit. debet enim appellatio fieri ad superiorem in eodem genere, nec valet omisso medio regulariter loquen-

loquendo: *cap. dilecti de appellat. Speculator eod. tit. §. nunc tractamus*; *versic. si verò. Trivisanus dec. 7. tom. 1. ex l. Imperatores, ff. de appell.*

Dantur tamen aliqui casus, in quibus appellatio permittitur omisso medio, & primus est, quandò Judex medius esset palàm, & evidenter inhabilis, vel denegasset justitiam, vel esset suspectus vel excommunicatus, vel aliàs inhabilis, quia tunc medio omisso potest appellari ad Superiorem ipsius Judicis medii. *Abbas, & alii in d. cap. dilecti*, sic decisum in Camera imperiali, docet *Misingerius cent. 1. obser. 67.*

Secundus est casus, quandò appellatio fieret ad supremam Curiam, sic decisum refert *Paponius lib. 9. arrest. in tit. 1. arrest. 32.* & ideò ex præeminentia M. C. V. potest apppellari à sententiis Baronum, & aliorum inferiorum omissis mediis, ut in *Ritu 52.* nisi adessent in medio Judices secundarum, vel tertiarum causarum, & ibi sic advertit *Caravita num. 3.* & hoc casu, si de facto appellatur ad M. C. Judices ipsius remittunt causam Judici secundarum causarum, quibus competit cognitio juxtà *textum in d. l. Imperatores, ff. de appell.* quem textum ad hoc propositum allegat *Caravita in ritu 236.* & quandò remissio fit Judici secundarum causarum, non potest M. C. præfigere terminum pro expeditione causæ, sed spectabit hoc ad Judicem tertiarum causarum, ex adductis per *Annam in singul. 296.* & aliis, de quibus *Thorus in Compend. decisionum verb. remittens causam tom. 3*

Tertius est casus, quandò appellatur à Legato de latere, quia potest ab eo appellari omisso medio, sic decisum docet *Franciscus Marcus dec. 343. & dec. 342.* sicut etiam, quandò appellatur à sententiis latis per delegatum Regis, appellatur ad M. C. V. omisso medio. *Afflictus in Constit. Regni statuimus colum. 5.* & de delegato à S. R. C. legas *Grammaticum dec. 9.* & an procedat in delegato ordinarii, vel subdelegato, legas *tex. in cap. super quæstionum §. porrò*, ubi *DD. de officio, & potestate Judicis delegati. Franciscus Marcus dec. 419.*

Quartus est casus, quandò adit quis Principem per viam querelæ, quia tunc id facere potest omisso medio, *Franciscus Marcus decis. 346.* legas *Riccium collect. 903.*

Quintus est casus, quandò loquimur de jure canonico, *cap. 1. & cap. translationem de officio delegati cap. Romana eodem tit.* potest enim hoc jure attento ab Episcopo appellari immediatè ad Papam.

Sextus est casus, quandò appellat quis ad superiorem omisso medio, & nihil per partem opponitur, quia videntur partes consentire, & prorogare jurisdictionem, vel si extaret consuetudo appellandi omisso medio, qua de re *Misinerius d. centur. 1. observat. 87.* & in praxi servatur in dies, quòd à sententia Curiæ Episcopalis, omisso medio Metropolitano, ad Sanctissimum appellatur nec potest impediri à Metropolitano ne id fiat, qua de re *Donatus Antonius de Marinis resolut. quotid. cap. 17.* licèt enim Archiepiscopus antè, & post *Trid.* in causa appellationis sit Judex competens in cognoscendo de justitia decretorum, & sententiarum, quæ per Curias Suffraganeorum proferuntur, etiam illarum, de quibus *Trid. sess. 13. cap. 1. de reform.* ut censuit *Sacra Congregatio super d. cap. 10.* ubi ait, interposità appellatione ad Metropolitanum ab Episcopo, vigore hujus decreti, tanquàm delegato Apostolico visitante, licèt devolvat causam; non tamen eam suspendit, quare acta sunt transmittenda, & danda copia juxtà præscriptionem, *d. cap. 1. sess. 13. & cap. 10. hujus sess.* hæc Sacra Congregatio: quæ appellatio ad Metropolitanum fieri potest etiam, quandò Episcopus mediante sententia aliquem excommunicatum declaraverit, Sanctissimo absolutionem reservando, quia poterit talis excommunicatus ad Metropolitanum appellare, & tenetur Suffraganeus statim appellatione interposita ad Curiam Metropolitanam acta transmittere DD. citati.

An verò, quandò excommunicatio fuit declarata ritè, & validè lata, possit Metropolitanus ipse ad excommunicati preces ipsum absolvere, quæstio est? Pro cujus quæstionis declaratione.

Supponere oportet primo, quòd quotiès Episcopus reservat absolutionem excommunicationis latæ per ipsum Sanctissimo, non potest ampliùs se intromittere in illa, ut antè omnes dixit *Joannes Andræas in cap grave num. 9. de præben.* quem refert, & sequitur *Episcopus Campanilis in divers. Juris Canonici rub. 11. c. 15. num. 131.*

Supponas secundo, quòd quandò Episcopus simpliciter declarat, subditum incurrisse in excommunicationem, puta in illam, quæ continetur in *cap. si quis suadente diabolo 17. quæst. 4.* In illis tamen casibus, in quibus potest Episcopus absolvere, vel contentam in *Bulla Gregorii XIV. de immunit. Eccles.* vel in similem, non potest talis excommunicatus pro absolutione ad Archiepiscopum Metropolitanum recurrere, quia nec Suffraganeorum Diœcesibus existens excepto actu visitationis, non potest Archiepiscopus Suffraganeorum confessiones audire, *cap. fin. de testib. in 6.* quia non est Judex animarum illarum. & sic non potest illas ligare, vel solvere. subdens, quòd nec etiam illos excommunicatos minori excommunicatione absolvere potest, qua de re *Sylvester in verb. Archiepiscopus num. 50. Genuensis in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolis cap. 70. num. 9. & est tex. in cap. venerabilis versic. neutro verò de sent. excommunic. in 6. Card. Tuschus pract. concl. litt. A. concl. 17. num. 20.*

Quandò autem à sententia lata per Suffraganeum appellatur ad Metropolitanum, tunc licèt appellatio non suspendat excommunicationem anteà latam, *cap. pastoralis de appellat.* ubi *Abbas*, quem citat *Quaranta in summa Bullarii in verb. Archiepiscopi Auctoritas num. 13.* tamen devolvit hanc excommunicationem, & potestatem absolvendi ad Curiam Metropolitanam, ut est *text. in d. cap. venerabilis*, ubi *DD. & in cap. per tuas eod. tit. extrà de sent. excomm.* His positis ad quæstionem Respondendo

Dico, duas esse opiniones, prima est, Metropolitanum non habere absolvendi potestatem, quandò Episcopus Suffraganeus Sanctissimo reservavit absolutionem, ità *Episcopus Campanilis in diversorio Juris canonici rubr. 11. cap. 15. num. 133.* Probatur, quia excommunicatus abstulit à se ipso absolvendi potestatem, declarando Summo Pontifici competere, ergò nullus habitus inferior Pontifice se ingerere potest, sed Metropolitanus est Summo Pontifice inferior, ergò.

Dices pro contraria sententia, quam tenet *Novarius in quæst. for. quæst. 66.* non potest aliquis juri suo renunciando, alterius juri derogare, ergò licèt Suffraganeus reservando Pontifici absolutionem excommunicationis per ipsum latæ, sibi præjudicaverit, cùm non possit ampliùs absolutionem concedere; tamen non per hoe potuit derogare juribus Metropolitani. Consequentia patet, Antecedens probatur per *Novarium*, tùm quia Vassallus in præjudicium Domini alterius jurisdictioni consentire non potest, & tali consensu non obstante poterit Dominus illum avocare ad se; tùm quia Clericus clericali privilegio non potest renunciare in perniciem totius ordinis clericalis; *cap. si diligenti, &c. significasti de foro competenti*, tùm quia non potest Pater

ter plus dare filiis secundi, quàm primi matrimonii. *l. hac edictali*; *C. de secundis Nuptiis*, & ideò Pater donando, si renunciet tali dispositioni, nihil agit, quia textus ille fuit inductus in favorem filiorum, non verò Patris: ergò ità in casu nostro.

Respondetur, concedo Antecedens, sed nego consequentiam, quia in casu nostro nullum fit Metropolitano præjudicum, quandò id, quod facit quis in damnum alterius, facit contrà jus, quia si jure permittente, vel saltem non repugnante fiat, nullum consideratur præjudicium, cùm quis utatur jure suo, *argum. tex. in l. fluminum §. item videamur ff. de damno infecto. l. Proculus eod. tit. l. altiùs C. de servit. & aqua*, & in casu nostro Episcopus id faciens, facit jure permittente, ex alia parte etiam, cùm possit quis ad Summum Pontificem recurrere, omisso Metropolitano, nullum ex parte ejusdem Metropolitani consideratur præjudicium, quod sanè tunc consideraretur, quandò à sententia Suffraganei necesse esset ad Metropolitanum recurrere, nec aliter omisso tali medio Summus Pontifex adiri posset, hoc enim casu reservando Suffraganeus absolutionem S.P. præjudicaret Metropolitano, ergò si hoc potest facere Episcopus, de quo conqueri potest Metropolitanus.

Confirmatur responsio, quia, si quandò absolutio esset reservata Summo Pontifici, posset Archiepiscopus absolvere, frustratoria esset talis reservatio, quia omnes ad Metropolitanum tanquàm ad proximiorem pro absolutione recurrerent, nunquàm verò ad Summum Pontificem; & ideò solùm in hoc casu præjudicium se tenet ex parte excommunicati, qui si non esset facta reservatio Summo Pontifici, posset habere recursum ad Metropolitanum, vel ad Episcopum excommunicantem, si voluisset concedere absolutionem.

Urgebis pro *Novario*. Inferior non potest manus Superioris ligare. *c. solitè*, ubi *DD. de major. & obed.* ergo non potuit Episcopus ligare manus Metropolitani per hanc reservationem, licèt potuerit manus suas ligare.

Respondetur, distinguo antecedens, non potest ligare manus Superioris in casibus, in quibus jus resistit, concedo antecedens, vel quandò id directè ageret inferior adversùs Superiorem: non potest ligare manus, quandò id facit jure permittente, nego antecedens, at in casu nostro id fit jure permittente, non autem directè ad infringenda jura Superioris, licet in consequentiam ejus jurisdictioni præjudicium inferatur.

Urgebis secundo, nullibi datur jus, quo permittatur id fieri, ergò nulla responsio.

Respondetur: nego antecedens, quia benè colligitur ex eo, quòd nullibi reperiatur prohibitum, Episcopum id non posse facere, scilicet reservare Summo Pontifici excommunicationem à se latam, & ex alio capite reperitur, quòd id, quod prohibuit Prætor, tolli potest contrario Imperio. *l. quod jussit, ff. de re judic.* id est ejus, cui reservatur, sed is, cui reservavit, est Summus Pontifex, non Metropolitanus, ergo &c.

*In §. licèt autem.*

Conclusio hujus textûs est, quòd quandò quis appellavit ab ordinario, licèt non possit pro eadem causa conveniri coràm eo, tamen si super alia conveniatur causa, poterit ea disceptari coràm prædicto ordinario, maximè quandò causa esset gravis, putà si manus violentas in Clericum injiceret, vel si alterius detineret uxorem: *cap. consuluit de appellat.* & ideò appellatio jurisdictionem suspendit solùm respectu causæ, à qua fuit appellatum: *cap. proposuit; cap. super eo: cap. ad hæc, cap. pastoralis, §. verùm eodem titulo.*

Ex quo infertur, quòd licèt à sententia excommunicationis sit appellatum, tamen appellatione non obstante poterit excommunicatus denunciari, ut evitetur à populo, immò subtrahuntur eidem fructus, & proventus sui beneficii, *d. cap. pastoralis §. verùm extrà de appellat.* reddit textus rationem, quia excommunicatio trahit secum executionem, cujus textûs dispositio adeatur.

Primo limitatur in sententia declaratoria, putà qua declaratur quis excommunicatus ob Clerici percussionem, quia tunc, si ab hac sententia declaratoria fuerit appellatum, impeditur executio, ut non possit denunciari, ut evitetur, ità docuit singulariter *Lappus, in Clem. 1. num. 4. in fine de sequestr. fructuum* quem refert, & sequitur *Zabarella in eadem Clem. 1. §. si quis autem, quæst. 11.* dat rationem differentiæ inter unum, & alium casum, quia scilicet quandò Judex ipse excommunicat, tunc constat de excommunicatione sivè justa, sivè injusta; neque suspenditur per appellationem, secùs, quandò declarat tantùm aliquem in excommunicationem incidisse quia talis sententia potest esse non vera, & interim, dùm est dubium, non debet vitari, & ait *Zabarella*, quòd hoc est valde singulare, quod secuti sunt, *Imola, Felynus, Barbatius, Geminianus, Antonius de Butreo, Philippus Francus, Decius & alii*, quos refert. & sequitur *Rovit. super pragm. 37. de offic. procur. Cæsaris nu. 22.*

Secundo limitatur, quandò appellaret quis à denunciatione, puta Episcopus excommunicavit Titium, postcà jubet Parocho ipsius, ut ipsum denunciet publicè inter Missarum solemnia, ut sic evitetur ab omnibus, juxtà extravagantem *ad evitanda scandala*; potest Titius ab hac denunciatione facta à Parocho appellare, si putat, Judicem excessisse, & injustè id præcepisse, puta quia prætendit non esse excommunicatum, vel non potuisse ipsum excommunicare, & hoc casu suspendetur effectus denunciationis, & pendente appellatione à denunciatione, appellans non potest citari, licèt fuerit denunciatus, ità *Felynus in cap. 2. num. 7. de sponsalibus, Navarrus conf. 12. de sententia excomm.* quod, ut singuli, docet *Valerus in differ. utriusque fori in verb. excommunicatio diff. 16. in fine.*

Tertio limitatur *text. in d. §. verùm*, ut non procedat in omni censura, sed tantùm in censura excommunicationis, & affert ibi rationem *Decius versic. & considerandum est*, & idem docet *Lancellottus de attentatis cap. 12. in præfat. num. 109.* legas multa alia ad hoc propositum apud *Rovitum ubi suprà, & Riccium colligentem plura ad ordinatum d. §. verùm. in coll. 1027.*

*In §. Interposita cum sequenti.*

Conclusio horum jurium est, quòd post appellationem, non potest à Judice, à quo, aliquid fieri, nam partes Judicis quiescunt, cum quiescat jurisdictio, *Abb. in c. fin. n. 6. de sequest. poss. & fruct.* & ideò totum, quod fit pendente appellatione, dicitur attentatum, quod antè omnia revocatur à Judice, ad quem *Covarr. pract. quæst. c. 23. & seq. Lancellot. de attent. in princ.* quandò verò à Judice fierent aliqua, quæ non tangunt executionem sententiæ, tunc non dicerentur attentata, quia omnia facere potest Judex, quæ poterat antè sententiam. *Franc. dec. 370. nu. 15.* immò poterit corrigere omne gravamen à se illatum, ne corrigatur ab alio, *Rovit. in rubr. de appell. nu. 10.* undè poterit revocare ejus interlocutoriam, etiam quòd habeat vim deffinitivæ *Capyc. dec. 1. nu. 13. Vivius decis. 53. nu. 9. Gallupp. in praxi par. 3. cap. 4. nu. 1. cum seq.*

In

*In §. Quòd si à pluribus cum sequentibus.*

PRima conclusio horum jurium est, quòd sufficit appellare coràm majori parte Judicum, & intimatio omnium actorum est facienda parti appellatæ; idem docet *tex. in Clement.* 1. *eod. tit.*

Ex quo infertur primo, quòd appellatio unius aliis prodest, dummodò tamen sit idem negotium, eadem causa, &c. ut *in l.*1. *C. si unus ex pluribus cap. penult. de appellat.* etiamsi sententia multa contineret capitula annexa. *l. emptorem. C. de appell. Franc. dec.*467.

Infertur secundo, quòd si unus ex condemnatis renunciavit appellationi, talis renunciatio nocet alteri. *Bart. Bald. Albericus, & alii in l.* 2. *C. si unus ex pluribus, Ursillus ad Afflict. decis.* 89. *nu.* 3. *Muscatellus in praxi secundæ instantiæ, glossa potest. Reg. de Ponte cons.* 6. *&* 7. *vol.* 1.

*In §. Jam dubitari cum sequenti.*

COnclusio horum jurium est, quòd si ex pluribus articulis unius precibus comprehensis, in quo tantùm contingat, appellationem vetari, intelligitur remota appellatio etiam in aliis; idem dicit *tex. in cap. inquisitioni de appellat. & in cap. secundo requiris eod. tit.*

Intellige, quòd tunc procedit prædicta conclusio, quandò talis clausula appellatione remota, ponatur inter articulos connexos, nam si ponatur inter diversos articulos, tunc aut ponitur in medio articulorum, & non removet appellationem à subsequentibus, aut verò ponitur in fine, & removet appellationem ab omnibus articulis, leges *Ricc. in præsenti.*

Intellige secundo, quòd nullus inferior à Principe potest uti hac clausula, *Maranta par.*6. *in tit. & quandòque appellatur nu.* 337. nec legatus de latere potest ea uti *Sigismundus, Scaccia de appellat. quæst.* 16. *limitat.* 1. *num.* 106, *&* 109.

Intellige tertio, ut prædicta clausula, appellatione remota, intelligatur solùm de frivola appellatione; non de legitima: & ideò parum, vel nihil operatur, quandò non est apposita præcedente causæ cognitione; quòd si sumus in privilegiis Religionibus à Summis Pontificibus concessis, ubi dicitur, quòd procedatur ad executionem illorum appellatione remota, censetur omnis appellatio etiam legitima, & frivola remota, qua de relegas *Barbosam de clausulis clausf.* 7. *num.* 6. qui *num.* 7. addit, talem clausulam nihil operari, quandò constat de gravamine notorio, sicut neque operatur aliquid talis clausula, quandò agere tur de præjudicio tertii, undè commissa causa, appellatione remota, non prohibetur tertius appellare pro eo, quod sua putaverit interesse, qua de re *Barb. loc. cit.* à quo ad verbum extraxit *Riccius in præsenti*, qui per eadem verba loquitur, quibus *Barbosa*, taliter quòd unus ab alio mutuasse dicendus sit, vel ambos ab eodem fonte hausisse de necessitate fatendum est, ut in simili de eodem *Riccio. & Marescotto* dixit *Joannes Petrus Fontanella de pactis nuptial. tom,* 2. *clauf.* 6. *glos.* 3. *p.* 5. *nu.* 2.

*In §. Illud cum quinque sequentibus.*

AGitur hìc de tempore, quo facienda est appellatio. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd appellatio fieri debet infrà decem dies, decurrendos à die intimationis, vel latæ sententiæ, tàm diffinitivæ, quàm interlocutoriæ, intimationis quidem, quandò sumus in aliis, latæ verò tantùm, quandò sumus in sententiis S. C. quæ dùm proferuntur in forma sententiæ, & sic sub nomine Regis, cujus nomen inscribitur *in rubrica sententiæ*, non egent aliqua intimatione, sed attenditur dies latæ sententiæ, secùs, si proferantur in forma decreti S. C. quia tunc debent intimari, ut sic practicari docet *Regens Lanarius, cons.* 97. *num.* 2. *& Regens Rovitus in pragm. de appellat. nu.*60. Quòd si pars fuisset præsens tempore laturæ, vel fuisset contumax in tota causa, quod tempus requiratur, legas *Muscatell. ubi sup.*

Sciendum secundo est, quòd interposita appellatione infrà dictum tempus, habebit appellans annum ad ipsam prosequendam, vel ex causa biennium, *Auth. ei, qui C. de tempor. appell. Caravita in Ritu* 169. *nu.* 8. & in M. C. V. servatur, quòd, quandò appellatur ad S. C. obtinetur inhibitoria à Consiliario, cui causa fuit commissa. ut non se intromittat Judex à quo, & hæc inhibitoria debet haberi infrà decem dies, aliàs elapsis decem diebus procederetur ad executionem sententiæ, & in hac observantia stat M. C. V. ut docet *Galluppus in praxi par.* 3. *cap.* 4. *num.* 29.

Sciendum est tertio, quòd ultrà dictum spatium decem dierum dantur alii 50. dies ad præsentandam copiam processûs coràm Judice ad quem, ut *Constit. Regni* appellationum tempora, quòd si non præsentabitur copia infrà dictum tempus, declarabitur appellatio deserta, verùm de praxi S. C. si antè prædictam declarationem producatur copia ex antiquo more Sacri Consilii revidebitur causa ex eisdem actis, *Afflictus dec.*243. *col. fin.* ex quo habet hodie appellans duos annos, & sexaginta dies, si vult, ad prosequendam dictam appellationem, dummodò appellet ultimo die decendii, nam si anteà, putà secunda, vel tertia die, tunc amittit reliquos contentos in dicto spatio, qua de re *Rovitus in prag.* 26. *de feudis nu.* 20. *& num.* 50. *&* 52.

Dantur verò multi casus, in quibus appellatio non declaratur deserta, putà si facto Principis appellationem quis prosequi non possit, vel si pauper sit, qui litigat, & in aliis casibus, de quibus videas *Riccium in præsenti, & Novarium in prag.* 1. *de appellationib.*

Sciendum est quarto, quòd, justa existente causa, potest Judex abbreviare tempus datum à jure ad prosequendam appellationem, sicut de consensu partium prorogari potest *Thesaurus dec.*244 *Riccius in præsenti*, & etiam ipse Judex si viderit aliqua causa non potuisse partem appellare, poterit prorogare tempus, *cap. ex insinuatione de appellat. DD. cum glossa hìc.*

Ampliatur, ut appellatio prorogata per partes possit fieri nedùm per unum, sed per plures annos: sic decisum docet *Thesaurus loco cit. num.* 50.

Quæ tamen prorogatio per Procuratorem fieri non potest, sed requiritur consensus expressus ipsius domini, qua de re *Thesaurus ubi sup. num.* 7. nec fieri potest, nisi per scripturam, *l. fin.* §. *fin. C. de tempor. appell.* licèt *glossa*, ibi *destruens textum* dicat contrarium: *Thesaur.* enim docet decisum, requiri scripturam, prout *tex.* loquitur.

Sciendum est quinto, quòd appellatio post tertiam sententiam regulariter non admittitur, ut in *tit. C. ne liceat in una eademque causa tertiò provocare*, undè, si ego petii à te decem, & obtinui, tu appellasti, & posteà succubuisti, & secundo appellasti, & fuisti condemnatus, non poteris tertio loco appellare, ne detur processus in infinitum, quæ tamen doctrina procedit, quandò quis gravaretur super eodem articulo, nam si gravetur super diversis, poterit pluriès appellare *glossa ubi sup.* legas *Thesaurum dec.* 122. *num.* 1.

Sciendum est sexto, cessare appellationem, quandò deserta efficitur, ut suprà, quod potest tribus modis contingere. Primo, si infrà spatium prædictum decem dierum non fuerit appellatum, *Riccius coll.* 732.

Secundo, si infrà spatium prædictum quinquaginta dierum non fuerit copia processûs præsentata coràm Judice ad quem, servata forma constitutionis Regni, incipientis *appellationum tempora.* Tertio, si omnia prædicta sint adimpleta, sed tamen appellatio non sit prosecuta infrà dictum annum, vel ex causa biennium, qua de re latè *Muscatellus in praxi secunda instantia.*

Sciendum est septimo, quòd licèt ex antiquo stylo S. C. non obstante cursu fatalium revideatur causa ex eisdem actis, ut docent *Afflictus dec.* 78. *Grammaticus dec.* 12. tamen intelligitur, quandò est porrecta supplicatio, & causa commissa, & adimpleta adimplenda, aliàs secùs, ideò, cùm accidisset casus, quòd quædam *Laura de Anna* reclamasset a sententia lata contrà se, & non curaret porrigere supplicationem reclamationis post triennium à die executionis sententiæ, fuit per S.C. junctis Aulis decisum, reclamationem fuisse desertam, qua de re *Galluppus par.* 3. *cap.* 4. *num.* 53. etiam quòd institisset, sibi adversùs hoc concedi restitutionem in integrum, nam viduis non conceditur adversùs lapsum tempus fatalium, *Francus dec.* 284.

Sciendum est octavo, quòd appellatio intelligitur tacitè renunciata in multis casibus, & signanter quandò petit quis dilationem ad solvendum id, ad quod fuit condemnatus per sententiam, quia tunc videtur renunciare appellationi, *l. ad solutionem, C. de re jud.* quod verum est, etiamsi hæc dilatio petatur à procuratore nam tunc etiam intelligitur renunciatum appellationi in præjudicium Domini, quà de re *Hippolytus singulari* 186. *Gabriel de appell concl.* 5. Secundo censetur renunciatum appellationi, quandò fit actus contrarius, dummodò actus ille sit à parte acceptatus, qua de re *Riccius collect.* 902.

Sciendum est nono, quòd si aliquis Officialis sit de aliquo sedili hujus Civitatis Neapol. & intervenerit in conclusione facta per plateam sui sedilis, à qua posteà contingat appellari per aliquem interessatum, & appellatio ipsa deferatur ad tribunal, in quo residet dictus officialis de eodem sedili, posset officialis prædictus intervenire in causa appellationis, *l.* 1. *§. solent ff. quandò appellandum sit, & in cap. à collatione de appellationibus*, ubi *glossa.* Verùm *textus* ille procedit, quandò fuerit præsens simpliciter, ut Consiliarius, secùs, si vocem dederit, qua de re *Rovitus in pragm.* 1. *num.* 36. *de appellat.*

Sciendum est decimo, quòd à sententia M. C. V. appellatur ad S. C. & causa committitur à Præside uni ex Regiis Consiliariis quatuor Aularum; quandò autem de aliquo incidenti antè diffinitivam sententiam fuerit facta relatio, prævia decretatione de verbo faciendo in eodem S. C. tunc alicui Consiliario ejusdem Aulæ debet à Præside causa appellationis committi, ubi facta est dicta relatio, qua de re *Francus decis.* 528 à sententiis verò latis in S. C. ad ejus præeminentiam appellatur ad idem S. C. quæ dicitur reclamatio, & causa committitur alteri ejusdem Aulæ, *Francus ubi sup.* recurritur etiam à sententiis S. C. ad Proregem hujus Regni, & Collaterale Consilium, & à sententiis latis in Collaterali, recurritur ad Catholicam Majestatem, immò, etiam ab actibus extrajudicialibus factis à Prorege, recurritur ad Regem, qua de re *DD. in cap. super quæstionum, §. Porrò de verb. oblig.* & latè *Galluppus in praxi par.* 3. *cap.* 4. *num.* 25.

Sciendum est ultimo, quòd coram Judice, ad quem, proceditur secundùm naturam, quam habebat causa in prima instantia, id est vel summariè, vel ordinariè, *Francus dec.* 520. datur tamen semper terminus ad non posita ponendum, & non probata probandum, qua de re *Farinaceus de testibus q.* 66. *nu.* 304. & *q.* 75. *num.* 358. *Guttierez lib.* 1. *pract. quæst. q.* 75. & docet *Covarr. pract. quæst. cap.* 18. quòd possunt probari contraria illis, quæ allegata sunt in prima instantia, dummodò super illis non fuerint testes examinati, vel interrogati.

---

## TITULUS XVIII. & ultimus.

### DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est suprà de appellationis remedio. Verùm quia illi, qui prædicto remedio sunt destituti, recurrunt ad remedium restitutionis in integrum; meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd restitutio in integrum, est in pristinum statum repositio, *l. quòd si minor. §. restitutio, ff. de minorib.* quia per restitutionem ponitur quis in illo statu, in quo erat antè læsionem, & appellatur restitutio, quasi iterùm statutio, seù situatio, & importat quandam reintegrationem seù renovationem prioris status, *Sforzaodus de restit. in integrum in principio.*

Sciendum est, quòd hæc restitutio in integrum conceditur ob læsionem, in casu, quo quis deceptus, & læsus est, *cap. ad nostram de empt. & vendit.* id est dolo, vel metu, vel ratione minoris ætatis 25. annorum, *cap. constitutus de restit. in integrum.* Minor verò intelligitur de jure communi is, qui est minor 25. annorum, *l. fin. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* Hodie verò in Regno est correcta illa ætas per constitutionem *minorum jura*, qua disponitur, quòd ætas minorum, tàm in masculo, quàm in femina dicitur usque ad 18. annum, & infrà hoc tempus datur restitutio in integrum, tàm in judiciis, quàm in contractibus.

Sciendum est tertio, quòd per remedium restitutionis in integrum, impeditur executio sententiæ, *l. si causa cognita C. de transactionibus*, quod procedit etiamsi esset sententia Principis. & S. C. *Afflictus dec.* 356. *Francus dec.* 701. *num.* 1. dummodò interveniant hæc requisita.

Primo requiritur, quòd adsit malitia, & animus calumniandi ad differendam executionem, *l. si Marcellus, ff. de re jud. Afflictus loco cit. num.* 50. *Francus dec.* 86. *num.* 8. undè *in cap. suscitata de restit. in integrum* denegavit Summus Pontifex restitutionem in integrum, quia aderat præsumptio fraudis contrà Monasterium, qua de re agunt *Capella Tolosana in decis.* 54. *Minadous dec.* 14. *num.* 14. *Mynsinger. cent.* 1. *obser.* 48. quandò verò præsumatur hic animus calumniandi, remittitur Judicis arbitrio, *Francus d. dec.* 702. *num.* 50. cujus Arbitrium non debet regulari ex levi præsumptione, sed ex conjecturis probabilibus, inter quas illa attenditur, si producatur aliqua scriptura, ex qua evidenter apparet de justitia petentis prædictum remedium, *Francus ubi sup. Thorus in compend. dec. in verb. restitutio adversùs sententiam tom.* 1.

Secundo requiritur, ut persona petens hoc remedium, sit privilegiata, videlicet Minor. Fiscus, Ecclesia, Universitas, & alii, de quibus *Maranta in tit. de appellat. num.* 78. *Sforzaodus par.* 1. *de restitut. in integr. q.* 3. *ptr.* 14. *articulos.*

Tertio requiritur, ut adsit læsio, & ipsius mentio fiat in libello, ut latè *Afflictus in Constitutione Regni appellationum tempora*, quanta verò esse debeat, remittitur arbitrio Judicis, *Francus dec.* 248. *Guttierez pract. quæst. lib.* 4. *q.* 7. *num.* 1. *Sforzaodus de restitut. in in-*

*in integr. par.* 1. *q.* 4. *ar.* 12. ubi per 13. articulos examinat hanc materiam læsionis, qualis, & quanta esse debeat. Fatentur tamen omnes, quòd si Judex satis minimam invenerit læsionem, de ipsa non habebit rationem ex *text. in l. scio, ff. de restit. in integrum*, qua de re latè *Pinellus in l. 2. C. de rescinden. vend. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 25.

Quarto requiritur certa ætas, undè à minore potest peti infrà 18. annos, quia usque ad hoc tempus durat minor ætas in Regno nostro, ut *in Constit. minorum jura*, & licèt Baro alio respectu efficiatur major in 14. anno, ut latè *Consiliarius de Georgio allegat.* 16. *per totam*, tamen in hac materia adhuc efficitur major in anno 18. qua de re legas de jure communi loquentem *Sforzaodum par.* 1. *q.* 2. *per novem articulos.*

Tempus verò, intrà quod peti potest restitutio in integrum, est infrà quatriennium, *l. fin C. de tempor. in integr. restitut. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. ubi *glossa, & DD.* quod quatriennium conceditur etiam Fisco, Universitati, & Ecclesiæ, & incipit à die læsionis, quandò non adest læsio enormissima, ut latè *Gomes. var. resol. in tit. de restit. minor. num.* 8. quandò verò adest læsio enormissima, tunc posset in perpetuum Ecclesia petere restitutionem in integrum, videlicet usque ad 30. annos, *Guttier. lib.* 4. *pract. quæst. q.* 69. *num.* 18. quandò etiam permittatur restitutio in integrum post quatriennium Ecclesiæ, legas *Riccium in collect.* 104. ut autem quatriennium prædictum currat, opus est, ut adsit scientia, nam si adest ignorantia usque ad centum annos poterit hoc remedium implorari ex doctrina celebri *Baldi in l. falsam. C. si ex falsis instrumentis*, quam doctrinam in praxi commendat *Thesaurus decis.* 113. quandò verò sententia intimatur, non potest allegari ignorantia, & ideò ab illo die currit quatriennium, quòd si sententia contineret terminum, puta ad solvendum, tunc currit quatriennium non à die ipsius, sed à die, quo completur terminus, ut docet *Innocentius in cap. coram fetiis de restit. in integrum.* Quandò verò restitutio in integrum fuisset petita infrà quatriennium & non terminata, vel prosecuta infrà illud, tunc si quatriennium esset elapsum dolo adversarii, vel justo impedimento, poterit petens eam posteà prosequi, quia initium attenditur, *Bart. in l. 3. ff. de minoribus*, *Afflictus dec.* 210.

Sciendum est quarto, quòd hoc remedium restitutionis in integrum concessum alicui personæ privilegiatæ, non prodest aliis consortibus, *l. 2. C. si unus ex pluribus appellaverit*, quam doctrinam limitat ibi *glossa*, quandò sententia esset lata super re individua, ex *textu in l. si communem, ff. quemadmodùm servitus amittatur*, *glossa in l. 1. C. si in communi causa in integrum restitutio peti possit*, maximè quandò cum individuitate causæ adest connexio, *Afflictus dec.* 213. *num.* 3. undè, quandò restituitur minor adversùs suam confessionem, etiam major litis consors debet restitui circà ea, quæ cohærent restitutioni minoris, ut docet *Innocentius in cap. auditis extrà de restit. in integrum*, ad quod allegat *tex. in l. ex causa ff. de minoribus*, sic docet *Afflictus ubi sup.* quod jus hypothecæ, cùm sit individivum, consequenter quandò bona possidentur pro communi, & indiviso, restitutio trahitur ad litis consortes, *Sforzaodus de restit. par.* 1. *q.* 46. *ar.* 50.

An verò concessa restitutione in integrum minori, prosit ipsa fidejussori ipsius? quæstio est, proposita per *Sforzaodum de restit. par.* 2. *quæst.* 98. & responsio est non prodesse, tùm quia sic habetur *in l. 1. & 2. C. de fidejussor. min.* tùm quia creditor non debet remanere in damno, quandò hoc potest fieri sine damno minoris. *l. in causa. l. 1. ff. de minor.* & ideò, quandò minor est fidejussor, etiam ipse restituitur. *l. ultim. ff. de minorib.* tùm quia, quandò creditor petit fidejussorem in obligatione minoris, ideò illam petere censetur, quia dubitat, ne minor petat restitutionem in integrum, ut in *d. l. in causa*, ergò, cùm hoc sciverit fidejussor, excusari non debet si pro minore fidejussit, quia tacitè censetur voluisse assecurare adversarium in hoc casu restitutionis petendæ.

Dices primo: nemo debet fraudari sua liberalitate. *l. Divus Pius ff. de regul. juris*, sed si hoc esset, fraudarentur fidejussores liberalitate eorum, quia tenerentur in causa, in qua principales ipsi non tenentur. Ergo, &c.

Respondetur negando minorem, quia fidejussor sibi imputare debet, quare pro eo fidejusserit, qui poterat restitui, quinimò in eo casu voluit creditorem securum reddere, ut suprà.

Dices secundo, quia esset fidejussor obligatus in duriorem causam, & teneretur fidejussor, non verò principalis contrà *textum in l. Græcè §. fin. ff. de fidejuss.*

Respondetur, nego antecedens, quia non obligaretur in duriorem causam, hoc est in plus, quàm obligatus fuerit ipse minor sed in eadem quantitate, & ita loquitur *tex. in d. l. græcè §. fin.* esset etiam obligatus in duriorem causam, quandò principali remitteretur debitum, & non fidejussori, vel quandò principalis debitor haberet tempus ad solvendum, quod non haberet fidejussor, ex *l. fin. C. de usuris rei judic.* hîc verò non est ità, nam minori succurritur, quia est lapsus ob fragilitatem ætatis, quæ in fidejussore non cadit, & ideò non dicitur obligatus in duriorem causam, sed efficaciùs, quam ipse minor, qua de re *Angelus in l. 1. nu. 3. C. de fidejuss. minor.*

Dices tertio, non potest remanere fidejussoria, quandò principalis est extincta. *l. 1. ff. de fidejussor. §. 1. instit. eod. tit. d. l. græcè §. fin. ff. eod. tit. l. hæres pecuniam ff. ad Trebellianum*, sed hic remaneret obligatio fidejussoria, principali extincta, Ergò,

Respondetur, quòd per restitutionem in integrum non tollitur obligatio minoris, quæ est principalis, ut docet *Bart. in l. Stichum §. naturalis ff. de solutionib.* sed obligatio naturalis est, quæ in totum tollitur per restitutionem in integrum, quia Prætor concedens restitutionem in integrum, potest in totum tollere obligationem naturalem, non autem civilem, ità de communi docet *Sforzaodus de restit. in integrum par.* 1. *quæst.* 44. *art.* 3. civilis verò obligatio non tollitur quoad nomen, sed solùm quoad effectum, *l. Patri* 28. *§. si pecuniam ff. de minor.* & idem est tolli quoad effectum, quàm eum non esse in rerum natura, qua de re *idem Sforzaodus ubi sup. num.* 28. *& quæst.* 48. *art.* 1. *num.* 9. Quia ergò remanet principalis obligatio minoris quoad nomen, poterit etiam remanere obligatio fidejussoris, quia verò non remanet illa principalis quoad effectum, ideò non poterit molestari, licèt possit molestari fidejussor. Adde, quòd non esset absurdum dicere, remanere obligationem fidejussoris, sublata principali, quia fidejussor tacitè in hunc casum futuræ restitutionis se obligavit, scilicet ut principalis, eo casu eveniente, si petat tale remedium, ipse teneatur.

Dices quarto, hoc remedium restitutionis transit ad hæredem. *l. non solùm, ff. de restit. in integrum si l. minor. autem. ff. de minor. l. 1. C. adversùs dotem. l. 1. C. de testam. milit. l. cùm miles ff. ex quibus causis majores. l. ex persona, C. de tempor. in integrum restitut.* ergò, si transit ad hæredem, poterit transire ad fidejussorem.

Responde-

Respondetur, negando consequentiam, nam ideò transit ad hæredem, quia hæres repræsentat personam defuncti per omnia, ergo, & à priori ratio est, quia hæres debitoris obligatus est ex provisione legis. Fidejussor verò ex provisione expressa ipsius creditoris, nam hæres repræsentat ex dispositione legis personam defuncti per omnia; fidejussor verò non sic. Undè non mirum, si hæres minoris utitur beneficio minoris, quia habetur, ut ipse minor, cujus personam repræsentat, non autem sic fidejussor, ut patet, qua de re legas *Sforzaodum par.* 1. *q.* 48. *art.* 1. *num.* 10. *& q.* 50. *per totam.*

Sciendum est quinto, quòd hoc remedium conceditur etiam mulieribus in casibus à jure expressis, *glossa in l. ut possint, C. de juris, & facti ignorantia*, & majoribus datur restitutio ex clausula generali, *si qua mihi justa causa, ut in titulo ff. ex quibus causis majores*, cum aliis, de quibus *Maranta de appellat. num.* 82. quæ causæ sunt infirmitas, v. g. quæ justam præstat causam ad petendam restitutionem. Secundo paupertas, & similia, qua de re *Ricc. collect.* 893. qui etiam addunt, quòd si major post sententiam ostendat instrumenta noviter reperta, ex quibus liquidò constet, quòd si fuissent antè sententiam præsentata, non sic lata fuisset sententia, tunc restitui potest in integrum. *Anna in cap.* 1. *num.* 243. *versic. & ego considero, de Vassallo decrepitæ ætatis. Francus dec.* 86. *num.* 8. *Anna singul.* 603. Probabitur verò, scripturas fuisse noviter repertas per juramentum producentis. *Alexander in cons.* 118. *num.* 9. *volum.* 2. *Guido Papa dec.* 244. *num.* 3.

### *In §. Quòd si semel*

Conclusio hujus textûs est, quòd restitutio in integrum semel denegata, non conceditur ampliùs, nisi, vel ad omissam appellationem proponendam, vel nisi novæ superveniant defensiones. His enim duobus casibus conceditur semel denegata, quia alioquin nunquàm lites finirentur. *Abbas in cap. fin. extrà eodem. l.* 1. *&* 2. *&* 3. *C. si sæpè restitutio in integr. petatur.* Intelliguntur verò novæ defensiones tam illæ, quæ priùs erant, & non fuerunt allegatæ, quàm illæ, quæ posteà emerserunt, ut benè *glossa* hîc.

In Regno tamen nostro partes, vel eorum procuratores solent petere primum, & compilato processu secundum beneficium, quod idem est, ac petere binam restitutionem in integrum, quæ competit, ut possint supplere id, in quo defectum est pro ipsarum defensione; de quibus beneficiis agunt addentes ad *pragm.* 7. *de ord. Jud. Riccius collect.* 186. *Muscatellus in glossa competentes. Regens Tappia in Jus Regni in tit. de in integrum restit. lib.* 3. *& Julius Cæsar. Imbrianus in tract. de primo, & secundo beneficio.* Pro cujus materiæ cognitione.

Sciendum est primo, quòd partes litigantes ad hoc, ut possint petere hæc remedia, debent esse personæ privilegiatæ, puta Minor, Fiscus, Ecclesia, Universitas, mulier, & aliæ miserabiles personæ, de quibus *Afflictus in d. Constit. Regni obscuritatem, & in Constit. Regni minorum jura. Maranta ubi sup. num.* 79. quòd si minor sit doctor, tunc si ex contractu læsus sit, non poterit petere restitutionem in integrum, ut docet communis DD. schola apud *Sforzaodum de restit. in integr. par.* 1. *qu.* 23. *art.* 7. quia talis doctor petens restitutionem allegaret propriam turpitudinem, cùm turpe sit, jus, in quo quis versatur ignorare. *l.* 2. *§. Quintus Mutius ff. de orig. juris.* Mihi verò placet opinionio contraria, ut scilicet concedenda sit restitutio in integrum, quam tenet *Franciscus Sarmientus lib.* 3. *selectarum cap.* 12. *ex l.* 1. *C. qui, & adversùs quos, & Andreas Facchineus contr. Juris lib.* 3. *cap.* 5. quia alia est scientia juris, alia prudentia in rebus agendis, quæ non ex Jurisconsultorum libris, sed ex usu, & experientia comparari potest. Ergò.

Mulieres verò possunt petere restitutionem in integrum, etiamsi sint meretrices, *Francus dec.* 233. quæ meretrix dicitur, quandò plures habet amasios, *Trivisanus dec.* 33. possunt autem mulieres cogi in termino præfixo antè sententiam, petere prædicta beneficia, ne intuitu ipsarum impediant expeditionem causæ, *Capyc. dec.* 110. quod non habet locum in minoribus, *Thorus in compend. decis. in verb. minor, sivè pupillus.*

Universitas autem habet restitutionem in integrum, & hæc beneficia, etiamsi esset unus homo in ea, qui esset major, quia consideratur aptitudo, quòd scilicet possit ex eo formari Universitas, ut sic fuisse decisum in S. C. refert *Freccia de subsidiis pag.* 179. quicquid contrarium doceat *Gizzarellus decis.* 21.

Sciendum secundo est, quòd hæc beneficia possunt peti adversùs sententiam S. C. licèt non impediant illius executiones, quemadmodùm nec reclamationem, *Afflictus dec.* 396. *Capycius dec.* 14. Quòd si talia beneficia non fuerint concessa in prima instantia, possunt peti in causa appellationis, ex *glossa in l. fin. C. si adversùs rem judicatam*, immò si non fuissent concessa in causa principali, possunt concedi in causa liquidationis, *Afflictus dec.* 214. quòd si semel sint concessa in causa principali, non debent iterùm concedi in causa liquidationis, *Afflictus decis.* 35.

Sciendum est tertio, quòd denegantur hæc beneficia minori, qui successit majori, cum quo fuit causa conclusa, sic probat *Afflictus dec.* 212. verùm in causa appellationis conceduntur tali minori, licèt successerit majori, *Gallupus in praxi par.* 2. *cap.* 31. quòd si è contrà successerit major minori, tunc dantur ei restitutiones istæ, quia conceduntur hæc beneficia ratione læsionis, quæ transit de minori in majorem, *Afflictus dec.* 209. & ideò læsione interveniente S. C. concedit dicta beneficia, etiam majori, quæ læsio quanta esse debeat arbitrio Judicis remittitur, *Francus dec.* 248. quòd si essent litigantes minor, & major in aliquo jure individuo, puta hypothecæ, vel servitutis, tunc beneficium minori competens, competeret etiam majori, secùs, si causa esset dividua, quia tunc solùm minori prodesset: sic decisum in S. C. docet *Afflictus dec.* 213. *& Capycius dec.* 273. de quibus supra.

Sciendum est quarto, quòd quandò agitur de remediis capitulorum Regni, non conceduntur prædicta remedia, *Anna alleg.* 84. Item neque quandò agitur de causa summariissima possessorii, quis scilicet lite pendente possidere debeat, *Capycius dec.* 13. in causa autem reassumptionis instrumentorum, licèt summariissima, fuit decisum in S. C. concedenda esse beneficia prædicta, *Anna d. alleg.* 84. *& in singulari* 2255.

Sciendum est quinto, quòd differunt beneficia, quæ conceduntur mulieribus ab illis, quæ conceduntur prædictis personis privilegiatis, nam fœminis solùm de jure Regni conceduntur, aliis verò de jure communi, ut in *Constit. Regni obscuritatem*, & ex hoc fit, ut restituantur tantùm in Judiciis, non in cæteris contractibus, vel negotiis, & fœminæ possunt cogi ad petenda prædicta beneficia, minores verò non, nam si cogantur, in hoc videntur læsi, cùm renunciare iisdem possint. *l. intrà C. de in integr. restit. l. si minor. ff. de minor. Imbrianus loc. cit.*

Sciendum est sexto, quòd primum beneficium est medietas primi termini, dati ad probandum. Secundum

dum verò est medietas illius medietatis, veluti si quis tempore expeditionis causæ in aula petierit sivè per se, sivè per procuratorem, restitutionem in integrum, tunc datur ei, si fuerit persona privilegiata, prima restitutio, id est primum beneficium, & si primus terminus fuerit octo dierum, petito primo beneficio conceditur alius terminus quatuor dierum, quòd si compilato processu petatur secunda restitutio, seù secundum beneficium, ut possit suppleri id, in quo defectum est, tunc conceditur ei secundum beneficium, id est secundus terminus duorum dierum, qui licèt disponatur de Jure Regni, tamen hic terminus est arbitrarius. & conceditur plus, vel minus, ut Judici æquum videbitur secundùm causæ circumstantias. *Afflictus dec.* 124. ubi *Ursillus. per pragmaticam verò ultimam de ordin. Judiciorum emanatam per Cardinalem Zabattam Anno* 1621. statutum est tempus 30. dierum immediatè sequentium ad petendum secundum beneficium. Ideò post dicta tempora ampliùs peti non possunt, quod quomodò procedat, videas *Rovit. in prag.* 16. *de ord. Judic.*

Ubi adverte, quòd terminus concessus in primo, & secundo beneficio, est communis utrique parti. *Afflictus dec.* 89. *ex l. petendæ C. de tempor. in integr. restit.* & hoc casu potest articulari de directo contrario articulis partis adversæ. *Pragm. contingit de ord. Judic.*

*In §. hujusmodi cum sequenti.*

AGitur hîc de foro competenti in causis restitutionis in integrum, id est coràm quo Judice, & ubi peti debeat. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd restitutio in integrum peti potest. Primo coràm Judice ordinario inferiore à Principe, ex *l. in causa §. fin. cum l. sequenti ff. de minoribus, & in l. fin. C. ubi, & apud quem Abbas cons.* 87. *lib.* 1. restitutio enim gratiosa, est illa, quæ non nisi à Principe fieri potest. *l.* 1. *ff. & C. de sent. passis, & restitutis.* Hæc verò dicitur restitutio fundata in legibus concedentibus, & sic in justitia.

Quod tamen limita in sententia lata à procuratore Principis. Secundo in sententia, quam tulit ipse Princeps. Tertio in sententia lata à Vicario Principis. Quarto, quandò læsio, vel ætas est semiplenè probata: tunc solus Princeps restituere potest *singularis tex. in cap. ex litteris de restit. in integrum.* Quinto, quandò restitutio venit ex mera gratia Principis, de quibus omnibus *Sforzaodus de restit. in integr. par.* 1. *q.* 32. *art.* 3.

Sciendum secundo est, posse restituere in integrum omnes Judices habentes aliquod Tribunal, vel jurisdictionem propriam cum administratione, *Vaconius lib.* 6. *declarat. juris declar.* 81. idque ex eo, ut scilicet faciliorem expeditionem habeat favorabilis hæc causa restitutionis in integrum, *Sforzaodus ubi sup. art.* 4.

Ampliatur etiam in Delegato à Principe, qui restituere potest *d. l. fin. C. ubi*, & *apud quem*, *Abbas loco cit.* Delegatus autem ab ordinario incidenter potest causam restitutionis cognoscere, immò secundùm magis communem opinionem delegari potest hæc causa etiam ab ordinario in specie, in genere autem attento jure antiquo *ff.* delegari non poterat, sub illa scilicet generalitate causarum. *l. ea, quæ ff. ad municipalem*, de jure verò novo *Justiniani* potest, ut in *d. l. fin.* ibi *vel si generaliter dati sunt judices*, idque ex eo, quia favor est minoribus habere plures Judices, ut faciliùs audiantur, & eorum causæ expediantur, legas *Sforzaodum art.* 6.

An verò possit arbiter in integrum restituere, quæstio est, & responsio est negativa, *ex textu in d. l. fin. C. ubi. & apud quem, vers. sed ne quis, & ex cap. penult. de restit. in integrum.* Ratio est, quia qui vult de hac causa cognoscere, opus est, ut habeat administrationem, sivè aliquod publicum officium, sivè ut suprà diximus Tribunali alicui præsit, hoc enim propriè est administrationem habere, ut notatur in *Auth. ad hæc, C. de Judiciis.* Et ratio rationis est, quia, cùm restitutio in integrum contineat in se publicam utilitatem, ut docet *Bart. in l.* 1. *ff. de restit. in integrum*, non videtur consentaneum, ut à privatis Judicibus concedi, vel denegari possit; sed tantùm ab iis, qui de publico habent jurisdictionem *Sforzaodus art.* 7.

Limitatur verò hæc doctrina. Primo, quandò arbiter incidenter cognosceret de tali restitutione in integrum, ut ex *d. cap. penult. de restit. in integrum.* docet communis D D. sententia apud *Sforzaodum art.* 8. & *ex l. quotiès, C. de Judiciis.*

Limitatur secundo, quòd licèt arbiter non posset restituere in integrum; poterit tamen pronunciare, restituendum esse aliquem, de cujus causa arbitrium fert, quia diversa sunt hæc duo, restituere, & pronunciare restituendum *Sforzaodus art.* 9.

Sciendum est tertio, quòd restitutio in integrum est petenda coràm Judice ecclesiastico, quandò lis versatur inter privatum, & Ecclesiam, ità communis DD. Schola apud *Romanum de reb. Eccles. non alien. in quæst. de restitut. in integrum*, §. 7. *per totum*, & allegatur *textus in cap.* 1. *de restitut. in integrum, & in cap. penul. de reb Eccles. non alien.* quod verum est, etiamsi tractetur de patrimonio ipsius clerici, DD. communiter, quos refert, & sequitur *Sforzaodus art.* 15. quandò verò agitur inter Ecclesiam, & Ecclesiam peti debet restitutio coràm Judice Ecclesiæ reæ, qua de re *DD. citati.*

Sciendum est quarto, quòd à sententia Vicarii, coràm Episcopo tantùm, restitutio peti debet, & adversùs sententiam Episcopi potest Vicarius restituere. *Maranta cap.* 6. §. *& quandòque appellatur num.* 382. Immò Episcopi Vicarius contrà propriam sententiam restituere potest, quia Vicarius habet jurisdictionem ordinariam, quæ non extinguitur per prolationem sententiæ, qua de re *Sforzaodus art.* 22.

*In §. Finali.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si restitutio in integrum non sit petita cum conditionibus suprà enumeratis, non impeditur effectus executionis sententiæ. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd restitutio in integrum regulariter impedit executionem sententiæ, licèt in multis casibus id non producat, quos casus post *Marantam in tit. & quandòque appellatur num.* 108. *Afflictum, & addentes in decis.* 356. enumerat *Riccius collect.* 188. & 3775. quibus omnibus casibus addas tu, quòd non impeditur executio sententiæ, quandò res, vel summa deducta in judicio esset satis minima, & parvi momenti, argum. *tex. in l. scio, ff. de in integr. restitut.* diceretur verò res minima, quandò v. g. plus expenderetur in examine, an debeatur restitutio quàm ipsa importaret; quod tamen non procedit in parva Civitate, & in universitate, quia hoc casu semper habebit quis hoc beneficium. Qua de re *Galluppus in praxi par.* 3. *cap.* 50. *num.* 19. *cum pluribus sequentibus.*

Laus Deo, ac B. M. semper Virgini, Divoque Januario, singulari Civitatis hujus Patrono, ac Divo Thomæ, S. Francisco, & Divo Antonio. Amen.

*FINIS LIBRI TERTII.*

INSTI-

# INSTITUTIONUM CANONICARUM,

## *LIBER QUARTUS.*

### *TITULUS PRIMUS.*

### De Accusationibus, Denunciationibus, et Inquisitionibus.



Itulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est suprà de judiciis civilibus, sequebatur videre de Criminalibus: verùm quia judicia criminalia instituuntur per accusationem, denunciationem, & inquisitionem, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd accusatio, est delatio, Rei de crimine in libello ad vindictam, *cap qualiter*, *& quandò de accusat. l. libellorum*, *eod. tit.* & vulgò appellatur querela: dicitur Delatio criminis loco generis; in quo differt ab actione civili, quæ est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur: Dicitur ad vindictam, quia accusatio principaliter ad vindictam ordinatur, eo quòd Reipublicæ interest delicta puniri, *l. ità vulneratus*, *ff. ad legem Aquiliam*, licèt secundario accusatio introducta sit propter proprium interesse ipsius accusatoris; & in hoc principaliter differt à denunciatione, quia denunciatio per se est ad emendationem criminis instituta. Requiritur in accusatione primò, ut fiat in scriptis, *cap. qui crimen 2. quæst. ultim.* quod tamen non est in omni crimine necessarium; nam in crimine levi id non requiritur. *l. levia*, *ff. eodem*: sicut nec in notoriis, in quibus nec accusatio requiritur, *cap. evidentia de accusat.* Secundò requiritur, ut fiat ad bonum publicum, ut scilicet puniantur delicta, *Sotus de justitia & jure lib. 5. quæst. 5. art. 1. S. Thomas secunda secundæ quæst. 66.* Undè criminosum publicum, ut malum officialem, malum Parochum, &c. unusquisque de populo accusare debet, ut in *tit. C. de popul. action.*

Sciendum secundò est, accusatorem dici eum, qui in civilibus dicitur Actor, teneri verò omnem accusare, quandò delictum est proximè faciendum contrà bonum publicum, tenet communis cum *S. Thoma secunda secundæ quæst. 68. art. 1.* ubi *Cajetanus*, *Aragonia*, *& alii. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 12. puncto 1. quæst. 1. & 2. Toletus in summa lib. 5 cap. 57.* non tamen, si non accusaverit, tenetur restituere, quia peccat solùm contrà charitatem, non contrà justitiam. Idem dicas, si scio, patrari delictum contrà privatum, & commodè possum accusando remediare, quia teneor proximo consulere; si possum absque gravi damno id facere & licèt nullus admittendus sit ad accusandum nisi suam, vel suorum prosequitur injuriam, *l. fin.* ubi *Gloss. & Bart. ff. de accusat. l. unica*, ubi *Glossa*, *& DD. C. de delictis defunctorum*; *Gomesius tom. 3. var. cap. de delictis. num. 9. & in Regno est Ritus 182. Afflictus dec. 382.* tamen prædicta jura intelliguntur quandò delictum est factum: tunc nullus admittitur, nisi suam, vel suorum prosequatur injuriam. Secùs verò, quandò delictum est in fieri, *Toletus*, *Sayrus*, *& alii*, quos sequitur *Fragosius disput. 12. de Republica Christiana*, *num. 76.* & si quis suam, vel suorum prosequatur injuriam verbalem, tunc non sufficit agere quomodocùmque, sed requiritur libellus, ut in *Ritu. 311.* ubi *DD.* illis verò competit in Regno jus querelandi, vel accusandi, quibus competit successio, ut in *Pragm. 8. de compositione.* ubi latè *Tappia*, *Francus dec. 611.* ubi fuit quidam hæres institutus, & nepos non nominatus in testamento: fuit dictum, jus querelandi pertinuisse ad nepotem, de quo ibi, non verò ad hæredem institutum, *Riccius collect. 776.*

Sciendum est tertiò, accusationem tribus modis reddi posse injustam. Primò scilicet calumniando, quandò quis scienter intentat falsum crimen, *cap. 1. & toto tit. de calumniatoribus*, ubi Clerico calumniatori imponitur inter alias, pœna fustigationis, ex quo notat *Abbas in cap. inter alia de immun. Eccles.* posse Clericum fustigari infrà septa monasterii; sed per Civitatem non servatur fustigari Clericum, *Clarus in §. fin. quæst. 70. Diaz in praxi Canonica cap. 137. aliàs 137.* secundùm novam impressionem; possunt tamen Judices Ecclesiastici clericis pœnam exilii imponere; DD. ubi suprà, *Rodriquez tom. 2. quæst. regul. quæst. 23. art. 1.* sic accusans Prælatum debet se purgare canonicè, quòd id non fecerit per calumniam; si de hoc appareat *cap. fin. de calumniatorib.* & pœna est restitutio expensarum, & alia similis, *Clarus in §. fin. quæst. 62. num. 19. qui num. 18.* dicit, posse Judicem procedere contrà calumniatorem evidentem, absque accusatore, & dari ei terminum ad faciendas suas defensiones. Præsumitur verò calumniator, quandò quis non probat propositam accusationem, *Abbas in d. cap. fin. de accusat. num. 5. Soccin. num. 7. Felynus num. 6. Diaz in praxi cap. 78. ubi additio. Rodriquez tom. 2. qu. regul. q. 3. ar. 1.* per juramentum verò præsumitur extincta calumnia post alios *Augustinus Barbos. in d. cap. fin. de calumniat.* Secundo redditur accusatio nulla, & injusta tergiversando, quandò scilicet accusator in totum recedit à lite sine licentia Judicis, & tunc puniebatur antiquitùs quinque libris auri, *l. 3. ff. de privatis delictis.* Tertiò, redditur injusta prævaricando, quandò scilicet cum reo colludens adjuvat partem adversam, falsas probationes adducendo, & veras dissimulando, qui quidem judicis arbitrio punitur *l. 1. & 2. ff. de prævaricatorib.*

Sciendum est quartò, Judicem per viam accusationis, tunc juridicè procedere, quandò delata sibi accusatione interrogat testes, & posteà habita saltem semiplena probatione procedit ad interrogationem rei; Ratio est, quia non tot requiruntur ad interrogandum reum, quot ad condemnandum; sed ad condemnandum sufficit plena probatio, quæ fit per duos testes, vel tres omni exceptione majores, juxtà illud *Matth.* in ore duorum, vel trium stat omne verbum; ergò ad interrogandum reum sufficit semiplena probatio, *Emmanuel Sà in verb. Judex*, & Judex procedit examinando testes propositos ab accusa-

accusatore, quibus examinatis, & crimine per duos testes omni exceptione majores probato, legitimè procedit Judex ad examinandum reum, & quandò taliter est probatum, dicitur plenè probatum etiam ad condemnandum; sed quandò est crimen probatum per unum testem, dicitur sufficienter probatum ad finem examinandi, & torquendi: legas *Megal. in praxi crimin. canon. cap.* 10. ubi proponit formam libelli pro accusatione.

Sciendum est quintò, posse omnem accusare de delicto publico jam completo, sed non teneri. Prima pars, quòd scilicet possit, patet ex *l. qui accusare, ff. de accusat. & in l. licitatio, §. quòd illicitè, ff. de publicanis, & vectigalibus, Julius Clarus in §. fin. quæst.* 14. *Megala d. c.* 10. Et patet, quia accusatio, est actus justitiæ, si debito modo fiat, ergò licitus, *Filliuccius tr.* 4. *c.* 7. *n.* 210. qui respondet ad id, quod dicitur *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus &c. quòd scilicet per illa verba non continetur præceptum, sed Consilium dimittendi injurias factas. Quòd verò non teneamur accusare; patet, quia licitum est remittere injuriam etiam nobis irrogatam, *l. unica, C. ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur.* ex quo nota, in multis casibus posse à fortiori aliquem accusare ob aliorum utilitatem; primo scilicet, quandò crimen vergit immediatè ad damnum communitatis, ut est crimen hæresis, læsæ Majestatis, conspiratio in Principem, falsificatio monetæ, & similia, dùm sunt in fieri, ut supra dicebamus, *Navarr. in manuali. c.* 25. *nu.* 23. *Val. secunda secundæ. tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 12. *punct.* 1. *Tolet. lib.* 5. *c.* 5. *Layman. lib.* 3. *Theol. moral. tr.* 6. *c.* 3. *Filiuccius nu.* 212. *Fragosius ubi suprà*, quia quilibet tenetur impedire damnum publicum eo meliori modo, quo potest, scilicet si non potest aliter impedire, quam accusando, tenetur accusare. Et hoc amplia, etiamsi cum juramento promissum sit secretum; modò non sit secretum confessionis; quia tale juramentum esset de re illicita, & semper habet tacitam conditionem, si licitè servari possit: & amplia secundo, etiamsi delinquens damnum patiatur in fama: nam hoc est imputandum ipsius culpæ, cùm damnum commune adeò grave sit, ut præferatur privato damno: *DD.* ubi suprà. Id tamen limita ex suprà traditis, quandò delictum est commissum jàm.

Sciendum est sexto, ab accusando repelli primo Infames, & filios ergà parentes, *l. hi tamen, ff. de accusat. l. fin. C. qui accus. non possunt, Liberti contrà patronos non admittuntur, c. cum Petro de accus.* sed ex consuetudine tales personæ non solent repelli: quia Judices ex querelis ab eis porrectis, assumunt viam inquirendi, *l. non solùm, §. necessitate, C. de bonis, quæ liberis. Farinaceus de accus. q.* 12. Neque clericus admittitur, nisi cum protestatione citrà pœnam sanguinis, *c.* 2. *c. postulasti de homicidio, c. sacerdotem* 2. *q.* 7. feminæ antiquitùs non admittebantur ad accusandum, *l. qui accusare, ff. de accus. l. de crimine, C. qui accus. non possint, cap. prohibentur* 2. *q.* 1. *Jul. Clar. in §. fin. q.* 14. *Megala d. c.* 10. *Dec. lib.* 3. *criminalium, c.* 7. tamen hodie, si suam prosequantur injuriam, admittuntur, & ideò possunt accusare de morte mariti, & reliquorum consanguineorum, & in crimine sacrilegii etiam de Jure communi admittuntur, *l. si quis in hoc genus, C. de Episc. & Cler. c. in primis* 2. *q.* 1. Secundo, in crimine læsæ Majestatis, in crimine hæresis, & in similibus, idem dicas de aliis personis, non idoneis, quæ in talibus admittuntur delictis, & hos omnes post alios enumerat *Fragos. disput.* 12. *de Republica Christiana*, & parte non opponente, est quæstio, an Judex possit ex officio opponere de inhabilitate. Prima opinio negat, ità *Fragos. n.* 84. Secunda opinio affirmat, de qua *Jul. Clar. in §. fin. q.* 15. *Barb. in c.* 1. *hoc tit.* Inimicus excluditur regulariter ab accusando, *c. cùm oporteat hoc titulo, cap. per tuas de simonia, §. si verò quis odiosus, authent. de testam. §. inimicitiæ authen. de accusat. tutor. l.* 3. *C. de testam. l. si quis test. C. eod. tit.* tunc verò inimicitia repellit, quandò est capitalis, quæ oritur tam ex causa criminali, quàm civili, *Mascard. de prob. concl.* 857. *n.* 55. *&* 66. *Farinac. in praxi criminali, q.* 49. *Barb. in d. c. cùm oporteat.* Inimicus etiam præsumitur conversans cum meo inimico, *Menochius lib.* 5. *q.* 43. Neque potest inimicus reconciliatus accusare inimicum, *c. accus.* 3. *p.* 5. *Roman. sing.* 319. *Clar. in §. fin. q.* 24. *Carb. qui plures refert in c. repellantur, hoc tit.* sed si causa inimicitiæ jàm sit extincta, & à multo tempore confirmata amicitia, tunc non repellitur inimicus reconciliatus, *gl. in cap.* 32. *de simonia. in verbo inimicitias, Tiraquell. Mascard. & alii, apud Barb. ubi sup.* & nota, quòd inimicus repellitur etiam in notoriis, *Alex, cons.* 127. *vol.* 4. *Roman.* 328. *Dec. in lib.* 3. *crimin. cap.* 25. *nu.* 8. *par.* 1. *Covarru. pr. c.* 18. *Fragos. dis.* 12. *à nu.* 83. *cum seq.* nota etiam, quòd interdùm Judex non opus habet accusatore, quandò scilicet procedit super evidentia patrati sceleris, *c. evidentia de accus.* quia probatio per evidentiam facti nihil aliud opus habet ad delictum cognoscendum, & super illo notorio fertur sententia *Clar. in §. fin. quæst.* 9. *Barb. in d. c. evidentia in fin.*

Est quæstio; an fiscalis custos sylvarum, gabellarum, & similium, qui faciunt custodias, ne transeant quædam bona prohibita, vel pro quibus solvenda sit gabella, & accepta pecunia dimittunt illos, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem damni illati ex omissione accusationis?

Respondetur, peccare contrà justitiam, & teneri ad restitutionem; quia faciunt contrà proprium officium, violantes justitiam, ergò obligantur restituere. Est tamen difficultas, an teneantur non solùm ad restitutionem damni, quòd domini patiuntur non accusando tales personas, sed etiam pœnæ, quam delinquentes solvissent, si ab ipsis custodibus accusati fuissent: & Respondetur, duas esse opiniones: prima est, teneri ad restitutionem pœnæ prædictæ: ità *Petr. Navarr. de restit. cap.* 4. *nu.* 142. *Molina de justitia, & jur. disput.* 739. Ratio est, quia non accusando censentur suis dominis causa damni, ad quod impediendum tenentur ex officio. Secunda opinio est, non teneri ad solutionem pœnæ prædictæ, ità *Vasquez de restitut. cap.* 7. *dub.* 6. *nu.* 61. & alii communiter apud *Lessium lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. contrà *Fragosium de Republica. lib.* 5. *disp.* 12. *nu.* 90. Probatur nostra sententia, quia usu non videtur receptum, tales personas obligari ad restitutionem pœnæ prædictæ. Secundo, quia tales personæ non videntur constitutæ, ut domini locupletentur, sed ne damnum patiantur. Ergò non tenentur ad solutionem pœnæ, sed solùm ad damnum quod domini patiuntur ex infideli custodia eorum. Tertio, quia pœna non est solvenda antè Judicis sententiam, *cap. fraternitatis* 12. *q.* 2. ergò sicut illi, qui fraudarunt vectigalia, non tenentur ex justitia ad solvendam pœnam antè Judicis sententiam, ità neque videntur teneri custodes antè sententiam; Undè talis custos vectigalium tenetur tantùm ad restitutionem pretii, quod pro vehendis mercibus à mercatore solvendum erat: sicut etiam Judices non ferentes sententiam contrà delinquentes, quos ex officio tenentur condemnare, qua sententia posita, bona delinquentium Fisco fuissent applicata, non tenentur ad restitutionem illorum bonorum: DD. citati; Ad argumentum verò pro parte contraria respondetur, custodes, qui non accusant delinquentes, quos ex officio tenentur accusare, censeri causa illius damni, quod domini patiuntur ex denegata solutione vectigalium, non

verè

verò ex denegata solutione pœnæ, cùm ipsi non sint constituti ad locupletandos dominos.

Est etiam difficultas, utrùm qui non denunciat, cùm teneatur ex officio denunciare, obligetur ad solvendam pœnam, quam delinquens solvisset, si denunciatus fuisset & responsio est negativa, ita *Navarrus in summa cap. 25. Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 72. Sylvester in verbo restitutio, il. 4. quæst. 5.* & alii, apud *Fillincc. tract. 4. cap. 7. num. 220.* contrà *Azorium, Molinam, Navarrum, & alii, apud ipsum*: ratio est, tùm quia usu receptum est, hos tales non restituere, neque eos confessarios alioquin doctos ad restituendum obligare: tùm quia tales personæ non videntur constitutæ directè ad denunciandum, ut dominus, aut Respublica dicentur. sed ut damna impediantur, & vectigalia solvantur, adimpleantur leges &c.

Alia est difficultas, an officiales teneantur denunciare facientes contrà legem, qui licentiam, seù dispensationem obtinerent, si eam peterent; sed eam ob erubescentiam, vel ob aliam rationem petere nolunt, & responsio est affirmativa, ita *Corduba in summa, quæst. 66. Medina de restitutione, qu. 12. dub. ult. Navarrus, cap. 17. nu. 122.* contrà *Filiucc.* & alios apud ipsum, *nu. 219.* Et probatur, quia ratione officii tenentur denunciare facientes contrà legem; sed isti faciunt contrà legem, ergò tenentur istos denunciare. Minor probatur, quia adhuc sunt legibus subjecti, ut per se patet tùm quia alioquin sequeretur, quòd inhabiles contrahentes matrimonium, non obtenta impedimenti dispensatione, aut comendentes carnes in die jejunii non obtenta dispensatione, quam quidem obtinuissent, si peterent, non peccarent, quod tamen falsum est.

Ultrà infames, & inimicos, de quibus suprà, repelluntur ab accusando excommunicati in pœnam suorum delictorum, proditores, publici concubinarii, & similes; de quibus in *d. cap. prohibentur 2. q. 1. & in l. qui accusare, ff. de accusat.* communiter DD. quos sequitur *Farinaceus in praxi criminali quæst. 12. num. 27. & de testibus, quæst. 56.* qui tamen admittuntur in casu hæresis ob favorem fidei; hoc enim casu omnes etiam infames admittuntur, dummodò non sint inimici capitales, *cap. per tuas, de simonia.* Monachus verò ad accusandum Abbatem admittitur, cui sunt administrandæ expensæ de bonis Monasterii, donec causa finiatur, *cap. ex parte hoc tit. Boërius decis. 303. num. 4. Burattus dec. 615.* latissimè *Barb. in d. c. ex parte*, si verò Monachus voluerit alium accusare præter Abbatem, non poterit, nisi duplex concurrat conditio. Prima est licentia Abbatis. Secunda verò, utilitas Monasterii, *Sanchez lib. 6. in summa cap. 2. nu. 68.* Quòd si quis dixerit coràm Judice se accusaturum aliquem, potest deindè impunè antè inscriptionem desistere: sed ei silentium imponi debet, ut non possit ampliùs illum de tali crimine accusare, *cap. licèt hoc tit.*

Est quæstio quid dicendum, si Titius Sempronio legavit mille, vel eum hæredem faciat, ut suam prosequatur injuriam, & non relinquat impunitum offensorem ipsius, an talis dispositio valeat. Responsio est, teneri hæredem ad id faciendum, & valere dispositionem prædictam, nam est conditio justa, ergò adimplenda: versatur ergò circa bonum Reipublicæ, ut scilicet mala & delicta puniantur: immò si tantùm accusaverit absque eo, quòd prosequatur, est adimpleta conditio, quia Fiscus deindè succedit in prosequendo, *l. hæredi, C. de his, quibus, ut indignis, Angelus in summa in verbo accusatio.*

Est etiam quæstio, quid si sacerdos sciat aliquod delictum contrà bonum publicum, vel privatum, teneatur illud Superiori denunciare, & responsio est, quòd si sacerdos sciat tale delictum, antequàm committatur, tunc tenetùr illud impedire, ne sequatur; quòd si impedire non poterit, tunc accusare, & denunciare tenetur cum protestatione tamen citrà pœnam sanguinis, *Canon.* communiter in *cap. Prælatis, de homic. in 6. Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 33. art. 3.*

*An Judices tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus possint procedere, absque Actore seù Accusatore saltem ficto.*

IN quocunque crimine duplex dari potest accusatio: altera in vindictam Reipublicæ, quæ dicitur Criminalis, altera Civilis ad factum damnum parti applicandum *l. qui nomine, ff. ad legem Corneliam, de falsis.* ubi *Bart. Bald. & alii, Gomesius tom. 3. cap. 3. num. 37.* quæ duplex accusatio oriri potest quolibet crimine privato, & injuria privata: erit ergò criminalis, quandò ad pœnam fisco applicandam agitur, Civilis, verò quandò parti applicatur, hoc posito.

Prima opinio, dicit posse Judices interdùm sine accusatore delinquentem judicare; argumento sumpto ex Divina justitia, quæ nullo præcedente accusatore condemnat, & ex facto *Danielis cap. 13.* qui nemine accusante iniquos senes judicavit: tùm quia si Judex videat aliquem delinquentem actu, potest super eo statim informationem sumere, & contrà eum procedere, teste *Julio Claro in §. fin. q. 8. nu. 50.* ergò non semper requiritur accusator diversus à Judice.

Secunda opinio, & vera est, Judicem neminem posse condemnare sine accusatore saltem ficto, quandò crimen est graviter puniendum, ità *S. Thomas 2. 2. quæst. 67. ar. 3.* ubi *Aragonia, Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 12. num. 104. Miranda de ordine judiciorum, quæst. 13. art. 1. concl. 1.* facit locus *Act. 22.* Hoc tamen non est de jure naturali, sed de jure positivo, valdè conformi juri naturali, jus hoc positivum est, ex *text. in l. illicitas, ff. de officio Præsidis, & in l. rescripto, ff. de muneribus, & honoribus, & text. in cap. qualiter, & quandò, ff. de accusat. & in capit. si quis potestatem 22. qu. 4.* sic etiam exemplo Judæ, qui cùm fuisset reus, Christus Dominus non eum abjecit, eo quòd non fuit accusatus: quod etiam notavit *Chrysostomus in Joannem 8.* ubi Christus absolvit adulteram, quia non fuit accusata.

Talis verò accusator non requiritur verus, & formalis, sed sufficit virtualis, seù fictus, qui scilicet vices suppleat accusatoris, & in criminalibus supplet vicem accusatoris ipsa denunciatio, in civilibus facti evidentia, *S. Thomas dicta secunda secundæ, quæst. 67. artic. 3. Lessius, Miranda, & alii ubi suprà*: supplet vices accusatoris etiam infamia publica, & indicia manifesta, & illud judicium, ubi est verus, & formalis accusator, dicitur ordinarium; ubi verò virtualis est, extraordinarium, ut patet. quandò Judex procedit per inquisitionem, *Navarrus in rubrica de judiciis, num. 17. 18.* Et in hoc etiam datur differentia, quòd accusator tenetur delictum, quod accusat, probare, sed denunciator non, *Lessius, Miranda, & alii*, quos sequitur *Fragosius disp. 12. nu. 120.* si agatur contrà notorium delinquentem, ordo juris prætermitti potest, *cap. consuluit de appellat. cap. qua Lothrius 2. quæst. 1. cap. quan'o de transl tione Prælatorum, Gomesius de delictis cap. 1. nu. 42. Julius Clarus in §. fin. quæst. 9.* Intellige in criminalibus, nam in civilibus factum notorium eget ordine juris: alii tamen dicunt universaliter, quòd illud axioma, in notoriis ordo juris non servatur, procedit tam in civilibus, quàm in criminalibus, quod deducitur ex *cap. pervenit de testibus, & cap. ad nostram, il. 2. de jurejurando, Decius cons. 544. num. 6. Parisius cons. 111. nu. 8. lib. 4. Menochius de recuper. possess. remed. 14. nu. 260.* quare contrà notoriè delinquentes non

non requiritur libellus, nec accusatio, quia Judex procedit ex officio, etiam nemine accusante, non solùm de jure civili, sed etiam de jure canonico, *l. eam quidem, Cod. de accusation. l. congruit, ff. de officio Præsidis, cap. tua nos, de cohabitatione clericorum, & mulierum.* Sic, si fit commissum delictum coram Judice, & aliquibus aliis, dicitur notorium; secùs, si fiat coram Judice tantùm, quia non potest esse accusator, & testis simul, sed si fit commissum coram Judice, & aliis adstantibus. Neque requiritur accusator, quandò datur infamia publica, vel indicia manifesta adsunt, quia ex hac famosa insinuatione, aut ex indiciis potest Judex procedere ad inquirendum de delicto, ac de ejus auctore, quia supplent locum accusationis, *Sotus, Sayrus, Navarrus, Lessius, Miranda, & alii*, apud *Fragos. d. disput.* 12. *num.* 129. Si verò petas, quot homines requiruntur ad infamiam constituendam.

Respond, secundùm aliquos, decem homines requiri; secundùm alios verò, majorem partem populi Parochiæ, vel saltem viciniæ; secundùm alios remittitur arbitrio Judicis, *Bonacina de censuris, quæst.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num* 50. *Fragosius num.* 130. Indicia, sinè quibus inquisitio formari non potest, debent esse perfecta, & quæ vehementem inducant suspicionem, ex quibus morali quadam certitudine fas sit conjecturare hunc, vel illum fuisse auctorem commissi criminis. *Sotus lib.* 5. *de Justitia quæst.* 6. *art.* 2. *Valentia tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 3. *par.* 2. quia, si fiat inquisitio sine præcedentibus indiciis, est ipso jure nulla, *D D. in l. milites C. de quæstionibus, Julius Clarus in §. fin. quæst.* 20. *Menochius de arbitr. quæst.* 78. *Mascardus conclus.* 151. qui dicit, confessionem factam ad inquisitionem formatam nullis præcedentibus indiciis, nihil probare, nec confitenti præjudicare. Hæc autem indicia alia sunt levia & hæc sufficiunt ad capiendum reum, ne fugiat, quamvis non sufficiant ad illum examinandum, & tale indicium est v. g. dictum socii criminis, quod licèt non sufficiat ad examinandum, torquendum, vel puniendum socium, sufficit tamen ad capiendum contrà ipsum informationem, & eum capiendum, ne fugiat, *Julius Clarus in §. fin. quæst.* 21. *Azorius lib.* 13. *cap.* 18. *dub.* 5. *Sylvester in verb. indicium quæst.* 5. licèt contrarium putet *Fragos. d. disp.* 12. *num.* 131. Alia dicuntur indicia indubitata, & hæc non solùm sufficiunt ad examinandum reum, verùm etiam ad torquendum, vel ad deferendum illi juramentum, nam delatio juramenti, est veluti quædam probatio: ità *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 26. *Clavis Regia lib.* 12. *cap.* 12. *Reginaldus, Lessius, Clarus, & alii apud Filiuccium tract.* 40. *cap.* 6. *quæst.* 13. *nu.* 195. ex quibus nota, non solùm dictum duorum, vel trium testium, aut etiam semiplenam probationem, verùm etiam publicam vocem, vel famam sufficere ad torquendum eum, qui publica fama criminis auctor reputatur; immò docent sufficere fugam delinquentis susceptam statim post crimen commissum, nisi fortè suspectus purget suspicionem comparendo post citationem, rursùs gravis inimicitia conjuncta cum aliis indiciis: denique existentia rei furto ablatæ, apud delinquentem, hæc omnia faciunt indicium ad torturam, tamen non sufficiunt, ut reus puniatur pœna ordinaria, quia fieri potest, ut non sit reus, latè *Megala in praxi Canonica criminali, cap.* 12. *per totum.* Semiplena probatio, est dictum unius testis ocularis, vel aliàs fide dignissimi legitimè deponentis cum juramento, & hic testis est omni exceptione major, *Cardin. Tuschus in verb. testis concl.* 282. Ille enim dicitur testis omni exceptione major, qui deponit cum juramento, se vidisse crimen, quotiès criminis perpetratio cadit sub visum, vel qui deponit, se crimen audivisse, quotiès testificatio criminis non cadit sub visum, sed sub potentiam auditûs, ut est crimen hæresis, blasphemiæ, &c. & nos de testibus alibi diximus in tertio libro, cùm de probationibus.

Formatur inquisitio tali pacto, priùs proponitur edictum per Civitatem & Diœcesim, ubi dicit Episcopus, quòd volens suum officium benè adimplere, præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnes, qui de jure possunt, & debent, servatis servandis, Ecclesiasticorum delicta manifestare ipsi debeant, cujus edicti formam ponit *Megala ubi suprà.* Visitatores verò Generales Regularium talia edicta, seu visitationis intimationes facere non solent, sed convocatis in capitulo fratribus, vel in refectorio post prandium, vel cœnam, brevi sermone habito illis manifestare debet visitationem, exhortando eos, ut Monasterii statum, & ea, quæ correctione indigent, liberè aperire valeant, ut tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, quæ indigent correctione, corrigantur, legas *Megal. ubi sup.*

Dantur tamen casus aliqui, in quibus potest Judex, quandò constat de delicto commisso, specialiter inquirere contrà aliquem, nulla prævia Infamia, & sine accusatore, etiam ficto, contrà aliquem scilicet; primò in crimine hæresis, & Apostasiæ, *cap. excommunicamus, §. adjicitur, de hæreticis*: dummodò præcedant aliqua. Secundò, in crimine læsæ Majestatis. Tertiò, quandò inquisitus confitetur in judicio delictum suum coram solo Judice, & Notario, quia talis confessio inducit notorium juris. Quartò, quandò fit de mandato Principis inquisitio motu proprio. Et quandò fit inquisitio Officialis in syndicatu, ubi finito officio formatur contrà eum inquisitio generalis, nulla præcedente infamia, finito officio: legas *Fragos. d. disp.* 12. *lib.* 5. *in fin. disput.* §. 4.

Quandò verò in delictis proceditur per denunciationem; tunc oportet scire, quòd denunciatio, est manifestatio alicujus criminis, absque alia solemnitate: ità *Sylvester in verbo denunciatio*, v. g. cùm quis sciens, in aliquo beneficio fuisse commissam simoniam, vel si quis scit, in aliquo matrimonio contrahendo esse aliquod impedimentum; potest illud superiori denunciare, vel quandò non potest probari aliquod delictum in foro externo, emittitur excommunicatio ad revelandum; & cùm quis manifestat, quod scit, dicitur talis manifestatio, denunciatio, *cap.* 1. *Sacerdos de officio ordinarii.* Hæc autem denunciatio est quatruplex, evangelica, judicialis, canonica, & regularis, de quibus infrà. In genere verò definitur, ut sit alicujus criminis juridica facta delatio, quæ fit Judici ad ipsius criminis punitionem in emendationem personæ peccantis, absque libello, & obligatione probandi crimen, sed præcedente charitativa monitione; *cap. qualiter, & quandò hoc titulo, S. Thom. secunda secundæ, q.* 68. *art.* 1. & absque quòd denuncians teneatur probare, est communis usus, & praxis, teste *Marcello Megala cap.* 11. *sua praxis à num.* 6. quia alioquin multa crimina remanerent impunita; nullus enim auderet denunciare ob timorem punitionis, si probari non posset; in qua denunciatione non requiritur correctio fraterna, ut practicari in S. Officio, refert *Megala in verb. denunciatio*, in suo promptuario; & facta Judici denunciatione, habet ille electionem, vel procedendi per viam inquisitionis, vel denunciationis, *Megala d. cap.* 11. *nu.* 14. qui ponit modos faciendi denunciationes, & modos formandi processus per denunciationes.

Denunciatio dixi, quòd erat, quatruplex, evangelica, judicialis, canonica, & regularis. Evangelica est illa, quæ fit per correctionem fraternam, de aliquo peccato, reprehendendo peccatorem ne illud ampliùs faciat, *Matth. cap.* 18. *cap. sicut, de simonia*: & hanc correctionem

nem fraternam quilibet facere potest, juxtà illud. Corrige fratrem tuum inter te, & ipsum solum, *cap. præterea de sponsalibus*, *cap. novit de judic.* quòd si correctus, nolit à peccato recedere, tunc poterit denunciari Prælato.

Denunciatio Judicialis duplex est, publica scilicet, & privata. Publica est, quandò Episcopus publicè ex officio denunciat delicta in genere, dicendo monemus, ut omnes denuncient delicta, *cap. Romana de censibus*, & dicitur publica, quia unusquisque de populo denunciat delictum contrà publicam utilitatem; privata denunciatio etiam judicialis dicitur, quæ fit ab aliquo pro interesse publico vel particulari.

Denunciatio canonica est, quandò quis denunciat impedimenta matrimonii, vel alia delicta, quæ per censuras est obligatus quis denunciare, *cap. ad salvandum, de desponsatione impuberum, cap. filiis 16. q. ult.*

Denunciatio regularis est illa, quæ fit à regularibus contrà superiorem, vel alium regularem scandalosum, *d. cap. Romana, §. sanè de censibus. Abbas in c. nobis de Judiciis, Megala d. c. 11. Frag. disp. 12. §. 5. n. 143.*

Ex quibus omnibus collige, triplicem esse viam procedendi in Judicio, scilicet per accusationem, per inquisitionem, & per denunciationem; & inquisitio hodie est facta remedium ordinarium, succedens loco accusationis, *l. penul.* ubi *DD. ff. de publicis judiciis*, *l. congruit*, *ff. de officio Præsidis.* quia Judex potest etiam, nemine accusante, procedere per inquisitionem, *Clarus in §. fin. quæst. 3. Frag. d. §. 5.*

Collige secundo, duplicem esse inquisitionem: generalem scilicet, & specialem. Generalis est, quandò in genere inquiritur, an committantur crimina, an serventur leges à subditis, an de aliquo sit aliqua suspicio, &c. & dicitur generalis, quia, dùm inquiritur, nulla persona certa designatur; & ad inquirendum generaliter non requiritur, ut præcedat aliqua infamia, neque indicia, *c. Romana, §. sanè de censibus in 6.* & est communis, quia per eam nulli fit injuria neque est necessaria expressio loci, & temporis, *Bossius de inquisition. num.* 100. *Megala in praxi criminali canonica*, *cap.* 12. Specialis verò inquisitio est jus procedendi per officium contrà aliquem determinatum hominem de certo quodam delicto diffamatum; & non potest specialis inquisitio formari de Titio, nisi præcedat diffamatio, aut legitimum indicium; immò si procedat sine infamia contrà aliquem per inquisitionem specialem, & posteà superveniant testes probantes delictum isti, nihil præjudicant reo. *Speculator in tit. de Inquisitione*, *§. nunc videndum, Duenna regula* 298. *Cepolla conf.* 40. *Rolandus conf.* 94. *volum.* 4. *num.* 28. *cum sequentibus.* Si verò pars non opponat de fama non præcedente, sustinebitur inquisitio, *cap. 3. de inquisit. in 6. Angelus de maleficiis in verb. quod fama publica. Clarus in §. fin. quæst. 6.* Sed fama illa non debet procedere à malevolis, sed à personis fama dignis; aliàs non potest ex ea formari inquisitio, nec creditur Judici asserenti oriri famam à personis fide dignis, *Fulgosius conf.* 173. *Rolandus conf.* 3. *num.* 15. *& sequenti*, *vol.* 3. Immò testes interrogari debent, quid sit fama, & si respondeant se nescire, nullius momenti sunt eorum depositiones, non tamen tenentur exactè de fama deponere, sed sufficit, si dicant, esse quandam publicam vocem, quæ de aliquo publicè circumfertur, *Clarus in d. §. fin. quæst.* 6. *Pegna in directorio Inquisitorum part.* 3. *commentario* 17. & differt fama a rumore, quia fama est de re antiqua, rumor de recenti, DD. communiter apud *Fragosum disp.* 12. *num.* 199. si verò reus petat à Judice, antequàm ulterius progrediatur, copiam indiciorum, quæ assumpsit super diffamatione, est ei danda: deducitur ex *cap. qualiter.* & *quandò hoc titulo*, *§. debet igitur*, *Cepolla conf. criminale* 65. & 66. & procedit etiam in crimine hæresis, in quo datur copia indiciorum, non tamen dantur nomina testium, *Glossa in cap. fin. de hæretic. in 6.* ut contrà ea indicia dicere possit reus, quicquid putaverit dicendum: quòd si notorium sit crimen hæresis, non dantur defensiones, & copiæ indiciorum, *Farinaceus de hæres. quæst.* 85. *§.* 14. *num.* 212. *cum sequentibus*: si verò reus copiam non petat: tunc prima opinio dicit, non esse concedendam, de qua multi, apud *Farinaceum de indiciis, quæst.* 39. *num.* 90. alii dicunt, reo etiam non petenti esse dandam copiam prædictam indiciorum, *Paris de Puteo in verb. condemnatio cap.* 4. *de syndicatu. Clarus in §. fin. quæst.* 94. sequitur *Farinaceus, ubi suprà num.* 96.



Quia verò denunciationes sunt maximoperè in observantia in nostris Ecclesiasticis Tribunalibus multis in casibus, ideò principaliores duas hîc examinabimus; & quidem primo in materia confessariorum, cùm scilicet denunciantur à pœnitentibus ob sollicitationem ad venerea, secundò in materia revelationum, quandò scilicet fiunt monitoria per Episcopos ad sciendum, quisnam possideat aliqua bona, ut scilicet revelent, seù denuncient: De quibus omnibus erit a nobis hîc agendum, ut in praxi sciamus, quod in Theoria jam diximus; undè.

*Explicatur Bulla Gregorii XV. Incipiens, Universi Dominici Gregis. De Confessariis sollicitantibus pœnitentes in Confessione.*

SUb Canonica denunciatione comprehenditur etiam illa, quæ fieri debet vigore Bullæ Pii Quarti, incipientis, Venerabilis Frater, directæ Archiepiscopo Hispalensi in Hispania, & vigore Bullæ Pauli V. incipientis; Dilecte fili, & decreti Sacræ Congregat. sub Clemente VIII. de quo Hieronymus Trimarca, *de pœnitentia, disp.* 1. *sect.* 2. & novissimè ex Bulla Gregor. XV. incipiente, Universi &c. decreto Sacræ Congregationis sub Urbano VIII. de quo Trimarca, ubi suprà *sect.* 5. Ex quibus omnibus dispositionibus habetur. Confessarios Sollicitantes ad actus inhonestos, esse tanquàm de hæresi suspectos, & denunciandos Tribunali S. Officii. Quod ut perfectè intelligas.

Sciendum est primò, quòd licèt verbum sollicitare, interdùm sumatur pro instare, molestare, & requirere, interdùm pro experiri; tamen in materia nostra sumitur pro provocare, seù allicere, seù precibus rogare, seù alia ratione ad turpia inviare, & inhonesta, id est ad res carnales, & venereas, ità *Rodricus Acuna Episcopus Bracharensis in tract. de Confessariis Sollicitantibus*, ibique, *Fr. Seraphinus Freita Mercennarius in addition. Magister Pater Antonius de Sousa Ordinis Prædicatorum*, *in Opusculo de Sollicitantibus, & in Aphorismis Inquisitorum. lib.* 1. *cap.* 34. *Ferdinandus à Castro Palao Societatis Jesu tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 9. *Martinus Bonacina Clericus in tom.* 1. *var. tract. disp.* 6. *de denunciationibus*, *par.* 3. *Joannes Sanchez Clericus*, *disp.* 15. *Laurentius Portellius in addit. ad dubia, reg. in verbo sollicitatio*, *Sanctarellus de hæresi, cap.* 44. *Diana p.* 1. *tract.* 4. post alios *Trimarca in princ. ubi suprà.*

Ex quo infertur primò, Confessarium, qui pœnitentem in Confessione osculatur, aut cum venerea delectatione manus, vel aliam partem pœnitentis tangit, aut ictu oculorum, aut alio signo ad libidinem provocat, sollicitare ad inhonesta, & etiam denunciandum. Idem dicas, si osculetur fœminam, quæ inter confitendum gravi somno consopita fuit, aut aliquo parasismo, seù gravi morbo correpta fuit, ob quem inhonestos actus sentire non potuit, quia hoc pacto Confessarius sollicitat fœminas ad inhonesta, *Barb. de offi*

*de officio Parochi, cap. 19. num. 49. Portellius in verb. sollicitare, Bonacina disp. 6. de denuntiat. punct. 3. Trimarca disp. 2. sect. 3.* Neque dicas, quòd tactus ille manus pœnitentis potest interpretari in bonam partem; ergo, Antecedens patet ex *Gloss. in cap. adsit. 11. quæst. 3. in verb. sinistrum.* ubi affirmat, Clericum, qui amplectitur feminam, debere interpretari in bonam partem scilicet causa benedictionis, & de Sancto Thoma Aquinate legimus, quòd cùm vidisset masculum osculantem feminam, dixit Benedictus Deus, quòd totus mundus stat in pace. Respondeo enim, quòd intelligitur doctrina *Gloss.* quandò quis feminam sexagenariam amplecteretur, alias est falsa doctrina; imò solam confabulationem cum muliere interpretatur lex in malam partem, *cap. Clericus 81. distin. Menochius lib. 5. præsumpt. 1.* Ex quo benè faciunt cauti confessarii, qui neque etiam permittunt manus suas osculari, sed porrigunt pœnitentibus habitum. Si verò Pœnitenti Confessarius tradat donum insolitum, putà mulieri confitenti præbeat annulum aureum, dicitur eam sollicitare, ut tradiderunt docti Patres in quadam consultatione inter eos, teste *Trimarca sect. 4.* quia dona magis movent, & alliciunt mulierculas, quàm verba: ergo tunc confessarius dicitur feminam sollicitare; tùm quia illa mulier non est pauper, ut supponimus, neque scit, se perdidisse annulum aureum, ergo nihil aliud potest cogitare ex illo munere, nisi confessarium habere affectum libidinosum ergà ipsam, ergo tentat ad inhonesta, quia qui non intrat per ostium fur est, & latro; tùm quia ex communiter accidentibus fortissima præsumitur præsumptio, teste *Menochio ubi suprà.* Sed communiter accidit mulieres talibus provocari, ergo: non tamen esset sollicitatio quandò Confessarius dat mulieri pauperi aliquid, à quo tamen se abstinere debet etiam si illa fœmina sit juvenis, & formosa: neque est sollicitatio, si confessarius det mulieri confitenti munera devotionis, ut rosaria, &c. quia non præsumitur animus libidinosus. Ille verò confessarius, qui interius delectatur, aut voluntariè polluitur, feminia non advertente, non est denunciandus, etiamsi hoc illi extrà confessionale aperuerit, quia non tentat provocare feminam ad inhonesta in confessionali, licèt ipse turpiter, & inhonestè agat, & gravè sacrilegium committat.

Infertur secundò, Confessarium esse denunciandum, sivè pœnitens consenserit provocationi sivè non: & etiam de facto exercuit inhonesta, *Bonacina ubi suprà par. 3. un. 10. Diana part. 1. tract. 4. resolut.* & sic servatur *in praxi*, teste *Trimarca disp. 4. sect. 6.* qui pro contraria sententia affert aliquos, quia verè confessarius sollicitavit, ergo est denunciandus; & sic practicatur in Tribunalibus Sancti Officii, & decretum fuit per Sacram Congregationem, nec in hoc casu mulier tenetur dicere, an consenserit: imò si de hoc interrogetur ab Inquisitoribus poterit negare, & si id dixerit, non erit punienda, nec debet consensus ille præstitus in actis manifestari; decretum Sacræ Congregationis per extensum refert *Trimarca ubi suprà*, quare caveas à *Portellio in dubio regular. in verb. sollicitatio*, qui dicit contrarium, loquitur enim contrà omnes Pontificias bullas, & decretum Urbani VIII. de quo *Trimarca*; imò adest obligatio denunciandi Confessarium, etiamsi ipse Confessarius statim se pœnituerit denunciasse delinquentem, quia adhuc præsumitur cum sufficienti deliberatione sollicitasse, & quod factum est, infectum esse non potest, *l. in bello. §. factæ. ff. de captivis, Sanctarellus de hæresi, cap. 44. Diana par. 4. tract. 5. resolut. 31. Trimarca disput. 9. sect. 3. cum seq.* Imò si Confessarius, & pœnitentes se ipsos sollicitaverint, tunc videndum est, quis primo sollicitaverit, si scilicet fœmina priùs, non est confessarius denunciandus: secùs, si priùs cœpit confessarius, *Trimarca ubi suprà.*

Infertur tertiò, confessarium esse denunciandum, sivè tentaverit provocare verbis expressis, sivè tacitis, ut si confessarius pœnitentem laudavit à venustate, & pulchritudine, morum elegantia, & similibus, quibus feminæ facilè negotio subverti, & ad libidinem provocari solent, ità *Sanctarellus ubi suprà nu. 9. Bonac. num. 5. Diana par. 1. tract. 4. resol. 21. Barbosa de potest. Parochi cap. 18. num. 49. Trimarca disp. 2. sect. 5.* Probatur quia abutitur confessione, cùm admisceat ibi verba libidinem provocantia, & experti in hac materia dicunt, à remotis esse incipiendum, ut finem consequantur, & illa verba sunt tacita quædam sollicitatio: limita tamen hoc, modò non constet confessarium protulisse talia verba ex imprudentia, vel ad alium finem, ut si juveni Pœnitenti dicat confessarius, suæ pulchritudini injuriam facere prostituendo se ipsam aliis, *DD. citati.* Si verò confessarius dicat mulieri in actu Confessionis, te amo, ut sororem, non videntur importare sollicitationem, nisi aliundè id colligatur, *Trimarca de sect. 5. nu. 31. & in praxi Inquisitorum*, vocare debent Confessarios ad se & interrogare de intentione, qua verba illa, *vel dubia signa protulit, Sousa de confess. sollicitantibus, tract. 2. cap. 4. nu. 16. & alii apud eum.*

Infertur quartò, Confessarium esse denunciandum, qui tentaverit provocare, seù allicere pœnitentem ad peccandum simul cum ipso, sivè cum tertia persona, sivè tentaverit in casu confessionis, sivè antè, sivè post immediatè occasione & prætextu confessionis, sivè confessio sequuta fuerit, sivè non, & si Confessarius exerceat officium Lenonis in Confessione, est denunciandus, *Barb. de potestate Parochi, cap. 19. nu. 49. Dian. par. 1. tract. 4. resolut. 19. Bonacina de denunciationibus, disp. 6. punct. 3. nu. 18. Lezzana in quæstionibus regular. cap. 19. nu. 34.* Sic sollicitare dicitur confessarius, qui rogat mulierem in confessione ut sibi filiam, amicam, vel consanguineam, vel servam consentire faciat *DD. ubi suprà, Trimarc. disp. 2. sect. 9. & 10.* sivè in confessionali fiat provocatio, sivè intuitu confessionis, ut in Bulla Gregorii XV. Ex quo sollicitasse dicitur Confessarius, qui audiens in confessione, mulierem esse levem, & facilem ad consentiendum; mittit ei Lenonem ad sollicitandam, quia sollicitare dicitur quis, sivè feminam per se, sivè per alium sollicitet; sequitur *Peyrinus in 2. tom. privilegiorum minimorum in Bulla Gregorii XV. §. 2. nu 2. Trimarca disp. 2. sect. 9. in fin.* si verò pœnitens sollicitetur à confessario ad alia peccata committenda, non ad venerea, non est denunciandus, quia Summi Pontifices loquuntur de sollicitantibus ad venerea, non ad alia, ergo, *Sanctarellus de hæresi, cap. 46. Trimarca fol. 253. nu. 9. Diana par. 1. tract. 4. resol. 20.* Sicuti neque est denunciandus Confessarius, qui sollicitavit occasione aliorum sacramentorum, undè qui provocavit ad venerea, dùm assistebat in Matrimonio, vel Eucharistiam administrabat, vel Baptismum, non esset denunciandus, *DD. ubi suprà Trimarca fol. 91. sect. 7.*

Rogabis primò, utrùm sit denunciandus clericus, vel laicus, qui occultè se ponit in loco confessionis, & inter confessionem feminæ, eam ibi sollicitat, fingendo se confessarium.

Respondeo negativè, quia bullæ loquuntur de confessariis sollicitantibus, ergo cùm nulla sit confessio in casu nostro, non poterit esse obligatio denunciandi. & ita post alios *Diana par. 1. tract. 4. resol. 15. & seq. Trimarca disp. 7. sect. 1.* contrà *Gypsium de casibus reservatis, cap. 14. num. 6.* licèt enim non requiratur in actu secundo confessio sacramentalis, tamen requiritur in actu primo, prout est in Confessario, ille verò, qui non Sacerdos se fingit Confessarium, & ibi sollicitat pœnitentem, est quasi suspectus de hæresi, hodiè denunciandus Inquisitoribus, quia licèt non

non absolvat, tamen casum committit ad Tribunal Sancti Officii pertinentem; & hodie est Bulla Urbani VIII. ubi tales non ordinati ministrantes sacramenta, puniuntur tanquàm de fide suspecti, & traduntur Curiæ sæculari. Ille verò sacerdos, qui carens jurisdictione confitendi, audit confessionem, & sollicitat, quæstio est, an sit denunciandus. Respondeo cum communi affirmativè, *Sanch. in selectis disput.* 11. *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 17. contrà multos, de quibus, idem *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resolut.* 8. *&* 1. *par. tractat.* 2. *resol.* 13. quia Bulla loquitur de Sacerdotibus sollicitantibus mulieres. Neque dicas, quòd hic non facit sacramentum. Nam Respondeo, quòd si hoc esset, sequeretur, quòd si quis confiteretur Sacerdoti, qui in audiendis peccatis cognosceret habere aliquod reservatum, & sollicitaret, non esset denunciandus: quod falsum est, ergo sufficit, si sit Sacerdos confitendo sivè bona, sivè mala fide ex parte pœnitentis; Si petas, an si Sacerdos non approbatus ab ordinario, audiat Confessiones, & absolvat à peccatis mortalibus, committat crimen hæreticæ pravitatis & Responsio est affirmativa *Rodriquez tom.* 2. *quæst. reg. q.* 28. *art.* 2. qui dicit, regulares id facientes posse à suis Prælatis puniri, &, si fuerint Sacerdotes sæculares, poterunt ab ordinariis puniri: ut benè *Trimarca fol.* 162. *num.* 26. Ille verò Confessarius, qui confitetur per interpretem pœnitentem, si interpres sollicitaverit, est quæstio an interpres, sit denunciandus? Putat, quòd sic *Trimarca disput.* 7. *sect.* 3. sed negant, & probabiliùs *Sancius disp.* 11. *Castrospalaus tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 6. *Fagundez de præceptis lib.* 4. *præcep.* 2. *cap.* 3. *num.* 78. quia interpres potiùs se tenet ex parte pœnitentis, quàm confessarii, ergo.

Rogabis secundò, an omnis Sacerdos etiam regularis denunciandus sit, si sollicitaverit.

Respondeo affirmativè, ut ex Bulla Gregorii XV. apparet, de Episcopis est quæstio, an si sollicitent pœnitentes, sint denunciandi Inquisitoribus; & Responsio est negativa, sivè sint consecrati, sivè non, sivè solùm titulares, quia ex *Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 5. Episcopus Inquisitoribus non est subjectus, & habetur *in cap. Inquisitores, de hæretic. in* 6. & tenent communiter DD. suprà citati hanc sententiam teste *Trimarca disp.* 8. *sect.* 1. neque possunt Inquisitores procedere contra Nuncios, vel Delegatos Sedis Apostolicæ. *Farinac. de hæresi. quæst.* 186. Possunt tamen Inquisitores certiorare Sacram Congregationem de hoc delicto. Si verò Inquisitor ipse sollicitaverit est denunciandus ad Pontificem: quia non subditur ordinario loci. Contrà quoscunque regulares etiam exemptos, possunt Inquisitores inquirere, est quæstio tamen, an contrà Generales ordinum. Respondeo, in praxi solere Inquisitores nihil facere inconsulta Sacra Congregatione. Idem faciunt, quandò agitur de infamanda persona insigni. Generales verò; alii sunt generalissimi, alii verò simpliciter generales: primi sunt illi, qui gubernant totam Religionem: secundi sunt illi, qui sunt divisi v. g. quorum unus gubernat Italiam, alius Hispaniam, isti non dicuntur Generalissimi. Caveas à *Trimarca ubi suprà sect.* 4. *in fine*, qui dicit Generales Beati Joannis Dei posse puniri ab ordinario, loquitur enim contrà Bullas Pontificias, quas in bullario videre licet de prædicta religione, licèt Hospitale possit visitari ab ordinario, ut aliàs dixi.

Rogabis tertiò, an pœnitens teneatur denunciare statim, an debeat præmittere priùs correctionem fraternam.

Respondeo, quatuor fuisse in hac re sententias; prima dicit præmittendam esse correctionem: ità *S. Thomas* 2. 2. *q.* 35. *art.* 7. quem omnes ejus discipuli sequuntur, ut *Sotus lib.* 5. *de Justitia, quæst.* 5. *art.* 1. *Angelus in verbo denunciatio quæst.* 2. *Rosella in verb. Inquisitio*; *Portellius in verb. sollicitare, num.* 18. *&* 20. *Lezzana in quæst. regul. cap.* 20. *num.* 34.

Secunda opinio dicit, quòd si est spes emendationis probabilis, permitti debet fraterna correctio, secùs, si non adsit talis spes: ità *Fagundez de præceptis tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 31. *Peyrinus de privil, tom.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 16. *§.* 2. *& to.* 2. *in constitut. Gregorii XV.* 4. *q. §.* 9. *n.* 26. *& tom.* 3. *cap.* 11. *num.* 5.

Tertia opinio dicit, distinguendam esse hæresim formalem, & alia crimina, quæ sapiunt tantùm hæresim: primo casu negat, præmittendam esse correctionem. Secundo verò casu illam admittit, ità *Molfesius tract.* 7. *cap.* 24. *& alii apud DD. citatos.*

Quarta opinio, quæ mihi verior videtur, est nullam esse præmittendam correctionem: ità *Santarellus de hæresi cap.* 9. *Bonacina de denunciationibus disput.* 6. *par.* 3. *Diana par.* 1. *tract.* 4 *resol.* 2. *Trimarca disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 15. *cum sequentibus.* Ratio est, quia duplex est denunciatio, alia evangelica, alia judicialis, antè evangelicam, quæ intendit emendationem fratris, conceditur præmittendam esse correctionem, non autem antè judicialem, quæ punitionem intendit: sed talis est denunciatio, quæ in Tribunalibus inquisitionis efficitur, ergo antè ipsam non est necessaria correctio. & hæc opinio practicatur in tribunalibus Inquisitorum.

Rogabis quartò, an præceptum denunciandi confessarium, obliget sub mortali.

Respondeò affirmativè, ità de communi *Sanctarellus de hæresi, cap.* 46. *Sancius disp.* 11. *Bonacina ubi suprà disp.* 6. *par.* 3. *num.* 10. *Trimarca disp.* 4. *sect.* 1. *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. tùm quia si non obligaretur mulier ad hoc, jam Pontificiæ constitutiones redderentur nullæ: tùm quia confessarii tenentur sub peccato mortali admonere pœnitentes, ut denuncient, ergo etiam pœnitentes tenentur denunciare confessarium sollicitantem, aliòquin neque confessarii obligarentur sub peccato mortali admonere: ideò enim confessarii tenentur sub peccato mortali admonere, ut pœnitens suæ obligationi satisfaciat, ut ex Bulla Gregorii apparet: ergo peccabit mulier non denunciando; peccat verò, vel contrà obedientiam, vel contrà religionem, ut dicunt multi apud DD. citatos: & oritur talis obligatio originaliter ex bullis Pontificiis, & Edictis Inquisitorum, ut latè *Trimarca sect.* 3. & sunt tales confessarii suspecti de hæresi. DD. communiter suprà citati.

Dices: nemo potest obligari ad denunciandum id, quod probare non potest, *cap. Sacerdos de pœnitentia dist.* 6. *ubi DD. cap. qualiter, & quandò il.* 1. *de accusat.* sed femina, quæ fuit provocata, probare non potest, talem provocationem, ergo non tenebitur sub peccato mortali ad denunciandum.

Respondeo, quòd ab ea regula excipiuntur aliqui casus, inter quos enumeratur, quandò præcipitur denunciari delictum respiciens fidem Christianam, ut est hæresis, vel blasphemia hæreticalis, nam in istis creditur uni testi, *cap. in omni de testibus, cap. novit de judiciis*, excipitur etiam hic casus denunciandi confessarios, ut benè *Genuensis* in praxi, *cap.* 18. *dub.* 3. & casus enumeratur, quandò quis impedimentum aliquod matrimonii novit, nam tenetur illud denunciare, quamvis probare illud non possit, nam unus testis sufficit ad impediendum matrimonium, *cap. præterea de sponsalibus, Genuensis ubi suprà.*

Dices secundò, nemo potest obligari ad detegendam suam turpitudinem, *cap. si quis aliquandò de pænit.* 1. *dist.* ergo pœnitens non tenetur sub mortali confessarium denunciare, saltem, dùm ipse pœnitens confessario sollicitanti consensum præbuit. Respon-

Respondetur, non obligari pœnitentem ad detegendam propriam turpitudinem, sed tantummodò manifestandum confessarium, qui pœnitentem sollicitavit, ideòque non tenetur pœnitens dicere, se prestitisse consensum confessario, vel cum ipso peccasse; sed hoc reticere potest, aut dicere potest, se denunciare ex zelo fidei; vel ut peccatum evitet, neque Inquisitores debent interrogare, an consenserint, & si interrogentur, possunt negare, ut suprà diximus,

Ex quo nota, quòd, si mulier sollicitata dicat id alteri, ille, qui hoc audivit ab ipsa muliere, tenetur denunciare Inquisitoribus, si id à matrona fide digna dictum fuerit, secùs, si à simplici muliercula: ità communiter DD. apud *Trimarcam disp. 6. sect.* 1. apud *Fagundez num.* 31. apud *Portellium loco citato*, quia quilibet sciens de his, quæ in edictis Inquisitorum continentur, tenetur denunciare ipsis, sub pœna peccati mortalis, sed ita est in casu nostro, ergò. Quod limita, quandò mulier ipsa sollicitata velit denunciare Inquisitoribus, vel locorum ordinariis confessarium illum: hoc enim casu persona quæ audivit non tenetur: quòd si mulier illa dixerit, se fuisse sollicitatam, alicui viro etiam gravi ad petendum consilium pro anima, tunc non tenetur ille, qui audivit denunciare: *Sancius in selectis disput.* 11. *Valerus in verb. hæresis differen.* 1. si autem tu scias sollicitationem ex dicto ipsius confessarii, teneris denunciare: DD. ubi suprà, undè quidam confessarius dixit suo amico, se cognovisse talem feminam, interrogavit amicus, quomodò potuerit habere amicitiam cum illa? Respondit confessarius, quia in confessione cognovi eam levem, & blanditiis, & verbis eam excitavi in confessionali ad amicitiam: Dixit ergò amico, ut denunciaret cum doctrina communi apud *Portellium, Fagundez, Trimarcam, & alios ubi suprà*, quia omnis, qui habet notitiam de suspecto de fide, dummodò notitia sit certa, tenetur denunciare. Neque dicas, quòd amicus est alter ego, sed confessarius non tenetur seipsum denunciare, ergò neque amicus, Respondeo enim, quòd magis amica est illi Respublica Christiana, & salus animæ ipsius confessarii. sed petas, quid si confessarius hoc dicat suo fratri germano, an germanus frater teneatur denunciare? Respondeo affirmativè cum *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 6. *in fine*, quia quilibet tenetur revelare hæreticum, vel de hæresi suspectum, quamvis sibi conjunctissimum, ideò pater tenetur filium, & è contrà denunciare, Maritus uxorem, & è contrà, filius matrem, & è contrà, & licèt alii dicant, hoc intelligi de hæretico formali, non præsumptivo, ut est in casu nostro, tamen communis intelligit indistinctè de omnibus, legas *Dianam. ubi suprà, & Trimarcam disp. 6. sect.* 2. sed quæstio est, quid, si quis sub sigillo naturali sciat à confessario factam sollicitationem, an obligetur denunciare; putat *Fagundez ubi suprà cap.* 3. *num.* 41. non teneri; communis affirmat teneri: ità *Bonacina par.* 2. *num.* 4. *Castrus Palaus tract.* 4. *disput.* 9. *par.* 10. *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 24. *Trimarca disput.* 6. *sect.* 4. Patet, quia denunciatio fit ad bonum commune, & spirituale, sed servare secretum refertur ab bonum privatum, & temporale: ergò denunciatio confessarii sollicitantis est præferenda secreto naturali etiam strictissimo: quod amplia, etiamsi secretum sit promissum cum juramento, quia tale juramentum est contrà bonos mores, & per consequens non obligatorium, limita, nisi sciat quis sub sigillo confessionis sacramentalis DD. ubi suprà.

Ponunt verò multi DD. varios casus, in quibus non tenetur, qui sollicitatur, denunciare confessarium. Primus casus est, quandò confessarius statim post sollicitationem se pœnituit; sed ego dico, non excusari hoc casu: ità *Sanctarellus de hæresi cap.* 44. *num.* 18. *Bonacina disput.* 6. *num.* 4. *de denunciationibus. Trimarca disput.* 12. *sect.* 1. quia, si contraria opinio esset vera, aperiretur via fraudibus, posset enim confessarius videns, mulierem renitentem, dicere se pœnituisse, & sic evitare denunciationem.

Secundus casus est secundùm aliquos, quandò confessarius est emendatus, putant enim *Fagundez, Sancius, Portellius, & alii*, non teneri pœnitentem eum denunciare. Sed ego puto cum *Bonacina ubi suprà, par.* 3. *num.* 9. esse denunciandum, quia, si se pœnituit, est denunciandus, ut suprà, ergò etiam si sit emendatus sequitur *Trimarca sect.* 3.

Tertius casus est, quandò confessarius aliquo modo de tali delicto non est infamatus: ità *Fagundez ubi suprà num.* 31. sed contrà, quia communior est sententia, pœnitentem teneri denunciare, licèt nulla præcedat infamia: ità *Castrus Palaus tract.* 4. *disput.* 9. *punct.* 10. *num.* 3. *Portellius, Sanctarellus, & alii ubi suprà*, quia sufficit fuisse sollicitatam.

Quartus casus est, quandò ob alias denunciationes ab aliis factas, fuit convictus, & punitus; putant enim multi, non esse de novo denunciandum; ità de communi *Diana par.* 1. *tract.* 4. *res.* 26. sed tu dicas, quòd si sit convictus, & punitus de illa denunciatione, non poterit de novo denunciari, sed si ob alias, erit tunc de novo denunciandus, quia non dicitur sufficienter punitus ex illa sollicitatione: ergò, & ità dicunt *Bonacina, ubi suprà, num.* 13. *Trimarca disput.* 12. *sect.* 5.

Quintus casus est, quandò cessat præsumptio, Bullæ enim Pontificiæ fundantur in præsumptione, quòd scilicet malè sentiat de fide confessarius, & de sacramento Pœnitentiæ, ergò, si cesset talis præsumptio, dicunt multi, non adest obligatio denunciandi, ità *Valerus in verb. hæresis differ.* 1. *Riccius par.* 3. *dec.* 278. *num.* 6. sed contrarium dicas tu cum aliis, de quibus *Trimarca sect.* 6. quia iudicare, an cessata sit præsumptio in legibus illis Pontificiis non spectat ad feminam illam sollicitatam, ergò.

Sextus casus est, quandò resultaret grave damnum denuncianti, & hoc casu non esset facienda, quia lex positiva non obligat, cum gravia paterentur incommoda *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. *ad secundum omnes. DD. citati*. putà si metus mortis, vel infamiæ juris, vel facti, vel amissionis bonorum omnium, aut majoris partis, *Sancius in selectis disp.* 11. *num.* 55. & intellige sivè hoc timeat in persona propria; sivè alicujus filii, vel viri, vel fratris, aut aliorum consanguineorum, aut aliorum sibi strictissima amicitia conjunctorum, *Trimarca disp.* 13. *sect. ultima.*

Rogabis quinto, an sit denunciandus confessarius, qui sollicitavit adolescentem in confessione?

Respondeo affirmativè, quia licèt, antè Bullam Gregorii XV. non esset confessarius tali casu denunciandus, quia aliæ Bullæ dicebant de confessariis sollicitantibus feminas, tamen hodiè ex Bulla Gregorii XV. dicitur de sollicitantibus feminas, vel alias quascumque personas, ut benè *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 12. ex quo benè dixit *Sousa in aphorismis Inquisitorum lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 39. confessarium fuisse denunciandum, qui, cùm puerum confessus esset, duxit eum in cubiculum suum, ut confessionis chyrographum traderet, & eum ibi sollicitavit, quia talis casus ratione dependentiæ includit confessionem, qui etiam dicit, fuisse denunciatos confessarios, qui feminæ confessæ imposuerunt pœnitentiam, ut nuda ab eis verberaretur, & cùm ad hoc pervenerint, manu propria unus, & alius vapularunt, sic fuit denunciatus confessarius, qui feminæ in confessionali

nali dixit, ut ei ostenderet verenda, quæ ipsa dixerat in confessione habere morbo affecta; legas *Sousam ubi suprà*, quia turpiora invenies.

Rogabis sexto, utrùm pœnitens teneatur denunciare confessarium, quem ipsa pœnitens sollicitavit, & ad peccatum induxit.

Respondeo negativè, quia in bullis sermo est de confessariis sollicitantibus: sed hic non sollicitavit pœnitentem, sed ipse sollicitatus fuit, ergo, hoc tamen limita, si femina suum turpem amorem confessario significaret non animo ipsum provocandi; sed ut de pravo affectu peteret consilium, & confessarius ansam assumat explendi libidinem, tunc enim confessarius dicitur sollicitasse pœnitentem *Sanctarellus d. cap.* 46. Advertit etiam *Sancius in select. disp.* 11. *num.* 3. *& Diana par.* 4. *tract.* 5. *resolut.* 15. quòd si confessarius ad ægrotantis feminæ confessionem accederet, & ab ipsa sollicitaretur minas addente, & se exclamaturam promittente vim sibi ab illo inferri, nisi consentiat, qui ob infamiam vitandam actui impudico consentit, non erit denunciandus, & si denunciaretur, non posset ab Inquisitoribus puniri, quia id metu fecit, & dicit etiam *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 45. fuisse denunciatum confessarium, qui petiit a pœnitente domum suam, ut ibi adduceret concubinam; nam in bulla dicitur (ad inhonesta quomodòlibet) licèt *Sousa de confessariis sollicitantibus tract.* 1. *cap.* 14. contrarium dicat: fuit etiam quandòque confessarius arte Dæmonis à quadam femina excitatus, etenim vidit femina confessarium fortem, prudentem, & bonum, amore capta, mediante alia femina, magiam operata fuit confessario, ex quo confessarius suam amisit prudentiam, fortitudinem, & sanctitatem circà talem mulierem; accessit mulier ad confessarium, ut confiteretur, qui in confessione sollicitavit illam: fuit disputatum, an talis confessarius esset denunciandus; & fuit affirmativè responsum, quia licèt mulier illa magiam commiserit, tamen non abstulit libertatem confessario, ergo liberè consentit, quia licèt Dæmones magia mediante possint hominem affligere, tamen non possunt ei libertatem auferre; & ita dicit *Trimarca disp.* 14. *sect.* 1. quòd si confessarius sit sollicitatus à pœnitente in confessione, & ipse consentiat, & hoc scio ego, teneor denunciare, ut contrà *Sanctarellum, & alios dicit Trimarca sect.* 2. quia unusquisque tenetur scelera patrata in perniciem fidei revelare, ergo: verùm non erit puniendus, nisi pœnis extraordinariis, *Trimarca disput.* 9. *sect.* 2.

Rogabis septimo, an mandans confessario, ut sollicitet pro se pœnitentem sit denunciandus.

Prima opinio dicit, quòd sic, ità *Riccius in praxi par.* 3. *resolut.* 65. *& alii apud ipsum*, quia per alium facit, qui per se ipsum facere videtur, *cap. qui per alium de regul. Juris in* 6.

Secunda opinio est negativa, ità post alios *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 22. *Trimarca disp.* 13. *sect.* 4. Probatur, quia lex loquens de faciente actum ad mandantem non extenditur, nisi in casibus à jure expressis, ut in casu *cap. mulieres de sentent. excommunicationis*, & quod per alios facimus, per nos facimus quantùm ad culpam non verò quantùm ad pœnam.

Rogabis octavo, an si femina sine ullo ordine ad confessionem loquatur cum confessario de negotiis in confessionario, & interim ab illo sollicitaretur, debeat talis confessarius denunciari.

Respondeo affirmativè, ut patet ex bulla ibi *sivè extrà occasionem confessionis:* ubi determinat Summus Pontifex, esse denunciandum confessarium etiamsi extrà confessionem in confessionario feminam sollicitet; sicut etiam denunciandus est confessarius, qui antè, vel paulò post confessionem feminam sollicitaverit, ut patet ex bulla prædicta., *Castrus Palaus tract.* 4. *disp.* 9. *par.* 7. *num.* 3. *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 13. *Trimarca disp.* 3. *sect.* 1. si petas, quid si confessarius, & mulier simulent confessionem, & dùm fit hæc simulatio, confessarius sollicitet pœnitentem. Respondeo esse denunciandum *Sancius in selectis disput.* 11. *num.* 40. *& disp.* 15. *num.* 5. *Trimarca sect.* 2. non tamen est denunciandus confessarius, qui sedens in confessionario loquitur cum pœnitente stante, vel sedente antè confessionarium, & eam sollicitat; quia hoc casu non adest simulatio audiendi confessionem, ut benè *Lezzana in quæstionibus regularibus cap.* 19. *num.* 34. licèt contrarium putet *Diana par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 18. ex quo non esset denunciandus confessarius, qui nullo intuitu confessionis, in confessionario tamen rem habeat cum pœnitente, puta noctis tempore audiendo confessiones, ut benè *Trimarca sect.* 2. *num.* 23. ex quo benè per Episcopos in Synodo prohibetur confessariis, ne audiant confessiones noctis tempore; quo tamen casu si audiant, est quæstio, an valeat confessio, & respondet *Trimarca num.* 26. non esse validam ex defectu potestatis, & jurisdictionis, in nocte tamen Nativitatis possent confessarii finitis officiis audire confessiones, DD. ubi suprà. si verò confessarius mulieri volenti confiteri statim dissuadeat confessionem, tunc erit denunciandus, *Sancius d. disp.* 11. *num.* 49. *Castrus Palaus, & alii apud Trimarcam d. disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 35. si verò mulier dicat confessario, se velle in crastinum confiteri, & confessarius sumpta hujus rei occasione sollicitet eam, tunc non est denunciandus *Sanchez d. disp.* 11. *num.* 49. *Trimarca disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 47. & ex bulla Gregorii, de qua suprà, sivè sollicitet immediatè antè, sivè immediatè post, semper est denunciandus, tunc verò dicitur immediatè antè, vel post, quandò inter confessionem, & sollicitationem nihil mediat, ità ut neque confessarius, neque mulier ad extraneos actus se diverterint, *Castrus Palaus ubi suprà num.* 2. *Trimarca sect.* 5. si verò confessarius sollicitaverit filiam spiritualem extrà confessionem post longum tempus, tunc non est denunciandus; *Santarellus de hæresi cap.* 44. *nu.* 15. *Bonacina disp.* 6 *par.* 3. *num.* 31. quia non fit intuitu Sacramenti Pœnitentiæ: Ille verò confessarius, qui pœnitentem sollicitat lenonibus literis amatoriis, &c. non est denunciandus, quia non fit intuitu Sacramenti: sic confessarius, qui post auditam confessionem accederet ad domum pœnitentis, & ibi eam sollicitaret, non esset denunciandus, si non immediatè id fieret; est tamen denunciandus confessarius, qui feminam sollicitat antè signum crucis differens confessionem ad aliud tempus, vel etiam audita confessione, sed non data absolutione, *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 14.

Rogabis nono, an in hac materia sit confessarius denunciandus propter levitatem materiæ?

Respondeo, duas esse *DD.* opiniones: prima *Portelii in addit. ad dub.* regularia in verbo sollicitare feminas *num.* 4. ubi ait, confessarium dicentem feminæ levia verba, non esse denunciandum, quia parvitas materiæ in omnibus delictis excusat saltem à pœna Ecclesiastica.

Secunda opinio est, esse denunciandum, quia non datur levitas materiæ in hac re, ut post alios *Castrus Palaus tract.* 2. *disp.* 2. *puncto* 10. §. 2. *Trimarca ubi suprà sect.* 7. & sic est denunciandus confessarius, qui manum, brachium, vel pedem feminæ præmit, digitos torquet, mammillas tangit, & similia facit, licèt enim hæc videantur venialia peccata, tamen in confessionario facta, & in materia carnis, gravia sunt sacrilegia: post alios *Novarius in summa bullarum de confessariis sollicitantibus, num.* 4. *Diana par.* 1. *tract.*

*tract.* 4. *resol.* 21. *& par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 5. *& par.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 9. *Trimarca disp.* 2. *sect.* 7.

Est quæstio, an si confessarius tribuat in confessione paginam, seù Epistolam deindè legendam, in qua pœnitens provocetur ad turpia, debeat dici sollicitator; negat *Castrus Palaus tract.* 4. *disp.* 9. *par.* 4. communis opinio affirmat, *Sancius disp.* 11. *nu.* 32. *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 62. *Trimarca disput.* 3. *sect.* 8. quia videtur occasione confessionis sollicitasse. Sed petas, quid si confessarius det pœnitenti chartam, in qua continentur versus, seù cantilenæ in laudem venustatis, seù pulchritudinis faciei; vel oculorum, & morum elegantiæ, Respondetur esse denunciandum, quia videtur eos dedisse animo sollicitandi *Trimarca sect.* 8. *num.* 6.

Rogabis decimo, an possit mulier absolvi ab alio confessario, si priùs non denunciaverit illum, à quo fuit sollicitata.

Respondeo, negativè cum *Avila par.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. Verùm, si habeat firmum propositum denunciandi, potest absolvi, posita aliqua causa rationabili. *Diana par* 1. *tract.* 4. *resol.* 27. quod etiam practicatur in casu hæresis formalis, & confessarius tenetur sub peccato mortali monere sollicitatam de obligatione ad denunciandum *Santarellus de hæresi cap.* 46. *num.* 10. *Trimarca ubi suprà sect.* 8.

Rogabis undecimo, qua pœna puniendus sit talis sollicitans. Respondeo puniendum graviter pro qualitate criminis, ut in dicta Bulla Gregorii XV. puta exilii, damnationis ad triremes &c. & cùm condemnatur religiosus in carceres, non punitur ibi, ubi confessiones audivit, solet etiam fustibus per omnes conventus Religionis cedi, & potest inquisitor confessarios sæculares ad tempus privare facultate confitendi, ut practicatum refert *Riccius collect.* 549. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 7. & confessarii prædicti puniti ob tale crimen non sunt irregulares ob solam suspicionem hæresis, sed ob infamiam, si adsit, ut decisum in *Rota* refert *Garsia tom.* 2. *cap.* 10. *par.* 11. *num.* 88. *Trimarca ubi suprà sect.* 9.

Rogabis decimo secundo, ad quem pertineat inquirere, cognoscere, & pœnam imponere ob sollicitationem.

Respondeo, pertinere ad Inquisitores, & ordinarios locorum; etenim licèt antè constitutionem Gregorii XV. non potuissent ordinarii cognoscere de tali crimine, tamen hodiè post prædictam bullam omnis dubitandi ratio sublata est, *Bonacina disp.* 6. *de Denunciationibus*, *par.* 3. *num.* 23. *Diana par.* 1. *res.* 29. *tract.* 4. *Portellius in verb. sollicitare*, *num.* 11. *Trimarca disput.* 10. *sect.* 1. Regularium verò Superiores non possunt se intromittere in talibus causis cognoscendis, ut ex dicta Bulla Gregorii XV. apparet: In illis verò locis, ubi non resident Inquisitores, neque Episcopi, satis est, si denunciet Vicariis foraneis, qui recepta denunciatione tenentur causam deferre, vel Inquisitoribus, vel Episcopis locorum & poterit etiam fieri denunciatio substituto Vicarii Generalis, ab eodem Vicario substituto, vigore facultatis, quam habebat, *Trimarca de disput.* 10. *sect.* 2. *in fine*. Verùm non potest Episcopus copulativè cognoscere de hoc crimine, ubi adsunt Inquisitores, sicut nec de aliis causis fidei, *Barb. in collect. tomo* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 17. *Diana ubi suprà resol.* 25.

Rogabis decimotertio, quomodò sit probandum hoc delictum. Respondeo, non sufficienter probari per dictum unius fœminæ sollicitatæ, ut ex litteris Sacræ Congregationis, & ex rationibus probat *Trimarca de pœnit. disp. ultima sect.* 1. etiamsi confessarius sit malæ vitæ; & mulier bonæ famæ; debet ergo constare, priusquàm Inquisitores procedant contrà sollicitantes saltem per duos testes fide dignos, undè non sufficienter probatur hoc crimen per testimonium duarum fœminarum, *Santarellus de hæresi cap.* 44. *Bonacina de denunciationibus disp.* 6. *puncto* 3. *num.* 26. *Sancius in selectis disput.* 11. *num.* 46. quia debile est testimonium, & cùm dicitur, duos testes esse sufficientes ad aliquod probandum in *l. ubi numerus*, *ff. de testibus*, *& in cap. si testis*, *ubi num.* 4. *quæst.* 3. Intelligitur, quandò sunt omni exceptione majores: teste *Mascardo conclus.* 462. *&* 762. totum ergò hoc pendet à judicio prudentis confessarii. qui consideratis circumstantiis judicare debet, *Bonacina n.* 27. *Diana par.* 1. *resol.* 28. *tract.* 4. sunt verò circumstantiæ, an mulieres testes sint viles, & inhonestæ. an inimicæ confessario; est etiam qualitas confessarii consideranda, an scilicet sit bonæ famæ, an aliàs inquisitus, *Riccius collect.* 149. *Trimarca disp. ultima sect.* 4. Testes singulares admittuntur hoc casu, ut ex Bulla Gregorii apparet; Quod ut benè intelligas, sciendum est, testium singularitatem triplicem esse; prima dicitur obstativa, secunda adminiculativa, tertia diversificativa: ità *Pegna in directorio commentario* 1. *Farinaceus de testibus quæst.* 64. obstativa dicitur, quæ testium inter se repugnantiam continet, *Farinaceus ubi suprà n.* 5. v. g. si de eodem actu unus deponat factum fuisse in uno loco; alius in alto loco: adminiculativa est, quæ oritur ex testibus, in quibus nulla est repugnantia, sed per diversa media in eundem finem tendunt: v. g. si unus deponat de visu, alter de fama: aut unus de uno actû, alter de alio ejusdem speciei. Diversificativa est, quandò testes deponentes de diversis actibus inducunt diversitatem in re, in effectu, & in substantia, & generaliter dicuntur singulares, eo quòd se ipsos contestes non allegant; & quandò testium singularitas est obstativa, minùs probant plures, quàm unus, & ideò nec semiplenè probant: *Farinaceus ubi suprà à num.* 47. In materia hæresis testes discordes in loco, & tempore, concordes tamen in delicto hæresis, dummodò non deponant cum singularitate obstativa, probant hæresim secundùm communem, licèt aliàs communis neget, de qua re *Farinaceus ubi suprà nu.* 20. *& de hæresi quæst.* 188. *§.* 9. *à. num.* 152. in materia nostræ Bullæ testes singulares deponentes de connexis, vel de iis, quæ tendunt in eundem finem, probant plusquàm semiplenè ad inquirendum, ad torturam, & ad pœnam arbitrariam, & aliquandò aliis conjecturis, & adminiculis concurrentibus, plenè probant secundùm Judicis arbitrium, *Farinaceus de hæresi q.* 188. *§.* 9. *à num.* 159.

Quòd si petas primo, an eadem mulier sollicitata, possit esse testis, & denunciatrix.

Respondeo affirmativè, ut post alios *Trimarca dispur. ultima sect.* 6. *num.* 35. quia, licèt verum sit, quòd in probandis delictis gravibus idem nequeat esse testis, & denunciator, fallit tamen in crimine sollicitationis; idque intuitu Christianæ Religionis, *cap. in omni negotio de testibus.* Ratio est, quia quandò versamur in occultis negotiis, & difficilis probationis, minor probatio requiritur, *Alexander ad Bart. in l. fin. ff. de quæstionibus*, *est textus in l. consensu. C. de repudiis*, sed in hoc casu non tantùm est difficilis probatio, verùm etiam omninò occulta tùm respectu loci, & temporis, tùm respectu Sacramenti, & sic practicatur in Tribunali Sancti Officii.

Si petas secundo, an regulariter denunciatio facta contrà superiorem per subditum, sit recipienda.

Respondeo, esse aliquantulùm suspectam, & ideò priùs fieri debet scrutinium de vita deponentis subditi, quia solent ob inimicitias religiosorum eas facere: & sic procedit *textus in c. clericos, c. criminationes. cap.*

*cap. quaerendum 2. quaest.* 7. & nota, quòd probationes contrà superiores debent esse majores, quàm contrà alios, *Paris de Puteo de syndicatu in verb. probatio contrà officiales, num. 6. & in verb. semel*, & sic servatur in praxi, *teste Patre Peyrino tomo 3. Privilegiorum cap. 12. Trimarca sect. 8. disput. ultima.*

Si petas tertio, an puellae, & feminae nobiles, sollicitatae à confessariis, teneantur personaliter adire Inquisitores, vel Episcopos?

Prima opinio affirmat: ita *Sancius in selectis disp. 11. num. 45. Martinus del Rio lib. 5. magicarum sect. 5. num. 3.*

Secunda opinio est, non teneri personaliter, & per se adire Inquisitores, vel Episcopos: ità *Lozarius par. 1. sect. 2. num. 17. & par. 2. de blasphemia, quaest. 12. num. 65. Porrellius in verb. sollicitare, num. 21.* quia valdè durum esset, feminas illustres, aliasvè similes teneri adire talia Tribunalia, & sic poterunt denunciare per Confessarium. Idem dicas de Monialibus, non fieri potest per epistolam, ne scilicet amittatur, & sequatur grave damnum denunciati confessarii: quòd si in aliqua parva terra non sit nisi unus Sacerdos confessarius, & mulier ab illo sollicitetur, tenetur adire alium locum viciniorem; & ibi cum alio confiteri, & revelet sollicitatorem, qui deindè tenetur certiorem facere Episcopum, vel Inquisitores, *Trimarca disput. 11. sect. ult.*

Si petas tertio, an confessarius, qui sollicitavit, possit à quocumque confessario absolvi.

Respondeo, attento jure communi posse, quia non est reservatus casus. *Fagundez praecepto 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. Portellus in dubiis regular. in verb. sollicitare, num. 23.* sequitur *Trimarca sect. 6. disp. 14.* Nota tamen, quòd licèt possit confessarius absolvi, tamen ille, qui eum confitetur, debet admonere eum, ut se praesentet coram Inquisitore, vel Episcopo, quia comparendo spontaneè traditur poenitentia salutaris, & remittitur; immò si posteà fuerit accusatus, non recipitur accusatio, quia fuit punitus, & non solùm poterit comparere coram suo Episcopo, sed coram supremo Inquisitore, vel Romae, quo casu, si deindè accusetur, non poterit ampliùs molestari ab Inquisitore inferiori, *Molfesius in summa tom. 1. tract. 7. cap. 74. à num. 45. Trimarca disput. 14. sect. 7. Peyrinus in Bulla Gregorii XV. §. 9. num. 33.* Puniti verò confessarii ab Inquisitoribus sunt irregulares, non ob solam suspicionem haeresis: sed propter infamiam, si crimen sit notorium, *Sanctarellus de haeresi, cap. 25.* & purgata infamia, factaque habilitatione per superiores saeculares, si erant clerici, vel per regulares, si erant regulares, poterunt celebrare, *Trimarca sect. 9. disp. 14.*

Si petas quartò, an cùm fertur sententia contrà sollicitantes ab Inquisitoribus, illa ferri debeat in tribunali secreto, an verò in publico actu fidei.

Prima opinio, dicit in publico actu fidei, ità *Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. p. 11. num. 2.*

Secunda opinio dicit, non esse legendam, vel ferendam in publico actu fidei, sed in secreto; hoc est vocatis consultoribus; immò, quandò adessent consultores uxorati, ut est in multis partibus Italiae, tunc ipsi ob decentiam sacramenti non debent esse participes hujus negotii, *Sousa, & alii apud Trimarcam disp. ult. sect. 9.* & abjurant de vehementi, quia sunt suspecti de vehementi, & transmittuntur ad triremes per septennium, vel quinquennium, suspenduntur ab executione ordinum, privantur officiis, & beneficiis, cum perpetua inhabilitate ad illa, & si sollicitator sit religiosus, fit perpetuò inhabilis vocis activae, & passivae, & in choro, & refectorio ultimam sedem habet, ut sit exemplum aliis, *Castrus Palaus ubi suprà.*

Sed curiosè petas quintò, cur in toto jure non reperiatur expressa poena sollicitantibus in confessione?

Respondeo, quia forsitan tempore Gregorii IX. cùm fuerunt collectae decretales, tam pessimum peccatum non erat inventum; ecclesia enim medicinam appliçat, cùm infirmitas oritur; coepit in Hispania hoc delictum (credo propter aliquos descendentes à Judaeis, & Mauris, quos nostri Hispaniarum Reges sanctissimè expellerunt) quod patet, quia prima Bulla in hac re fuit Pii IV. directa Episcopo Hispalensi, & Generali Inquisitori Hispaniae.

Si petas sextò, an Ecclesiastici, qui intersunt sententiis contrà confessarios sollicitantes, obligentur sub culpa mortali non manifestare delinquentem?

Respondeo affirmativè, quia adest obligatio servandi famam, infamia enim Tribunalis praedicti limites ejus non excedit, quia de hoc jurant consultores ergò, & ità dicit *Sousa de confessariis sollicitantibus tractat. 2. capit. 16. num. 8.*

Si petas septimò, an confessarius regularis, qui solùm fuit privatus ab Inquisitoribus facultate audiendi imposterùm confessiones, sit in religione inhabilis ad dignitates, & officia?

Respondeo affirmativè, ex novissimo decreto Sacrae Congregationis, de quo *Tamburrinus de Jure Abbatum disput. 5. q. 21. num. 17. Barb. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 128. Trimarca disput. ult. sect. ultima*; quod amplia, etiamsi fuisset poenitentiatus ad tempus, v. g. in exilium per biennium. Fallit tamen, si essent solùm impositae poenitentiae salutares. Dicuntur verò poenitentiae salutares, quae extràjudicialiter solùm imponuntur, & in secreto complentur, v. g. jejunia, disciplinae, recitationes Psalmorum, &c. *Trimarca ubi sup.* Quandò verò confessarius delinquens negaverit crimen, per testes singulares debet diligenter qualitates testium inquirere Inquisitor, an scilicet aliquibus indiciis suas depositiones comprobent, & si ità invenerit, licèt neget, testes non repellat, nisi essent inimici; si tamen crimen non probetur, non poterit castigare, *Bonacina disp. 6. de Denunciationibus par. 3. num. 4.* quòd si confessarius convictus per Inquisitionem Neapolitanam, reperiatur deindè Siciliae, debet puniri ab Inquisitore Neapolitano, quia sortitus est forum ob delictum, *Venerus in examine Episcoporum lib. 5. cap. 17. num. 55.* & mittendus est cum debita custodia, quòd si regularis à Tribunali S. Officii condemnetur ad triremes, efficitur irregularis. *Trimarca ubi sup. n. 65.*

Ex quibus intellige, Inquisitores debere spectare in condemnandis reis, diversa. Primò, qualitatem personae sollicitatae, & sollicitantis. Secundò, dignitatem, vel affectum sollicitantis. Tertiò numerum sollicitationum. Quartò, tempus, quo usus est sollicitans. Quintò damnum, quod fecit sollicitando. Sextò, si confessarius alióquin esset luxuriosus, si dona insolita misisset feminae, scandalum, & rumor civitatis, &c. si verò ex utraque parte sit probatio dubia, erit in favorem denunciati pronunciandum. *Venerus ubi sup. num. 56. Trimarca num. 64.*

Collige secundò, esse etiam denunciandos maleficos, strigas, haereticos, vel de haeresi suspectos, denunciatione tendente ad publicam vindictam, quia tenetur quis, ut pars Reipublicae Christianae, procurare, ne ejus status perturbetur, *S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. & q. 68. art. 1.* & ex multis bullis apparet, de quibus in directorio Inquisitorum; haec tamen denunciatio non est facienda in scriptis; Sed in Curia nostra Archiepiscopali fit cum juramento, & cum expressione, & subscriptione proprii nominis, tanquàm quilibet testis. Verùm nomen testis nunquàm manifestabitur Inquisito, juxtà textum *in cap. statu-*

*ta*; *§. jubemus deberet. in 6.* Si verò ego scio, aliquas mulieres ex simplicitate maleficia, & sortilegia conficere, quæ sapiunt hæresim, non sum obligatus denunciare eas, nisi priùs fuerint monitæ, & si post monitionem non se correxerint, tunc sunt denunciandæ ob eorum ignorantiam, & potest esse, quia tales feminæ id fecerint absque peccato mortali, quia id didicerunt à suis consanguineis credentibus, esse res optimas; ergò error esset eas deferre in judicium antè monitionem; occulti etiam hæretici, & malefici sunt denunciandi, etsi eorum delicta probari non possint, *Sotus lib. 5. de Justitia, q. 5. art. 1.* cum periculo tamen vitæ non est facienda denunciatio, sumus tamen obligati denunciare suspectos de vehementi non de levi, dicuntur de vehementi suspecti, qui talia agunt, vel dicunt, ex quibus argumentum colligitur efficax esse hæreticos; *Emericus in directorio Inquisitorum par. 2. q. 56.* & tales sunt excommunicati in causa fidei, impedientes Sanctum Officium, *cap. ut inquisitionis de hæreticis in 6.* contrahentes binas nuptias simul, *Pegna in directorio, q. 56. Genuensis in praxi. cap. 23. num. 11.* Comedentes carnes in diebus prohibitis, admiscentes sacramenta, vel sacramentalia in sortilegiis, vel verba sacra, baptizare imagines, preces fundere dæmoni, blasphemantes Deum hæreticaliter, & pluriès in ludo, & extrà ludum; dicuntur verò hæreticales, quæ sunt contrà articulos fidei, *ut renego Diò, non credo à Dio &c.* invocare dæmones ad scienda futura, verberantes imagines Dei, & Sanctorum, aut lapides projicientes, facientes pactum cum dæmone, &c. de quibus *Emericus par. 2. in directorio, q. 43. Genuensis d. nu. 11.* Detinens libros prohibitos hæreticorum est suspectus de hæresi; est etiam illa mulier denuncianda, ad quam multi concurrunt pro percantationibus in infirmitatibus, & similibus, quia credit talibus rebus: quòd si semel mulier fecerit maleficium, seù factochieriam, non est denuncianda, quia requiritur, ut exerceat hoc officium; nisi tamen illud maleficium saperet hæresim manifestam *Genuensis num. 15.* Denunciator verò, ut cogatur denunciare scire debet de visu, vel de auditu à personis fide dignis; quòd si ignoret, à quo audivit, non tenetur revelare, *Genuensis cap. 2. num. 9.*

*Explicatur textus Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat.*

QUæ sunt servanda in denunciatione hæreticorum, & maleficorum; similiter in denunciatione facienda pro observantia monitorialium servari debent teste, *Genuen. cap. 23. in fine, de quibus in Trid. ubi sup.* meritò de istis agendum est: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd monitorium, est præceptum sub excommunicatione generaliter intentatum; præmissis monitionibus ad compellendos rei alienæ detentores, ut restituant, vel conscios rei arcanæ, ut eam detegant, *Trid. ubi sup.* est autem monitorium multiplex, *Navarrus consil. 10. de officio Judicis ordinarii*, aliud quod fit, ut denuncient, aliud, ut testificentur, quandòque, ut dicant Judici non, ut Judici, sed ut parti, aut personæ; quæ potest prodesse non obesse, quia scilicet prospicit, ut delictum, vel damnum alicui iminens arceatur, nec potest ullo pacto concedi, nisi pro materia saltem indirectè spirituali, & pro rebus merè temporalibus praxis Ecclesiæ concedit monitoria, quidquid non esse concedenda ablatraverit, *Carolus Molineus dictus Sectarius*, sed tamen sub mortem catholicus, teste *Patre Theophilo Raynaudo de monitoriis part. 1. cap. 1. quæst. 3.* nobis enim sufficit id probasse, *Trid. ubi suprà*, & anteà Innocentium Tertium; *in cap. ad nostram de jurejurando, & in extravaganti unica de furtis*, & talia monitoria vulgò dici solebant antiquitùs excommunicationes Paulinæ, quia earum usus maximus erat tempore Pauli Tertii, ut benè *Henriquez lib. 14. de excommunicatione cap. 18.* & etiam Sæculum Divi Augustini hunc usum agnovit, ut ipse refert, *Epistola 54.* & in hoc Monitorio Judex Ecclesiasticus respicit bonum animæ; materia verò, pro quâ fertur monitorium, non debet esse levis, *Trid. ubi suprà*, quia ridiculum esset, immò valdè deplorandum prodigere in minutas excommunicationem, qua nullum est in Ecclesia gravius supplicium, concordat bulla, Pii V. incipiens, Sanctissimus in Christo, ex quo peccat mortaliter Judex Ecclesiasticus, qui pro re exigua monitorium concedit, & esset nullum ex intolerabili juris errore, *juxtà textum in cap. per tuas de sententia excommunicationis* non tamen in hac materia dicitur gravis illa, in qua quis peccat mortaliter, puta quarta pars aurei, &c. in Curia nostrâ Archiepiscopali, non datur nisi pro summa ducatorum quinquaginta respectu divitis, & aliquandò fuit concessa pro ducatis 20. vel triginta stante paupertate petentis; tùm quia *Trid.* reliquit arbitrium Episcopi; tùm etiam quia magnum, & parvum dicitur respectivè, ut benè *Glossa in l. sed: & si susceperit. ff. de judiciis*. quæ illustrat exemplo Reginæ Matildis, quæ donans Ecclesiæ terram ad triginta milliaria protensam, ait, se aliquantulum terræ dedisse; legas *Guttierez lib. 1. quæstionum canonicarum cap. 11. num. 64. Genuensis cap. 1. num. 3.* & dicit *Guttierez cùm fuisset Vicarius pluriès*, nunquàm concessisse monitorium, nisi ad minus pro ducatis 20. pauperibus: ultrà materiam gravem, requiritur, ut non possit aliundè haberi res illa: ut concedatur monitorium, *Trid. ubi suprà*; si enim possit quis convenire coram Judice, non datur monitorium; quia solùm in subsidium datur, *Genuensis d. cap. 1. num. 4. Raynaudus, q. 5. Barb. alleg. 96. de potestate Episcopi*; etenim, si scio quis possideat bona mihi subtracta, agere debeo via ordinaria coràm Judice, & si ago, sed pendet lis, non debent fieri edicta generalia contrà adversarium, licèt tunc possint fieri edicta contrà testes, qui sciunt veritatem negotii, super quo movetur lis, si eorum nomina ignorantur, sed si sint certi, fieri potest præceptum, quòd veritatem deponant coram suo Judice laico sub pœna excommunicationis, & hoc servatur, apud nos, ex *cap. novit. de Judiciis*, quia est peccatum mortale in testibus tacere veritatem, *cap. quisquis 11. q. 3.* quod præceptum non solet fieri personis qualificatis, v. g. titulatis, consiliariis, &c. quia in istis non præsumitur, quòd velint tacere veritatem, ob dignitatem personæ; sed Vicarius solet eos admonere.

Sciendum secundò est, quòd, quandò pendet lis, & est datus terminus in causa, si testes nòn sint citati, conceduntur monitoria generalia contrà testes, quia adhuc possunt ignorari, post verò quam fuerint citati, non conceduntur, sed ipsis testibus citatis fit præceptum, quòd veritatem deponant coram eorum Judice, sivè pars sciat, testes esse informatos, sivè id dubitet, putà quia sunt vicini, cognati, &c. & solet etiam Vicarius concedere monitorium, quandò testes sunt citati, sed cum clausula, dummodò non recipiantur relationes testium citatorum, & dicit, quòd testes citati non comprehenduntur in monitorio: quòd si fuerint citati testes in numero copioso, puta 30. vel 40. denegat Vicarius monitorium, quia non est verisimile, ab illis jam citatis scire non posse partem veritatis. Post verò conclusum in causa non dantur monitoria, nisi Ecclesiis, mulieribus, & similibus privilegiatis, quibus conceditur probatio iterùm facienda: quòd si hæres petat monitoria contrà scientes bona hæreditaria, & pars opponat de inventario dicens, non esse concedenda, quia veritas alio modo

modo ſcire poteſt, ſolet Vicarius monitoria concedere contrà ſcientes alia bona, non contenta in inventario,, *Genuenſis cap.* 1. qui etiam dicit, quòd ſuper facto proprio non conceditur monitorium; puta ſi ego mutuavi centum Caio, deindè peto monitorium contrà ſcientes tale mutuum, non conceditur, quia ſi teſtes fuerunt præſentes in tali mutuo, ad quid requiritur monitorium? Si verò teſtes non erint, neque requiritur monitorium; ſi verò fuerint, præſumitur eos cognoſcere; quandò verò adeſſet oblivio teſtium, conceduntur monitoria, nempè ſi factum ſit antiquum, vel alio modo poſſet oblivio præſumi, *Genuenſis nu.* 4. *in fine* Pro cauſis etiam non ſolùm civilibus, ſed etiam criminalibus conceduntur monitoria, *Franciſcus Marcus par.* 2. *deciſ.* 855. *Zerola in praxi de cauſa materiali excommunicationis, Raynaudus, quæſtion.* 6. *Follerius in praxi criminali canonica part.* 2. *cap.* 8. Verùm, ut pium multum laudatur in cauſis criminum non concedere monitoria; argumento *text. in cap. delictorum de teſtibus cogendis. Lazarius de monitoriis, ſect.* 1. *q.* 10. *à num.* 9. *Raynaudus par.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 6. non tamen concedendum eſt monitorium, ſi reſultaret infamia; putà ut quiſquis noverit, aliquem cum tali muliere turpiter verſatum, manifeſtet illum: iniquum enim eſt, ut fons juris fiat fons injuriæ, *cap. qualiter, & quandò de accuſat. l. meminerint, C. undè vi.* Neque dicas Innocentium III. *In cap. ad noſtra, de jurejurando*, mandaſſe ibi Epiſcopo Piſano, ut ſtringeret monitorio omnes conſcios uſurarum à quodam defuncto acceptarum, quia ibi defunctus fuerat uſurarius notorius, & ipſe teſtamento juſſerat, uſuras reſtitui, *Raynaudus quæſt.* 7. ut autem valeat monitorium, debet perſona, in quam fertur, eſſe ſubdita, *c. Romana, cap. à nobis de ſententia excommunicat. ubi Gloſſ. DD.* quia aliàs deeſt juriſdictio: hominibus nullius Diœceſis non poteſt concedi monitorium, ſed ad Sedem Apoſtolicam eſt recurrendum, *Genuenſis cap.* 1. *nu.* 2. *Raynaudus quæſtion.* 9.

Sciendum eſt tertiò, poſſe monitorium concedi per ſolum Epiſcopum, *Trid. ubi ſupr.* non tamen excluduntur Prælati Epiſcopis ſuperiores in locis, in quibus Juriſdictione gaudent, v. g. legatus à latere in ſua Provincia poteſt hæc monitoria concedere, *Barb. alleg.* 96. *nu.* 12. qui idem teſtatur de Nuntio Apoſtolico, eo quòd ipſe eſt Summi Pontificis Vicarius: Archiepiſcopus, ſi Epiſcopus, cui ſubeſt, ſit renitens ad concedendum, poterit, concedere, immò ſi Epiſcopus concedat monitorium per tempus valdè breve, poterit ad Archiepiſcopum per appellationem recurri, *Proſper de Auguſtin. in addit. ad Quarantam in verb. Archiepiſcopi auctoritas. Barboſ. ubi ſup. nu.* 4. *Navar. conſ.* 11. *de offic. delegati.* De Vicario Epiſcopi eſt quæſtio, putant aliqui, non poſſe ea concedere ſine ſpeciali mandato. Ugolinus de poteſtate Epiſcopi, *cap.* 45. *Narbona de appellation. à Vicario Epiſcopi, nu.* 205. *Barb. alleg.* 96. *nu.* 6. *Sayrus in clavi Regia lib.* 9. *cap.* 15. Secunda opinio eſt, poſſe vigore Generalis facultatis concedi à Vicario; ità *Genuenſis cap.* 1. *num.* 1. *Sanchez lib.* 3. *de matrim. diſput.* 29. *num.* 16. *Lazarius de monitoriis ſect.* 2. *quæſt.* 6. *Sbrozzius de offic. Vicarii lib.* 2. *quæſt.* 43. *Raynaı. de monitoriis par.* 1. *cap.* 1. *qu.* 10. tùm quia, quandò Tridentinum nominat Epiſcopum, nunquàm excludit Vicarium, niſi ponat dictionem taxativam, tantùm, ut in *ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 6. *Sbrozzius lib.* 2. *de poteſtate Vicarii, cap.* 171. & declaratum per Sacram Congregat. & ſervari in praxi refert, *Genuenſis ubi ſuprà*, ſicuti in *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 20. cognitio cauſarum criminalium ſoli Epiſcopo conceditur, & tamen non excluditur Vicarius: quam facultatem habet Vicarius etiam præſente Epiſcopo: ſuſpenſa auctoritate, & poteſtate Epiſcopi cenſetur ſuſpenſa facultas Vicarii, nec poterit monitoria concedere, è contrà ſuſpenſa auctoritate delegantis, non dicitur ſuſpenſa auctoritas delegati, quia non eſt idem Tribunal. *cap. ſi Epiſcopus de ſupplenda negligentia Prælatorum in* 6. *cap.* 1. *de offic. Vicarii in* 6. *Rebuffus in praxi de beneficiis, lib.* 1. *cap.* 21. *nu.* 187. Parochi poterant de Jure antiquo monitoria concedere, *cap.* 2. *de offic. ordinarii*, hodiè verò non, Vicarius Capitularis poteſt concedere monitoria, *Guttierez lib.* 1. *quæſt. Canonica, quæſt.* 11. *nu.* 9. *Bonacina diſp.* 2. *de excomm. in particulari punct. unico, num.* 4. *Barb. allegat.* 96. *num.* 10. latiſſimè *Riccius in praxi par.* 1. *reſol.* 245. *in magnis*, quia omnia, quæ ſunt Juriſdictionis Epiſcopi, tranſeunt ad Capitulum, ejuſque Vicarium capitularem, *cap. cùm olim de major. & obed.* Prælati religioſorum cum ſuis religioſis non poſſunt procedere per monitoria ad finem ſciendi res occultas, *Raynaud. q.* 10. *in fin.*

Sciendum eſt quartò, Judicem Eccleſiaſticum non poſſe regulariter monitoria concedere ex officio, nemine ſcilicet petente: interdùm tamen hoc licèt, ut quandò res Eccleſiaſticæ malè uſurparentur, tunc enim Epiſcopus poteſt motu proprio monitorium ferre, ut reos cogat reſtituere, vel conſcios detegere, ut fecit *Joannes* 22. *in extravaganti unica de furtis*, & generaliter, qui ſciverit delinquentes, ut revelentur ad finem purgandi Civitatem malis hominibus, monitoria concedi poſſunt. *Nevizanus in Sylva nuptiali, lib.* 3. *nu.* 47. 30. & 31. pars verò ad cujus inſtantiam concedi poteſt monitorium, eſt quilibet fidelis non criminoſus, cujus interſit, itaque Judæis, Paganis, & ſimilibus non poteſt concedi, *Lazarius ſect.* 1. *quæſt.* 9. Nec excommunicato, vel notoriè criminoſo, concedi poteſt: *Gloſſa, Abb. & alii in cap. novit. de Judiciis*, nunquàm tamen concedi debent, niſi illis, quorum apparet intereſſe, ſicuti actio ad exhibendum, quæ æquiparatur monitorio, non datur niſi illi, de cujus apparet intereſſe, *l. penult. ff. ad exhibendum*, & ſic eſt bulla Pii V. de qua ſuprà, ſequitur, *Riccius dict. par.* 1. *reſolut.* 236. etiamſi ſit procurator alicujus Civitatis, qui alleget damnum paſſum à Civitate, & ejus nomine petat monitoria. *Riccius ubi ſuprà de ſol.* 238. *in fin.* Contrà perſonas certas regulariter non poſſet monitorium concedi, quia tunc ordinariè agendum eſt, ut in *Trid. ubi ſup.* v. g. poteſt monitorium dari contrà non ſolventes decimas, quandò ignorantur, qui ſint, ſecùs, ſi certò cognoſcantur, nam tunc contrà eos eſt agendum regulariter, legas *Riccium reſol.* 235. ex quo etiam fit, ut lite pendente non ſint concedenda monitoria, quia ſunt certi litigantes, ſecundùm aliquos; praxis tamen eſt contraria in noſtra Curia Archiepiſcopali, *Ricc. reſ.* 137. ut non obſtante litis pendentia detur monitorium, ex *Gloſſa ſingulari*, & communiter recepta in *cap.* 1. ut lite non conteſtata: Teſtis, verò, qui vigore monitorii depoſuit, repeti debet in Judiciis, *Riccius par.* 1. *reſol.* 241. & nunquàm conceditur monitorium, ſi ſit infamatorium alicujus perſonæ, nec nominatur perſona, quæ forſitan ſuſpectatur, quòd retineat, *Genuenſis in dicto cap.* 1. *num.* 6. poſſunt concedi diebus feſtis, dummodò non ſit in feſtivitatibus Natalis Domini, & Paſchæ; quia in iſtis nullus excommunicatur, ut vacent devotioni, *Genuenſis nu.* 10. Ad ea verò obtinenda in noſtra Curia Archiepiſcopali requiritur ſpeciale mandatum; ſententia verò, qua Judex dicit eſſe concedenda monitoria, eſt merè interlocutoria, ideòque poterit revocari, non obſtante contradictione partis

partis, si est injusta, *Abbas in cap. sacro, num. 5. de sententia Excommunicationis*: sic decretum, quo dicit Curia Archiepiscopalis, non esse procedendum ad monitoria, est interlocutorium, & potest revocari: sicuti sententia declarans, probationes esse illegitimas, & non clarè probantes, est merè interlocutoria, *l. final. Cod. de sententiis*. quæ sine certa quantitate, ubi *Baldus num. 2.* semper tamen notabis, quòd pars, quæ impugnat monitoria, est suspecta. quia tutus in conscientia non se opponit monitorio, *Cravetta consf. 181.* quia veritas non est occultanda. *Clem. sæpè de verb. signific. Riccius praxi par. 1. resolut. 243. Genuensis cap. 1. num. 14.* Sicuti Judex, qui se opponit parti, redditur suspectus, *Glossa in cap. statutum, in verb. copiam de rescriptis, in 6.* Quandò verò testes denunciant vigore monitorii, non coguntur deponere cum juramento, & possunt, manu propria scribi, & quandò posteà revelantes examinantur uti testes in forma judicii, non debent ipsis legi, eorum revelationes, quòd si contrarium deponant in judicio, statur posteriori dicto cum juramento, nec possunt puniri de falso, secundùm tradita per *DD.* apud *Genuensem dict. cap. 2. num. 16.* quòd si quis falsam revelationem faciat, punitur per Curiam Archiepiscopalem, & interdùm fuit fustigatus quis, ad hoc legas *Genuensem ubi sup.*

Sciendum est quintò, monitoria, quandò requirunt cognitionem causæ, esse danda in proprio territorio, quia ille est locus ferendæ excommunicationis, *cap. Episcopi 9. quæst. 2. cap. novit, de officio delegati, cap. ut animarum de constitut. in 6.* quia jurisdictio contentiosa, qualis est illa, qua fertur excommunicatio, non potest nisi in territorio exerceri; quandò verò non est necessaria causæ cognitio, ut in factis notoriis, potest Episcopus excommunicare extrà territorium *Sayrus lib. 1. de censuris, cap. 6. num. 46.* die, non autem nocte ferendum est monitorium, & potiùs diebus laboris, quàm feriatis, *Barb. alleg. 96. num. 1. & 44. Raynaudus de monitoriis par. 1. cap. 1. quæst. 13.* Qui etiam addunt, quòd si termino præfixo excommunicatio sit lata contrà non revelantes, quod sciunt, tenentur imposterùm revelare, quia terminus non est impositus ad finiendam obligationem, sed ne diutiùs differatur; notandum etiam est, quòd monitoria non dicuntur statuta, sed mandata generalia, vel specialia lata ab homine, quæ morte, aut remotione concedentis ab officio expirant, antequàm incurratur in excommunicationem, *Navarrus in manuali, cap. 27. num. 2. cap. gratum, & cap. licèt de officio delegati*, quia posteà opus erit absolutione. *Genuensis cap. 1. nu. 17. Raynaudus par. 1. cap. 1. quæstion. ultima.* Quandò verò Episcopus recipit revelationes, si ex illis planè constat, aliquem esse in peccato, non revelando, vel restituendo, potest Curia repetitis priùs testibus, cum juramento ipsum citare ad dicendam causam, quare non debeat declarari incurrisse in excommunicationem latam in genere. & si nihil allegaverit, potest declarari excommunicatus, & fieri ei præceptum, ut exeat à peccato, ex *cap. novit de Judiciis*: sed in praxi non proceditur in Curia Archiepiscopali nostra ad declarationem excommunicationis, sed solùm conceditur parti copia revelationum, ad finem probandi coràm Judice competente, *Genuensis num. 17.* Si verò quis sciat aliquod, & ore tenùs revelet Episcopo, non satisfacit monitorio, quia ille, cujus interest, non potest eo uti, *Navarr. consf. 5. de furtis*; Idem, quandò non fuerunt receptæ revelationes ritè, & rectè, scilicet à persona legitima, non tamen tenetur revelans suis expensis adire Episcopum absentem, ut revelet, ex *capit. si testes, cap. venturi 6. quæst. 3.* Si verò, quis opponit de nullitate monitorii concessi à Curia Archiepiscopali, non datur terminus ad docendum de dicta nullitate, sed opponens auditur, sine termino, & revocatur, vel approbatur monitorium, quia regulariter tales nullitates opponuntur ad dilatandum: ubi verò agitur de salute animarum, proceditur simpliciter, DD. communiter de quibus *Genuensis ubi sup. cap. 1. in fine, Barb. Riccius, Raynaudus, & alii.*

Sciendum est sextò, omnem personam ligari monitorio, qui potens est ad restituendam rem, de quâ quæritur, dummodò omittat quis restituere quantitatem verè designatam in monitorio: quòd si contingat, partem falsò exposuisse pro monitorio Episcopo majorem summam, quàm reverà sit; sed est summa sufficiens pro peccato mortali; tunc, erit obligata pars ad restituendum, sed non vi monitorii, sed vi auctoritatis Juris divini, præcipientis restitutionem fieri, sed si pars exponat summam ultrà debitum valorem in monitorio præfixum, putà ultrà ducatos 50. in Curia nostra; sed reverà debitum est in 50. tunc tenebitur, quis revelare; quia licèt monitorium non valeat quoad excessum falsò expressum, valet tamen quoad summam minorem, verè expositam, & à Prælato intentam, quia quoad ea adest potestas efficax, & objectum idoneum, sicuti dicunt Theologi de Indulgentiis impetratis proposito motivo ex parte falso, quia valent pro rata motivi idonei, *Suarez. 3. par. tom. 4. disp. 54. sect. 3. Ægidius Coninck. disp. 12. de Sacram. nu. 31.* Secùs est in Indulgentia, quæ datur solùm pro aliquo opere, cujus pars tantùm ponitur.

Sciendum septimò, excusari multos, ne revelent virtute monitorii ex duplici causa, prima quarum est impotentia restituendi, secunda verò caus. est voluntas Judicis, qua vel directè, vel indirectè non vult aliquem ligari monitorio: quoad primum caput, qui verè est impotens, non ligatur monitorio, etiamsi malum animum habeat non restituendi, si haberet, quia ille actus internus excommunicationis non est capax *Lessius, Avila*, & alii quos sequitur *Raynaud. p. 1. cap. 2. q. 3.* Impotentia verò non solùm intelligitur physica, sed etiam moralis, quatenùs scilicet, quis, si restitueret, grave damnum pateretur, ad extremam inopiam redigendo se, &c.

Dices: obstat usus, & stylus Curiæ Romanæ: quo aliquis se astringit ad persolvendam certo tempore pensionem debitam in forma Cameræ Apostolicæ, quo tempore adveniente statim cogitur solvere, quamcumque impotentiam ostendat, nec refert, si sint Clerici, quia non juvantur per impotentiam moralem, eo, quòd cesserint Juri concesso Clericis per *text. in cap. Odoard. de solutionib. cui privil. in ipsis obligat. Cameralib. renuncians*: ergo si impotentia moralis in hoc casu non excusat ab excommunicatione, quomodò excusabit in causa monitorii?

Respondeo cum *Suarez tom. 5. in 3. par. disput. 20. sect. 2. à num. 7. cum Raynar. part. 1. cap. 2. quæst. 3.* quòd eo casu, si verè sit impotens debitor, non ligatur excommunicatione ob non factam creditori solutionem, quantùmcumque se adstrinxerit; Ratio est, quia ubi non est voluntarium, & liberum, deest contumacia, sine qua non datur excommunicatio, & hoc etiam procedit in impotentia morali, in eo, qui ratione status, seù gradùs sui, renunciare non potest favori sibi concesso, vel etiam sibi ex natura rei concesso in tali statu posito. Putant aliqui, debitorem vi monitorii saltem teneri obligare se creditori ad restituendum, cùm ad meliorem statum pervenerit, ità *Nov. in cap. inter verbo 11. q. 3. num. 707.* Sed reverà, nec ex natura rei, nec ex vi monitorii ad id tenetur *Avil. par. 3. c. 5. disp. 5. dub. 1. Sanch. lib. 9. Opusc. cap. 2. dub. 24.* quia esset novam assumere obligationem absque ulla causa, ex quibus. Infer.

Infertur primò, an ligetur monitorio ille, qui se justè compensavit; & Responsio est, non teneri, etiamsi rem illam retinuerit causa depositi: quia licèt, *text. in l. ult. C. de compens.* dicat, in deposito non fieri compensationem, tamen loquitur pro foro externo: in conscientia autem creditor depositarius ad eam condemnationem servandam non tenetur: ut post alios *Diana par. 3. tract. 5. resol.* 10. ergò quia monitorium jubet, fieri restitutionem rei alienæ malè & cum peccato retentæ, perspicuum est, eum, qui se justè compensavit, non ligari monitorio, *Sayr. in clav. Reg. lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 29. *Neviz. in lib.* 3. *Syl. nupt. num.* 51. *Nald. in verb. revel.* quòd si Judex per monitorium obliget ad restituendum etiam illos, qui compensationis titulo retinent, tunc valeret monitorium in eo, quòd debitum, quod compensatur, esset minus eo, quod restituendum esset; cæterùm si sit æquale, & nulla adsit injustitia, tunc monitorium esset nullum, tanquàm continens errorem intolerabilem; ut post alios *Bonac. in tractationib. variis tract. 6. pun.* 1. *§. 6.* non enim Judex Ecclesiasticus potest aliquem punire, pro actu, in quo nihil peccavit, vel obligare hominem, ut se spoliet re, quam reverà fecit suam.

Infertur secundò, eum non ligari monitorio, qui rem habet sibi debitam, sed adsunt Creditores ipso anteriores, quos scit adesse ipse debitor. Ratio est, quia Judex Ecclesiasticus intendit tantùm obligare ad restituendum id, quod non potest retineri absque peccato, sed est probabilis sententia, posse retineri per Creditorem posteriorem, quod est sui debitoris: licèt adsint Creditores anteriores, quam docet, *Comit. lib. 3. resp. quæst.* 39. *Dian. par. 3. tract. 5. resol.* 10. ergò licèt creditor posterior habens hypothecam, faciat contrà Juris formam occupando rem obligatam alteri creditori anteriori, tamen hoc non est facere contrà Justitiam commutativam, sed legalem, ergò non dicitur injustè accipere, qui taliter facit, ut post *Molin. Leſſ.* & alios, dicit *Rayn. par. 1. cap. 2, q. 6.* nec ligat monitorium ad finem restituendi & revelandi illum, qui ritè rem præscripsit, *Navar. conf. 35. de sentent. excommun. Avila de censur. 2. par. cap. 5. disp. 6. dub.* 1. quia per talem usucapionem res fuit facta propria usu capientis, ergò neque ligantur monitorio, qui rem titulo depositi habitam retinet; quia suam, *Molin. tract. 2. de justitia, disp.* 526. quia licitum est etiam negare depositum, quandò petitur in damnum sui, vel aliorum à depositario, *Sanch. lib. 6. opuſ. cap. 2. dub.* 24. *Sayr. in clav. reg. lib.* 12. *cap.* 14. *nu.* 31. *Raynar. ubi suprà, qu.* 8. qui verò emit rem mala fide à latrone, ligatur à monitorio dicente, rem esse restituendam, licèt sciat, se pretium perditurum: quòd si emisset bona fide, tunc non teneretur restituere, nec monitorio ligaretur. *Raynaud. quæst.* 10. *par.* 1. *cap.* 2. uxor verò non tenetur revelare, si monitorium fiat contrà non revelantes bona per maritum forsan subtracta; nec filius bona per patrem occupata tenetur revelare, *DD. ubi sup.* Si verò fiat monitorium, ut exhibeantur scripturæ, eatenùs obligabit, quatenùs earum omissio, aut retentio mortalis est, qualis non erit, quandò magnum damnum mihi imminebit, *Abbas, Dec. & alii in cap. 1. de probat. Raynar. par. 1. cap. 2. quæst.* 15. Si verò quis dubitet, an teneatur ad rem restituendam, & feratur monitorium, ut restituatur res, non ligatur monitorio ille, qui taliter dubitans rem non restituit, quia in dubio melior est conditio possidentis, *Castr. Pal. tract. 1. disp. 3. pun. 2. Rayn. qu.* 18.

Infertur tertiò, omnem illum obligari ad revelandum, qui sub gravi culpa revelare tenetur, qui verò revelando faceret contrà jus naturale, non tenetur revelare: putà est sibi commissum aliquod secretum ad petendum consilium, tanquàm Advocatum, vel Procuratorem: vel obstetrici vocatæ ad levandam prægnantem, quam oporteat latere: sic chyrurgo est commissus morbus secretè, tenentur tales secretum servare, nec vi monitorii obligantur, *Barb. alleg. 96. num* 67. *Sanchez lib. 6. consil. cap. 2. dub.* 20. *num.* 8. *Raynaud. quæst.* 4. licèt alii contrarium dixerint apud eos.

Infertur quartò, principalem ex vi monitorii non teneri revelare, licèt teneatur restituere; non enim potest principalis excommunicari, si non revelet; sed tantùm, si non restituat, *cap. nullus, cap. nemo,* 11. *quæst.* 3. *Toletus in summa lib. 5. cap.* 27. *Campan. super ritibus Curiæ Archiepiscop. ritu* 3. & sic in Curia Archiepiscopali, nunquàm datur monitorium contrà principales non revelantes, sed contrà eos non restituentes, & contrà testes, scientes, occupatores, & non revelantes, *Genuenſ. cap. 2. in praxi,* & tenetur, quis vigore monitorii revelare, licèt probare non possit id, quod revelat, *Genuenſ. ubi suprà,* non tamen tenetur quis vigore monitorii ad perdendam personam criminosam valdè conjunctam, quia talis persona ferè nobiscum una est, ergò non videor vigore monitorii obligari ad eam detegendam, *Genuen, in praxi cap. 2. num. 3. argum. l. in lege Jul. ff. de testib. Raynaud. par. 1. cap. 3. quæst.* 12. Accidit verò interdùm, ut teneatur quis revelare contrà suos cognatos, &c. quandò scilicet ex non facta aliquarum personarum detectione, grande malum Reipublicæ immineret, tunc enim monitorium ligabit conscios quoscumque ad eas detegendas; Et in crimine læsæ Majestatis id tradit, *Mascard. concluſ.* 561. *num.* 9. *& concl.* 817. *num.* 20. *Barb. alleg. 96. num.* 57. Intellige de crimine adhuc pendente, non admisso, & prorsùs transacto, cujus detectio ad nihilum confert, *Diana de denunciat. resol. 4. & 5. Barb. ubi suprà, num.* 56. Nullus tamen tenetur denunciare emendatum, vel emendandum antè correctionem fraternam, nisi quandò fraterna correctio non esset necessaria, ut in crimine hæresis, proditionis, & aliorum nocibilium Reipublicæ, vel quandò non speratur emendatio. *S. Thomas 2. 2. quæst. 73. art. 7. Sylvester in verb. denunciat. Genuen. in praxi cap. 2. num. 5. Raynaud. par. 1. cap. 3. quæst.* 16. Nec quis tenetur revelare cum gravi suo, vel suorum damno *Neviz. in Sylva nupt. lib. 3. num.* 47. hinc familia excusatur à revelando. *Genuenſ. cap. 2. num. 6. Raynard. par.* 10. *cap. 3. quæst.* 17. Si verò quis sit conscius negotii, quod juravit non revelare, est quæstio, an teneatur vi monitorii revelare; & Respondeo, ligari ad revelandum, si alia silendi idonea causa non appareat, *Nevizan. in sylva nuptial. lib. 3. num.* 45. *Raynard. dict. cap. 3. quæst.* 21. Ratio est, quia præceptum revelandi est justum, & legitimum, ergò ei non parere peccatum est, sed juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, *cap. quanto, cap. Quintaval. cap. tua nos, de jurejuran.* ergò non obstante juramento tenebitur. Qui verò dubitat de monitorii obligatione tenetur revelare, *Nald. in verb. accusare, & in verb. revelare,* quia præceptum revelandi, est clarum, causa verò excusans, est dubia, ergò præceptum possidet, ergò ejus conditio est melior: *Raynar. quæst.* 23. Qui verò sunt subditi, sed tempore excommunicationis, sunt extrà territorium Episcopi excommunicantis, non comprehenduntur monitorio, argum. *cap. 2. cum ibi notatis, de constit. in 6. Nav. in manuali, cap. 27. num.* 6. Quòd si quis tempore lati monitorii fuisset absens, vel impotens ad revelandum, & posteà fiat habilis, post scilicet latam excommunicationem, non esset excommunicatus non revelando,

lando, quia licèt posteà habeat monitorii notitiam, tamen non fuit contumax, *Genuen. cap. 2. num. 7.* neque excommunicati sunt, illi, quos verisimile est partes noluisse comprehendi in monitorio, v. g. Pater non præsumitur, quòd velit filium, qui ejus bona surripuit excommunicari, nec maritus uxorem, & ideò non comprehenduntur, quamvis teneantur ad restitutionem, quandò grave est damnum, qui verò absque idonea causa non restituit, ea, quæ monitorio fuit jussus restituere, tenetur ad resarcienda damna passa parti læsæ ob suam taciturnitatem; alii dicunt, solùm peccare hunc non revelantem, contrà obedientiam præstandam Judici, non verò contrà Justitiam, legas *Raynaud. par. 1. cap. 3. quæst. ultima.*

Sciendum est ultimo, absolutionem ob neglectum monitorium esse habendam ab eo, qui eam tulit, Episcopus verò, si ut delegatus Papæ excommunicationem monitorii tulit, poterit etiam, ut executor, absolutionem facere, quia, si est delegatus à Papa ad excommunicandum, erit delegatus ad absolvendum, *Barb. alleg. 96. num. 42. Raynar. cap. 14. q. 1.* ut autem tollatur censura, quam quis incurrit, requiritur pro absolutione facienda in foro externo, ut primo satisfiat parti læsæ, si reipsa possit adhiberi satisfactio, quæ si reipsa tradi non possit, oportet cautionem pignoratitiam adhibere, vel fidejussoriam de præstanda satisfactione, dummodò hæ quoque cautiones adhiberi possint, aliter absolutio data, nulla erit pro foro externo, *cap. solet de sentent. excommun. in 6. Henr. lib. 13. cap 28.* In foro verò conscientiæ in absolutione solemnitates prædictæ non sunt necessariæ, ut benè *Nald. in verb. absolut. à censura num. 15.* putat tamen *Avil. 2. par. de cens. cap. 7. dub. 3. disp. 13.* tunc etiam adhiberi debere juramentum de carendo recidivo, & abjiciendà contumacia adversùs Ecclesiam, ut latè *Raynaud. de monit. cap 4. quæst. 2.* Ille verò, qui post contractam monitorii censuram, se pœnituit, & satisfecit, adhuc eget absolutione, *Raynau par. 1. cap. 4. quæst. 3.* est tamen quæstio, an possit absolutio à censura monitorii accipi per interpositam personam, & Responsio est posse, dummodò hæc absolutio non alligetur absolutioni à peccatis, & Sacramento Pœnitentiæ per voluntatem ejus, qui absolvendi potestatem fecit: & licèt aliqui periti negaverint, absolutionem hanc à censura posse obtineri per procuratorem, ut *Innocent. in cap. cùm desid res, de sentent. excomm. Abbas, Victoria, & alii*, ut refert additio ad *Tol. lib. 1. cap. 14.* tamen communis est contraria, *Tol. ubi suprà* & potest quis absens ab excommunicatione absolvi, quia non requiritur forma verborum directa ad reum per pronomen (te) undè S. Gregorius, ut habetur in *cap. quanto, 2. q. 5.* absolvit Episcopum absentem ab excommunicatione, legas *Raynaudum dict. par. 1. cap. 4 quæst. 4. per totum.*

---

## *TITULUS II.*

### De Duplici Purgatione.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de modis procedendi per accusationem, denunciationem, & inquisitionem; Verùm, cùm quis de delicto uno ex suprà dictis modis est inquisitus, non potest promoveri ad ordines, & dignitates, ideò necessaria est purgatio Canonica, qua mediante purgatur quis ab hac infamia; meritò ponitur hic titulus, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, in Jure nostro nomen purgationis esse nomen generis, plura significans, siquidem significat quemcumque modum, quo quis à sordibus purgatur, sivè à peccatis, sivè à pœnis purgatur: in materia tamen nostra sumitur pro purgatione Infamiæ; nam accusatus, vel denunciatus censetur infamatus, à qua infamia, ut purgetur quis, datur per sacros Canones remedium, de quo in hoc titulo.

Sciendum secundò, dari purgationem post partum, purgationem vulgarem, & purgationem Canonicam.

Purgatio post partum est, seù purificatio post partum erat, *in lege veteri Levitici cap. 12.* ubi præscriptum erat, ut mulier masculum pariens abstineret per 40. dies ab ingressu Ecclesiæ; si verò fœminam, per 80. dies: quia durabat adhuc corporalis immunditia, donec eo transacto purificaretur, quod quidem præceptum, cùm ad cæremonialia pertineret, jam extinctum est: quod etiam præceptum non potuit afficere Beatissimam Virginem, quia lege purificationis afficiebatur solùm mulier, quæ concipiebat suscepto semine, ità *Origen. homil. 8. in Levitic. S. Bernard. serm. 3. de purificatione, Suar. in 3. part. tom. 2. disput. 18. sect. 2. Azor. par. 2. lib. 1. cap. 18. quæst. 3. Bonac. de incarnat. quæst. 2. par. 3.* Hoc tamen præceptum Levitici recessit. Undè mulier statim post partum potest ingredi Ecclesiam, quia evanuit umbra Legis, & illuxit veritas Evangelii: sed si ex veneratione velit abstinere aliquandò, non est improbanda ejus devotio, *cap. unico de purificatione post partum.* Dubitant verò DD. an licitus sit usus conjugii eo tempore, quo durat immunditia illa corporalis post partum, & prima opinio est, *Butrio In rubr. de sponsalib. num. 14. & Alex. de Nevo ibidem num. 21.* esse peccatum mortale tunc petere debitum, nec esse petendum, cessante periculo fornicationis; per *tex. in cap. ult. 5. dist.* ibi *nisi purgationis tempus, priùs transierit, viris suis non debet admisceri.* Secunda opinio est, esse peccatum veniale, ut post alios dicunt multi relati per, *Sanchez disput. 22. num. 19. ut Tab. Sylv. & alii*; sed *Sanch. ibi putat, nullum esse peccatum, & textum illum,* dicit *Sanch. ubi suprà*, loqui de consilio, sicut tempore menstrui, petere, vel reddere debitum nullum est peccatum *Sanch. ubi suprà disput. 21. Bonac. de matrim. quæst. 4. pun. 6. num. 9. Barb. in cap. unico de purificatione post partum.*

Purgatio vulgaris erat, quæ fiebat antiquitùs per duellum, *DD. in rubric. tit. de purgatione vulgari*, de qua, *Covarr. lib. 4. variar. cap. 23.* aliique laudati per *Barb. in collect. ad titulum prædictum*, Hodiè verò nullo pacto potest tolerari, *cap. 1. eodem titulo*, & duellorum pœnas innovavit, *Trid. sess. 25. de refor. cap. 19.* ubi ampliantur ad alios præter ad duellantes: & est Bulla Gregorii XIII. incipiens, ad tollendum, & Clementis VIII. quæ incipit, illius vices, & Bull. Pii V. quæ incipit, ea, quæ Prædecessoribus; & à Clemente extenduntur pœnæ duellantium ad omnes etiam in castris militantes. Illi verò conflictus, qui quotidianè fiunt ex subitaneo iræ fervore, vel ex altercatione, non sunt duella, eo quòd, non fiunt ex condicto. *Lucas Floranus de duello cap. 1. Peregr. de duello quæst. 18. Bonacina de censuris disp 2. quæst. 6. pun. 1 num. 8. qui cum Peregr. ubi suprà quæst. 23.* dicit, quòd, quandò Titius offert duellum Caio, illumque eodem tempore, quo duellum offert, gladio aggreditur; undè Caius cogitur ibi statim pugnare, neutrum dicitur Duellum, de quo *Filiuccius tract. 15. num. 110. qui num. 112.* dicit, quòd si duo invicem contendant, & antè convenerunt, ut armatus expectet, donec alter arma de domo arripiat, videtur

videtur duellum, quia pugna erit ex condicto, & non est eadem continuata, sed interpellata recessu ab altero, & ingressu in domum. Nec est licitum duellum unquàm, etiam pro defensione honoris. Datur tamen casus, in quo duellum est licitum, v. g. si existente bello justo inter duos Principes unus illorum, vellet bellum in duellum resolvere, provocando alterum ad singulare certamen, ut fecisse dicitur Franciscum Primum Regem Galliæ, misso libello duelli Carolo V. Imperatori, & de Francisco Maria Duce Urbini idem refertur, ut refert, *Guicciardinus in historia Italiæ lib.* 13. *Lyranus lib.* 1. *Regum cap.* 17. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 91. *artic.* 8. *Sayr. in clav. Reg. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Illi verò, qui præmissa cum alio provocatione ad duellum sese contulerunt tempore præfixo, ad locum consuetum, sed duello non sequuto discesserunt, incidunt in excommunicationem, aliasque pœnas duellantium, dicunt, *Peregr. quæst.* 4. *Ioronus cap.* 3. *§.* 1. *de duello num.* 14. Idem *Peregr. quæst.* 41. *per totum*, *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 6. *§.* 2. ubi ait, sic hodie esse tenendum per Bullam Clementis VIII. & sic in Curia observari, contrarium tamen tenent *Paulus Comit. lib.* 6. *respons. quæst.* 13. *num.* 5. *Sanch. in summa tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 28. *Bonac. disput.* 2. *num.* 15. In prædictis constitutionibus Pontificiis comprehenduntur socii, patrini, & spectatores ex industria, non verò ibi transeuntes, & obiter aspicientes duellum, *Ugolinus ubi suprà. §.* 2. *num.* 50. Calor iracundiæ à pœnis duellantium excusat; *Riccius in praxi resol.* 638. *in* 2. *editione.*

Prohibetur etiam purgatio vulgaris, *Candentis ferri in cap.* 3. *de purgatione vulgari*, quia esset tentare Deum, *Martin. del Rio disquisitionum magicarum lib.* 4. *c.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 3. *& quæst.* 5. *sect.* 3. *Torreb. lib.* 1. *de Magia cap.* 23. *à num.* 36. *& Martin. del Rio quæst.* 4. *sect.* 3. refert mirabile exemplum, quod in materia ferri candentis accidit in Japonia: quod etiam legas apud *Barb. in dict. cap.* 3. *de purgatione vulgari.*

Purgatio Canonica, de qua in titulo nostro, habebat locum, cùm contrà aliquem gravis suspicio insurgebat de aliquo delicto, sed non erant indicia sufficientia ad torturam, tunc enim dabant purgationem Canonicam, & etiam apud Summos Pontifices servabatur, qui ad hoc, ut se defenderent, & scandalum auferrent, hanc purgationem exercebant; sic *Damasus Papa, Pasch. I. sic Gregorius VII. coram Henrico IV. Pelagius I. & alii, de quibus Salzed. in addition. ad practicam Canon. Bernard. Diaz cap.* 151. *Rodriq. tom.* 2. *quæst. regul. q.* 10. *art.* 1. Verùm hodiè omnes purgationes Canonicæ, sunt arbitrariæ, *Menoch. cap.* 274. & jam non sunt in usu; *Clarus in §. fin. quæst.* 93. *Megala in praxi crimin. Canonic. cap.* 20. *Gaball. casu* 84. *Gaill. lib.* 2. *obser.* 106. *Pegna in director. Inquisit. par.* 3. *comment.* 38. *& comment.* 43. *Costa de remed. subsid. remed.* 15. & forma est, quòd per juramentum asserit, non esse tale, ut accusatus fuit, *cap. quotiès de purgatione canonica*, fiebat verò hæc purgatio canonica pluribus modis. Primò scilicet tentando Deum, ut cùm quis olim erat infamatus de aliquo crimine, & non habebat contrà se indicia sufficientia ad torturam, neque delictum erat plenè probatum, ad ostendendam suam innocentiam, & integritatem famæ, tangebat ferrum ignitum; vel aquam bullientem, *cap. ex tuarum de purg. Can.* quæ hodiè est illicita; dabatur verò purgatio Canonica ad partis petitionem, quandò non benè probatur delictum *cap. inter. eodem titulo*, & Judex observabat, quòd si à malis hominibus esset quis infamatus, licèt purgatione Canonica opus non esset, tamen ad bonum finem concedebatur; *cap. in cunctis* 11. *quæst.* 5. quòd si sint inimici manifesti, sufficit allegare inimicitiam.

Remanet, ut veniamus ad praxim hujus tituli: quarè observa, formam sententiæ purgationis canonicæ fieri tali pacto.

Christi nomine Invocato Nos Gregorius, Vicarius, Generalis, &c. vel Abbas talis Monasterii, vel Visitatores talis Religionis; vel Judex delegatus in hac causa, prout in actis, &c. visis, auditis, & maturè consideratis eis, de quibus D. N. fuerat inquisitus ob infamiam, vel accusationem, vel denunciationem, scilicet illum adulterium commisisse cum tali muliere, & cum infamia contrà illum exorta probationem veram, & certam non habuerit, sed tantùm rumor vagus, & incertus circumferatur, ex quo adversùs illum talis infamia scandalum generat ob probabiles quasdam conjecturas, in processu non purgatas, ipsoque audito, auditisque illis, quæ à suis Advocatis ad suam defensionem adducebantur; ne fama ejus sic maculata remaneat, Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat, & oculi nostri videant æquitatem, per hanc nostram sententiam, quam in scriptis fecimus.

Christi nomine repetito sententiamus, declaramus, & pronunciamus, D. N. esse injugendam Canonicam purgationem, prout illi per hanc nostram sententiam injungimus, ratione asserti delicti, de quo est imputatus, & infamatus, ut suprà, & ipse negavit commisisse, ei mandantes, ut infrà tot dies coram nobis jusjurandum præbeat ad sancta Dei Evangelia, manibus illa tangendo, se à prædicto delicto esse immunem, & crimen illud nullo modo attentasse, ac unà cum ipso septem ejusdem ordinis, ac probatæ vitæ, & omni exceptione majores pari modo jurent, se credere, eum verum jurasse, reservantes nobis potestatem juxtà Canonicas sanctiones proferendi aliam sententiam punitoriam, si integrè purgationem non præstiterit, vel absolutoriam, si præstiterit, In calce dicatur.

Lecta, lata, & publicata fuit hæc sententia sedente pro tribunali in tali loco die 15. mensis Novembris 1643. Præsentibus N. & N. testibus ad hoc vocatis.

Compurgatores debent esse tales, ut vitam, & conversationem infamati cognoscant, *cap. cùm dilectus, ubi glossa de purgatione Canonica*, & ut verisimile sit, non esse mendacium dicturos, *cap. cùm P. de purgatione Canonica*, & tales compurgatores debent firmare cum juramento, quòd veritatem crederent eum dicere, qui purgatur *cap. de testibus de purgatione Canonica: cap. quotiès eod. tit. cap. fin. eodem titulo*, aliàs essent perjuri, si jurarent de alieno facto, *glossa in d. cap. quot.* & ille, qui se purgat, debet jurare crimen illud, de quo accusatur, se non commisisse, ut in *dicto cap. quotiès, & in cap. fin. de purgat. Canonicâ.*

Forma faciendi purgationem Canonicam, hæc est.

Die 15. Novembris 1638. Constitutus D. N. coram Reverendissimo Domino Vicario Generali Archiepiscopi Neapolitani, vel coram Reverendo P. Abbate, sivè Præposito talis Monasterii, vel coram Reverendis Patribus Visitatoribus talis Religionis, reverenter, & humiliter exposuit, se paratum esse Divina ope præstare purgationem canonicam juxtà formam, & modum illi in sententia præfixum per ipsum Dominum Judicem, sivè per ipsos Dominos Judices; quam oblationem ipse Dominus Judex admisit, seù ipsi Domini admiserunt, si, & in quantum, &c. asserens se paratum, vel asserentes se paratos ad eam suscipiendam juxtà Canonicas sanctiones, & statim aperto libro Evangeliorum dedit ei juramentum de veritate dicenda, & Dominus N. manibus tangendo Evangelium dixit, Ego N. per

per hoc sacrum Dei Evangelium juro me esse immunem; & non commisisse adulterium, de quo sum suspectus, & infamatus & sic se subscribat. Ego D. N. juravi prout suprà, & propria manu subscripsi.

Posteà juxtà tenorem in sententia sibi præscriptum septem obtulit compurgatores ejusdem ordinis, videlicet A. DB. DCD. E. DFDG. & DH. quos omnes tanquàm Idoneos prædictus Dominus Judex admisit, illisque accersitis, manifestavit eis D. N. esse suspectum, & infamatum commisisse adulterium cum tali muliere, & jurasse per sancta Dei Evangelia se esse immunem à tali delicto, ipsosque jurare debere, se credere verum jurasse. Verùm quia compurgatores debent esse tales, ut cognoscant vitam, & conversationem infamati non solùm præsentem, sed etiam præteritam, ideò debet Judex inquirere, quomodò infamatum cognoscant, & causam, & tempus cognitionis, & quandò sunt illi nota, ponenda est in actis talis notitia.

Quibus factis, singuli compurgatores sigillatim vocati, & aperto libro Evangeliorum, super Evangelio positis manibus unusquisque eorum unus post alium sic jurabit, Ego D. N. vocatus in compurgatorem pro D. N. juro per hoc Dei Evangelium me credere, illum verum jurasse; & unusquisque Eorum sic se subscribat. Ego D. A. juravi prout suprà, & propria manu me subscripsi. Posteà est admonendus verbaliter, vel citandus ille, qui purgandus est, ut tali die, & hora compareat ad audiendam sententiam expeditionis suæ causæ, & hæc citatio in actis notetur cum sua relatione; & adveniente die in hac forma erit pronunciandum.

*Forma absolvendi infamatum post purgationem Canonicam.*

CHristi nomine invocato Nos N. Vicarius Generalis talis Episcopi, vel Abbas talis Monasterii, cùm in sententia per nos lata die 15. Novembris 1643. fuerit indicta purgatio Canonica D. N. super asserto crimine adulterii cum tali muliere: quod, etsi ipse illud commisisse negaverat, tamen quia infamia, & suspicione laborabat, prædictam purgationem illi indiximus, quam eùm coràm nobis præstitisset infrà terminum, & juxtà modum sibi assignatum, qua visa, considerataque dispositione Sacrorum Canonum, discussisque maturè omnibus, quæ erant discutienda, Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat, declaramus, pronunciamus, & sententiamus, dictum N. purgationem ei impositam Canonicè perfecisse, ideòque imposterùm existimandum esse illum à supradicto adulterio immunem, & omnem suspicionem, & infamiam esse sublatam, & quatenùs expedit, & opus est, eum absolvimus, & liberamus omni meliori modo, quo fieri potest.

Lecta, lata, & publicata fuit sententia sedenti pro Tribunali in tali loco die 18. mensis Novembris 1643. Præsentibus, N. N. testibus ad hoc vocatis.

## TITULUS III.

### DE SIMONIA.

EX omnibus delictis, de quibus in hoc quarto libro agitur, alia sunt contrà Deum immediatè, ut Simonia, hæresis, &c. alia contrà homines immediatè, ut homicidium, adulterium, &c. primo loco de illis agit Paulus, quæ sunt contrà Deum immediatè, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, Simoniæ nomen originem traxisse a Simone Mago *teste S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. qui Dei donum, seù Spiritum Sanctum emere volebat, ut illud venderet, *Actorum cap.* 8. ex quo factum est, ut Rei hujus criminis Simones vocentur *à Chrysostom. homil.* 60. *ad Populum.* Ratio autem cur potiùs à Simone, quàm ab aliis, qui hoc vitium commiserunt in veteri testamento, dicatur Simonia, ea est, quia Simon fuit primus, qui hoc vitium in novo testamento commisit: ex quo nota, non à rei natura hoc crimen sortiri nomen, sed à primo ejus auctore, *cap. quicumque, cap. qui studet, cap. Petrus* 1. *quæst.* 1. *cap. Salvat.* 1. *quæst.* 3. *& agitur de hoc crimine in titulo extrà eodem, & in causa prima per quæstiones sequentes.*

Neque objiciat quis, in lege veteri haberi Balaam fuisse pretio conductum, ut malediceret populum Israel. *nu.* 22. & Giezi famulum Elisei vendidisse sanitatem Naaman divinitùs datam, habetur. 4. *Regum cap.* 5. ergo cur non ab illis nomen sortiti sunt. Respondeo enim, quòd illi in veteri testamento vendere volebant gratiam gratis datam scilicet sanitatem divinitùs datam, &c. Sed Simon Magus volebat gratiam Sanctificantem emere, & facultatem conferendi eam, ut iterùm venderet, *cap. Salvat.* 1. *quæst.* 3. *S. August.* 10. *in Joann. & S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. alias rationes addunt, *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 1. *Valent. Suar. & alii*, quos sequitur, *Castr. Pal. tom.* 3. *tract. ultim. disp.* 3. *num.* 1.

Sciendum secundò est, quòd Simonia definitur, ut sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, seù spiritualibus annexas, *ita glossa* communiter recepta in præsenti, *S. Thomas ubi suprà. Sotus lib.* 9. *de Justitia quæst.* 5. *art.* 1. *Clar. in §. Simonia, Suar. lib.* 4. *tom.* 1. *de Religione cap.* 36. *Bonac. quæst.* 1. *de Simonia propos.* 1. & pro hac definitione facit *text.* juncta *glossa in dict. cap. qui studet. q.* 1. *& auctoritas Sancti August. in libris de hæresibus in præfat. tom.* 6. *& in Evangeliis Joannis tract.* 10. *cap.* 2. *tom.* 9. *& hom.* 23. *cap.* 10. *tom.* 10.

Dicitur (studiosa voluntas) tùm ut indicetur, subjectum hujus peccati non solùm externo opere, sed nuda etiam voluntate commiti posse, ut benè, *Abb. in cap. tua nos, de Simonia:* tùm ut constet, vitium Simoniæ magna ex parte pendere à voluntate operantis, *est in dict. cap. tua nos*, ibi, *si tamen is, qui eam donationem facit ea intentione ducatur*; undè si tradens pecuniam, non intendat illam tradere pro re spirituali, sed alio titulo, Simoniam non committit, quia non habet voluntatem studiosam emendi, aut vendendi, & dicitur studiosa, id est deliberata, quia sinè deliberatione Simonia non fit.

Dicitur, *emendi, vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa*, quia hoc est objectum Simoniæ, & his differentiis ab aliis vitiis distinguitur: verbum verò, emendi, non solùm significat spiritualem venditionis contractum, quo res pro pretio certo in pecunia numerata datur, sed certum contractum non gratuitum, prout accipitur, *in l. statu liber ff. de statu liberis, & in l. sicut §. venditione ff. quibus modis pignus &c. Tiraquell. de retractu. lib.* 1. §. 1. *glossa.* 2. *Pinellus in l.* 2. *C. de rescind. vend. par.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. ac proindè verba illa, emendi, aut vendendi, non adhibentur ad significandum solùm contractum emptionis, aut venditionis, quasi quòd peccatum Simoniæ solo contractu emptionis vel venditionis committatur, sed etiam adhibetur ad significandos cœteros contractus onerosos, qui non gratis, nec liberaliter fiunt, sed æquivalent emptioni, & venditioni, pacto, transactioni, permutationi, &c. ità, *Azor. lib.* 12. *cap.* 1. *Valent. tom.* 3. *disput.* 6. *qu.* 16. *punct.* 1. *Laym. lib.* 4. *Theolog. moralis tract.* 10. *cap.* 8.

Dicitur in definitione, emendi res spirituales, ut judicetur materia Simoniæ, quæ non est res temporalis; quare

quare, si res pretio eximabilis gratis datur antè collationem beneficii, vel alterius rei spiritualis: vel si post acceptum beneficium loco gratitudinis detur aliquid, non est Simonia, accipiens verò pecuniam pro collatione Sacramentorum indebitam, tenetur restituere, licèt *Turrian. disp.* 59. dixerit, non teneri restituere, quia Simonia non obligat ad restitutionem de jure naturali, sed positivo, & jus positivum non loquitur, quòd teneatur restituere quis ob hanc Simoniam, sed solùm ob Simoniam in beneficio commissam, & hanc sententiam *Turriani sequuntur multi Doctores*, quos sequitur, *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 157.

Ex quibus sequitur primò, Simoniam opponi Religioni, quia irreligiosè tractat res divinas, & supernaturales, quatenùs illas venales facit, & pretio æquiparat, cùm sint suprà omne pretium *Abbas, & Hostien. in cap. Nemo de Simonia*, & licèt in jure canonico sæpè hoc vitium sit appellatum hæresis Simoniaca, *cap. presbyt.* 1. *quæst.* 1. *cap. quotiès. de Simonia*, tamen non est propriè hæresis, *gloss. in cap. firmiss. de hæretic. Suar. lib.* 4. *de Simonia cap.* 1. *num.* 6. *Castrus Palaus tom.* 3. *disp.* 5. *punct.* 1. *num.* 3. vel, ut dicit, *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. est hæresis quoad externam professionem, quia, qui donum Spiritus sancti vendit, externa venditione profitetur, se esse doni Spiritûs sancti dominum, aut rem illam esse venalem, pretioque extimabilem: differt Simonia à sacrilegio, tùm quia sacrilegium est violatio rei sacræ secundùm usum ad quem fuit destinata, ut si quis conculcaret imagines, sed Simonia est violatio rei sacræ secundùm suam dignitatem, est etiam Simonia vitium ità execrabile & omninò detestandum, ut in *cap. reperiunt. cap. eos* 1. *quæst.* 1. ut sit quæstio inter D D. an detur parvitas materiæ in Simonia: prima opinio negat dari: ità *Suar. lib.* 4. *de relig. cap.* 3. *Sanch. in summa lib.* 1. *cap.* 4. *Castr. Palaus dis.* 5. *tom.* 3. *tract. ultim. dub.* 1. *num.* 7. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *§.* 1. qui dicunt, non dari peccatum veniale in Simonia, sed omnem culpam esse mortalem. Secunda opinio est, *Jacob. Gord. in summa tom.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 7. *cap.* 3. *num.* 7. *Bonac. probabilem appellat de legibus disp.* 10. *q.* 2 *pun.* 8. *§. incidens num.* 13. & post *Reginald. Milin. & alios, sic dicit Diana par.* 4. *tract.* 50. *resolut.* 2. ratio est, quia modicum, quod datur in pretium, non potest dici fuisse datum, sed causa benevolentiæ, vel titulo gratitudinis, ut colligitur ex *cap. & si quæstiones de Simonia*: habetur enim, *in dict. cap.* quòd plura sunt consideranda, ut videamus, an sit Simonia: primum est, an id, quod traditur, tradatur à divite pauperi, an contrà, quia, si pauper, præsumitur animo malo datum, secundum considerandum est quantitas muneris, quia, si modicum quid detur, cessat præsumptio Simoniæ, tertium est considerandum tempus donationis, ut, si instante necessitate donatum sit, præsumitur malum, nisi sit modicum: *Barb. in dicto. cap. & si quæstiones* ex quo benè dixit, *Rota apud Buratt. decis.* 445. *num.* 3. ex re modica non præsumi Simoniam, ex quo dicunt D D. quòd licèt Judex debeat abstinere ab omni munere, juxtà illud *Isaia.* 33. *Beatus, qui eximit manus suas ab omni munere*, tamen intelligitur de illis, quæ solent pervertere animum judicantis, non tamen illa, quæ sunt ex minima quantitate, ut post alios, *Barb. in dist. cap. & si quæst. de Simonia.*

Sequitur secundò, errare, *gloß. in cap. unic. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, in verbo carnalitatem*, quam sequitur, *Major in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. ad primum dicentes, peccare peccato Simoniæ Episcopum, qui beneficium confert consanguineo nulla re temporali intercedente pro pretio, quia talis Simonia non oritur neque ex jure positivo, cùm nullibi prohibeatur, neque ex jure divino, quia conferens beneficium nihil temporale accipit: ergo. Quàpropter reprehendunt *gloss. S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 5. *ad secundum Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 5. *Filliucc. tract.* 45. *cap.* 9. *quæst.* 4. *num.* 70. *Laym. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 27. notatur verò textus ille in, *dict. cap. unic.* ad hoc, quòd non possit Episcopus in collatione beneficii sibi pensionem reservare, nisi ex justa causa, ut ibi, & notat, *Barb.* & ibi reprehenditur Episcopus, non quòd Simoniam commiserit, sed quia fecerat contrà Justitiam distributivam, conferendo beneficium minùs digno ob affectum carnis.

Dices in *cap. Nemo, hoc titulo*, habetur, Simoniam esse, occultare delictum alicujus publicè peccantis, ut celet Episcopo, etiamsi id faciat ob affectum consanguinitatis, ergo multò magis Simoniacum erit conferre beneficium propter consanguinitatem.

Respondetur, textum illum esse valdè difficilem, dùm videtur prima facie probare, esse Simoniam tradere aliquid temporale Clerico, ut peccatum alterius celet aut non denunciet, vel si Prælatus subditum non corrigat; & aliquid accipiat temporale, quod notat *glossa* ibi in verbo celet & multi alii ibi, ut, *Abbas Hostien. Zabarell. & alii & S. Thom.* 2.2. *quæst.* 100. *art.* 3. *& in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. *Angelus in verb. Simonia, il terzo Sylvest. in eodem verb. Bonac. de Simonia quæst.* 4. *§.* 9. *num.* 43. Oritur verò difficultas ex definitione Simoniæ, ubi etiam dicitur quòd sit studiosa, &c. recipiendi aliquid temporale pro re spirituali, & sic ex una parte debet dari res, ex altera verò pretium: sed quandò aliquis pretium dat, ut non denunciet, seù ut non denuncietur, seù ut non corrigat, nihil spirituale dat, aut promittit, sed solùm omittit facere.

Vera responsio hujus textûs est (omissis aliis pluribus ubi suprà, *Suar. l.* 4. *cap.* 22. *Castr. Pal. disput.* 3. *de Simonia punc.* 12. *num.* 25.) quòd duobus modis potest contingere, ut quis non denunciet peccatum alicujus publici peccatoris, Episcopo, mediante pecunia. Primò scilicet, quandò simpliciter non denunciat *Parochus* accepta pecunia, secundò, quandò scilicet *Parochus* dicit aliis, ne denuncient aut præcipit, ne adversùs illum pro crimine procedatur primo modo peccat graviter ille, qui ad id tenetur, si non faciat suum officium: secundo casu verò peccat peccato Simoniæ, ob actum positivum ab ipso factum & sic loquitur *textus in dict. cap. nemo, & in cap. qui autem, ibi Bar. in d. cap. Nemo, qui num.* 5. ait, Simoniam committi ab eo, qui post auditam confessionem pro absolutione conferenda pecuniam petit, sivè pœnitens sit dignus, sivè indignus absolutione; quia omnes actus jurisdictionis voluntariæ, quatenùs ad effectum spiritualem ordinantur, sunt materia Simoniæ, sicuti actus jurisdictionis Ecclesiasticæ contentiosæ, sunt etiam materia Simoniæ, *Bonac. §.* 17. *& addit. §.* 9. quòd omissio actionis sacræ, & spiritualis, potest esse materia Simoniæ, si positivo modo fiat, ut suprà.

Dices secundò: conferens beneficium alicui, ut alat consanguineum, est Simonia, ergo multò magis eam committit, conferens beneficium ipsi consanguineo.

Respondeo, tradentem beneficium alicui, ut alat consanguineum, esse Simoniacum, quia imponit illi obligationem pretio extimabilem pro re spirituali & consequenter exigit temporale pro re spirituali quod non accidit in conferente beneficium consanguineo propter consanguinitatem.

Sequitur tertio, non committi Simoniam contra jus humanum, vel divinum, dando beneficium alicui vel faciendo aliquod spirituale ex metu amissionis vitæ famæ

famæ honoris, &c. lucri cessantis, damni emergentis, &c. ità DD. communiter apud, *Filliucc. cap. 6. de Simonia quæst. 5. num.* 8. Ratio est, quia non committitur Simonia contrà Jus humanum, cùm non possit afferri *tex.* qui id præcipiat, immò Jus humanum tales actiones adjuvat, *cap. ad aures, cap. ad audientiam, de his, quæ vi metusvè causa fiunt:* quòd verò non committatur Simonia contrà Jus divinum probatur, quia non accipitur pretium pro spirituali, ergò.

Sequitur quartò, Episcopum in gratiam Principis conferentem alteri beneficium, Simoniam non committere, quia nihil temporale accipit à Principe: secùs, si Episcopus tradat aliquod beneficium alicui ad instantiam Principis ad hoc, ut faciliùs ad meliorem Episcopatum promoveatur, quia tunc intendit lucrum, seù temporale Commodum annexum Episcopatui pro collatione beneficii, quæ est actio spiritualis, D D. apud *Molfes. tract. 6. cap. 15. num. 59.*

Sequitur quintò, committi Simoniam ab Episcopo, qui confert beneficium suo debitori, cum pacto, ut debitum sibi solvat, ratio est, quia talis obligatio, quæ ex novo pacto inducitur, est pretio æstimabilis, secùs, si Episcopus conferat beneficium debitori timore amittendi creditum, seù intentione recipiendi solutionem sibi debitam absque ullo novo pacto, & obligatione, quia non recipit lucrum, sed solùm intendit recipere quod àliàs sibi debetur. Quòd si Episcopus conferat alicui beneficium in remunerationem, & ad tollendam obligationem antidotalem, qua tenebatur ergà Clericum, dicendo ei se ob hoc conferre, non erit Simoniacus, quia debitum antidotale non est propriè debitum, nec pecunia extimabile, *Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 28. num. 7.* contrà aliquos, quos refert.

*In §. Simoniæ duplex est species.*

Dividitur in hoc, *§. Simonia*, quòd scilicet triplex sit, mentalis, conventionalis, & realis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd simonia habet principaliter duas divisiones: prima est, ut alia sit à Jure divino prohibita, alia à Jure humano positivo, quæ divisio est communis ex *glossa in cap. pridem de pactis, & in cap. ex parte de offic. Judicis deleg. & in cap. Salvat. 1. quæst. 3.* ex latè traditis per *Suar. lib. 4. cap. 2. de Simonia, & à Less. lib. 2. cap. 35. dub. Castr. Palao de simonia, par. 2.* Dicitur simonia Juris naturalis & divini, quandò aliqua res de se spiritualis venditur, aut emitur, ut si venderes Sacramenta, Calices consecratos, &c. & in hac simonia non potest Pontifex dispensare. Dicitur verò simonia Juris positivi, quæ à sola lege Ecclesiastica ortum habet, solet enim lex Ecclesiastica commutationem beneficiorum prohibere, *cap. quæsitum, cap. olim de rerum permut. cap. cùm pridem, Clerici de pactis, cap. constitutus*, cum aliis *de transactionibus*, & permutantes incurrunt Simoniam: *cap. si quis Episcopus 1. quæst. 3.* ubi dicitur, vendere officium œconomi, sacristæ, &c. esse simoniam, quod tamen, ut bene *Less. & Castrus Palaus ubi suprà*, non est simoniam contrà jus divinum vel naturale, sed contrà jus humanum. Est tamen dificultas an hæc simonia Juris positivi, sit propriè simonia; affirmant, *Suar. & Less. ubi suprà*, negant, *Duran. Sot. & alii apud Castr. Palaum par. 2. num. 2.* Ego puto, esse quæstionem de nomine: quia certum est, Ecclesiam posse suis præceptis constituere aliquam materiam in rectitudine illius virtutis, cum qua habet aliquam connexionem, & similitudinem, ut patet in percussione Clerici, quam constituit in ordine sacrilegii, ob reverentiam status Clericalis, sic patet in simonia, & sicut percussio Clerici, est verum sacrilegium de jure humano, ità permutare beneficia sine consensu superioris, est vera simonia de jure humano, quòd si pars contraria prætendat non esse veram simoniam, quia non est de jure divino, hæc est quæstio de nomine.

Dividitur secundo Simonia, ut alia sit mentalis, alia conventionalis, alia realis, quæ divisio communiter recipitur à Theologis, & Canonistis.

Mentalis est, quandò nullo pacto præcedente, sed affectu animi spirituale donatur, ut temporale acquiratur, v. g. si conferens alicui beneficium intendat obligare illum ad reddendum temporale, vel contrà, si conferens temporale intendat illum obligare ad reddendum spirituale; de qua simonia agitur *in cap. sua, in 2. part. & in cap. ult. extrà, eodem:* vocatur verò hæc simonia mentalis, non quia in actum exteriorem dandi, & recipiendi non exeat, sed quia iniquus animus non declaratur, ut benè, *Valent. 2. 2. disp. 9. qu. 16. pun. 5.* qui tamen simoniacus mentalis sic accipiens beneficium non tenetur resignare; neque qui tradidit mediante pecunia, sed mentali simonia restituere tenetur, quod accepit, ut in *cap. ultim. de simonia* ibi (*& ad resignationem*) *S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 6.* ubi *Cajetanus, Sylvest. Armill. & alii in verb. simonia, Toletus lib. 5. cap. 93. Campan. rubric. 11. cap. 27. Garsia par. 8. cap. 1. num.* licèt contrarium dixerint alii, ut *Medina, Aragon. Salonius, & alii apud Bonac. de simonia, quæst. 7. pun. 3. diffic. 1. num. 23.* multipliciter intelligentes, *text. in d. cap. ultim.* ejusque litteram malè percipientes, dùm suam intendunt defendere opinionem. Nec te moveat, quòd usurarius mentalis restituere teneatur, *cap. consuluit de usuris*, quia intelligitur, quandò mutuatarius coactè dat ultrà sortem ratione mutui, secùs, quandò liberè, & spontè dat, licèt mutuans iniquam habet intentionem, & pravum animum, nempe accipiendi ratione mutui, ut benè, *Covarr. in regula peccatum, part. 2. num. 4. Gaballin. de usuris nu. 7. & 8. Navarrus de restitution. lib. 3. cap. 2. num. 172. Campan. dicto cap. 27. num. 10. & 11. Barb. in dict. cap. fin. de simonia.*

Conventionalis simonia est, quæ mentali superaddit externam conventionem, seù pactum, ex neutra tamen parte completum, vel saltem non completum ex utraque parte, *Navarr. cap. 23. num. 103. Valentia disput. 6. quæst. 16. pun. 5.* ratio est, quia realis non dicitur venditio, quoùsque non compleatur contractus ex utraque parte, de qua agitur in *cap. tua, in principio, & in cap. cùm essent, eodem titulo, Cast. Palaus, Suar. & alii ubi suprà:* quòd si quis solam pollicitationem fecerit de pretio, si sibi daretur beneficium, & alius non acceptaverit pollicitationem, non committitur simonia conventionalis, quia non est conventio, quoùsque promissio non sit acceptata; *Farinac. par. 1. quæst. 34. Castr. Palaus dub. 2. in fine.*

Simonia realis est, quæ rei traditione consummatur, de qua agitur, *causa 1. quæst. 5. & toto tit. decretalium de simonia*; & distinctio prædicta colligitur ex *extravag. 2. de simonia.* Multi Theologi dividunt Simoniam in mentalem, & conventionalem, Simonia semper supponit conventionalem, & conductionalis supponit mentalem saltem ex natura rei, & remota lege positiva. Est tamen difficultas, an ad constituendam Simoniam realem, requiratur mutua traditio, an sufficiat traditio ex una parte, & promissio ex alia parte, prima opinio dicit, committi traditione rei spiritualis cum promissione rei temporalis, ità *Sotus lib. 9. de Instit. quæst. 8. art. 1. Filliucc. tract. 45. cap. 10. quæst. 1. num. 5.* Secunda opinio dicit, Simoniam realem requirere, ut ex parte utriusque perveniatur

platur ad actum, tàm scilicet dando rem spiritualem, quàm recipiendo rem temporalem, ità *Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 16. pun. 5. Navarr. cap. 23 n.* 104. & alii, quos sequitur, *Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 8. n.* 67. Sed de stylo Curiæ Romanæ contrarium servari dicit *Castr. Palaus disp. 3. part. 2. de Simonia. Novar. tamen par. 2. quæst. for. quæst. 99.* affert decisum, non esse Simoniam, nisi actu ex utraque parte completo.

Dices contrà prædictam divisionem Simoniæ, dari potest Simonia ficta: sed hæc non est mentalis, nec conventionalis, nec realis: ergo mala divisio. Consequentia patet, Antecedens probatur, quòd non sit mentalis, quia Simonia mentalis consistit in intentione emendi, aut vendendi rem spiritualem, sed qui committit Simoniam fictam, non habet animum vendendi, & emendi rem spiritualem, sed potiùs decipere, & mendacium committere. Neque est conventionalis; quia non continet intentionem permutandi rem temporalem cum spirituali, sed potiùs decipiendi, Neque est Simonia realis, quia hæc supponit veram conventionem, & pactum, ergo mala divisio.

Responsio pendet à solutione quæstionis, an Simonia committatur, quandò quis non habet intentionem adimplendi promissionem, prima opinio affirmat. *Navarr. in cap. ult. de Simonia num.* 10. *& in in manuali cap. 23. num* 106 *§.* 3. secunda opinio dicit, non committi Simoniam; ità *Cajetan. tom. 2. opuscul. tract. 9. quæst 2. Sotus de Just. lib. 9. quæst. 8. Tolet. lib. 5. cap. 9. Suar. lib 3. cap. 42. Less. lib. 2. de Justit. cap. 35. dub. 1. Castr. Palaus ubi suprà pun. 6.* ratio est, quia carens animo donandi spirituale pro re temporali, vel è contrà, caret etiam animo emendi, vel vendendi; ergo non est Simonia, consequentia patet, quia est Simonia studiosa, id est deliberata voluntas, &c. peccat tamen. qui si fictè contrahit, gravissimè; tum quia alium inducit ad Simoniam saltem mentalem, tùm quia opus externum facit, Simoniacum, non tamen incurrit pœnas à Jure contrà simoniacos latas, ergo, cùm non sit Simonia ficta vera Simonia, nil mirum, si non comprehendatur sub divisione: patet, quia qui exteriùs profert hæresim absque intentione hæretica, vel qui exteriùs adorat idolum absque intentione colendi, pœnas non incurrit hæreticorum. Verùm in foro externo præsumitur contrà hos tales, ut benè, *Suar. ubi suprà.*

Ex quibus sequitur, Simoniam mentalem non esse, nisi intendatur temporale pro spirituali ut ejus pretium: undè non committit Simoniam concionator, qui principaliter intendit honorem, ac laudem, quia non intendit dignitatem, & honorem tanquàm pretium, erit tamen reus alterius culpæ pro qualitate finis, quem sibi proponit: & sic non erit audiendus. *Tab. in verb. Simonia num.* 18. qui ait. concionatorem principaliter ad assequendam laudem prædicans, committere Simoniam; nisi velimus dicere, ipsum non loqui de Simonia propriè, sed impropriè, committeret verò Simoniam ille, qui ad chorum accedens, intenderet distributiones recipere ut pretium celebrationis divini officii, quia intenderet temporale, ut pretium rei spiritualis. *DD. citati.*

Datur etiam Simonia confidentialis, quæ dicitur, quandò factum est pactum de renunciando alteri beneficio, vel conferendi beneficium alteri ad tempus, quòusque alius perveniat ad ætatem habilem recipiendi beneficium, ut si quis habens filium incapacem beneficiis, facit, ut conferatur suo pedagogo presbytero, cum pacto ut pedagogus renunciet beneficium suo filio facto majori, hæc appellatur Simonia confidentialis, de qua *Navarr. cap. 23. num.* 105. *& Bulla Pii V. incipiens, sanè*, quòd si quis absque conventione facit, ut beneficium alteri conferatur, cum spe tamen, ut ratione cognationis, vel amicitiæ renunciet sibi conjuncto, non est Simonia, DD. *suprà citati:* quæ tamen Simonia confidentialis non constituit tertiam speciem, quia reducitur ad conventionalem: nota tamen, non esse Simoniacum, antè superioris auctoritatem tractare de permutandis beneficiis: sola enim permutatio ipsorum est prohibita, *cap quàm pio 1. quæst. 2. cap. super eo. de transactionicus. cap. cùm pridem, cap. ultim. de pactis, Flamin. de resignat. benefic. lib. 6. quæst. 2. à num.* 7. & licèt *gloss. & Innoc. in d. cap. quæsitum dicant, posse præbendas ejusdem Ecclesiæ commutari privatim*, tamen communiter rejiciuntur, cum *Hostiens. & Abbate in dicto cap. quæsitum*, quia jus generaliter prohibet ergo, & ut benè dicit, *Garf. par. 11. cap.* 4 qui permutationem beneficii propria auctoritate faciunt, eis privantur per sententiam tamen in pœnam commissi criminis, *cap. olim 7. de rer. permutat. Castr. Palaus dub. 15. num.* 4. Intelligendo semper de beneficiis propriis, in quibus quis habet jus in re, licèt non habuerit actualem possessionem; *Mantica de tac. lib. 25. tit. 9. Gar. d. par. 11. cap. 4. d. cap. olim. cap. quæsitum. cap. unico eod. tit. in 6.* est tamen controversia, an possit in permutatione compensari fructuum inæqualitas pecunia, vel pensione, absque Simonia, & quidem cum consensu Pontificis id est sinè difficultate licitum, sed cum consensu Episcopi id peti non poterit, quia non poterit ipse fructus à titulo spirituali separare, ergo, si pro hoc consentiret pretium exigi, utique esset Simoniacum, & injustum: *glossa in cap. cùm pridem de pactis, Less. lib. 2. cap. 35. dub. 17. num. Castr. Palaus par.* 19. Neque obstat, *textus in cap. ad quæst. de rerum permutat.* ubi Clemens III. adprobat permutationem factam Ecclesiarum refuso pretio pro inæqualitate, quia ut benè *DD. ubi suprà*, possessiones illæ erant merè temporales, & sub dominio temporali Ecclesiarum, quare illarum permutatio non erat prohibita, immò potiùs concessa, ut benè, *glossa* ibi.

Est tamen difficultas, an inæqualitas fructuum spiritualium possit cum consensu ordinarii per impositionem pensionis compensari, v. g. est permutatio facienda de beneficio tenui cum pingui, an possit imponi pensio in permutatione, ratione fructuum, decimarum, vel similium majorum in uno, quam in alio.

Prima opinio affirmat, id fieri posse auctoritate ordinarii; ità *Navarr. cons. 43. de Simonia*, & alii apud, *Sanc. glossa 14. regul. 8. num.* 38. Probatur, quia ordinarius ex justa causa potest pensionem imponere; ut tenent, *Gig. de pensionibus quæst. 8. Zerola in praxi 2. par. in verb. pensio; Gon. in regul. 8. glossa 5. §. 5. n.* 27. sed in tali permutatione ob inæqualitatem fructuum compensandorum est justa causa impositio pensionis, ut dicit, *Less. lib. 2. de Justitia cap. 34. dub. 38. num.* 205. ergo fieri potest auctoritate ordinarii hæc permutatio.

Secunda opinio est in praxi magis recepta, non posse auctoritate ordinarii pensionem prædictam imponi, ità post multos, *Garsia par. 1. cap. 5. num. 341. Suarez lib. 4. cap. 4. num. 16. Valent. disp. 5. quæst. 16. par. 3. in fine*. & post *Aragon. & alios* ità *Castr. Palaus pun.* 16. Ratio est, quia Episcopus prohibetur beneficia conferre cum diminutione, ut in[illegible] *ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* [illegible] *sed si consentiret in pensionem, jam conferret cum diminutione.* ergo; tùm quia consuetudo Episcopis hanc facultatem denegavit, teste *Valen. ubi suprà*, neque potest auctoritate solius ordinarii permutari beneficium cum pensione, quæ non sit erecta in titulum beneficii: tùm quia ordinarius non habet potestatem imponendi pensionem, ergo neque illam [illegible]

transferendi: tùm quia in, *dicto cap. quæsitum, & in cap. olim de rerum permutat. & in cap. unico eod. tit. in 6.* ordinariis committitur facultas admittendi beneficiorum permutationes, sed loquuntur jura de propriis beneficiis, ut benè post, *Suar. Garf. d. par. 11. cap. 4. num. 19.* Neque inter contrahentes absque consensu Pontificis fieri potest conventio, ut unus solvat omnes expensas bullarum omnium ipsorum, quia hæc pactio est Simoniaca, nam petitur à resignatario onus pretio extimabile, quod de jure non inest, cùm de jure unusquisque proprias bullas, teneatur solvere, *Suar. lib. 4. de Simonia cap. 34. num. 19. Navarr. conf. 50.* & si de Simonia, *Flamin. lib. 14. de resignat. beneficiorum quæst 7. Garsia par. 11. cap. 3. num. 147. §. 4. Rota apud. Put. dec. 40. lib. 2.* quòd si beneficium esset litigiosum, quia tunc poterit aliquid solvi, *Navarr. conf. 46. de Simonia Franc. Sever. resol. 4. post. 2. part. quæst. For. Novarii.* Simonia etiam confidentialis committitur quandò renunciatio beneficii in favorem alicujus fit coram ordinario, ut in Bulla Pii V. 58. quæ incipit, *Quanta in Ecclesia Dei, &c.* quam latè explicat, *Parisius lib. 5. quæst. 6. & lib. 14. quæst. 3. Garsia par. 11. cap. 3. §. 2. num. 152.* quia omnis datio in spiritualibus est prohibita *cap. fin de pactis.* Alii dicunt tali casu non committi Simoniam, quia non arctatur ordinarius ad renunciationem acceptandam, ergo nulla pactio intervenit, ergo neque aliquod pretium extimabile: & in dicta bulla Pii V. non videtur hæc comprehensa, sed solùm illa quæ fit propria auctoritate: ità *Covarr. lib. 5. var. cap. 5. Lessius, & alii apud Castrum Palaum puncto 17.* sed est quæstio an possit ordinarius rejecta illa conditione beneficium liberè conferre; probabilius est non posse *Garsia d. par. 11. cap. 3. §. 2. num. 155.* quia actus factus sub una conditione, & modo, non potest quoad unam partem admitti, & non quoad aliam, sed debet totus recipi, vel rejici, *l. Aurelius 28. §. idem quæsiit, ff. de liber. legata*, quod à fortiori procedit ex bulla Pii V. 58. ubi non solùm prohibetur ordinariis recipere conditionatas renunciationes, sed etiam eisdem negatur recipere simplices renunciationes, nisi fiant ab illis, qui sunt senio confecti. aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, & censuris Ecclesiasticis ligati, vel quia nequeunt, aut non debent Ecclesiæ servire *Parisius 5. quæst. ult.*

Non tamen esset confidentialis Simonia, renunciare beneficium in manibus Episcopi cum intentione, spe, ac supplicatione, ut detur certæ personæ, dummodò non deducatur in pactum *Navarr. conf. 11. & 38. de Simonia, Garsia par. 11. cap. 4. num. 161. Castrus Palaus puncto 17. num. 10.* Simonia verò esset confidentialis, si tu videns, quòd ille, cui renuncias beneficium cum auctoritate Pontificis, reservando pensionem, petas ab ipso, ut tibi det fidejussorem sæcularem, vel aliquam securitatem assignet, vel ut tibi anticipatè solvat, nam obligas resignatarium ad id, quod de Jure non adest in obligatione eique ex vi resignationis onus imponis extimabile, *Lessius ubi suprà num. 93. Suarez lib. 4. cap. 35. num. 23.* Undè etiamsi ordinarius haberet licentiam imponendi pensionem, tamen talem contractum non posset approbare, *Suarez ubi suprà:* & pensio sic constituta posset non solvi, & beneficium tanquàm vacans propter Simoniam impetrari. Verùm si post constitutam pensionem obligaretur resignatarius ad hæc onera, dicendum est, simoniam non committi, neque in foro externo debere præsumi: sed potiùs præsumi debet liberè se obligasse, *Flaminius lib. 14. quæst. 7. à num. 53.* esset etiam simonia confidentialis, quandò quis renunciaret alteri beneficium, & ab eo peteret solutionem expensarum, quas in ejus acquisitione fecit *cap. super hoc de renunciat. cap. cùm pridem de pactis Lessius, Parisius, Suarez, & alii apud Castrum Palaum* quia petit aliquod onus, quod de jure non inest resignationi.

Rogabis primo, quæ resignatio confidentialis Simoniaca sit.

Pro intelligentia suppono primò, ex Bulla Pii IV. incipiente, Romanum, &c. quæ est 109. in bullario suarum bullarum; & ex alia bulla Pii V. quæ incipit, intolerabilis, quæ est 87. in ordine, quam refert *Navarrus in cap. 23. à num. 100.* prohiberi renunciationes in beneficiis, cum accessu, regressu, vel ingressu, & quidem in beneficiis tantùm, non in pensionibus, quæ si tali modo renuncientur, non erit Simonia, *Suarez lib. 4. cap. 43.*

Suppono secundò, dici accessum in beneficiis prohibitum, quandò mihi impedito v. g. ob ætatam minorem, vel ex alia causa Prælatus conferat jus, ut quàmprimùm capax sim, capiam beneficium, quod Petro interim confertur. Regressus dicitur, si beneficium à me possessum cedam alteri, servato jure regrediendi ad illud, si fortè pensionem non solverit, aut religionem ingrediatur, aut si Episcopus fiat, aut præmoriatur. Dicitur ingressus in beneficiis, quandò beneficium mihi collatum antè captam ejus possessionem alteri resignem, reservato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si ille præmoriatur, aut fiat Episcopus, *Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 19. num. 98. Suarez lib. 4. cap. 43.* His positis,

Respondeo primo ad quæsitum, quòd sub dicta prohibitione non continentur illi, qui permutant beneficia inter se cum tali accessu, vel regressu v. g. si permutant duo beneficia, paciscentes de dissolvenda permutatione, & regrediendi ad priora beneficia, vel de resignandis illis in favorem aliorum, vel de solvendo fructus aliis. sub confidentia enim non continentur tales, *Suar. lib. 4. cap. 43. num. 11.* quia solùm loquitur Pontifex de beneficiis acceptis ex resignatione, aut cessione, privatio verò non dicitur propriè cessio, & resignatio, ergò licèt tales committant Simoniam, tamen non committunt Simoniam confidentialem. Episcopus verò, si conferat beneficium ex causa permutationis cum alio, & apponat tale pactum, ipse incurrit Simoniam confidentialem, licèt principaliter minimè, quia Bulla Pii V. loquitur universaliter in collatore quomodòlibet conferente beneficium vacans, sed beneficium, quod per permutationem vacat, dicitur verè vacare secundùm commune, de qua *Garsia par. 11. de beneficiis c. 4. n. 1.* ergo Episcopus talem Simoniam confidentiæ contrahit, alii verò non, ut benè *Castrus Palaus disp. 13. puncto 18. num. 2.*

Respondeo secundo, esse Simoniam confidentialem, quandò resignatur à se alicui beneficium cum conditione, ut sibi pensio solvatur *Suarez lib. 4. c. 43. Garsia d. cap. 3. num. 199.* quia ibi datur pro confidentia Simoniaca resignatio beneficii, quandò datur cum conditione, ut provisus, fructus illius, vel partem ad libitum conferentis remittat, ergo idem dicendum est de resignatione sub reservatione pensionis, quia pensio debet computari pro parte fructuum.

Respondeo tertio, Simoniam esse cedere beneficium litigiosum propria auctoritate propter pecuniam, *cap. propterea il. 1. & 2. de transact. cap. 2. de arbitris, cap. cùm pridem, de pactis, cap. ult. de rerum permutatione,* quia ceditur jus spirituale pro temporali: auctoritate verò prælati licitum erit pacisci ad componendam litem, *cap. 2. de transact.* Intellige, quandò Episcopus uni ex collitigantibus applicat beneficium sub onere solvendi pensionem alteri collitiganti, *cap. nisi de prabendis:* & licèt Episcopus probabiliùs

babiliùs non possit imponere pensionem, tamen ex causa concordiæ poterit *Gonzalez par. 5. §. 50. num. 27. Suarez lib. 4. cap. 51. num. 17. Gigans de pensionibus q. 6. Castrus Palaus dubit.* 10. & durabit pro vita pensionarii, *Gigans ubi suprà, Caccialupus de pensionibus quæst* 5. *DD. ubi suprà, patet ex cap. de cætero de transact.* ubi pensio imposita per transactionem juridicam sine Episcopi auctoritate non excedit vitam solventis, ergo à contrario, si auctoritate Episcopi esset imposita, excederet vitam solventis, verùm non posset Episcopus talem pensionem imponere, si aliqua conventio præcesserit inter partes, *cap. cùm pridem de pactis. cap. nisi de præbendis cap. 1. & 2. de transact. Garsia par. 1. cap. 5. à num.* 341. *Zerola in verb. Simonia, §. 2. dubium Castrus Palaus dub.* 19.

Rogabis secundò, de quo jure sit prohibita Simonia?

Respondeo, prohibitam esse de jure Divino, naturali, & humano.

Prima pars, quòd sit prohibita de jure divino patet, tùm quia 3. *Reg. cap.* 13. reprehenditur *Zorobaam* eo quòd daret Sacerdoti pretium; tùm quia Christus Dominus *Matth. cap.* 10. ait *Gratis accepistis, gratis date: ergo, &c.*

Secunda pars probatur, quòd sit prohibita jure naturæ, quia ratio, & lumen naturale dictat, res sanctas esse sanctè tractandas, sed qui rem sanctam vendit, non sanctè illam tractat: ergo, probatur minor, quia illa pro vili, id est pretio temporali permutatur, juxtà illud, *quis non putat, vile esse, quod venditur, & Actor.* 8. dixit Simoni Mago Petrus: pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.

Tertia pars, prohibitam scilicet esse Simoniam de jure positivo, patet *ex toto titulo de Simonia*, & datur Simonia jure tantùm humano prohibita, ut suprà diximus.

Est verò Simonia peccatum mortale ex suo genere contrà religionem, quia gravis injuria infertur ipsi Deo, quàm rei sacræ, quæ emitur pretio temporali, & Simonia est mala, non quia prohibita, sed ideò prohibita; quia mala: undè neque per divinam potentiam fieri potest, ut Simonia non sit mala, & sicuti ad virtutem religionis pertinet cultus Dei, ità ad eundem cultum pertinet, ut non contemnatur res sacra ad ipsum pertinens, & interdùm esse potest Simonia contrà Justitiam, ut si *Parochus*, qui ex officio tenetur Sacramenta Fidelibus ministrare, eis nolit ministrare nisi mediante pecunia.

Rogabis quartò, quænam sit materia Simoniæ?

Respondeo, materiam Simoniæ esse rem aliquam spiritualem,& supernaturalem: ratio est, quia peccatum Simoniæ opponitur religioni, & cultui debito rei sacræ ergo illius materia debet esse res sacra.

Ex quibus sequitur primò, Simoniam committi posse vendendo gratiam sanctificantem, quia gratia sanctificans est res spiritualis; licèt enim gratia in abstracto vendi non possit, tamen poterit vendi in concreto, quatenùs confertur per Sacramentum per *textum in cap. Judices 1. quæst. 1. cap. Salvator 1. quæst.* 3. potuit etiam committi Simonia vendendo Christum, ratione unionis hypostaticæ vel donorum sacrorum, & supernaturalium in Christo existentium, quia hæc potuerunt esse materia Simoniæ: sic etiam, si quis vendat Eucharistiam alieni Judæo, quatenùs continet Christum, committit Simoniam; non tamen commisit Judas Simoniam vendendo Christum, sicuti neque Pharisæi illum vendendo, quia vendidit illum non habita ratione rei sacræ in Christo existentis: sed tanquàm hominem, Idem dicas de Pharisæis. Negari tamen non potest, quin Judas non peccaverit gravissimo peccato sacrilegii contrà honorem hyperduliæ, & latriæ Christo debitum, quamvis, si illum vendiderit non habita ratione sanctitatis, noverat tamen,Christum esse verum Deum, illumque contempsit tradendo Judæis, ut morte damnaretur.

Sequitur secundo, quòd si quis servum Christianum plùs vendat, quia Christianus, absque dubio erit Simonia, quia virtualiter vendit baptismum, *Suar. lib. 4. cap. 9. num.* 7. & generaliter de omnibus Sacramentis habetur, *in cap. cùm Ecclesia de Simonia can. 1. q. 1.* committitur etiam Simonia vendendo reliquias, *cap. fin. de reliquiis, & veneratione Sanctorum*; quòd si reliquiæ contineantur in vasis argenteis, aut aureis, aut aliqua ratione pretio extimabili, tunc poterit tradi pretium pro ratione vasis, vel ornatûs, modò pretium non augeatur pro ipsis reliquiis, *Abbas & alii in d. cap. ultim. de reliquiis, & venerat. Sanctorum, Laym. li. 4. tract.* 10. sicut committeret ille Simoniam, qui Rosarium vendit majori pretio, eo quòd aliquas Sanctorum reliquias tetigerit, quia tunc augetur pretium ratione rei sacræ, quam constat esse materiam Simoniæ, *Suarez de Simonia cap. 26. num.* 22.

*In §. Contrahitur.*

Conclusio hujus textûs est, quia pretium, quod pro re spirituali tradi solet, cujus ratione Simonia committitur, triplex est, videlicet à manu, à lingua, & ab obsequio, *cap. Salvator 1. quæst. 3. cap. sunt nonnulli. cap. ordinationes, cap. de ordinationib. 1. quæst.* 1. Munus à manu est pecunia, sub qua comprehenditur quidquid possidetur in totum, ut dicit, *August. in cap. totum 1. quæst.* 1. munus ab obsequio est obsequium præstitum Ecclesiæ, collatori, electori,Patrono, vel amicis eorum. Per munus à lingua intelliguntur favores, intercessiones, laudes, preces, &c. omnia autem hæc possunt esse pretium in spiritualibus, & sufficiunt ad Simoniam constituendam, *cap. & si quæst. cap. tua nos, cap. in tantum de Simonia*: & licèt commutatio rei temporalis vel ejusdem venditio non dicatur, nisi pretio dato, tamen intelligitur in rebus ejusdem ordinis, sed quandò una res altioris ordinis, alia alterius ordinis, tunc una quomodocùmque detur pro altera inferioris ordinis, semper dicitur Simonia. Sed ut clariùs innotescat materia.

Rogabis primo, quid veniat nomine muneris à manu?

Respondeo comprehendi, primo remissionem debiti, aut promissionem remittendi debitum, *cap. talia 8. quæst. 1.* ubi *glossa, cap. veniens 10. de testibus*, ubi *glossa*, qua ratione *in cap. penult. de Simonia*, tàm ordinans, quàm ordinatus suspenditur, eo quòd petierit ordinans ab ordinando promissionem nihil ampliùs petendi in debitam sui sustentationem, eo quòd sine titulo illum ordinaverit, & ordinans ibi suspenditur per triennium à collatione ordinum, *Avila de cens. par. 3. disput. 5. dub. 4. Campan. rubr. 8. cap. 5. num. 31. & text.* loquens de præsentante, intelligitur *à Doctorib.* ibi de Archidiacono, vel alia persona in simili dignitate constituta, cujus officium est examinare ordinandos, & inquirere, an habeant sufficientem titulum; & posteà illos præsentare Episcopo ordinanti, *cap. ut nostram, cap. ad hæc, de officio Archidiaconi.* Exemplificat secundò in Episcopo ordinario, faciente litteras dimissorias suo subdito, ut promoveri possit ab alio Episcopo, per quas illum approbatum, & examinatum, ex mandato *Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap.* 3. dimittere debens, præsentare videtur, de quo Quaranta in summa Bullarii in *verbo ordo*, & bene observat, *Campan.* differentiam esse inter præsentantem, de quo

de quo in, *cap. per tuas*, & præsentante, de quo in *dicto cap. penult. quia in d. cap. per tuas*, est præsentator ad Ecclesiam. & beneficium, & in *d. cap. penult. ad ordines.* Ratio verò, cur in *dicto cap. penult.* sit Simonia, est quia Episcopus ordinans, vel præsentans aliquem ordinandum sine titulo, tenetur illum alere. *cap. cùm secundam, de præbendis*, ergò si petit, hanc obligationem sibi remitti, petit aliquod pretio extimabile, ac proindè sufficiens ad Simoniam; ex quo infert *Navarr. in summa cap. 27. num. 158. & Suarez lib. 3. de Simonia cap. 38.* constituentem ex propriis bonis alicui ordinando titulum, seù patrimonium, si ab illo recipiat promissionem de nihil postulando ab illo, committere Simoniam ultrà peccatum indebitæ ordinationis. cujus est particeps; sicuti. si patronus præsentans aliquem in jure patronatûs, pactum, faceret non solvendi reditus, esset Simoniacum. Contrà verò *Navarr.* tenet *Tolet. in summa lib. 1. cap. 48. num. 10.* non quidem quòd remissio debiti non sit munus à manu, sufficiens ad Simoniam, sed quia datio patrimonii non est quid spirituale, nec propriè ad ordines præsentatio, & *num. 21.* dicit *Tol.* sic fuisse determinatum per sacram pœnitentiariam, scilicet non incurrere Simoniam, qui ordinatur accepto ab alio patrimonio, & pacto facto de illo alienando, vel rescindendo, sequitur *Castr. Palaus punct. 3. num. 2.*

Secundò comprehenditur sub nomine muneris à manu, mutuatio pecuniæ, quare qui beneficium, vel aliud tribueret sub conditione pecuniæ mutuandæ, committeret sine dubio Simoniam tàm dans, quàm recipiens, quia est temporale commodum, sufficiens ad movendos animos, *Bald. in l. quisquis C. si cert. petat.* ubi exilio punitur, qui mutuat Judici, quia censetur quasi emptor legum, propter efficaciam, quam habet ad animos corrumpendos: ità *Navarr. d. cap. 23. num. 101. & consil. 14. num. 6. de Simonia. & cons. 23. Less. lib. 2. cap. 2. dub. 9. Suarez ubi suprà lib. 4. cap. 38. Garsia par. 11. cap. 3. num. 171.*

Neque dicas, non esse usuram. si mutuans pecuniam alteri: petat ab eo, ut sibi triticum remutuet, *cap. 1. de usuris. Suarez ubi suprà cap. 37. num. 19. Less. ubi suprà*; quia hoc casu non est usura, qui non petis commodum aliquod diversum ab eo, quod præstas tu: at verò in largitione rerum spiritualium, cùm requiratur maxima puritas, non possunt tradi commoda temporalia: hoc totum intellige, quandò beneficium datur, ut mutuum sequatur, eo apposito pacto. Secùs, si quis ad benevolentiam captandam det, *DD. ubi suprà.*

Tertio sub nomine muneris à manu comprehenditur pensio solvenda, quia est quædam promissio pecuniæ solvendæ, quare, si conferens beneficium alicui, conveniat cum eo de admittenda pensione sibi, vel alteri, aliàs non collaturus, adest Simonia, *cap. ut. Ecclesiastica beneficia sine dimin. conferantur*, etenim licèt Episcopis liceat ad tempus pro causa justa in beneficiis imponere pensionem, tamen hodiè practicatur, nullam imponi sine consensu Pontificis, *Tol. lib. 5. cap. 62. Valentia*, & alii communiter apud, *Castr. Palaum ubi suprà num. 4.* undè Simoniam committit, qui cum aliquo Curiali convenit, ut sibi auxilium ferat ad beneficium obtinendum sub conditione solvendi illi pensionem. *Navar. cons. 47. qui cons. 57.* dicit, commisisse Simoniam quendam, qui dixerat Aulico, ut sibi de vacantibus beneficiis statim notitiam præberet: promittendo, se consensurum pensioni imponendæ in favorem ejus. quia promissione pensioni paratur via ad beneficium. Legàs *Paris. lib. 14. de resignatione beneficiorum, quæst. 4. à num. 50.* sic, si in collatione beneficii petatur permutatio aut resignatio alicujus beneficii committitur Simonia *DD. ubi suprà*, ex quo quæstio deciditur, quam ponit *Navarr. in cons. 1.* ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, videlicet an ordinarius in collatione beneficii possit exigere à collatario juramentum de non resignando illud cum pensione, neque in favorem alicujus, sed liberè, Respondet negativè *Navarr.* quem sequitur *Paris. de confidentia, quæst. 51. Ugol. de cens. cap. 8. 13.* & addunt, *Navarr. & Flamin.* tale juramentum esse nullum, si apponatur, & posse illum, qui eum fecit, resignare cui voluerit, & cum pensione. Verùm, *Gars. ubi suprà par. 8. cap. 2. num. 53. & consequentib.* & alii apud *Palaum punct. 3. num. 6.* dicunt, quòd aut juramentum petitur antè collationem, & non est Simonia, quia nihil petitur, quod cedat in utilitatem collatoris, aut verò petitur juramentum, cùm confertur, tunc est Simonia, quia daretur cum onere, & pacto, quod de jure non inest; *cap. quàm pio 1. quæst. 2. cap. Artold. 8. quæst. 3. cap. fin. de pactis, cap. tua nos, de Simonia.*

Sed ipse *Palaus* tenet, in utroque casu committi Simoniam, quia sivè juramentum præstetur in actu collationis, sivè posteà, semper cedit in utilitatem collatoris, Addas, quòd, si alicui conferatur beneficium curatum, cum onere, ut liberè resignet, simplex esset Simonia, ista resignatio non cederet in utilitatem conferentis beneficium, aut alterius directè, quia semper petitur conditio aliqua in beneficii collatione, quæ de jure non inest, & quæ de se non est onerosa. Ex quo etiam sit, quòd si Episcopus intendens conferre Parochialem alicui habenti aliam Parochialem, petat ab eo, ut priùs dimittat aliam, quam habet: Si enim dimittens ea conditione resignet, ut sibi Episcopus secundam Parochialem concedat, est sine dubio simonia, cùm pro collatione beneficii aliquod faciat, ad quod de jure non tenetur. Idem dicas, si resignatio fiat salvo jure, hoc, est si non assequeretur secundam, reverteretur ad primam, secùs est, si sine ullo pacto resignetur, & liberè; *Garsia ubi suprà cap.* [illegible] *num. 46.* dummodò non fuerit ad ejus titulum ordinatus, quia tunc neque poterit eam renunciare liberè ex *Trid. sess. 12. cap. 2. & ex Bulla Pii V. 58.* Quòd si quis daret alicui aliquod spirituale, ut in matrimonium duceret consobrinam, esset simonia, *Tol. cap. 90. nu. 3.* quia spiritualia debent esse aliena ab omni pacto *cap. fin. de pactis.*

Rogabis secundò, quid veniat nomine muneris ab obsequio.

Respondeo, intelligi opus hominis, conducens ad utilitatem, seù commodum hominis, undè conferens beneficium cum pacto conferendi aliquod obsequium temporale, committit Simoniam; undè in *cap. cùm essent, de Simonia*, promissio fuit cuidam facta de beneficio illi præstando, si negotium promittentis promoveret in Curia Romana, & fuit judicata Simoniaca promissio, ut latè *Suar. lib. 4. cap. 39. à num. 5.*

Neque huic textui obstat, *text. in cap. signific. de præbendis*, ubi Episcopus cum Capitulo apposuerunt præbendæ vacanti onus. ut qui ad illam eligeretur, Missam de Sancta Maria quotidiè diceret. Respondeo enim, quòd ibi nullum pactum fuit factum cum electo, sed ipsemet Episcopus, & Capitulum, ad quem illud jus conferendi spectabat, pactum apposuerunt, & onere jam imposito manifestarunt eligendo. in quo nulla esse poterat Simonia: & notes, *text. in dict. cap. cùm essent*, quòd munus ab obsequio Simoniam inducit; sic ut Simoniam committeret quis, quandò habens jus Patronatûs litigiosum, paciscitur cum Advocato, se nominaturum ipsum, si causam diligenter defendat *Valer. Reginald. in praxi fori pœnitentialis lib. 23. num. 267. Barb. in dict. cap. cùm essent num. 3.* & notat; *glossa in dicto cap.* cùm

cùm essem, Simoniam esse servire alicui Prælato principaliter spe consequendi ab eo beneficium Ecclesiasticum: secùs, si minùs principaliter, ego puto, glossam ibi in d. verbo promiserat, voluisse dicere, si fiat cum pacto prædicto, secùs, si simpliciter, licèt adsit spes. Si verò quis tradat beneficium alicui, ut doceat Grammaticam, Theologiam, vel aliud, Simoniam committit, nisi tamen obsequium temporale sit annexum beneficio spirituali, quia tunc non exigitur onus indebitum, cap. 1. & 4. de Magistratib. Trid. sess. 5. cap. 5. de reform. & sess. 23. cap. 8.

Rogabis tertiò, quid intelligatur nomine muneris à lingua?

Respondeo, Intelligi preces, intercessiones, & favores, quia hæc pretio æstimantur, si in commutationem rerum spiritualium tradantur, v. g. præsentas in jure patronatûs famulum alicujus Principis ea conditione, ut te apud Principem laudet, ut sic possis ad pinguiorem Ecclesiam devenire, committis Simoniam, ità cum S. Thoma dicit Sotus lib. 9. de Justitia, quæst. 7. art. 2. §. quòd si. Sic Simonia est, si nolis conferre alicui beneficium, nisi ipse, vel alter faciat, ut persona aliqua nobilis quam desideras obligatam habere, à te petat, est enim talis gratia, & favor à te expostulatus pretio æstimabilis, & insuper eligendo imponitur onus, quod non inest, Suar. lib. 4. cap. 40. nu. 13. & habetur in cap. sunt nonnulli, 1. quæst. 1. quòd si tales preces & commutationes non offerantur in commutationem spiritualium, sed ad inflectendum animum ipsius conferentis, prout sæpè solent preces offerri, tunc non habent rationem pretii, cap. tua nos, de Simonia, ubi de eo, qui rogaverat humiliter, ut in canonicum admitteretur, dicitur fieri posse, sine scrupulo, S. Thomas 2. 2. quæst. 100. ar. 5. Toletus lib. 5. cap. 84. Suar. ubi suprà, Sic Simoniam committit ex dict. cap. tua nos. qui bona sua tradit Ecclesiæ, cum pacto ut recipiatur ibi in Canonicum, secùs, si bona liberaliter donaret, & posteà peteret, ut admitteretur in Canonicum, oportet verò, ut probetur præcedens pactio, seù conventio: nam sola actuum correspectivitas non inducit Simoniam, Farinaceus par. 4. consil. 75. nu. 11. ad constituendam enim veram Simoniam eamque probandam, oportet probare præcedentem tractatum, & conclusionem, Alciatus cons. 3. n. 20. lib. 1. Rota dec. 108. nu. 3. par. 1. nec sufficit probare tractatum, nisi probetur effectuatio; ut post alios Ferrentillus in addition. ad Buractum decis. 445. nu. 13. Intellige, si agatur ad effectum repellendi aliquem ab executione beneficii obtinendi, Seraphinus dec. 516. Marescottus lib. 2. var. cap. 35. nu. 19.

Ex quo infertur, Simoniam committere, qui pecuniam tradit familiari Episcopi ad petendum pro se beneficium, quia hic moraliter loquendo censetur pecuniam tradere pro ipsa intercessione; quòd si quis pecuniam tradat familiaribus Prælati solùm, ut sibi aditum, vel facilitatem præbeant ingrediendi, Simoniam non committit, quo casu possent peccare contrà Justitiam, quia non admittunt gratis, eo quòd ex officio tenentur admittere, nisi fortè faciliorem aditum præbeant, vel majora præstent obsequia, Sanchez in opusculis tomo 1. lib. 2. cap. 3. dub. 16.

Est tamen quæstio, an sit Simonia dare pecuniam cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, ut hic alter intercedat apud collatorem beneficii, ut conferat beneficium, quæstio est? Negativè respondetur cum DD. quos refert Sanchez tom. 1. opuscul. lib. 1. cap. 3. dub. 26. Ratio est, quia non est emere beneficium, nec proximas intercessiones ad beneficium, sed remotas. Nec obstat tex. in extravaganti 2. de Simonia, ubi excommunicatur mediator in Simonia; quia hic intercessor non est mediator, cùm non offerat alicui pretium, ut beneficium conferat, sed ipse vendit preces remotè dispo-nentes ad beneficii collationem, ut benè Sanchez ubi suprà.

Rogabis ultimo, quomodò possimus cognoscere, pecuniam, vel aliam rem temporalem tradi pro pretio rei spiritualis?

Respondeo, id cognosci debere ex intentione delinquentis, quia culpa Simoniæ magna ex parte pendet ab intentione operantis, cap. tua nos, de Simonia. In foro verò externo, seù quoad alia inspiciendum est, an sit aliquis titulus probabilis tradendi rem spiritualem pro temporali, nam si intercedat aliquis probabilis titulus, præsumendum est, pecuniam, vel aliam rem pretio extimabilem non dari tanquàm pretium rei spiritualis, nam in facto alterius non præsumitur delictum l. merito. ff. pro socio. & factum proximi semper est interpretandum in meliorem partem, cap. estote misericordes, de regularibus, cap. dudùm de præsumptionibus.

*In §. sed & tunc, cum quinque sequentibus.*

Agitur hîc de materia, in qua committitur Simonia. Ad cujus intelligentiam.

Dico primò, Simoniam committi accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, ut sunt quid constitum ex materia, & forma: sic habetur ex cap. cùm in Ecclesia 9. de Simonia. Ratio est, quia Sacramenta, ut sic, sunt res sacræ, tam in se, quàm quoad suos effectus: sed Simonia committitur dando rem temporalem pro sacra, ergò. De Sacramento matrimonii potest esse difficultas, cùm videamus varia pacta apponi, & pecunias promitti, glossa in d. cap. cùm in Ecclesia in verb. benedict. & ex alio capite matrimonium est Sacramentum, Trid. sess. 24. de reform. matr. Basilius lib. 1. cap. 50. ergo pro eo pecunia peti non potest. Augetur difficultas ex l. 2. ff. de donat. inter virum, ubi dicitur, matrimonia non debere esse venalia: Respondeo enim, in matrimonio non intervenire pecuniam ob contractum matrimonii, ut Sacramentum est, sed datur pecunia pro illo, quatenùs est humanus contractus, ut sic ad æqualitatem reducatur, sustinentur enim multa onera, ratione quorum benè datur pecunia. Abb. in d. cap. cùm in Ecclesiæ, nu. 3. Suarez lib. 3. cap. 10. nu. 11. Barb. in d. cap. cùm in Ecclesiæ, Castrus Palaus puncto 7.

Difficultas etiam est, an in casu urgentis, vel extremæ necessitatis possit pretium offerri pro Sacramenti administratione? Respondeo affirmativè, quia tunc non emitur Sacramentum, cùm non detur in ejus pretium, sed datur ad movendam voluntatem injustè negantis, ut benè Toletus, lib. 5. cap. 98. nu. 8. Suarez, & alii, quos refert; & sequitur Castrus Palaus puncto 7. Barb. in d. cap. cùm in Ecclesiæ num. 2.

Nota tamen, quòd licèt Sacramenta sint liberè conferenda, tamen laudabiles laicorum consuetudines in Sacramentis recipiendis sunt servandæ, cap. ad Apostolicam 42. de simonia, & sic ad consuetudinem servandam, si non jure actionis, saltem officio Judicis cogi potest populus, ut scilicet aliquot solvat pro sepulturis, exequiis mortuorum, benedictionibus nubentium, & similibus, Glossa fin. in d. cap. ad Apostolicam, ubi Abbas, & Hostiens. Cassadorus decis. unica, de consuetudine. Romanus singul. 433. & consil. 334. Gratianus cap. 210. Bonacina de simonia, par. 6. punct. 5. sicuti, si populus consuevisset facere eleemosynam Sacerdoti, cogitur perseverare, Surd. de alim. tit. 1. quæst. 60. nu. 6. & quæst. 9. tit. 7. num. 18. cùm sacerdotes divina ministrantes ali debeant ab illis, quibus Sacramenta conferunt Lara in l. si quis liberis, §. & si impubes, nu. 30. ff. de liber. agnoscendis; & talis consuetudo aliquid exigendi servari debet.

debet, etiamsi clerici essent divites, nam consueta solvi debe t, & peti possunt *Felynus in d. cap. ad Apostolicam, num. 2. Abbas in cap. suam. num. 12. de Simonia*, quæ consuetudo spatio decem annorum introducitur. *Felynus ubi suprà*; & ad illam observandam possunt cogi laici eorum Judice Ecclesiastico, *Hostiensis in d. cap. ad Apostolicam, in 1. Abbas num. 3. Felynus num. 1. Bellectus de favore Clericorum reali, §. ult. num. 73.* & sicuti laici tenentur servare consuetudinem, ergà clericos, ità è contrà clerici ergà laicos, ut de consuetudine dandi candelas benedictas singulis annis dicit *Federicus de senis consi. 155. Felynus in d. cap. ad Apostolicam, num. 5.* sicuti possunt laici acquirere Jus sepeliendi in eminentiori loco, capellam instruendi, arma, & insignia domûs retinendi, & habendi oblationem, à Sacerdote, & pacem habendi, scamna, & cæteras similes prærogativas in Ecclesia, *Parisius cons. 194. vol. 4. Gratianus cap. 210. num. 32.* quare pecuniæ pro exequiis non sumuntur, ut pretium, sed ad servandam antiquam consuetudinem, ut benè habetur *in d. cap. ad Apostolicam, & in d. cap. cùm in Ecclesia*, & ad Clericos sustentandos, & licèt talis consuetudo inducta sit per actus meræ facultatis, quo casu non posset induci, *cap. Abbate 25. de verb. signific. l. 1. §. denique Marcellus, l. si in meo 21. ff. de aqua pluviali arcenda, Bart. in l. cùm de in rem verso, ff. de usuris, Menochius de arbitr casu 160.* tamen dupliciter respondent DD. primo, quòd in favorem Ecclesiæ actus meræ facultatis à principio, important ex post facto necessitatem, argum, *tex. in cap. ex parte de censib.* ità *Anchar. cons. 4. Corn. cons. 126. lib. 4. Osacb. dec. 99. num. 41.* Secundo, quòd in hoc casu adest obligatio naturalis alendi clericos servientes sibi, undè tenentur ei decimas, & alia præstare: quare posita consuetudine, obligantur veluti ex consensu partium ad faciendum, quod aliundè tenerentur facere, & ad hoc sufficit consuetudo decem annorum, tùm quia consuetudines præter Jus etiam in foro canonico decem annis introducuntur. *Glos. 1. in cap. ult. in Consuetud. in 6. Abbas in cap. ult. de consuetud. num. 11. Duenna regul. 139.* tùm etiam, quia hæc consuetudo inducitur contrà laicos: quo casu secundùm Jus civile, sivè contrà sivè præter Jus decem anni sufficiunt, *Jason, qui de communi testatur in l. de quibus. ff. de legibus num. 41. Abb. in c. suam de Simonia. Felyn. in d. cap. ad Apostolicam.*

Et mirum est, quomodò Innocentius III. *in d. cap. ad Apostolicam*, disposuerit prætextu spiritualium introduci posse consuetudinem recipiendi temporalia, eamque consuetudinem laudabilem appellet; contrà disposita, in *cap. non satis 8. & in cap. cùm in Ecclesia de Simonia*, ubi reprobatur omnis consuetudo inducens, pro spiritualibus temporalia posse exigi: cui objectioni respondeas post alias responsiones, quas tradit *Antonius Fuertes Canonic. lect. lib. 1. cap. 7.* quòd Summus Pontifex in *d. cap. ad Apostolicam*, loquitur de consuetudine à laicis introducta dandi aliquid gratis, & liberè sine aliqua præcedenti Clericorum exactione, ac petitione, quasi pro eleemosyna, & in animarum redemptionem, secundùm argumentum *text. in cap. Medicina de pœnitentia dist. 1.* quod cùm nullam contineat Simoniam, siquidem contributione voluntaria procedit, pia, & laudabilis appellatur.

Dico secundo, non committitur Simonia accipiendo aliquid temporale pro materia remota Sacramenti, puta pro vino, pro pane, aqua, chrismate, &c. secùs, si daretur pro materia proxima Sacramentorum, ut pro oblatione in Baptismo, pro consignatione in Confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistia, pro verborum prolatione in Pœnitentia, *cap. baptizandis, cap. in Ecclesia de Simonia.*

Dices, obstat *text. in cap. ea, quæ 16. de Simonia*, ubi Simonia est accipere aliquid pro chrismate, sivè illud, quod accipitur sub nomine cathedratici, sivè paschalis præstatio, sivè consuetudo vocetur. Ergo mala conclusio. Accedit *text. in cap. in tantum 36. de Simonia*, ubi nullius consuetudinis prætextu potest pro chrismate aliquid accipi, aut pro oleo consecrato exhibendo. Idem probat *text. in cap. non satis de Simonia*, ergo malè diximus, posse pecuniam accipi pro chrismate in Confirmatione.

Respondeo, in dictis Juribus improbari consuetudinem prædictam, quia de pravo ejus initio Romanis Pontificibus semper constitit, ut scilicet pro consecratione potiùs, quàm pro materia adeò exigua pecunia illa accipi videatur, ergo, quandò dicitur, nec pro oleo posse accipi pecuniam, non intelligitur ex eo, quòd oleum vendi non possit, ut dixit, *Sotus de Justitia, lib. 9. quæst. 6. art. 1.* sed, quia cùm materia sit adeò exigua, ut vix pretio aliquo valeat extimari pecunia, ratione consecrationis videtur exigi. Possunt enim Prælati expensas, quas faciunt, emendo balsamum, oleum, &c. exigere ab Ecclesiis, quarum ratione id faciunt, ut bene *Barb. in d. cap. ea quæ 19. num. 2.* verùm in praxi nihil recipiunt Episcopi à Parochis, dùm eis tradunt oleum factum; ex *dict. cap. non satis, in fine*, licèt interdùm alii fuerint soliti non dare nisi receptis ovis, vel aliquibus aliis rebus, de quibus, *Fusch. lib. 1. de visitatione cap. 6. num. 13. Ugolin. de potest. Episcopi, cap. 4. §. 5. & Barb. de potestate Episc. alleg. 31. num. 21.*

Dico tertio, potest pecunia dari pro injusta vexatione in Sacramentis, absque ulla Simonia, ut si ego peterem Baptismum à Parocho pro me, vel filio meo, qui non vult illum administrare, nisi accepto pretio, si ei dedero, non committo Simoniam, quia hoc casu do pecuniam non pro Sacramento, sed pro removendo impedimento illius pessimæ voluntatis, à quo injustè vexor, & sic existente necessitate, quæ multa solet facere licita, redditur petitio Sacramenti licita, quæ aliàs non esset licita, communiter DD. Quod secùs est in Sacramento Pœnitentiæ: si enim Sacerdos deneget alicui absolutionem, & ille tradit pecuniam pro absolutione prædicta, Simoniam committit, *Didacus Spino in speculo testamentorum Gloss. 7. principali, num. 36.* quia Sacramentum Pœnitentiæ non est ita necessarium simpliciter sicut Sacramentum Baptismi, & sic non potest recipi à Simoniaco, sicut Baptismus, *Covarr in cap. alma matr, par. 1. §. 6. num. 7. de sententia excommunicationis: Ugolinus de censuris, cap. 44. num. 50. Barbos. in cap. ad aures 23. de Simonia in fine*, cujus contrarium dicas tu, non esse Simoniam tali casu, ut post, *Suar. Bonac.* & alios dicit idem *Barbos. in cap. dilectus 28. num. 7. de Simonia.* Sic in molestia mota injustè in beneficio, possum eam pecunia redimere, *Gloss. in cap. dilectus de Simonia, in verb. restituere, ubi Barb. n. 6.* ex quo *textu* colligitur etiam, habentem jus quæsitum in beneficio posse redimere vexationem sibi factam in jure illo acquisito tollendo, *d. c. dilectus de Simonia*, ubi præpositus quidam dedit alteri pecuniam sub promissione non inferendi sibi injusta gravamina, & Simoniacus non censetur, quia, qui sic dat pecuniam, non eam tradit pro aliqua re spirituali, sed pro cessatione ab injuria; nam per illam solutionem nihil acquiritur, sed suppono firmiter acquisitum post quod jus quæsitum, seu obtentum beneficium, aut aliud spirituale donum non est Simonia redimere vexationem, quæ pro jure tollendo injustè infertur, vel probabiliter timetur. *Toletus lib. 5. cap. 90. Suar. lib. 4. cap. 50. Tamburr. de jure Abbatum tom. 1. disput. 10. quæst. 4. Filliucc. tract. 45.*

cap.

*cap.* 11. ficuti in foro conſcientiæ, quandò Judex non vult tibi dare juſtam ſententiam, niſi illi des aliquid; potes tu ad tollendam vexationem aliquid ei dare, quandò aliter facere non potes, licèt ipſe ſalarium habeat à publico, quia vexationem tollis, *Gloſ. in cap. non ſanè* 14. *q.* 5. *Sylveſt. in verb. reſtitutio, il.* 2. *§.* 1. *Menoch. caſu* 343.

Sed obſtat *text. in cap. Matthaus* 23. *de Simonia*, ubi Simoniacus cenſetur electus à majori parte eligentium, eo quòd dederat pecuniam cuidam, qui nomine aliorum ei contradicebat.

Reſpondet ad *text. gloſſa in verbo paucis*, quòd contradicens jus probabile habebat impugnandi electionem, vel quia fuerat contemptus contrà *text. in cap. quòd ſicut* 28. *& cap. coram* 31. *de electione*, vel quia ipſe electus patiebatur aliquem defectum ex iis, quæ habentur *in cap. cùm in cunctis de electione*, & ſic non redimebatur vexatio, ſed potiùs jus ſpirituale, à quo tamen intellectu, recedunt *Abb. nu.* 4. *Anan. num.* 3. quia, ut aiunt, textum reſtringit, oſtendit enim apertis verbis Pontifex in præſenti textu, contradictionem fuiſſe injuſtam.

Reſpondet ſecundo, *Innoc. in dict. cap. ea, qua*: non fuiſſe licitum pecuniam dare, quia electus nondùm fuerat confirmatus, nec poſſeſſionem beneficii conſecutus, ergo non dicitur vexationem redimere, quia requiritur jus plenè quæſitum, ut vexatio redimatur, ſed quandò nondùm eſt quæſitum non eſt licitum pecuniam dare, & hanc reſponſionem laudant, *Abbas*. & communis, in *cap. dilectus il. primo hoc titulo, Sylveſt. in verb. Simonia. quaſt.* 13. *Angelus in eodem verb. §.* 13. *de communi. Suarez, d. c.* 50. *num.* 8. *Bonac. p.* 5. *num.* 4. *Caſtr. Palaus pun.* 20. *num.* 1.

Sed hæc reſponſio nullum habet fundamentum, nam non ſemper licet pecuniam dare pro jure quæſito, ſi aliter poteſt impedimentum removeri, nec etiam valet dicere ibi, quòd beneficium nondùm erat plenè quæſitum: quoniam Canonicus electus eo modo ſuam poteſt electionem defendere, ſicut confirmatus, aut inſtitutus ipſum beneficium, ergo fruſtrà diſtinguunt inter beneficium plenè quæſitum, & non plenè; cùm utroque caſu nihil aliud intendat redimens vexationem, quàm injuſtum impedimentum removere, atque ideò Simoniam non committit.

Reſpondeo ergo, quòd non ideò pecunia fuit illicitè data, quia electus nondùm fuerat confirmatus, nec quia contradicentes juſtam habebant cauſam, ſed quia conſtabat, non eſſe tantam adverſarii potentiam, ut non potuiſſet electus commodè jus ſuum conſequi, & objecta impedimenta removere, & hoc pacto etiam procedit *text. in cap. ad aures, de Simonia*; poterat enim excommunicatus, de quo ibi, ſuperiorem adire, ut obſervant *gl. & DD. in d. cap. addit. cap. ad aures*, quia, ut quis dicatur vexationem redimere, tria requiruntur; primum, ut ſcilicet jus habeat quis quæſitum: ſecundùm, quòd in jure moleſtetur injuſtè, tertium, ut fiat vexatio ab eo, qui ratione officii, divitiarum, aut aliundè adeò ſit potens ut, niſi eo modo à lite, vel moleſtia removeatur, non poſſit removens commodè, aut ſine magno diſpendio jus ſuum pacificè poſſidere, conſequi, aut defendere, vel tantum ſit in mora periculum, ut magnum aliquod detrimentum immineat, ſi judicialis auctoritas expectetur, *Gloſſ. in dict. cap. ad aures in verbo abſolutionis*, & de communi *Rodoanus de Simonia, par.* 3. *cap.* 3. *cap.* 2. *num.* 17. & poteſt etiam dici, quòd electus inceptam habuit conſcientiam; ideò jubetur celeriter adminiſtrationem dimittere, ne fortaſſe in peccato remaneret, ad quod etiam erronea conſcientia obligat, *cap. ult. de praſcript.* & ideò ſummus Pontifex, quod eſt tutius imperavit

argumento, *text. in cap. penult. de homicidio*, cui Interpretationi conſonant verba *text.* ibi, *Multùm tibi conſulis*, ſicque non conſtabat de Simonia, ſed dubitabatur.

Ex quibus primo infertur, quòd Simoniæ peccatum committis, ſi prætendas aliquod beneficium ſimul cum aliis, & pecuniam tribuas alicui ex competitoribus, ut à prætenſione juſta deſiſtat, quia jam pecunia paras tibi viam ad beneficium, & redimis vexationem juſtam, quam tibi competitor facit: quod nullo modo licet, juxta *text. in dict. cap. Matthaus*, & tradit *S. Thom.* 2. 2. *quaſt.* 100. *art.* 2. *Leſſ. lib.* 2. *de Juſtitia cap.* 35. *dub.* 18. *Pontius de matrimon. lib.* 5. *cap.* 13. *§.* 6. *num.* 40. *Barb. de poteſt. Epiſcopi alleg.* 6. *num.* 54. qui idem dicit de eo, qui dat pecuniam alteri, ne exceptionem opponat, quam jure opponere poteſt, quia jam pecunia ſecuriorem reddit ſibi viam ad beneficium, *Barb. ubi ſuprà.*

Infertur ſecundo, quòd acquiſito beneficio per te, certa & indubitata inſtitutione, ſi à poſſeſſione capienda impediaris, erit tibi licitum pecunia vexationem redimere. *S. Thomas ubi ſuprà art.* 2. *ad* 5. *Suarez, ubi ſuprà num.* 31. *Leſſ. ubi ſuprà nu.* 100. *DD.* communiter in *dict. cap. Matthaus*, *& in cap. dilectus in primo*, *& in cap. ad aures. Diana par.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 3. *per tot.* licèt alii contrarium teneant, quos ſequitur *Garſia par.* 1. *de beneficiis cap.* 2. *num.* 53. quia poſſeſſio non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli, cui eſt annexa, ergo acquiſito titulo, eſt quid corporale, & omninò debita titulo, ergo non eſt Simonia illius impedimentum redimere, quia non redimitur jus, ſed factum: ſicuti, ſi poſt acquiſitam Parochiam, decimæ denegarentur, poſſet dari pecunia, abſque Simonia pro illis recuperandis, quia non emuntur, at aliquod ſpirituale, cùm non ematur titulus, ratione cujus ſunt ſpirituales, ſed emuntur, ſecundùm ſe, hoc eſt quatenùs ſunt quid temporale, & vendibile, ſecùs eſſet, dicit *Suarez*, ſi jus ipſum, ratione cujus petit poſſeſſionem, vocaretur in dubium, tunc enim nullo modo liceret pecunia poſſeſſionem redimere, quia non ſolùm redimeretur poſſeſſio, ſed jus beneficii infirmum confirmaretur.

Infertur tertio, quòd, ſi impediaris injuſtè à beneficii conſecutione, non potes redimere vexationem mediante pecunia ab illis, qui beneficium conferre debent: *Sotus lib.* 9. *de Juſtitia, quaſt.* 6. *ar.* 1. *& quaſt.* 7. *art.* 1. *Suarez dict. cap.* 50. *num.* 23. *Leſſ. dict. dub.* 18. *num.* 108. probat *text. in cap. ſicut tuis, de Simonia*, ubi cenſetur Simoniacus, qui dedit Epiſcopo pecuniam, ut electionem factam approbaret, & idem colligitur ex *cap. Matthaus, cap. de hoc de Simonia.* quia, ſi das pecuniam eligenti, vel te præſentanti, aut inſtituenti in beneficium, ut moveas ad tibi non negandam inſtitutionem, formaliter & directè das pecuniam, ut eam tibi concedat, & conſequenter pecunia viam paras directè ad beneficium, quod eſt illicitum. Ego tamen puto, quòd aut Prælatus nullam committit injuſtitiam in conferendo tibi beneficium aut verò committere vult: ſi nullam injuſtitiam committit, tunc non poteſt pecunia dari, ſed ſi ipſe vult te dignum non eligere, ſed alium indignum, tunc potes dare pecuniam, abſque peccato, quia præbendo illi pecuniam, id facis, ut removeas illum à malo propoſito, & non peccas, ut benè *Caſtr. Palaus diſp.* 3. *tom.* 13. *pun.* 20.

Infertur quarto, poſſe vexationem mediante pecunia redimi omnium illorum, qui ad electionem, præſentationem, & beneficii collationem concurrunt; tùm quia id nullibi reperitur prohibitum, tùm quia tali remotione ſolùm removentur impedimenta injuſta; tùm quia unuſquiſque habet jus quæſitum, ne ſibi fiat injuria, ut benè poſt alios *Caſtr. Palaus ubi ſup. pun.* 10. *n.* 4. Infer-

Infertur quintò ad quæstionem, an possit quis redimere vexationem dando pecuniam alteri, ne eum eligat.

Prima opinio est negativa, ità *Turretrem. in cap. quæsitum, il. primo, quæst.* 3. ubi *Archidiaconus*: movetur, quia non habet ille talis jus quæsitum in beneficio; sed verior est opinio simoniam tali casu non committi, ità *Valentia, Suar. Less. & alii suprà citati*, quos sequitur *Palaus num.* 6. si verò elector inclinet ad eligendum dignum, vel minùs dignum, non possèt dignior pretio hanc vexationem redimere, *Sanch. in opusculis lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 39. *& dub.* 26. *Castr. Palaus disp.* 20. *nu.* 61. quia non habet jus ad rem, ergò non est vexatio, est tamen difficultas, an hæc simonia sit contrà jus humanum, an verò contrà jus divinum? prima opinio, dicit, quòd sit contrà jus divinum, ità *Raphael de la Torre in* 2. 2. *S. Thom. quæst.* 100. *art.* 4. *disp.* 9. Secunda opinio est, esse de jure humano: docet etiam hanc opinionem, *Laym. in Theologia morali lib.* 5. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 2. *num.* 22. *Sanch. ubi suprà, & Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 1. & quia est simonia contrà jus humanum: ideò non est excommunicatus, neque subjacet pœnis restitutionis fructuum, nec ipso jure privatur beneficio, ità *Sanch. ubi sup. & Diana*, quia est probabilis opinio, quòd simoniaci contrà jus humanum non subjacent pœnis simoniæ, de quibus dixi scilicet privationis fructuum, &c. ut post alios, *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 155.

Infertur sextò, quòd si quis non vi, vel fraude illata, sed solùm per subornationem, preces, & munera conferat Electoribus, impediendo, ne ipsi eligant aliquem, posset ille, qui impeditur eligi, id sciens pretio redimere vexationem prædictam, etiamsi subornatus sit unus ex electoribus, ut contrà, *Sotum de justitia & jure, lib.* 9. *quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 5. tenet *Villalobus in summa tom.* 1. *tract.* 37. *diffic.* 10. *num.* 3. *Sanch. tom.* 1. *opuscul. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 5. *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 2. & memoranda est doctrina, *Greg. de Valen.* 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 16. *part.* 3. dicentis, differentiam illam, quam faciunt DD. de vexatione antè jus quæsitum, vel post jus quæsitum, esse rejiciendam, dicens utroque modo licere rejicere vexationem in beneficiis, & aliis spiritualibus, & sic docet, quòd in foro conscientiæ nihil obstat, quominùs possit vexatio redimi licitè etiam antè jus quæsitum, quæ tamen opinio refellitur à *Raph. della Torre, ubi sup. quæst.* 100. *art.* 4. *disp.* 9.

Infertur septimò, posse pecuniam tradi electoribus, ut eligant dignissimum, casu, quo in aliquo concursu, oppositione, vel electione timeas vehementer indignum eligi, *Cajetanus tom.* 2. *opusc. tract.* 69. *quæst.* 3. *Sotus lib.* 9. *de Justitia, quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 5. qui loquuntur de electione Pontificis, sed generaliter de omni electione, id dicit *Navarr. Valent. & Less. Suar. Toletus*, & alii, quos sequitur *Castr. Palaus num.* 8. Ratio est, quia Ecclesia secundùm probabilem sententiam habet jus justitiæ commutativæ, ut electores magis dignum eligant, & tunc non das pecuniam tanquàm pretium electionis, sed sub onere electionis in satietatem avaritiæ electorum, & in eorum substentationem: In aliis materiis extrà beneficia clariùs procedit redemptio vexationis, si verè, justè, & iniquè vexaris: undè si Judex tibi negat absolutionem à censuris, quam debebat concedere, poteris pecunia ad illius concessionem obligare, quia non das pecuniam in pretium absolutionis, sed sub onere absolutionis, in satietatem avaritiæ, *Gloss. in cap. ad aures, & in cap. dilectus il. primo de simonia: Suar. cap.* 50. *num.* 43. *Barb. in d. cap. ad aures* 24. *num.* 3. quia hoc honestari potest de facili, & nullibi reperitur expressè prohibitum, ergo, &c. Quòd si Judex petat pecuniam ratione spreti mandati, & nolit te absolvere, tunc tradendo, simoniam non committis, quia non datur pecunia pro excommunicatione, sed datur pro spreto mandato, *Hostien. S. Antonin.* & alii communiter *DD. apud Barb. ibi in addit. cap. ad aur. n.* 2. Excipe tamen electores ad Cathedras in Universitate, in quibus non potes electoribus pecuniam dare, ut tibi Cathedram concedant, quamvis intelligas esse te digniorem, quia hic modus repellendi vexationem in his oppositionibus ob gravissima inconvenientia, quæ oriri solent, videtur prohibitus, *Castr. Palaus, ubi suprà in fine*, licèt talis modus ab aliis admittatur, teste *Basil. Pontio lib.* 5. *de matrimon. cap.* 14. §. 6. *num.* 44. *in fine*.

Infertur octavo eum, qui pecuniam recepit, ut à vexatione cessaret in beneficio, si posteà movet litem in eadem re, teneri restituere pretium, quia contrà promissionem venit: ità dicit, *text. in cap. dilectus* 28. *de simonia*: cui textui opponitur, quòd videtur probare, justam esse transactionem à litigantibus celebratam de rebus spiritualibus, ut alter recepta pecunia liti cederet: quod est contrà *text. in cap. cùm pridem de pactis, & in cap. nisi essent, de prabendis*, ubi latè probat, *August. Barb.* ità demùm licitum esse, pecuniam recipere, si pro bono pacis à Judice, vel ab arbitro mandatum sit nulla partium conventione præcedente; & difficultas augetur, ex *cap. Matthæus* 23. *hoc titulo de simonia*: ubi in casu simili, ea conventio simonia reputatur. Cui objectioni respondet, *Gloss.* 1. & 2. pecuniam fuisse justè datam, quia ille, qui dedit, vexationem injustè redimebat, quod etiam in spiritualibus licere non dubitat, quando nullum jus vexanti competit: fuit verò recepta simoniacè, ideò restituere jubetur: quam *Gloss.* sententiam probat *Innocen. in cap prædicto. ubi Abbas Anania num.* 9. *Felyn. num.* 7. sed contrà, quia si in *dict. text.* ad redimendam vexationem pecunia fuisset data, teneretur indistinctè recipiens restituere, etiamsi promissioni staret: quia ille, qui justè datum recipit, in utroque foro restituere compellitur, *l.* 2. & 3. §. *quotiès ff. de condict. ob turpem causam, cap. non sanè.* 14. *quæst.* 5. & alii relati à *Covarr. in regul. peccatum p.* 2. §. 3. Sed summus Pontifex, ità demùm restituere præcipit, si contrà promissionem probaretur factum, ut patet ex dictione, *si*, de qua in eo *text.* quæ dictio efficit conditionale præceptum, *l. Titio, ff. quandò dies legati cedat*. ergò non valet *text.* expositio, tradita per *gloss.*

Respondeo ergò ad *tex.* quòd *Præpositus* dedit ibi pecuniam Archidiacono pro redimenda vexatione, Archidiaconus verò promisit generaliter nullum gravamen movere in beneficio, deindè fuit coactus vigore pacti restituere, quia, qui aliquod recipit, ut faciat aliquid, tenetur restituere, etiamsi ad turpem causam recipiat, quia sub illa conditione recipit, ergò non faciendo, tenetur restituere; non tamen potuit Præpositus agere de simonia Archidiaconi, quia voluntas illius non erat fortè adeò explorata, ut benè *Barb. in dict. cap. num.* 4. *in fine*, post alios, quos allegat.

Dico quartò, simonia committitur tradendo, vel accipiendo aliquod temporale pro Sacramentalibus transeuntibus, puta, quæ consistant in actione, neque effectum habent permanentem; ut sunt benedictio nuptiarum, exorcismus, cathechismus in Baptismo, &c. ista enim Sacramentalia, sunt actiones sacræ in se; patet ex *cap. ad nostram* 21. *de simonia*; ubi non potest aliquid accipi pro ministerio Ecclesiastico exercendo, vel pro Vicariis assignandis, vel pro chrismate, & pro omni actu dependente à potestate ordinis,

Suarez

*Suarez lib. 4. de simonia, cap. 13. num. 2. & cap. 9. num. 6.* qui resolvit, quòd absolutio à censuris est materia Simoniæ, & quia *textus* dicit *Sivè pro Vicariis assignandis*, ideò benè colligunt DD. non posse Vicarium Episcopi pretio constitui; sequitur *Suar. ubi suprà cap. 2. Barb. in dict. cap. ad nostram, in fine*; est etiam legendus, *text. in cap. consulere 38. de simonia*, ubi Vicariatum, seù aliam administrationem rerum Ecclesiasticarum emere volens, tam emens, quàm vendens sunt simoniaci; ex quo *text.* colligunt DD. communiter ibi etiam actus voluntariæ Jurisdictionis esse materiam simoniæ, quatenùs ad effectum spiritualem ordinantur, ut benè *Bonac. de simonia, quæst. 4. §. 17. num. 3. Suar. lib. 4. de Relig. cap. 20. num. 8. & cap. 29. num. 3. Sbrozz. de officio Vicarii, lib. 3. quæst. 54.* licèt verò committatur simonia, tamen, qui Vicariatum emit, non tenetur resignare, nec Episcopus tenetur restituere pecuniam, quam recepit: ità contrà *Navarr.* dicit *Sanch. in opuscul. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub 113.* Ratio est, quia Vicariatus Episcopi non est beneficium, neque tenetur pretium restituere, quia solùm quis tenetur ad sententiam Judicis restituere pretium, quandò sumus in simonia commissa in ordine, in beneficio, & in ingressu Religionis, & in his tribus casibus prohibet jus ecclesiasticum. Limitatur conclusio nostra, quandò venduntur Sacramentalia permanentia, ut sunt Calices consecrati, &c. venduntur enim ratione materiæ, dummodò cariùs non vendantur ratione consecrationis, *S. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 41. & in 4. distin. 25. quæst. 3. artic. 2. Sylvest. in verb. simonia, quæst. 12. Cajetanus in eod. verbo regula 1. & 3. Suarez lib. 4. cap. 14. Archidiac. in cap. baptizandi, 1. quæst. Tabiena in verb. baptismus il. sexto, num. 4.* ratio est, quia res illa scilicet Baptismus, aqua benedicta, ecclesia, Panis, Calix, Agnus, & reliqua Sacramentalia permanentia consecrata non amittunt suum valorem propter consecrationem, ut per se constat, ergo vendi possunt sicut anteà, & sic practicatur: verùm vasa sacra, quandò hominibus profanis essent vendenda, priùs confringi debent, *S. Thom. ubi suprà*, sed, si ad usus sacros, & personis Ecclesiasticis essent vendenda, integra vendi poterunt, quatenùs propter materiam, & operam extimabilia sunt, *Sot. lib. 9. de justitia, quæstio. 7. artic. 1. Sylv. in verb. Simonia, quæst. 12. & in verb. sepultura, quæst. 2.* Neque dicas, obstare, *text. in cap. si quis objecerit 1. quæst. 3.* ubi tàm spirituale, quàm corporale prohibetur vendi, quia unum cum alio conjunctum est. Respondeo, enim, *text.* ibi loqui de eo, qui vendit jus spirituale in beneficiis sub pretextu vendendi fructus ipsos, ita *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. ar. 2. q. 3.*

Dico quinto, suscipiens ordines prævia pecunia committit Simoniam; ratio est, quia, cùm ordo sit Sacramentum, consequenter est aliquod spirituale, & sacrum, & sic est materia Simoniæ, & Episcopus aliquod recipiens pro ordine, Simoniam committit. *capit. nullus Abbas capit. sicut Episcopus 1. quæst. 2. cap. in ordinando de Simonia. Trid. sess. 21. cap. 1. de reformat.* quamvis spontè offeratur, ut in *Trid.* & ordinatus per Simoniam non poterit solemnia exercere, *cap. quotiès 50. hoc tit. ubi Simonia hæresis nuncupatur*, largo tamen modo, ut suprà dixit *Barbos. in d. cap. 50.* & statim est deponendus, *cap. 6. de Simonia*, & taliter ordinatus quamtùmvis occultus ab omnibus ordinibus suspenditur, *cap. 7. de Simonia*, & ad eum accusandum, omnes etiam inhabiles admittuntur, ut fœminæ, servi, & similes, *dict. c. 7.* & laicus contrà clericum admittitur, *Maschar. concl. 962. num. 11.* & est suspensus quoad omnia Simoniacus in ordine ipso jure, *Covarr. Sayrus*, & alii apud *Barb. in dict. cap. 7. num. 2.* Simoniam etiam committit ordinandus, si tradit suo præsentatori v. g. Archidiacono pecuniam, ut ad ordines præsentetur, *cap. ex tua de Simonia*; nec quis debet ordinem ab eo recipere, quem credit esse Simoniacum, poterit tamen ministrare in illo, quem priùs ab ipso receperat, *cap. per tuas 35. de Simonia.*

Ex quibus collige primo, non posse ministrum ordinis conferendo ipsos aliquid accipere, *cap. 1. de Simonia, Trid. sess. 21. cap. 1. de reform.* etiamsi recipiatur à ministris, notariis, & similibus: etiamsi pro prima tonsura, vel litteris dimissoriis recipiatur, *Campan. in diversorio rubric. 11. cap. 17. Bonac. de Simonia quæst. 4. §. 3. num. 3.* ubi refert per Sacram Congregationem fuisse abrogatam consuetudinem percipiendi ab ordinatis forcipes, pectines, mappas &c: sed non candelas. Magister verò actorum pro Bullis, & dimissoriis, si competens habeat salarium, nihil potest recipere, & recipiendo peccat mortaliter, & peccatum committit Simoniæ, quia hoc est ei prohibitum in *Trid.* intuitu religionis, & ad præcavendum Simboniæ periculum, *Suar. cap. 53. num. 8. dict. lib. 4. Bonac. num. 4.* & Simoniam committit examinator, si pro tradenda approbatione, pecuniam recipiat; *Suar. lib. 4. cap. 22. num. 17.* & aliter facientes, puniendos dicit sacra Congregatio apud *Garsiam par. 8. de beneficiis cap. 1. num. 77. Bonac. quæst. 6. pun. 2. diffic. 1. num. 5.* quandò verò magistro actorum, nihil est à publico constitutum, tunc potest aliquid loco stipendii accipere, quia nemo tenetur gratis operam suam præstare.

Collige secundo, Simoniam committi accipiendo, vel tradendo temporale pro functionibus ordinum, ut ex *dict. cap. ad nostram de Simonia colligitur*, nam tales functiones sunt res Sacræ: sic Simonia erit accipere pecuniam pro actione consecrandi, absolvendi, conferendi Extremam Unctionem, offerendi Missæ Sacrificium, orandi pro populo, consecrandi calices tantùm, altaria, chrisma, agnos Dei, &c. benedicendi corporalia, aquam, vestimenta, cereum paschalem, cineres pro prima die Quadragesimæ, candelas pro die Purificationis, &c. Ratio est quia istæ omnes actiones sunt actus spirituales, & supernaturales.

Dico sexto, Simonia non committitur vendendo, vel emendo sepulturam, nam istæ res venduntur ratione materiæ scilicet ratione terræ; de communi *Azorius par. 3. lib. 12. cap. 19. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ult. num. 37.*

Neque obstat *text. in cap. abolendæ, de sepulturis*, ubi sepultura non potest vendi neque ratione materiæ, Item dicitur *in cap. quæst. est, &c. in c. postquàm cap. in ecclesiastico cap. præcipiendum 13. quæst. 2. cap. abolendæ, cap. audivimus, de Simonia.*

Respondeo, posse clericos, aliosque religiosos vendere dominium capellæ, vel sepulturæ etiam benedictæ, & ejus proprietatem, habito respectu ad valorem fundi, & expensas, quæ factæ fuerint in eis ædificandis, & potest exigi ratione consuetudinis jam introductæ, *Barb. in d. cap. Abolendæ. Castr. Palaus pun. 2. in fine.*

Neque est Simonia, vendere locum honoratiorem pro sepultura, v. g. propè altare Majus, quia id petunt ex consuetudine, & in sustentationem ministrorum, non in pretium majoris dignitatis, sicuti, qui pro Missa majori majus peteret stipendium; & sic contrà *Suar. lib. 4. de religionè cap. 14. num. 22.* & alios, quos sequitur, *Filiucc. tom. 3. tract. 45. cap. 3. num. 26.* dicunt communiter, DD. de quibus *Garsia par. 5. cap. 9. num. 118. Barb. in d. cap. abolendæ Genuensis in praxi cap. 32. n. 19. Diana tract. 1. Miscell. resol. 17.* Neque Ecclesia emi, vel redimi potest, *cap. querelam 15. de Simonia.* Dico

Dico septimo, non potest aliquid accipi, vel tradi pro ingressu religionis, vel pro ipsa professione, nam status religionis est status spiritualis, & dans, vel accipiens aliquid pro tali ingressu, excommunicatione ligatur, *ut in extravaganti prima communi de Simonia, Zerula in 1. par. in verb. Moniales, Surd. tit. 9. quæst. 29.* Non enim est licitum spe lucri ad spiritualia invitare; sed si recipiatur pro sustentatione, & alimentis Monialium, utique poterit, *Surd. loco cit. Sanch. lib. 1. de matrim. disput. 39. & est text. in cap. tanta 7. de Simonia*, ubi dicitur, peccare tàm dantem, quàm recipientem, ubi nota, quòd licèt usura & Simonia conveniant, nihilominùs in eo maximè differunt, quia in usura solùm peccat recipiens, non solvens, secundùm ea, quæ dicit, *S. Thomas 2. 2. quæst. 78 art. 4. Sotus lib. 6. de Justitia, quæst. 1. art. 5. Covarru. in cap. quamvis pactum par. 1. §. 1. num. 10.* in Simonia verò tàm dans, quàm recipiens, ut benè *text. in dict. cap. tanta*, Ratio est, quia usura est prohibita in bonum proximi, ad præcavendam scilicet injustitiam, ne pretium pro eo, quod non est vendibile, recipiatur, & ità injustitia solùm viget ex parte recipientis, non verò ex parte dantis, sed in Simonia ex utraque parte peccatur contrà Dei justitiam, quippè, quæ omnibus prohibuit, ne aliter quàm gratis spiritualia reciperent, & pro illis non darent temporalia: quam rationem explicat, *Sot. lib. de justitia, q. 7. art. 1. concl. 3.*

Ex quo collige, quòd si Abbas, & Monachi pro ingressu monachi in religione aliquam reciperent pecuniam ex conventione, quamvis dicant id recipere ex consuetudine, sunt suspendendi, & pecunia est restituenda, & talis ingressus ad aliud monasterium transire debet *cap. veniens 19. de Simonia.*

Neque dicas, quòd datum ob turpem causam, non repetitur, quandò turpitudo versatur etiam ex parte dantis, *ut in tit. ff. & C. de condict. ob turpem causam l. 3. l. si ob turpem vers. porrò, ff. illo titulo. Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 1. Merlin. tract. 2. disp. 82. Less. lib. 2. de justitia cap. 14. num. 58. Rebell. Covarr. & alii*, quos sequitur *Barb. in d. c. veniens 19. de Simonia.*

Resp. quòd *tex.* obligat ad restituendum, quia tradens bona fide dederat monachis exigentibus prætextu consuetudinis ad prandium Monachorum, cùm non esset omninò turpitudo dantis manifesta in casu prædicto, *Suar. de Religione tom. 1. lib. cap. 60. num. 10.* & idem *Suarez pro veriori dicti tex. intellectu*, asserit, presbyterum, de quo in *d. text.* fuisse factum religiosum, & propter ingressum Simoniacum, sivè bonà, sivè mala fide ab ipso commissum, compelli transire ad aliud monasterium, & ideò præcipi, pecuniam illi reddi, non in gratiam ejus, sed Monasterii, ad quod transfertur, ut benè sequitur *Barb. in dict. cap. veniens 19. num. 4. de Simonia.* Quæ verò in die nuptiarum expenduntur pro filii convivio, vel in die professionis; vel occasione sacri à filio celebrati, non sunt in legitimam computanda, *Molin. tract. 2. disp. 238. Bonacin. de contract. disput. 3. quæst. 6. pun. 6. §. unic. num. 11.* qui negant, esse tales expensas conferendas, sequitur *Velasc. de partitionib. cap. 13. num. 37.* Idem dicas de similibus expensis, vel propinis; quæ in die professionis monialis traduntur monialibus, non enim debent conferri, sequitur *Barb. in dict. cap. veniens 19. de simonia.*

Collige secundo, Simoniam esse, aliquid accipere pro benedictione Abbatis, consecrationis Episcopi, vel pro ordine Clericorum, *cap. sicut. 39. de Simonia.* ubi tales cum Gieze, & Simone condemnantur, quia Simonia ex parte vendentis cœpit à Gieze famulo Elisei, qui pro sanitate ad preces ejusdem Elisei collata Naaman Syro, accepit munera *4. Regum cap. 5.* ex parte verò ementis cœpit à Simone, *ut in Actibus Apostolorum cap. 1. est legendus S. Thom. 2. 2. quæst. 100. Calepin. in verb. Simonia, Suar. lib. 4. cap. 5. num. 5. Barb. in d. cap. sicut.*

Collige tertio, valere professionem Monachi recepti simoniacè, ut de communi *Barbos. in cap. de regulerib. 25. de Simonia*, patet ex *cap. quoniam. 40. de Simonia*; ubi dicitur, esse includendos in aliis monasteriis ad pœnitentiam, ergo valuit professio.

Collige quarto, Simoniacos esse monachos, aliosque Religiosos, recipientes aliquem ad Monasterium pretio accepto, prætextu paupertatis, ut in *dict. cap. quoniam:* tunc verò dicitur prætextu paupertatis aliquid accipi, quandò Monasterium reverà pauperum est, & nihilominùs illo titulo, & colore recipitur, vel quandò plus exigitur, quàm sufficiat pro una persona sustentanda secundùm statum ipsius: ità intelligunt *tex. in d. cap. quoniam, Sylvester in verb. Simonia, q. 15. Suar. d. lib. 4. c. 17. num. 14. Barb. in cap. quoniam 40.* legas *text. etiam in cap. audivimus 41. de Simonia*, ubi Episcopi non possunt pro ingressu alicujus in religionem accipere aliquid, &c.

Dico octavo, non committitur Simonia, accipiendo pecuniam pro omissione alicujus actûs spiritualis, ut si quis tradat pecuniam alteri, ut Missam omittat, aut ne ordinet, vel ne absolvat, ne excommunicet, &c. nam Simonia committitur accipiendo pecuniam, vel aliud temporale pro spirituali, sed in casu nostro non accipitur temporale pro re spirituali, sed pro carentia rei spiritualis; ità communiter DD. apud *Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ultim. nu. 43.* & apud *Filliucc. cap. 1. quæsito 10.* Ad *text.* verò *in cap. Nemo, de Simonia*, patet responsio, tùm ex dictis per *Suar. cap. 22.* tùm ex *Castr. Palao par. 12 in fine*, & ex *Barb. ibi, & ex traditis sup. in principio.*

Dico nono, Simonia non committitur, vendendo scientiam, & doctrinam sivè speculativam, sivè practicam, nam venditur aliquod, quod est vendibile: licèt enim dona intellectûs vendi non possint, utpotè animæ cohærentia, potest tamen vendi exercitium ipsorum donorum, nam tales actiones sunt pretio extimabiles, *S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 3.* quod amplia, etiamsi vendens exercitium talium donorum, illa miraculosè, vel sine labore consecutus esset: nam consecutio talium donorum facta sine labore non mutat illorum naturam.

Dices, quæ gratis sunt accepta, gratis dari debent, *Matth. cap. 10.* sed donum acceptum sine labore, gratis acceptum est, ergò gratis dari debet.

Respondeo, quòd ea dona gratis dari debent, quæ humana industria obtineri non possunt; ut sunt dona supernaturalia, veluti miraculorum, sanitatum, &c. at verò functio illorum donorum, quæ sunt naturalia, quoad substantiam; sed supernaturalia, quoadmodum: vendi potest, quia non datur pretium pro re spirituali, sed pro temporali.

De Theologia verò est quæstio, an possit ejus exercitium vendi, quia de aliis scientiis nulla est difficultas, posse vendi, & pro responsione suppono, quinque esse functiones Theologiæ: prima functio est deducere conclusiones ex principiis Fidei sivè necessariò, sivè probabiliter, secunda functio est interpretari Scripturas, tertia functio est dare responsa ad conscientias pacandas, quarta est docere Doctrinam Christianam, quinta concionari, seù persuadere Infidelibus fidem, & fideles ad ejus observantiam, & majorem firmitatem.

De primo munere deducendi conclusiones Fidei ex ejus principiis, est quæstio, an sit Simonia? prima opinio affirmat; ità *Paludanus in 4. dist. 25. quæst. 5. num. 20. S. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 5. §. 7. notabili*

*bili 6. Sylvest. in verb. Simonia quæst.* 10. quia talis deductio fit etiam à principio supernaturali, ergo. Secunda opinio est, non esse Simoniam recipere pecuniam pro tali officio docendi, & interpretandi scripturam, *Suar. de lib. 4. cap. 17.* tenet *gloss. in cap. vendentes. 1. quæst. 3. & in cap. qui studet 1. quæst. 1. & in cap. quibusdam 37. dist. in verb. magist. Tolet. lib. 5. summæ cap.* 88. quia licèt Theologia procedat per principia revelata, tamen non procedit, ut talia principia sunt revelata, sed ut modificantur per principia naturalia, & tale munus non ordinatur per se ad salutem animæ, sed ad illustrandum intellectum in prædicta doctrina; ergo est res vendibilis: ex quo posset etiam recipi pecunia pro licentia docendi absque Simonia, sicuti si quis venderet cathedram, non esset Simoniacus *DD. in cap. 2. de Magistr.* Neque dicas *in cap. 1. & 2.* de magistris prohiberi, hanc licentiam docendi posse dari pecunia; quia ibi non prohibetur. non, quòd sit Simonia; sed injusta; & illicita venditio, sic vendere gradum magistri Doctoris non est Simoniacum, *Less. lib. 2. cap. 35. num.* 83. quia tales gradus sunt veluti quædam publicæ approbationes ad docendum, & consulendum, ergo non est Simonia eorum venditio.

De alio munere, scilicet de tertio, quod est dare responsa casuum conscientiæ; est quæstio, an sit Simonia aliquid accipere pro eis dicendis? Prima opinio affirmat, esse Simoniam, quia qui petit tale consilium, illud petit in ordine ad salutem animæ, ergo est aliquod ordinatum ad spirituale: ergo accipere pro eo pecuniam, est Simonia: ità communis *Thomistarum* sententia; de quibus *Sanch. lib. 2. opus. cap. 3. dub. 5. & 8. Turrian. Mald. Villalob.* & alii; quos refert *Diana par. 5. tract. 14. resol.* 4. Secunda opinio est negativa, ità *Suar. Laym. Filliucc.* & alii, quos sequitur *Diana ubi suprà, & Castr. Palaus pun. 10. num.* 5. quia illa instructio est naturalis, & humano modo acquisita, ergò potest vendi: sicuti potest recipi pecunia à Canonistis pro talibus responsis, & consiliis, & ordinatur per se ad illustrationem intellectûs, ergo.

De alio munere docendi doctrinam Christianam, dico, posse pretium recipi, quia solùm & per se instructio fertur ad juvandam alterius memoriam, ipsamque instruendam, *Ugol. Suar.* & alii, quos sequitur *Castr. ubi suprà*, sed, si doceatur Christianus non solùm ad juvandam memoriam, sed etiam ad eum confirmandum in fide, & operandum juxtà illam, esset opus supernaturale, utpotè ad fidem supernaturalem ordinatum, ergo esset Simonia. Idem dicas de instructione infidelis, ut ad fidem convertatur.

De quinto munere, quod est concio, & infideles ad fidem convertere, & fideles roborare ad observantiam ipsius, est Simonia pecuniam accipere, post alios *Suarez lib. 4. cap. 18. num.* 22. & hoc patet tùm ex fine spirituali, ad quem ordinantur, tùm etiam, quia Christus Dominus *Matth.* 10. cùm dixisset Apostolis, ut prædicarent, Regnum Cælorum appropinquasse, & infirmos curarent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent, &c. concludit, gratis accepistis, gratis date; quæ verba super omnia antecedentia æquè cadunt: ergo sicuti pro dæmonibus ejiciendis non potest pretium recipi, ità neque pro prædicatione Verbi Dei.

Si petas, an pro labore reperto in operibus spiritualibus possit pretium accipi?

Pro intelligentia dico, quòd duplex est labor in operibus spiritualibus, alius illi intimè conjunctus, & sine quo fieri non possunt: alius accidentalis, & extrinsecus, & ab opere spirituali separabilis. Hoc posito.

Prima opinio dicit, pro labore, operibus spiritualibus intimè conjuncto, posse pretium accipi absque Simonia, *glossa in cap. significatum. de prabendis in verbo* itaque, *Clarus in verb. Simonia*: approbat *Less. lib. 2. cap. 35. dub. 8. num. 55. quia Matth. 10. & Luc.* 10. dicitur, ministrantem in his operibus dignum esse mercede. Secunda opinio est, pretium recipi non posse pro hoc labore intrinseco, & necessario conjuncto cum operibus spiritualibus, posse tamen recipi stipendium sustentationis: si aliàs actio spiritualis debita non sit: *Sylvest. in verb. Simonia, quæst. 9. Hostien. in cap. 3. ne Prælati vices suas, Suarez. lib. 4. cap. 2. Valent.* & alii, quos sequitur *Castr. Palaus pun. 11. num.* 2. quia labor intrinsecus nullam aliam habet extimationem, quàm ipsum opus: ergo, si opus non potest de per se vendi, neque poterit ejus labor: Pro labore verò accidentali operis; v. g. ire ad longum iter pro dicenda Missa; expectare quotidiè per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, vel in certis locis, &c. potest pretium exigi, quia sunt onera temporalia, & privant laborantem aliis commodis temporalibus, *ex glossa in d. cap. significatum, de prabendis, Tol. lib. 5. cap.* 88. *Suarez lib. 4. cap.* 21.

Dico decimo, committitur Simonia contrà jus humanum, dùm de privata auctoritate aliquid fit circà permutationem seù provisionem beneficiorum, *cap. quæsitum, cap. cùm olim, de rerum permutat. cap. cùm pridem, cap. ult. de pactis, cap. audivimus, de Simonia*: undè permutatio beneficiorum fieri debet coram superiore; ut aliàs diximus, *Barb. in d. cap. per tuas, & in dict. cap. si quis de Simonia*: coram verò superiore, scilicet Episcopo loci beneficii, fieri potest permutatio beneficii cum beneficio, non verò cum pensione, nam pensio non potest imponi sine Papæ licentia, *Less. lib. 2. de Justitia cap. 35. num. 86. Filliucc. tract. 45. cap. 7. num.* 26. non tamen est Simonia permutare res spirituales, dummodò non sint beneficia: ideò si aliquis dicat: eligam te in Priorem, si tu me eligas in Provincialem, faciam pro te sacrum, ut tu pro me audias confessionem: in nullo enim ex his modis est Simonia, quia *text. in cap. quæsitum*, loquitur solùm de permutatione beneficiorum; ergo ad alia extendi non debet, ità *Sanch.* qui concordantes adducit, *tom. 2. opuscul. lib. 2. cap. 3. dub.* 44. An verò sit Simonia dare aliquid Titio, ut faciat adscribere Caium inter Equites S. Jacobi, Calatravæ, &c. quæstio est? & Respondeo, quòd si pecunia conferretur animo emendi illum habitum, esset Simonia, quia id fieri non potest, *cap. quoniam, cap. non satis, de Simonia*: si verò tradatur Titio gratis, & liberaliter, vel in remunerationem laborum, licèt excederet eorum mensuram, non esset Simonia: sic etiam dicit, *Barthol. de Vecchiis in praxi novitiorum disput. 1. dub.* 3. posse aliquem ad hoc, ut faciliùs in religione recipiatur, gratis, & spontè præbere munera superioribus, vel aliis, *Diana tract. 2. de dubiis regularibus resol.* 64. An etiam possint redimi pensiones sine Simonia, quæstio est? Respondeo affirmativè, excepta ea pensione, quæ datur in titulum beneficii ob aliquod Ministerium spirituale futurum, v. g. Coadjutori Episcopi, vel Parochi senis, *Sanch. lib. 2. opusc. cap. 3. dub. 46. dub.* 19. ideò pensio, quæ solet assignari seni renuncianti beneficium ob labores præteritos, redimi potest, quia cùm detur pro alimentis Clerici senis, temporalis censetur: sic pensio, quæ datur Clerico pauperi, potest etiam redimi, quia est merè temporalis, nec datur pro spirituali ministerio, sed solùm causa alimentorum, & ideò Clericatus, & ordo se habent solùm concomitanter: sic pensiones, quæ reservantur, quandò pinguiora beneficia permutantur, pote-runt

tunt recipi sine ulla Simonia, quia temporales sunt, cùm abstractæ sint à titulo,& officio spirituali,*Sanch. ubi suprà Castr. Palaus punct.* 13.

Nota tamen doctrinam omnibus incognitam; quòd tradere pecuniam familiari Episcopi, quo Episcopus non utitur in conferendis beneficiis, non est Simonia: ità colligo ego ex, *cap. præsentium* 1. *quæst.*6. ubi fuit Simonia judicata datio pecuniæ, quia fuit data uni Principum, scilicet electorum, & ideò fuit dictum, esse Simoniam, quia quandò non datur uni ex electoribus, sed alteri familiari, non est Simonia, sequitur *Sotus lib.* 9. *de Justitia. quæst.* 7. *art.* 3. *in vers.* Nam si Episcopus: qui licèt libentiùs sequatur oppositam sententiam, tamen non excludit nostram probabilem: sequitur etiam hanc sententiam, *Greg. Lopez*, qui stupor Hispaniæ vocatur: hinc inquam, *Doctor*, *in l.*17. *partit.* 1. *tit.*18. *de Simonia in verbo* (*Tenudo*) quia tunc non emitur beneficium, sed sollicitudo illa ad beneficium; & licèt *Greg. Lopez*, hanc opinionem, expressè non dicat, tamen legas eum, qui appellat contrarium æquius & tutius, ergo prima nostra opinio est tuta, & probabilis. Secundo, quia hunc casum disputavit, *Pater Vasques. Matriti* teste *P. Sanch. lib.*2.*consiliorum cap.* 3. *dub.* 26. *num.* 7. qui id probabile existimat, ergo non est improbabile, legas *Sanch. dicto dub.* 26. in principio: ergò.

Notanda tamen est doctrina tàm in hoc casu, quàm in obtinendis beneficiis; scilicet licere pactum facere de re temporali pro beneficiis, & similibus, quia ut benè *P. Valentia tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 16. *punct* 3. *Adamus Tannerus in* 2.2. *S. Thomæ*, *disp.*5. *quæst.*8.*dub.*3. *num.* 76. Duobus modis potest pactum fieri in spiritualibus prædictis: primo modo quasi quòd illud temporale debeatur, ut pretium rei spiritualis, ut spiritualis est, & hoc est falsum, & esset Simonia prohibita, vel jure naturæ, vel Jure humano: & sic procedit *textus in cap. quæsitum de rerum permutat*, *& in cap. fin. de pactis*. Secundo modo potest fieri tale pactum, ità ut petatur promissio temporalis eo modo, & eodem prorsùs titulo conferendi, quo licitum est temporale actu recipere, & dare pro spirituali,videlicet tanquàm stipendium vel remunerationem quandam cujusdam operis, vel officii, quod meretur compensationem ex justitia, & consideratum ut officium spirituale meretur gratuitam remunerationem; hoc enim casu pacisci de temporali pro spirituali, est illicitum, non quidem paciscendo de re temporali, ut spiritualis est, sed spectata secundùm communem rationem laboris, prout ex obligatione onerosa suscipitur, & sic putat *Suarez ubi suprà*, quòd non esset Simonia, si aliquid detur pro labore suscepto eundo, vel redeundo ad beneficii collatorem, vel in recompensationem alicujus damni, quod pro ea causa patitur, vel alterius lucri, quod amittitur, verùm putat, *Suar.* quòd si aliquid plus detur pro extimatione talis laboris, vel damni, non evitabitur Simonia, quod impugnat, *Rodriq. in summa tom.* 4. *cap.* 133. *num.*19. qui dicit, quòd hoc casu erit peccatum injustitiæ, non Simoniæ, quod peccatum injustitiæ evitaretur, si illud plus detur liberaliter, quod nota ad evitandos infinitos scrupulos pro hac materia.

Dico undecimò, committitur Simonia dando, vel accipiendo pretium pro actibus jurisdictionis fori interni, ut pro facultate audiendarum Confessionum, vel pro facultate eligendi Confessarium, vel pro auferenda peccatorum reservatione, aut pro absolutione, vel pro deneganda absolutione pœnitenti, *cap. Nemo de Simonia*, *cap. ad aures eodem tit.* sicuti pro absolvendis à censuris si detur pecunia, committitur Simonia *cap. ad aures citato*, *nullus* 1. *quæst.*3. *Barb. in d. cap. ad aures*: Sic committitur Simonia tradendo aliquid pro concessione indulgentiarum, quia talis concessio est actus spiritualis jurisdictionis: quòd si interdùm Summus Pontifex concedat Indulgentias, & imponat certam pecuniæ summam, id non facit, ut pretium prædictarum indulgentiarum, sed tanquàm opus pietatis, DD. communiter ubi suprà, *cap. suam.* 29. *cap. audivimus* 41. *de Simonia*: sic Simonia committitur pro levi pœnitentia imponenda in confessione, nam talis impositio pœnitentiæ, est actus jurisdictionis: Idem dicas de commutationibus votorum: Idem si Parochus accepto pretio concedat licentiam laborandi in die festo, vel comedendi carnes in die jejunii: & idem dices, si Parochus nollet assistere matrimonio, nisi accepto pretio; esset enim Simonia, & in hoc differt Parochus à testibus, quia testes, si assistunt mediante pecunia, Simoniam non committunt, quia non tenentur ad id faciendum: *Suar. lib.* 4. *cap.* 19. neque sunt ministri Ecclesiæ, & auctoritativè assistentes, *Castr. Palaus disp.* 3. *punct.* 12. *per totum.* Ille verò confessarius, qui imponit pœnitenti eleemosynam, seù solutionem certæ pecuniæ in satisfactionem peccatorum, Simoniam non committit, quia eleemosyna est opus satisfactorium, ergo potest imponi à confessario in pœnam, & satisfactionem peccatorum: communiter DD. quos refert, & sequitur *Laym. lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ult. num.* 24. Quòd si confessarius cogat pœnitentem, seù obligationem illi imponat, tradendi sibi eleemosynam, est Simoniacus, tùm quia illa obligatio est pretio extimabilis, tùm quia temporale accipit pro pretio spirituali, *DD. ubi suprà*.

Quòd si dicas, in hac materia obstare stylum Curiæ Romanæ, ubi accipitur pecunia pro dispensationibus, & quo major est dispensatio, eo major quantitas postulatur, quæ omnia videntur esse contra jus commune: *in cap.* 1. *de Simonia*: *cap. sicut Episcopus* 1. *quæst.* 2. *Trident. sess.* 22. *cap.* 5. *& sess.*24. *cap.* 5. *de reformat. & sess.* 25. *cap.* 18.

Respondeo, Summum Pontificem esse suprà jus commune, & ex ejus concessione petitur pecunia non in commutationem dispensationis, & gratiarum, quæ conceduntur in Curia Romana, hoc enim esset Simonia contrà jus divinum; sed petitur pecunia in sustentationem Pontificis, & officialium, quod absque Simonia fieri potest ex dispensatione Pontificis, consuetudine approbante; *Suar. lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 13. *Garf. par.* 8. *cap.* 1. *nu.* 101. Alii verò inferiores Papæ, licèt non possint in hoc dispensare, possunt tamen imponere dispensato onus præstandi eleemosynam pauperibus, vel Monasterio, quia Concilium solùm prohibet exactionem pecuniæ pro ipsa dispensatione, non tamen prohibet, quin via commutationis aliquid exigatur, quod maximè procedit in votis, juramentis, aut festis, si fiat dispensatio,& debita non sit: eadem ratione si dispensatio supponat culpam possunt dispensantes in illius pœnam aliquam eleemosynam præcipere; ut autem hæc omnia fiant absque labe Simoniæ, advertit optimè, *Suar. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 15. *de Simonia*, Prælatum non sibi, sed piis operibus eleemosynam applicare debere, *Covar. in c. Alma mater par.* 1. *§.*11. *n.* 10.

De ordinariis verò, & aliis officialibus, quibus à Sede Apostolica committitur dispensatio matrimonii, est quæstio, an possint pro labore, receptione, & examine testium aliquid exigere?

Respondet, *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. disputat.* 35. *nu.* 11. *& Salas de legibus disputat.* 20. *sect.* 10. recipi posse quidquid consuetudine est introductum: quia licèt in rescripto pro talibus dispensationibus dicatur, nihil posse recipi; non per hoc excluditur, non posse recipi expensas pro labore.

Secunda

Secunda opinio dicit, nihil posse recipi ab ordinario pro receptione testium, verificandis narratis, &c. soli verò Notario, examinanti testes, permittitur posse recipere aliquid, & prædicti Ordinarii non possunt se excusare prætextu consuetudinis, quia est per Decretum Pontificis interrupta. Legas *Garsiam par. 7. cap. 1. nu. 101. cum sequentibus. Navar. lib. 1. consilior. de rescriptis, cons. ult. Zerola 2. par. in verb. delegatus, §. 2. in verb. dispensatio. §. 1. Genuensis in praxi cap. 25. num. 13. Castrus Palaus punct. 12. num. 21. Dian. par. 5. tract. 13. resolut.* 71. Advertunt tamen DD. citati, quòd si necessarium esset Ordinario pro examinandis testibus & verificandis narratis, exire à suo domicilio, poterit pro hoc labore pecuniam recipere: Idem dices, si partes peterent reassumptum instrumenti dispensationis: notant etiam quòd receptio pecuniæ pro suprà dictis muneribus licèt sit illicita, non tamen esset Simonia, sed turpe lucrum, quia in prædictis decretis non videtur prohibita sub tali titulo, & ratione.

Dices, quomodò Romæ venditur Clericatus Cameræ, & Auditoratus ipsius, quæ sunt omnia constituta ad jurisdictionem Ecclesiasticam exercendam vice Pontificis?

Respondeo, in talibus officiis, sicut in quolibet beneficio esse consideranda duo: primum est Jurisdictio ipsa spiritualis, secundum, emolumentum temporale ex illa proveniens; & licèt hoc secundum non possit vendi, quatenùs primo conjunctum est. *cap. si quis objecerit. 1. quæst. 3.* tamen hoc est ex prohibitione Juris Ecclesiastici, in quo Pontifex dispensat, ac proindè absque Simonia facit, ut illa officia vendantur secundùm temporale quod habent. & sic colligitur ex *cap. ultimo. ne Prælati vices suas, &c.* ubi *Abbas, Suarez, lib. 4. cap. 20. num. 6. Castrus Palaus puncto 12. num. 7.*

Ex quo collige, officia temporalia Ecclesiæ, ut Oeconomi, Vice-domini, Advocati, Sacristæ, Judicis, &c. vendere, esse Simoniam; *cap. si quis Episcopus. 8. p. quæst. 1. cap. Salvator 1. quæst. 3. cap. consulere de Simonia, Castrus Palaus, puncto 14. num. 9.* Neque jus Patronatûs est vendibile, *cap. de Jure, cap. Præterea de Jure Patronatûs*: quæstio tamen est, an sit ex lege divina, an humana invendibile? prima opinio dicit, esse invendibile ex lege divina: *glossa in c. piæ mentis. 16. q. 7. & in cap. præterea il. 1. de transaction. Lessius, Suarez*, & alii, quos sequitur *Castrus Palaus punct. 14. num. 3.* Secunda opinio dicit, non esse invendibile de Jure divino, ità *Abbas, Decius. & alii in rubrica de Jure Patronatûs. & in cap. quanto, de Judiciis, Sylvester in verb. Simonia, quæst. 2.* quia hoc jus non est in se spirituale, sed solùm spiritualibus annexum.

Collige secundò, Episcopum, aliumque suum officialem non posse accipere aliquod pro licentia audiendi confessiones, vel concionandi, ut declaratum per Sacram Congregationem refert *Gavantus in verb. licentia nu. 3. Barbos. in Trid. sess. 21. cap. 1. & in sess. 23. cap. 15.* & declaravit eadem sacra Congregatio, nihil posse recipi, primo, pro licentia audiendi confessiones, secundo, pro licentia administrandi Sacramenta, tertiò, pro licentia deserviendi beneficiis, quarto, pro licentia sepeliendi Corpora defunctorum in Ecclesiis, quinto, pro licentia celebrandi Missas, sexto, pro licentia colligendi eleemosinas: pro multis verò potest accipere aliquid, quæ videas apud *Dianam par. 5. tract. 13. resolut.* 70.

Dico ultimo, committitur Simonia pro electione ad beneficia Ecclesiastica, quia traditur aliquod temporale pro spirituali, ut est actus electionis; licèt non committatur Simonia dando aliquod officium laicale mediante pecunia; quamvis peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem id facientes, ut ait *Sylvester in verbo dignitas, num.* 50. qui verò contradicit electioni, & ab ea cessat mediante pecunia, de voluntate tamen electi tradita, facit, ut talis electio sit Simoniaca, *c. Matthæus de Simonia*, quem textum ibi *secreta nobis insinuane monstravit*, ponderant aliqui ad hoc, quòd pro consilio habendo, peccatum, & peccatorem licitum sit revelare, quod tamen falsum est, ut benè *Navarrus in cap. sacerdos de pœnit. dist. 7. nu.* 127. qui benè dicit in prædicto *textu*, nullum verbum esse, quo significetur, Matthæum prædictum Cardinalem suscepisse casum, relatum in pœnitentia, sed solùm secretè id retulisse Papæ: est etiam Simonia, si aliquis ignorante electo pro eo eligendo pecuniam dederit, ut colligitur ex *tex. in cap. de de regularibus* 25. ibi, *si autem ignorantibus, &c.* ubi si quis ignorante electo pecuniam tradat eligenti, Simoniam committit; quandò tamen pecunia fuerit data sine dolo, & fraude, *Azorius par. 3. lib. 12. cap. 7. quæst. 1. Barb. in d. cap. de regularibus, num. 6.* & est provisio, facta de aliquo Simoniacè etiam ignorante, nulla ipso Jure, *Cassiadorus dec. 3. de sequent. possess. Garsia, par. 8. cap. 1. nu. 6.* quamvis contrarium dicant *Covarru. Navarr. & alii*, quos sequitur, *Barb. in d. cap. ex insinuatione, nu. 4. de Simonia.* Verùm requiritur actualis cassatio, nisi constaret, quòd ille malitiosè commiserit Simoniam in fraudem eligendi, *cap. nobis 27. de Simonia.*

Sed quæstio est, an sit Simoniaca electio, seù præsentatio commissa cum uno solo patrono, non cum omnibus? vera responsio est affirmativa, *Abbas in cap. nobis 27. de Simonia, Molfesius tract. 6. cap. 15 num. 8. Bonacina de Simonia, q. 7. par. 2. nu. 24. Rota apud Farinaceum decis. 22. par. 4. diversorum, Garsia dict. par. 8. cap. 1. num. 10. & 12.* qui tamen loquuntur, & *textum* prædictum intelligunt in eligentibus, præsentantibus, aut conferentibus, uti universis, seù Jure collegii, in quibus terminis loquitur *tex. in d. cap. nobis*, quia tunc omnium una est electio, præsentatio, aut collatio, & sic Simonia cum uno commissa, tangit, & vitiat electionem, præsentationem, aut collationem; secùs verò est in patronis præsentantibus, ut singulis, quilibet enim præsentat de per se, & tot sunt præsentationes, quot Patroni, & sic una præsentatio vitiosa seù Simoniaca non influit in alias, quo casu procedit decisio, *Rot.* apud eundem *Farinac. decis. 103. par. 4. divers. Barb. in d. cap. nobis 27. de Simonia.*

Ex quibus collige primò, Regulares convenientes inter se, ut unus in una electione, alius in alia suffragetur, Simoniam committere, *cap. cùm pridem, & cap. fin. de pactis*; quod limita, quandò pactum non intervenit, sed sola oblatio futuræ spei, ut si dicatur, da hoc suffragium, & providebitur tibi de alia re, vel quid simile, *Villalobos in summa tom. 1. tract. 37. difficul. 24. Hieronymus Rodriquez in compendio quæst. regul. quæst.* 129. tales verò oblationes esse debent à Religiosis omninò alienæ, ut subornationis speciem obtinentes, teste *Suarez tom. 1. lib. 44. cap. 44.*

Collige secundò, ex dicto *textu in cap. dilectus 30. de Simonia*, quòd Monachis Simoniacè receptis, est juris pœna imponenda; quem *textum in verb. invitari* nota cum *glossa* ibi, quòd possunt offerri munera infideli ea conditione, ut Baptismum suscipiat, *Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 39. Suarez de religione, tom. 1. lib. 4. cap. 16. nu. 10. Azorius par. 3. lib. 12. cap. 3. quæst. 5. Avendanus de metu lib. 2. cap. 17. n.* 59.

*n. 59. Barb. in d. cap. dilectus, n. 6.* & sic possunt alicui offerri munera, ut evitet peccatum, vel ut faciat opus spirituale in solius operantis utilitatem, relicta illi facultate, & libertate faciendi tale opus, nec alia ratione peccare, præciso scandali periculo, sivè tale opus sit consilii, sivè supererogationis, *Navarrus, Molina Lessius, Filliuccius, Suarez, & alii,* quos sequitur *Bonacina de Simonia, quæst. 4. §. 7. Barb. in d. cap. dilectus in fine.*

Collige tertiò, quòd si contrà Abbatem Regularem Monasterii, vel alium superiorem electum, probetur esse Simoniacè electum, poterit contrà testes opponere, quòd sint ejus inimici, alias verò exceptiones opponere non poterit, *cap. licet de Simonia,* nec faciles esse debemus ad credendum alterius assertioni, *Tiraquellus de pœnis temperandis causa 51. num. 26. Barb. in d. cap. licet:* tunc verò admittuntur testes criminosi contrà aliquem ad probandam Simoniam, quandò ille, qui est de hoc accusatus, aliundè est infamis persona, & vilis, secùs, si altioris ordinis, *cap. per tuas de Simonia,* & admittuntur etiam, ut contrà deponant testes criminosi, quandò civiliter deponerent contrà infamem illum. non verò criminaliter, *d. cap. per tuas.* Actio verò intentata contrà eum, qui homicidium commisit, ob quod est inhabilis ad beneficium consequendum, actio civilis est, non criminalis *Rota par. 4. diversorum dec. 922. Barb. in d. cap. per tuas,* & est notabilis, *glossa in d. cap.* ibi *non sit recens,* ad probandum, quòd reconciliatus de recenti repellitur à testimonio, sicuti si esset inimicus; talis enim adhuc odium, & nocendi animum habere præsumitur, *Covarr. practic. cap. 118. num. 2. Gomesius tom. 3. var. cap. 12. nu. 4. Menochius de arbitr. lib. 1. quæst. 28. num. 6. Mascardus conclus. 857. nu. 47. & 899. nu. 7. Farinaceus, par. 2. quæst. 53. num. 5.* Notatur etiam eadem *glossa* ibi, quòd testis in parte falsus, reputatur in totum falsus, ut latè explicat *Barb. ibi.*

Collige quartò, exactionem prandii in receptione novi canonici esse prohibitam, *ex cap. Jacobus 44. de Simonia;* quod ampliant *DD.* etiam stante statuto, ut nullus recipiatur in canonicum nisi prandio soluto, & etiam posita qualibet immemorabili consuetudine, nisi statutum illud, vel consuetudo fuerit per Papam, ex certa scientia approbatum, *Garsia par. 8. cap. 1. num. 87. Barb. in d. cap. Jacobus,* ubi tamen distinguit plures casus,

Primus est, quandò vacanti beneficio aliquod onus imponitur tempore scilicet, quòd certa pars proventuum, aut pecuniæ quantitatis in pios usus reservetur, nulla facta conventione, & hoc erit licitum, colligitur *ex textu in cap. unico, §. ult. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur, cap. si propter, de rescriptis in 6.*

Secundus casus est, quandò illud recipitur nulla constitutione, vel consuetudine permittente, sed ab ipsis exigitur, ut jus, & erit Simonia, *cap. quidquid,* cum multis sequentibus, *p. q. 1.* ubi omnis exactio damnatur, & gratiosa tantùm oblatio permittitur, *cap. non satis, cap. cùm in Ecclesia de Simonia, cap. ex multis de Simonia.*

Tertius casus est, quandò recipitur aliquod à receptis canonicis, & in usus profanos, vel pios convertitur, & tunc erit Simonia, & lex vel consuetudo nullius erit momenti, *arg. cap. ult. de consuetud. cap. ult. de præscript. cap. erit antè in lex 4. dist.* quia iniqua est consuetudo, vel lex quæ præbet occasionem delinquendi.

Quartus casus est, quandò lex post data spiritualia permittit, ut temporalia recipiantur pro usu pio, & tunc pia, & laudabilis est consuetudo, *cap. ad Apostolicam de Simonia.*

Collige quintò, Jus stalli, seù sedendi, aut standi certo loco in *capitulo, non posse vendi, Suar. lib. 4. cap. 28. num. 23. Bonac. de simonia quæst. 4. §. 6.* est autem installatio, quandò electus, & confirmatus introducitur in stallum, id est in sedem sivè locum constitutum in choro, & talis installatio denotat veram, & actualem possessionem. *Abbas in cap. transmissam de electione, Ranuc. de voce canon. in cap. quæst. 25. cap. Ne Dei 43. de simonia.*

*In §. ac veluti.*

Agitur hìc de pœnis contrà simoniacos impositis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd committens simoniam, ut ordinetur, incidit in pœnam suspensionis, *ut in extravaganti cùm detestabile, de Simonia,* aliis verò cooperantibus ad talem ordinationem imponitur pœna excommunicationis; idem dicas de mediatore, seù cooperatore, *Navarr. cap. 25. in manuali 68.* quæ excommunicatio est Papæ reservata in *dict. extravaganti,* ubi nota, quòd suspensio est ipso jure à collatione quorumcumque ordinum atque primæ tonsuræ, & ab executione omnium Pontificalium, ut habetur in Bulla Sixti V. contrà malè promotos, quæ incipit Sanctum, & salutare, quam Bullam, etsi Clemens, VIII. revocaverit, & ad jus commune redegerit, non tamen, quoad pœnas simoniacorum, immò potiùs dixit ibi se velle in suo robore persistere eas omnes quæ sunt latæ contrà Simoniacè ordinantes, & ordinatos: est etiam imposita pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ex dicta Bulla Sixti V. & suspensionis à regimine suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, si interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à Pontificali munere violaverint, ubi tamen noto, in suprà dictis bullis, & decretis nullam aliam pœnam ipso jure latam esse adversùs mediatores, seù præsentatores ad simoniacam ordinationem, præter excommunicationem, solùm verò suspensio per triennium ab executione suorum ordinum illis videtur imposita, in *cap. penul. de simonia, Suarez cap. 56. num. 15. dict. lib. 4.* quam tamen suspensionem non incurrunt, nisi ordinatio de facto fiat, *Suarez num. 23.* & putat *Less. dub. 24. nu. 134 lib. 2. cap. 35.* attento jure antiquo nullam esse pœnam suspensionis pro ordinante, & consequenter nec hodiè pro mediatore latam esse suspensionem, quia casus illius *cap. penult de Simon.* videtur sibi specialis. neque dicit *Less.* quòd continet decretum in futurum, & consequenter ad alios casus non debet extendi: & hæc opinio est probabilis.

Pœnæ verò latæ contrà ordinatos Simoniacè, sunt, prima, excommunicatio ipso facto, ut habetur in *dicta extravaganti,* secunda pœna, est suspensio ab executione suorum ordinum, ut in *dicta extravaganti,* non solùm ejus, quem taliter suscepit, sed omnium, quos habet; hoc enim denotat illa particula (suorum ordinum) *Less. ubi suprà nu. 135. Suar. tom. 5. de censuris disp. 31. sect. 4. num. 33.* licèt probabiliter dicerem, non extendi suspensionem prædictam, nisi ad ordines sic susceptos, non ad alios ritè susceptos, quia licèt Pontifex loquatur in numero plurali dicens, *sint ab executione suorum ordinum suspensi,* tamen illa pluralis locutio correspondet plurali locutioni præcedenti, loquebatur enim de omnibus, qui ordinati sunt Simoniacè, & de illis statuit, ut sint à suorum ordinum executione suspensi, hoc est, quilibet à suo ordine Simoniacè suscepto, & omnes simul à suis ordinibus sic Simoniacè susceptis.

Prima est difficultas, an talis pœna extendatur ad collationem primæ tonsuræ Simoniacè factam?

Respondeo, duas esse opiniones. Prima opinio est negativa, quòd, scilicet dans pecuniam pro prima tonsura, vel recipiens non incurrat excommunicationem:

tionem: *Less. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 135. Reginal. lib. 33. cap. 12. num. 174.* nam tonsura propriè loquendo non est ordo, sed dispositio ad ordines, ergo censura imposita ob Simoniam commissam in ordine non extenditur ad Simoniam commissam in prima tonsura, nam quandò Summus Pontifex intendit punire Simoniacos tàm in ordine, quàm in prima tonsura, exprimit, ut fecit Sixtus V. in Bulla contrà malè promotos, & *Trid. sess. 21. cap. 1. de reformat.* ibi quorumcumque ordinum, & clericalis tonsuræ.

Secunda opinio est, esse excommunicatum talem committentem Simoniam in prima tonsura conferenda, vel recipienda: ratio est, tùm quia in *dict. extravaganti. 2. de Simonia*, dicitur, quomodòlibet dantes, vel accipientes, quæ verba sunt generalia: tùm, quia dispositio pœnalis est intelligenda, & explicanda juxtà usitatam formam loquendi sacrorum canonum; sed sacri canones vocant primam tonsuram ordinem, *cap. cùm contingat de ætate, & qualitate*, ergo, & ità docent, *Alterius de censuris disp. 15. cap. 50. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de Simonia. cap. 56. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 71. Filliucc. tract. 45. cap. 13. quæst. 4.* & alii apud eos. Ego antè factum consulerem cum hac secunda opinione, sed post factum probabiliter cum prima.

Secunda est difficultas, quid si Simonia commissa sit ignorante ipso ordinato?

Respondeo, duas esse opiniones. Prima affirmativa: ità *Felyn. in cap. per tuas de Simonia num. 3.* sequitur *Sylv. in verb. suspensio num. 7.*

Secunda opinio est negativa: ità *Navarr. in summa cap. 25. num. 68. Less. dict. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 136. in verb. Simonia num. 12. Castr. Palaus pun. 24 num. 3.* ratio est, quia non est in jure expressum, nec æquum videbatur exprimi, nam contingit absque ejus culpa: immò, si deindè ordinatus tradat ei pecuniam, qui pro ipso dederat; neque incurrit Simoniam, quia id facit, ne sua culpa damnum ille patiatur, & licèt *gloss. in cap. de Simoniacè, de Simonia*: dicit, talem ignorantem opus habere dispensatione, tamen non loquuntur jura *gloss.* de ordinato Simoniacè, ergò non sunt jura illa ad alia extendenda, ut benè *Castr. Palaus pun. 24. num. 3.*

Tertia est difficultas, an verum sit, absolutionem prædictarum censurarum in dicta Bulla Sixti V. esse Papalem?

Respondeo, sic dicere bullam, sed putant *Less. & Castr. Palaus ubi suprà;* non esse in hac parte usu receptam bullam, immò dicit *Less.* plerisque locis hanc bullam ignorari, ac proindè non esse usu receptam, & idem dicit *Sà in verb. Simonia num. 12.* dùm dicit, quòd Simoniaci occulti suspensio tollitur per pœnitentiam, & manifesti per Episcopum post pœnitentiam; sequitur *Castr. Palaus ubi suprà num. 4.*

Sciendum secundo est, quòd recipientes, procurantes alteri, vel conferentes beneficia simoniacè, sivè id fiat media electione, sivè præsentatione, sivè postulatione, &c. sunt excommunicati ipso facto; ut in *extravaganti, cùm detestabile, de Simonia*, & docent omnes, & excommunicantur mediatores, sivè parentes, sivè extranei sint, & ultrà hanc pœnam est actus nullus, cùm nullum habeat titulum, fructus non facit suos, sed sub periculo animæ uon tenetur restituere, etiamsi Simonia ab aliis commissa fuerit, si tu scivisti, & non contradixisti, *cap. nobis fuit 27. de Simonia* juncta *glossa cap. sicut tuis 33. eod. tit. Covarruv. in regula peccatum par. 2. §. 8. num. 7. Less. lib. 2. cap. 35. dub. 35. num. 137. Suar. lib. 4. cap. 57. num. 28.* Sed si scivisti, & contradixisti, valida est collatio beneficii tibi facta, *cap. sicut tuis, de Simonia*: talis tamen contradictio nihil prodest, si ea non obstante antè collationem beneficii sciens, pecuniam datam esse, & nihilominùs beneficium acceptes, quia absolutè recipis beneficium Simoniacè datum, neque contradicis. Undè, etsi non incidas in excommunicationem, quia non es causa Simoniaci contractûs, tamen efficieris inhabilis ad beneficium: *cap. penult. de electione. Less. Suar. & alii suprà citati*: si verò te ignorante, neque contradicente, quia nullam habuisti suspicionem contradicendi, Simonia commissa sit ab aliquo tertio, tunc oportet subdistinguere, si in odium tui Simonia commissa sit ab illo tertio, non teneris beneficium resignare, quia validè tibi collatum fuit *cap. sicut, de Simonia*: secùs si amicus pecuniam te ignorante dedisset, quia tunc teneris simul, ac sciveris, beneficium, & fructus illius dimittere, ut patet ex supra dictis capitibus, & factus es inhabilis ad tale beneficium retinendum, *cap. nobis fuit, de Simonia; cap. penult. de elect.* ubi dicitur, Episcopum non posse dispensare in prælatura, quæ per Simoniam tibi collata fuit etiam te ignorante; secùs verò, si sit beneficium simplex, sequitur ergò, te reddi tum esse inhabilem ob culpam committentis Simoniam.

Ubi tamen notes, notabiliter differentiam dari inter hunc ignorantem Simoniam sui beneficii, & scientem Simoniam in suo beneficio commissam; quia scienti Simoniam non prodest regula de triennali possessione: sicuti neque intruso, ut benè *Gomesius in regula de triennali possessione, qu. 12.* Sed ignoranti, si per triennium cum illa ignorantia possederit beneficium, favet suprà dicta regula, neque poterit ei lis intentari, quia bona fide, & colorato titulo possedit; *Gomes. ubi suprà, Ugolin. lib. 4. de censuris cap. 6. §. 9. Suar. lib. 4. cap. 57. num. 39. Less. cap. 35. num. 140. §. 4.* Nota tamen, valere electionem, quandò commissa fuit Simonia cum aliquo ex electoribus, si tamen alii, qui non delinquunt, sint sufficientes, *Abbas in cap. cùm super de offic. delegati, num. 13. Suar. Garsia, Rodriq.* & alii, quos sequitur *Castrus Palaus ubi suprà, punct. 25. num. 3.*

Sed si petas, an Simonia commissa in beneficiis, privet ipso jure beneficiis aliis ritè obtentis?

Respondeo, ipso jure te non privari beneficiis ritè obtentis, *Navarr. cons. 92. de Simonia. Ugolin. ubi suprà, §. 3. Suar. cap. 58. num. 6.* & alii ubi suprà: Ratio est, quia respectu beneficiorum acquirendorum est lex prohibens, & annullans actum, respectu verò beneficiorum acquisitorum est lex pœnalis, quæ non obligat usque ad condemnationem, ut probat *Covarruv. in cap. cùm omnes num. 9. de testamentis, Navarr. cap 13. num. 50.* & licet *text. in cap. inquisitionis de accusat.* dicat, obtinentem beneficium Simoniacè, non posse esse impeditum à retentione beneficii, tamen intelligitur à retentione ejusdem, ibi enim æquiparatur Simoniacus cum homicida, qui beneficiis non privatur ipso jure, *cap. Clericus ne Clerici, vel Monachi*, ibi honore privetur, *Navarr. cap. 58. de simonia.*

Ex quibus infertur primò, fructus beneficiorum, obtentos antè Simoniam, non esse ipso jure restituendos, si quidem habito jure ad beneficia, habetur jus ad fructus, sed ille habet jus ad beneficia, ergò ad fructus, ità *Suar. lib. 4. cap. 58. num. 8.* sed per sententiam poterit privari talibus fructibus, quia potest ei imponi pœna pecuniaria pro delicto Simoniaco, sicuti, & pœna corporalis. *Diaz in praxi criminali canonica, cap. 135. Castrus Palaus num. 50.* Secundo colligas, electum, vel præsentatum committentem Simoniam pro confirmatione, non facere suam electionem, vel præsentationem irritam, *Less. num. 138. Suarez cap. 58.* Colligitur *ex cap. si confirmatione, de elect. 9.* ubi non censetur prior actus irritus

ob irritationem posterioris, sed per sententiam venit irritanda electio illius, qui pro confirmatione simoniam committit *Ugol. cap. 6. num. 4.* verùm si in electione, vel præsentatione sit commissa simonia, omnes actus subsequentes sunt irriti, quia validi esse non poterant absque illis, non enim confirmatio valida esse poterit sine eo, quòd electio valida proponatur. Non diceretur verò committi simonia, quandò quis promittit pecuniam dare in eleemosynam alicui loco pio, cum pacto, quòd sibi impetretur beneficium, *Diana par. 5. tract. 14. resol. 75.*

Infertur secundò ad quæstionem, an talis simonia in beneficio constituat aliquem inhabilem ipso jure ad alia beneficia obtinenda? Respondeo probabiliùs, juxtà constitutionem Pii V. esse inhabilem ipso jure ad alia beneficia, verùm putat *Navarr. cons. 92. de simonia*, inhabilitatem ad beneficia obtinenda ipso jure non incurri, quia in hac parte illa constitutio non est recepta, sic etiam dicunt *Suar. Less. & Castr. Palaus ubi sup.* cùm etiam respectu simoniæ confidentialis requirat sententiam declaratoriam criminis ad inhabilitatem contrahendam respectu aliorum beneciorum.

Pœnæ verò contrà committentem simoniam confidentialem sunt primo excommunicatio Papæ reservata, tàm dantibus, quàm accipientibus, secundò Episcopis, & Collatoribus interdictum, tertiò resignatio, & collatio beneficii nulla, quartò inhabilitas ad idem, & alia beneficia obtinenda, quinto reservatur illud beneficium, in quo hæc simonia est commissa, Sedi Apostolicæ, ità ut non possit ampliùs Ordinarius in illius provisione se intromittere, sextò fructus malè percepti applicantur Cameræ Apostolicæ, septimò privat committentem omnibus beneficiis, & pensionibus anteà obtentis; & inhabilitatem inducit ad alia obtinenda; quas omnes pœnas ipso facto incurri certum est, *ut in extravaganti Pii V. habetur*, quæ incipit *Romanum*, quæ est 109. in Bullario, & ex Constitutione Pii V, quæ est 87. & incipit *Intolerabilis*, verùm excipitur primo privatio beneficiorum anteà possessorum, quia hæc requirit saltem sententiam declaratoriam criminis, *Suar. lib. 4. de simonia cap. 43. num. 12. & 13.* Secundò excipitur inhabilitas ad alia beneficia, quæ inhabilitas etiam postulat sententiam declaratoriam criminis, juxtà receptum usum, ità tenet *Less. ubi sup. n. 147.*

Nec requiritur, ut simonia confidentialis sortiatur effectum, quòd sit utraque parte completa, hoc est, quòd beneficium, datum in confidentiam, iterùm renuncietur, sed sufficit, si detur beneficium ea conditione, ut dimittenti, vel alteri resignetur, vel fructus istius solvantur, & ea intentione, recipiantur, ut habetur in suprà dictis bullis, *DD. ubi supr.*

De mediatoribus verò in suprà dictis bullis nihil tale dicitur, quare solùm ex *extravaganti 29. de simonia*, incidunt in excommunicationem, secundùm probabilem sententiam, quandò simonia ex utraque parte completur, & secundùm probabiliorem, quandò beneficium ea conditione recipitur, *Castr. Palaus pun. 24. in fine.*

Et quia *text. in d. extravaganti 2. de simonia*, loquitur de committentibus simoniam in beneficiis, ideò mediatores ad simoniacam electionem prælaturæ Religionis, puta Generalatûs, Prioratûs, &c. non sunt excommunicati, quia Generalatus, Prioratus, &c. non sunt beneficia, *Sanch. in opusculis tom. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 104. & 107. Bonac. tom. 3. disp. 2. q. 3. pun. 24. nu. 4. Barb. in collect. in d. extravaganti, disputat. Sanch. dub. 108. latè.*

Recepta verò per simoniam si sint spiritualia non sunt restituenda, exceptis beneficiis, quia ea habendo mediante pretio non peccavit contrà Justitiam, sed contrà religionem, ergò non tenetur restituere; solùm verò excipitur beneficium, *ex d. extravaganti, cùm detestabile, de simonia, & text. in d. cap. fin. de pactis, & in cap. præterea, de transactionib.* loquuntur de beneficiis, non verò in aliis: pretium verò, quod recepisti pro conferendo beneficium, vel aliud spirituale, teneris restituere danti, conditione non adimpleta, *Less. num. 131.* non tamen potest ipse donans repetere ob admissam turpitudinem; *Covarr. in regula peccatum, par. 2. §. 2. nu. 7.* & tale pretium est restituendum antè Judicis sententiam ex jure Ecclesiastico, *Suar. lib. 4. cap. 60. & deciditur in cap. de hoc simonia, ubi glossa, & DD.* Ex *d. text.* esset facienda restitutio Ecclesiæ, in qua est beneficium, sed potest fieri pauperibus arbitrio superioris, *S. Thomas 2. 2. quæst. 100. artic. 6. ad 3. legas Castr. Palaum ubi suprà par. 26.*

Probabitur verò crimen simoniæ ex multis, de quibus *Paris. lib. 4. de resignat. beneficiorum; quæst. 8. & 9. Rodoanus de simonia par. 4. cap. 6. Mascard. de probationib. concl. 1304. Farinac. cons. 75.* & primo erit probanda simonia notorietate criminis; *cap. manifesta cum duobus sequentibus 2. quæstion. 1.* Secundò evidentia facti, quandò scilicet quis in crimine comprehenditur, *cap. si quis Diaconus 50. distin. cap. si quis Clericus 81. distin. cap. presbyter 53. dist. 3.* & ex partis confessione, *cap. presbyter 15. qu. 5.* quarto per famam, quintò per instrumentum, in quo adest promissio, vel pactio, *cap. placuit 16. quæst. 3.* Dubium verò est, an sufficiant conjecturæ, & præsumptiones ad simoniam probandam? & respondeo sufficere, *Abbas in cap. insinuatum, de simonia*, & alii apud *Paris. ubi sup.* quia simoniæ crimen inter gravia computatur, etenim homicidio, hæresi, & idololatriæ comparatur, in quibus per præsumptiones, & conjecturas fit probatio, verùm tales præsumptiones, & conjecturæ esse debent evidentes, & reum de crimine convincentes *gloss. in cap. insinuatum, de simonia*, & debent plenè probari; probatio verò unius præsumptionis, & conjecturæ non sufficit, *Mascar. & alii DD. citati*: Particeps delicti est quæstio, an possit esse testis, in hoc delicto? & Responsio est, quòd si agitur civiliter contrà delinquentem, admittitur socius criminis, secùs, si criminaliter, *cap. mediatores, ubi DD. de testibus in 6.* in praxi tamen, etiamsi criminaliter agatur, admittitur. Quandò verò datur sententia contrà simoniacum, per appellationem non suspenditur, sed exequi debet in illis, in quibus ipso jure pœna imponitur, quia in illis, ubi pœna imponitur, sententia declaratoria facit transitum in rem judicatam, *Maranta par. 6. art. 2. num. 187. Castrus Palaus pun. 27. in fine.*

Rogabis, ad quemnam spectet dispensare cum simoniacis? Respondeo, quantùm ad excommunicationem latam in conferentibus ordinem, vel beneficium, solus Papa potest absolvere, quia ipsi est reservata, sed ex particulari privilegio, Episcopus, & Religiosi Mendicantes, modò non sit excommunicatio publica, & deducta ad forum contentiosum, ex *Trid. sess. 24. cap. 6. Suarez de simonia, cap. 61. num. 11. & Less. ubi sup. dub. 24.* dicit, quòd, etiamsi simonia sit commissa cum ipso Episcopo, adhuc poterit eum absolvere, quia non per hoc est Episcopus privatus sua auctoritate; pœna verò suspensionis in eo, qui est ordinatus simoniacè, est reservata Pontifici, quoad illum ordinem simoniacè receptum, *cap. penult. de simonia, ubi glossa, & communis opinio DD.* & sine hujus absolutione non poterit ad superiores ordines ascendere, ut benè *Suar. num. 5.*

De

De inhabilitate, quam quis contrahit recipiens beneficium simoniacè, est quæstio, an possit tolli ab Episcopo? Respondeo negativè, si sit simoniacus publicus, secùs, si occultus, potest enim Episcopus dispensare cum simoniaco occulto in tali inhabilitate contracta propter simoniam, ità *Henriquez lib.* 13. *de excommunic. cap.* 56. *Lessius ubi suprà num.* 140. *Suarez lib.* 4. *cap.* 61. *Castrus Palaus disp.* 3. *pun ult. num.* 4. contra multos, quos refert, & sequitur *Bonacina de Simonia, quæst.* 7. *p.* 2. *diffic.* 2. *Garsia par.* 8. *cap.* 1. *num.* 74. *Barb. in cap. de simonia cè* 22. *de Simonia.* Ratio est, quia talis inhabilitas est quasi quædam irregularitas, & respondet *Castrus Palaus*, ad multas declarationes Congregationis, ubi videtur contrarium dici, scilicet non posse Episcopum dispensare cum prædictis, quod intelligatur post sententiam privationis. Summus Pontifex verò concedendo beneficium incapaci, si sibi constabat esse talem, videtur dispensare, quandò impedimentum est juris positivi, *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp* 4. qui dicit, hanc doctrinam procedere etiam in Prælatis inferioribus; & licèt Summus Pontifex communicando cum excommunicato, non censeatur illum absolvere, *Clem. unica de sententia excommunicationis*, nisi exprimat, tamen videtur suspendere effectum pro eo tempore, ne scilicet ille peccet, & ipse incidat in excommunicationem minorem, *Castrus Palaus in fin.*

---

## *TITULUS IV.*

### De Hæreticis, Schismaticis, et Apostatis.

Distinctè in hoc *text.* agendum est, de tribus, scilicet de Hæreticis, secundo, de Schismaticis, tertio, de Apostatis; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, ultrà tria ista memi nata in nostro titulo, dari etiam Judæos, & Saracenos, qui tamen non ponuntur à Paulo, qui nunquam fuerunt in Ecclesia, sicuti Hæretici, Schismatici, & Apostatæ; & quidem Judæi, quia de tribu Juda; Saraceni verò non à Sara fuerunt dicti, uxore libera Abrahæ, sed ab Agar ancilla originem duxerunt, quos Mahumetus, magnum Dei prophetam se esse dicens, Saracenos vocari jussit, & Saraceni dicuntur etiam Ismaelitæ, quia hujus gentis primus auctor fuit Ismael filius Abrahæ ex Agar, undè Agareni dicti sunt, & Saraceni nunc appellatur, legas *Covarr. lib.* 4. *var. lib.* 9. Judæi verò, & Saraceni prædicti non sunt de Ecclesia, *cap. gaudemus de divortiis*, *Paulus* 1. *Cor. cap.* 5. *cap. multi* 2. *q.* 5. *l. non reddentes*. *§. manifestum*, *C. de summa Trinit. & fide catholica. glossa in cap. de Terris in verb. persolvendas de Judæis, Bellarminus lib.* 3. *controv. contr.* 3. *cap.* 3. quia carent baptismate; ex quo prohibetur Christianis habere commercium cum Judæis, & Saracenis, *cap. in nonnullis de Judæis*; & habitu dicitur debere distingui, & ibi etiam dicitur in hebdomada sancta, non debere in publicum exire, *Ricciull. lib.* 2. *cap.* 43. *Barb. in d. cap. in nonnullis*, præcipitur verò eis, in omnibus locis, in quibus reperiuntur, observantia festorum, non quòd ligentur legibus Ecclesiasticis, sed ne in nostrum contemptum operentur talibus diebus, ut in Bulla Pii IV. quæ incipit, *Cùm nimis absurdum*, *Ricciull. lib.* 2. *cap.* 8. Nec potest Judæus Christianum servum habere, *cap. præsenti de Judæis*, *Ricciull. lib.* 2. *cap.* 28. licèt possint Judæi habere colonos, vel alios operarios Christianos, *cap.* 2. *de Judæis*; quibus etiam Judæis licèt permittant sacri Canones antiquas retinere Synagogas, non tamen permittitur, eas de novo construere. *cap.* 3. *de Judæis*, neque licebit per se loquendo Christianis laborare in Synagogis, nec eis vendere res pro illarum usu, *Sanchez in summa lib.* 1. *cap.* 7. *Ricciull. cap.* 39. & in statu Ecclesiastico Judæi nequeunt possidere bona stabilia, licèt alibi possint, ut ex Bulla Pauli IV. 3. *§.* 2. *cap. Judæi il.* 2. *de Judæis*, neque possunt Christiani Saracenis arma deferre, *cap. ità quorundam de Judæis*, ubi sub pœna excommunicationis id prohibetur, & hodie est reservata excommunicatio Pontifici in Bulla Cœnæ, *can.* 7.

Sciendum est secundo, quòd hæresis est græca vox, quæ dicitur ab electione, quòd scilicet eam sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem, *cap. hæresis* 24. *quæst.* 3. & latinè hæc vox importat sectam, quo nomine derivantur illi, qui contrà catholicam religionem ex industria docent, aut credunt, *cap. ad abolendam*, *& toto tit. de hæreticis*, descendit verò hoc nomen à verbo hærifcor, quod idem est, ac divido, à quo verbo hærcifcor, desumitur titulus familiæ hærcifcundæ, id est hæreditatis dividendæ, à quo etiam nomine dicitur hæremita, quasi divisus à commercio mundi, sic hermaphroditus, divisus à sexu *d. c. hæresi* 24. *q.* 3.

Definitur verò hæresis, ut sit error voluntarius intellectûs cum pertinacia contrà aliquam fidei veritatem, assertus ab illo, qui fidem recepit, ità communiter DD. apud *Ricciull. lib* 5. *cap.* 1. *num.* 7. *Barb.* in hac rubrica.

Dicitur error loco generis, quia error est genus; sub quo continentur omnes species falsorum dogmatum, sivè ad fidem pertineant, sivè non, quia sicuti non omnis veritas pertinet ad fidem, ità non omnis error est hæresis, quamvis nulla sit hæresis, quæ non includat errorem: uti principium necessarium, *cap.* 2. *de summa Trinit. & fide Catholica.*

Dicitur (intellectûs) tùm ad differentiam aliorum errorum, qui citrà intellectum committuntur; tùm quia sicuti assensus fidei consummatur in intellectu, ità error in eod. intellectu completur, *d. cap.* 2. *de summa Trinit. & fide Catholica.*

Dicitur (voluntarius) tùm quia ut hæresis dici possit, requiritur, quòd error procedat ex voluntate; nec sufficit, si procedat ex suggestione, vel ignorantia *cap unica de summa Trin. & fide Catholica in* 6. *Clem.* 1. *eod. tit.* undè ait *S. Augustinus lib.* 1. *de Trinitate* (errare potero, sed hæreticus non ero) tùm quia nisi error proficiscatur ex voluntate eligente, non potest dici hæresis contracta, *cap. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. *cap. excommunicamus*, *il.* 1. *§. credentes*, *cap. quicunque de hæreticis in* 6. quare nullum opus externum, quamvis atrox & horrendum, potest perficere hæresim, nisi simul concurrat error intellectûs voluntarius.

Dicitur (circà aliquam fidei veritatem) quia error genericus, ut deducatur ad speciem hæresis oportet, quòd impugnet fidei veritatem, *d. cap. unico de summa Trinit. & fide Catholica*, non enim sufficit si error sit circà res naturales, aut contrà Theses Astronomicas veluti si quis diceret, terram esse sole majorem, & dicitur contrà aliquem, quia ad hoc, ut possit quis dici hæreticus, sufficit, quòd erret in uno tantùm articulo fidei, aliàs error, si esset in totum, esset Apostata.

Dicitur (cum pertinacia assensûs) quia quòusque pertinacia non adest, forma hæresis non est perfecta, non obstante quòd adsit error intellectûs voluntarius *d. cap.* 2. *de summa Trinit. & fide Cathol. cap. unico, eod. tit. in* 6. superveniente verò pertinacia dicitur hæresis, undequaque perfecta.

Ex qua doctrina infertur primo, ad quæstionem, qualis debeat esse pertinacia in hæresi? In cujus solutione

tione suppono, dari tres terminos Synonimos, videlicet perseverantiam, pertinaciam, & obstinationem: Perseverantia est permanentia boni operis, usque in finem, estque pars fortitudinis, *S. Thomas 2. 2. quæst.* 122. *art.* 1. Pertinacia verò importat persistentiam in malo, & ideò opponitur perseverantiæ, sicut vitium opponitur virtuti, quia perseverat in eo, quod oportet, persistit in eo, quod non oportet *S. Thomas 2. 2. quæst.* 38. *art.* 2. ubi *Cajetan.* obstinatio est persistentia in ratione perversa cum abstinentia à bonis, & hæc propriè opponitur virtuti continentiæ, *S. Thomas 2. 2. qu.* 115. *art.* 1. His tribus terminis positis, in hæresi non requiritur obstinatio, sed satis est pertinacia, quæ ad hoc, ut dicatur contracta, sufficit quilibet consensus determinatus contrarius determinationi Catholicæ cognitæ *d. cap. ad abolendam,* ibi, *aliter sentire*: neque in hoc requiritur monitio, quia eo ipso, quòd quis intelligit, quid sit in fide constitutum, tenetur etiam scire se ad ejus credulitatem teneri, *d. cap.* 1. *de summ. Trinit. & fide Cathol.*

Infertur secundò, eum, qui exteriùs negat fidem, sed non interiùs, non esse hæreticum; ideò si quis transiret ad aliam sectam, vel Idolis externum cultum exhiberet, vel qui dæmonem verbo invocaret, vel qui caput asini baptizaret, vel incantationes, & maleficia efficeret, si errorem in intellectu non haberet, non esset hæreticus in foro conscientiæ; verùm poterunt in his omnibus casibus Inquisitores talem punire tanquàm hæreticum, quia ex signis externis possunt eum præsumere hæreticum; ideò mente non negans fidem, non punitur excommunicatione, & sic poterit à quolibet confessario absolvi in foro conscientiæ, licèt Ecclesia illum præsumat hæreticum quousque oppositum non probetur *Ricciull. lib.* 5. *cap.* 3. & est notanda doctrina communis in hac materia, quòd scilicet tenemur ad actum fidei duobus temporibus: primò scilicet in articulo mortis: undè Sacerdos instruens pœnitentem, cùm ei communionem præbet in articulo mortis, excitare debet ad fidem: & confortantes reum in patibulo, excitant ad symbolum, & in alio tempore, scilicet infrà singulos annos; nam qui, eam non exercet, est est in gravi periculo eam amittendi, quia desuetudine videntur habitus senescere, legas *Dian. par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resolut.* 19.

Infertur tertiò, eum, qui positivè dubitat de rebus fidei, non esse hæreticum, *cap.* 1. *de hæreticis*; *Diana part.* 2. *tract.* 2. *Miscell. resol.* 53. qui dicit cum multis, quos refert, & sequitur *Barb. in d. cap.* 1. Dubium in fide non esse hæreticum, quia de ratione hæresis est electio operis contrà fidem, sed dubius non adhuc aliquid elegit, sed manet in dubio, ergo non est hæreticus, & Respondent *DD. ad text. in d. cap.* 1. dùm asserit, dubium in fide esse hæreticum, seu infidelem, intelligi privativè, quia scilicet privatur certitudine fidei necessaria ad habitum fidei retinendum, non autem esse infidelem contrariè, quasi habeat actum fidei contrarium, cùm reverà non habeat. Secundò dicit *Dian.* quòd dubius in fide dicitur infidelis, quoad forum externum. Ego verò salvâ pace *Barb. & Dianæ*, junctis aliis, quos allegant, dico meliùs cum *Ricciullo lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 50. esse talem dubitantem verum hæreticum, quia etiam est hæresis, quandò quis non credit, quod credere debet. non enim sufficit non credere falsum, nisi firmiter teneamus ea, quæ tenere debemus, *cap.* 2. *de summa Trinit. & fide Catholica in* 6. & non sufficit non credere errorem; sed requiritur actus credulitatis affirmativus; quia si tu credis, posse Ecclesiam decipi in interpretatione sacrarum Scripturarum, es hæreticus, *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3, *ubi Cajetanus* *lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.* 3. sed si quis dubitaret de fide, jam crederet, judicium Ecclesiæ non esse certum, ergo erit verus hæreticus, & meritò Sacrum Tribunal Inquisitionis consuevit cum talibus procedere veluti hæreticis, & si deindè dubitationem omiserint, consuevit eos non nisi prævia abjuratione ad Ecclesiæ gremium recipere, ut benè *Ricciull. d. lib.* 4. *cap.* 4. nisi tamen ex simplicitate, vel rusticitate circà fidei credibilia dubitarent, nam tunc non ut hæretici, sed ut suspecti tantummodò, pro modo tamen suspicionis, abjurare coguntur, ut benè *Carena par.* 2. *tit.* 1. *§.* 3. qui verò patitur tentationes fidei, eisque resistit, non solùm non peccat, sed maximum meretur premium, ut refert *Parladorus in sesqui centuria, differ.* 107. *num.* 10. ex auditu insignem virum Alphonsum Tostadum Episcopum Abulensem, cùm esset in extremis, fuit valdè talibus tentationibus vexatus, & quòd ei sic concusso occurrit in cubiculo coquus, qui ab Episcopo interrogatus, an in Deum crederet: & quomodo? respondit Hispano sermone (yo à macha marsillo) quibus verbis animatus Episcopus cœpit clamare, & ego sic credo, & sic animam exhalavit; semper tamen in talibus tentationibus scire debet tentatus, unicum remedium esse positum in confidentia totali misericordiæ Dei, sicuti dictum est (Jacta cogitatum tuum in Domino) & *Psal.* 9. dicitur, Deus exaltat nos de portis mortis, id est, ut dicit Chrysostomus, Deus non solùm liberat nos à tentationibus, sed etiam, ut *Paulus* dicit 1. *Corinth. cap.* 10. facit cum tentatione proventum, id est ut superemus tentationes cum victoria, ut benè *Bellar. de arte benè moriendi, lib.* 2. *cap.* 9. & *Alvarez de vita spirituali eligenda, lib.* 5. *cap.* 14. *meditat.* 4.

Infertur quartò, ad quæstionem, an tenens veram opinionem, putans tamen esse contrà Catholicam Ecclesiam, dicatur hæreticus? Responsio est communis, esse hæreticum, ità *Sanchez, Farinaceus, & alii,* quos sequitur *Carena par.* 2. *tit.* 1. *§.* 13. *Ricciull. lib.* 5. *cap.* 5. quia talis recedit formaliter à fidei ratione credens non in universum esse vera ab Ecclesia definita, & in effectu ille talis negat, Ecclesiam esse certam fidei regulam, quæ nec falli, nec fallere potest, ergo est verus hæreticus: neque obstat, quòd percutiens laicum credens esse clericum, non incidat in excommunicationem, *cap. si quis suadente diabolo* 17. *quæst.* 4. quia, ut benè *DD.* citati, talis non est verus percussor clerici, & excommunicatio, *d. cap.* fertur contrà percussorem clerici: sed ille est verus hæreticus, ergò.

Infertur quintò, quòd ad hoc, ut quis possit dici hæreticus, requiritur, ut aliquandò fidem Christianam professus fuerit, quare primò cathecumenus fidem negans, non est hæreticus, quia eam non suscepit, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 34. & meritò rejiciuntur multi *DD.* quos refert *Carena §.* 5. qui dixerunt, Ecclesiam habere jurisdictionem in Cathecumenos, quos meritò reprehendit, quia per Baptismum efficitur quis homo Christianus, & membrum Ecclesiæ, ut latè *Ricciull. libr.* 3. *cap.* 4. Illi verò, qui fuerunt baptizati Baptismo invalido, quoad forum externum præsumuntur hæretici, legas *Carenam ubi supr.* qui verò negavit propositionem deductam ex una propositione de fide, & altera naturali, in foro externo est hæreticus, ut si quis dixerit, omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis; illa enim ultima propositio dededucitur ex duabus, quarum una est naturalis, scilicet major propositio, altera de fide, scilicet Christus est homo, ex quibus negans consequentiam est in foro externo hæreticus. *Portellius in dubiis regularib. in verbo hæresis, P. Gravina lib.* 1. *contrà* *hæreti-*

*hæreticos præscript. 6. contr. unica art. 2. & 3. Carena §. 50.*

Infertur sexto, ad quæstionem, quid si quis sit legitimè convictus de hæresi, & constanter neget asserendo se credidisse, & credere omnia, quæ credit sancta mater Ecclesia, an sit dicendus hæreticus, & uti talis puniendus? *Rota in dec. 1. de hæreticis in antiquis,* dicit, esse verè hæreticum, quam deindè cæteri fuerunt sequuti, de quibus *Ricciullus lib. 5.* sed contrarium sequitur *Boerius dec. 341.* Prima tamen opinio est vera, quia sicuti legitimè convictus est verè reus, ità ut non possit absolvi, sed condemnari, etiamsi non confiteatur, *cap. super quibusdam de verb. significat.* ità quandò legitimè de hæresi convincitur est condemnandus, tanquàm hæreticus, licèt ipse fateatur contrarium, quia ejus confessio non tollit legitimas probationes, quæ urgent adversùs eum, *cap. serpens; §. sed neque de pœnit. 1. distin.* solet verò Tribuna Sancti Officii requirere diversas conditiones, de quibus *Ricciullus ubi suprà.*

Infertur septimò, ad quæstionem, an errans in fide ex ignorantia, sit hæreticus? Responsio communis est, quòd si agamus de ignorantia invincibili, seù insuperabili; tunc non est hæreticus, quia caret prorsùs omni culpa, nec potest considerari aliqua malitia: *Farinac. de hæresi, quæst. 79. §. 3. num. 26.* quæ tamen ignorantia vix admitti potest, post tam patentem Evangelii promulgationem, & quandò prodesset, solùm potest prodesse in illis, quæ non tenemur explicitè credere, aliàs enim in aliis non excusaretur quis ille verò qui ignorantia probabili erravit, non potest reputari, hæreticus, quia non habet voluntatem contradicentem doctrinis Ecclesiæ. *cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3.* & hæc est sententia, *S. Th. 2. 2. quæst. 10. art. 2.* si verò quis erraverit ignorantia crassa, & supina, tunc habetur pro hæretico consummato, & subjacet omnibus pœnis hæreticorum secundùm unam opinionem, de qua *Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 11. punct. 1. diffic. 4.* secunda opinio dicit, quòd talis licèt peccet, non tamen erit hæreticus *Sanchez in Decalogo lib. 2. cap. 7. num. 20. & Alexander Pesantius in S. Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 1. disput. 1.* ubi testatur hanc esse receptam opinionem, & veram, quia de hæresis substantia est pertinacia, nec sufficit solus error, *cap. dixit Apostolus 24. quæst. 3. cap. 2. de summa Trinit. & fide Cathol. cap. unico eodem tit. in 6.* Sed errans quamvis crassissimè, non dicitur habere pertinaciam, quia error excludit consensum, *l. si per errorem, ff. de jurisdiction. omn. judic.* Errans verò ignorantia affectata secundùm aliquos non incurrit pœnas hæreticorum, sed alii dicunt, esse hoc totum ex qualitate circumstantiarum judicandum, an scilicet ille, qui errat, id affectavit, ut mala ageret, & erit in pœna, aut verò id non affectavit ad hoc, sed ex ignorantia noluit addiscere, & nullas incurrit pœnas hæreticorum, sic distinguit *Ricciull. lib. 1. de jure personarum, c. 7. per tot.*

Si petas, quæ sint propositiones in fide peccantes, & damnatæ? Respond. quòd primo dicitur hæretica ea propositio, quæ in aliquo adversatur Catholicæ fidei, id est propositionibus, quæ continentur in veteri, vel in novo testamento, vel quæ opponitur propositionibus ab Ecclesia in Conciliis, vel extrà firmatis, aut receptæ SS. Patrum sententiæ, quia sicut quicquid in prædictis reperitur definitum, est vera propositio catholica, *cap. 2. de summa Trinit. & fide catholica:* ità quicquid in rebus fidem tangentibus contrà proponitur; vel asseritur, est propositio hæretica, & damnata, *dict. cap. 2. Clem. 1. eodem tit. l. 1. 2. 3. C. de summa Trinit. & fide Cathol. l. quicumque, Cod. de hæreticis,* quod procedit, sivè propositio proferatur ab hæretico, sivè à non hæretico, cùm possit esse propositio hæretica, & auctor Catholicus, quod contingit, quandò in assertione non adest pertinacia, *cap. dixit Apostolus, cap. qui in Ecclesia 24. quæst. 3. dict. cap. 2. §. in nullo, C. de summa Trinit. & fide Cathol.* Putant verò multi, quòd si quis assereret aliquod contrà ea, quæ ad fidem non pertinent, licèt sit in sacra scriptura dispositum, non esset hæreticus, exemplum ponitur in eo, qui diceret, Isaac non fuisse filium Abrahæ, vel quod minus est, Tobiam non habuisse canem, vel Aaron non habuisse barbam, nam etsi omnia prædicta sint contrà scripturam, tamen; quia non est de re gravi, & ad fidem pertinente, non esset assertio hæretica, sed esset error. Alii dicunt, & probabiliùs, quòd si propositio prædicta dicatur cum pertinacia, eundem operatur effectum, ac si hæresim contineret, qui ergo pertinaciter diceret, Aaron non habuisse barbam, Tobiam non habuisse canem, esset hæreticus, quia, cùm idem sit Deus utriusque revelans, & utriusque testamenti Auctor, *cap. Episcopus, §. quærendum 23. dist. Trident. sess. 4.* ergo idem esset dicere in sacra scriptura posse contineri mendacium, ac asserere, Deum posse esse mendacem, quod est error contrà utriusque legis auctorem, *psal. 144.* fidelis Deus in omnibus verbis suis, & *Lucæ cap. 16.* facilius, est cœlum, & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere; ex quibus pluribus auctoritatibus, ità dicit *Bellarmin. de verbo Dei, cap. 1. & 2.* accedit, quòd talis assertio, quamvis de re levi, nihilominùs est valdè perniciosa, quia tollit fidem scripturæ: sicuti etiam instrumentum in parte falsum, redditur suspectum quoad omnes ejus partes & testis in uno articulo suspectus, redditur quoad omnes alios, *cap. pura 3. quæst. 9.* ergò si admitteremus in scriptura posse dari mendacium etiam jocosum, tota scriptura redderetur suspecta, *cap. si ad scripturas 9. dist.* esset ergo talis persona examinanda, ac de veritate informanda, & si post informationem, adhuc in sua opinione persisteret, esset contrà eum uti contrà hæreticum procedendum, ut post *Albertin. de hæreticis. qu. 30.* dicit *Ricciull. lib. 50. de jure personarum, cap. 8. nu. 8. in fine.*

Secundò, datur propositio sapiens hæresim, & dicitur illa, quæ prima consideratione habet sensum hæreticum, sed piè intellecta potest sensum habere Catholicum, veluti si quis asserat, Bibliam esse falsam; hæc enim propositio simpliciter intellecta est hæretica, quia omnia, quæ continentur in Biblia, sunt vera. *Trid. sess. 4.* verùm, quia potest intelligi de Biblia alicujus particularis quæ potest esse per fraudem impressoris, vel alterius depravata, ideò cum hac qualitate propositio, quæ erat hæresi proxima, efficitur Catholica, *DD. ubi sup.*

Datur tertio alia propositio, quæ dicitur erronea, estque illa, quæ est contrà veritatem aliquam adhuc ab Ecclesia non definitam, vel contrà veritatem non omnibus manifestam, vel à proferente ignoratam.

Datur quarto propositio temeraria, estque illa, per quam asseratur aliquod tanquàm certum, quod potest efficaciter probari ratione, vel authoritate, veluti si quis assereret, quòd mundus infrà decem annos finietur; licèt enim hoc possit esse verum, tamen quia nulla potest certa ratione, vel autoritate probari, non potest nisi temerè asseri; tùm quia assumitur pro certo, quod est dubium, tùm quia temerarium satis est, rem valdè dubiam & incertam sua velle determinatione deffinire, *l. 3. C. de summa Trin. & fid. Cathol.*

Datur quintò propositio schismatica, & seditiosa, & est, quæ inducit divisionem in Ecclesia, veluti si quis asserat, posse eodem tempore dari duos Pontifices legitimè electos, quæ propositio includit etiam hære-

hæresim, quia adversatur articulo (unam sanctam, &c.) *ut in extravaganti unam sanctam, de major, & obedientia.*

Datur sexto loco propositio scandalosa, quæ etiam nuncupari solet male sonans, & piarum aurium offensiva, & est, quæ solet præbere occasionem peccandi veluti si quis enumeraret omnia incommoda, quæ patimur ex jejunio, mala, quæ indè nasci possunt, vel si quis dinumeret commoda, quæ ex venereo complexu, quoad sanitatem consequi posset, hæc enim, & similia sivè vera sint, sivè falsa, ex quo homines alliciunt, & reddunt promptiores ad peccandum, meritò dicuntur scandalosa, DD. communiter, quos sequitur *Ricciullus lib. 5. de jure personarum, cap. 8. num. 14.*

Datur septimo propositio injuriosa, & est illa, quæ detrahit alicui statui fidelium vel personæ insigni, qualia sunt maledicta, quæ ab hominibus parùm timoratis proferuntur contrà statum religiosorum.

Datur octavo propositio impia, id est, quæ tendit contrà pietatem, veluti si quis assereret, eleemosynas non esse facilè dandas, mortuos non esse sepeliendos, & similia, quod enim tendit contrà pietatem non potest nisi impium judicari.

Datur nono propositio blasphema, estque illa, per quam Deo, & Sanctis ejus irrogatur injuria, quod propriè contingit, vel cùm illi tribuitur, quod ei non convenit, vel cùm removetur ab eo, quod illi convenit; aut cùm tribuitur creaturæ, quod propriùm est Dei: primo namque casu offenditur Dei misericordia. Secundo læditur justitia, Tertio offenditur ejus Majestas, *DD. ubi sup.*

Rogabis, quot sint species hæreticorum? Respondeo, quòd alii sunt externi, alii interni, sivè, ut dicunt alii, purè mentales; alii sunt hæretici veri, alii præsumpti, alii affirmativi, alii negativi, alii pœnitentes, alii relapsi.

Externus est, qui hæresim, quam mente concepit, verbo, vel signo manifestavit, hæreticus internus, sivè mentalis est, qui hæresim quidem mente concepit, eam tamen nusquàm exteriùs manifestavit; quod si manifestaverit signo vel verbo, erit externus hæreticus, licèt accidentaliter verbum non fuerit auditum, vel factum non fuerit visum, requiritur verò, ut signum potuerit cognosci, & quòd manifestet hæresim concludenter, nam non sufficit, si sit æquivocum, sed oportet, ut sit tale, quòd, si quis esset præsens, cognosceret proferentem esse hæreticum: & requiritur etiam, quòd manifestatio fiat in malum non verò in bonum finem, *Guttierez Canonic. quæst. lib. 1. cap. 5. Sanchez in summa lib. 2. cap. 8. Corduba in quæstionario lib. 4. quæst. 3. opin. 3. in 3. corollaria*, est tamen quæstio, an hæreticus mentalis tantùm incurrat pœnas hæreticorum? & Responsio est communis non incurrere; ità *Valerus in differ. utriusque fori in verbo hæresis diff. 2. Sanchez lib. 2. summæ cap. 7. contrà Abbatem, Joannem Andream, & multos Canonistas in cap. ultim. de hæreticis. Menochius de arbitr. casu 360.* quia Ecclesia nullam habet jurisdictionem in actus internos, qui nullo modo possunt esse Ecclesiæ cogniti exteriùs, quia cùm Ecclesiæ gubernatio sit externa, debet ferri circà objecta visibilia, & potest dari casus, quo quis proferat exteriùs hæresim internam absque ulla excommunicatione, ut si eam proferat ad petendum consilium, vel ad aperiendum confessario, vel qui exteriùs, sed in debilitate, in deliberatione sufficienti solùm ad veniale profert, vel qui eam exteriùs profert aliquo signo, per quod à nullo alio cognosci potest, *Granadus in 2. 2. S. Thom. contrà 1. tract. 15. disp. 13. num. 14.*

Ex quo resolvitur quæstio illa Theologorum, & Canonistarum, an ecclesia habeat jurisdictionem in actus internos? ex qua.

Dico primo in actibus occultis per accidens Ecclesia habet jurisdictionem non solùm quoad pœnam peccati, sed etiam quoad pœnas censurarum, & alias pœnas personales: *Covarr. in regula peccatum par. 2. num. 7. Surdus dec. 147. num. 8. & 9.* ideòque hæreticus occultus per accidens contrahit omnes, & quascumque pœnas, & censuras contrà hæreticos inflictas, *Sanchez in summa lib. 2. cap. 8.*

Dico secundo, quandò internum, sivè occultum cordis est annexum actui exteriori; tunc Ecclesia habet in eo potestatem, non solùm quoad peccatum, sed etiam quoad censuras non directè & per se, sed indirectè per viam necessarii antecedentis, vel consequentis, v. g. Ecclesia obligat clericos in sacris constitutos, item, & beneficium obtinentes ad recitandum officium, verùm, quia recitatio magis consistit in cordis affectu quàm in psalmorum pronunciatione, *cap. non mediocriter de consecrat. dist. 5. cap. sedulò. 38. dist.* ubi Ecclesia præcipit sub pœna suspensionis, ut officium studiosè celebretur pariter, & devotè, & in *Clem. eod. tit.* præcipitur, ne officium psallatur transcurrendo, & syncopando, sed horis debitis, & devotè.

Dico tertio, tenetur fidelis actum internum in foro pœnitentiæ revelare per sacramentalem confessionem, ut de facto præcipit eam ecclesia semel in anno, *cap. omnis, utriusque sexûs de pœnit. & remiss.* cujus dispositio continet præceptum, ut bene *S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1.* undè posset Ecclesia etiam directè reservare sibi absolutionem peccatorum mortalium merè internorum, ut benè *Cajet. 2. 2. quæst. 11. Suar. disp. 21. de pœni. sect. 2. Sanch. lib. 2. summæ cap. 8.*

De censuris verò, quibus Ecclesia ligat, est quæstio, an possit Ecclesia fideles ligare pro actu interno?

Prima opinio affirmat *gloss. in Clem. 1. §. verùm de hæreticis, & in cap. unic. in verb. habuerit, de schismaticis in 6. & in summa 24. quæst. 1. & in l. cogitat. ff. de pœnis, Menoch. de arbitr. casu 360. num. 7. Cevall. quæst. 698. Salas disput. 9. de legib. sect. 1.*

Secunda opinio est, quòd non habeat auctoritatem per censuras Ecclesiasticas puniendi actus internos, *Clarus in §. hæresi num. 23. Carb. de legib. lib. 8. disput. 14. Garsia de benefi iis punct. 11. cap. 10. num. 9. Alterius de censur. lib. 1. cap. 2. disput. 1 Suarez par. 3. tom. 5. disput. 4. sect. 2. Surd. decis. 148. num. 15.* & hæc opinio colligitur ex *S. Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 3.* tùm quia semper Ecclesia habuit pro vera propositionem illam, solius Dei esse de internis hominum cogitationibus judicare, ergò ut adsit aliqua differentia inter judicium Dei, & judicium Ecclesiæ, non incongruit, quòd merè interna sint extrà forum Ecclesiæ, & soli Deo reserventur: hinc fatetur Ecclesia, se de occultis non judicare, *cap. ut nostrum, ut Ecclesia benefic. sine diminut. confer. cap. tua nos, de Simonia. cap. à nobis il. 2. de sententia excommunicat. cap. tua de sponsalib. cap. 1. de clandestina desponsatione, cap. consuluisti 2. quæst. 5. cap. si quandò 15. quæst. 6. cap. erubesc. ubi gloss. 31. dist.* ex quo fit, ut suprà dicebamus, hæreticum purè mentalem nullas incurrere pœnas hæreticorum, & potest ab omni confessario absolvi, quia exclusa censura, non remanet nisi peccatum, quod potest à Confessario quocumque absolvi, *Covarr. in regula peccatum par. 2. in principio num. 7.* nisi tamen peccatum proveniens ab hæresi, non reperiatur superiori reservatum, quia licèt hæreticus purè mentalis nullam incurrat censuram, tamen remanet ligatus peccato, quod quamvis mentale & internum, potest

potest Ecclesia sibi reservare: ergo si tunc reperiatur reservatum, non poterit absolutio dari à simplici confessario, *Suarez. d. disput.* 21. *sect.* 2.

Petes, quis dicatur hæreticus præsumptus?

Pro responsione suppono, suspicionem esse minorem præsumptione, quia à suspicione devenitur ad præsumptionem, ut benè *Farinac. de indiciis, & tortura quæst.* 1. In materia tamen hæresis præsumptio, & suspicio confunduntur, & sumuntur pro eodem, adeò ut, quæ dicantur de suspicione, dicantur etiam de præsumptione, & è contra, *Menoch. lib.* 1. *præsumpt.* 100. *& lib.* 5. *præs.* 6. *num.* 15. est autem præsumptio in hac materia triplex, nempè levis, vehemens, & violenta, *cap. accusatus §.* 1. *cap. contumacia de hæret. in* 6. *ubi gloss. eodem tit.* dicitur levis præsumptio, quæ desumitur ex signis exterioribus operum, vel verborum, quæ licèt rarò, nihilominùs possunt quandòque indicare hæresim, veluti si quis facit frequenter perjurium, tunc enim suspicaretur contrà eum, quòd non benè sentiret de Deo. *Menoch. ubi suprà:* sic, si quis faceret occulta conventicula, vel deviaret vita, & moribus à communi conversatione fidelium, vel aliud faceret, quod solent communiter hæretici facere, præsumeretur malè sentire de fide, Appellatur verò levis præsumptio, tùm quia oritur ex levibus conjecturis, *l.* 2. *in fine. ff. de hæreticis*, tùm quia levi defensione deletur, cùm non soleant Inquisitores ex levibus tantùm procedere ad condemnationem, *Menoch. ubi suprà Farinac. de hæresi quæst.* 187. *§.* 2. *à num.* 27.

Suspicio vehemens, sivè præsumptio sumuntur ex signis operum, aut verborum, quibus concludi solet freqnenter. & ut plurimùm, quòd talia agens, vel dicens est hæreticus, *Menoch. ubi suprà. Martinus del Rio lib.* 5. *magicarum section.* 12. exemplum hujus præsumptionis est multiplex: primùm, si quis negat explicitè aliquas fidei propositiones, quas tenetur scire ex officio: secundum, quandò quis falsas observat ceremonias; puta adorando sepulchrum, Mahumeti, vel alterius hæresiarchæ tenens vel venerans reliquias. vel qui abstinent se à vino, carne porcina, & ab aliis in veteri lege prohibitis, tales enim præsumuntur de genere Judæorum, & Maurorum *Menoch. ubi suprà præs.* 6. *n.* 4. tertium exemplum est in eo, qui dæmonem invocat ad tentandam alicujus pudicitiam, dummodò se dæmoni non subjiciat, tali enim casu, licèt non possit dici hæreticus, quia non habet errorem intellectûs, tamen, quia ut plurimùm hæc consueverunt ab incredulis fieri, redditur suspectus vehementer, quia tales actus pertinent ad infidelitatem. *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 95. *ubi Cajetan. Olurad. cons.* 210. aliud exemplum est in fautoribus hæreticorum, quia ut plurimùm solent esse ejusdem religionis, & per consequens de hæresi vehementer suspecti, *cap. excommunicamus §. credentes de hæreticis, ubi glossa, & DD. Menoch. dicta præs.* 6. *num.* 19. & sub nomine fautorum comprehendutur etiam receptatores *dict. §. credentes*, sic etiam præstans auxilium *cap. inquisitionis, §. fin. de hæreticis*, aliud est exemplum in eo, qui frequenter, & familiariter conversatur cum hereticis, vel in legente libros eorum *dict. cap. excommunicamus, §. credentes, cap. inter sollicitudines, de purgatione canonica*, nisi suspicio purgetur ex qualitate personæ conversantis, aut legentis, veluti ex religione, gravitate, circumstantia locorum, & similibus, *Menoch. ubi suprà num.* 17. aliud exemplum est in eo qui citatus pro causa hæresis, comparere recusat, quia, cùm possit comparendo probare innocentiam, si non comparet, redditur vehementer suspectus, *cap. cum contumacia, ubi DD. de hæreticis in* 6. aliud, exemplum est in eo, qui duas duxit simul uxores, præsumitur enim, quòd talis malè sentiat de Fide, ex quo facto redditur suspectus de hæresi vehementer, quia malè sentit de Sacramento matrimonii, *Albert. de hæreticis, quæst.* 23. *num.* 49. *Covarruv. de sponsalib. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 8. §. 3. *Menoch. casu.* 420. *num.* 114. & latè *lib.* 1. *quæst.* 100. *& lib.* 5. *præsumpt.* 6. talis verò suspicio licèt sit vehemens, non tamen sufficit ad condemnationem de hæresi, *cap. litteras de præsump. cap. accusatus de hæreticis in* 6. & admittit etiam probationem in contrarium, *Roiias de hæreticis par.* 2. *sing.* 195. *Pegna in addition. ad Emericum commentario* 80.

Datur etiam suspicio violenta, & est, quæ oritur ex signis operum, aut verborum, ex quibus efficaciter, & semper ferè solet concludi hæresis: veluti si quis transeat ad sectam Infidelium, *cap. contrà Christianos de hæreticis*, vel propositiones hæreticas publicè asserat, *Farinac. de hæresi, quæst.* 187. *§.* 4. *num.* 45. quæ suspicio est præsumptio juris, & de jure, ac per consequens non admittit probationem in contrarium, quia habetur pro veritate: argumento *cap. is qui fidem de sponsalibus, cap. quanto de præsumption. l.* 1. *§.* 1. *C. de rei uxor. act. Pegna par.* 2. *Comment* 80.

Ex quibus sequitur, quòd semper dicitur quis hæreticus præsumptus, sivè enim notetur suspicione levi, sivè vehementi, sivè violenta. semper dicitur præsumptus: quamvis, quandò est suspectus de violenta, puniatur tanquàm hæreticus, *cap. cum contumacia de hæret. in* 6. quantùm verò ad abjurationem: dico non esse differentiam inter suspicionem vehementem, vel violentam, sed omnes abjurant, vel tanquàm de vehementi, vel tanquàm hæretici formales, *Genuensis in praxi cap.* 84. *num.* 8. *Farinac. de hæresi, quæst.* 187. §. 4. *num.* 51.

## *De Schismaticis.*

Sciendum est primo, quòd schisma est verbum Græcum, latinè significans scissuram, *cap. schisma* 27. *quæst.* 1. undè omnis societatis, vel communionis divisio schisma nuncupatur, sic apud *Joannem* 9. cùm Christus sanasset oculum Cœci, schisma erat inter Judæos, scilicet diversa de miraculo sententia, & *glossa ibi dicit*, quòd si omnes mali fuissent, schismate caruissent, qua attenta significatione, interdùm homo, cùm per peccatum separatur à Deo, hæc separatio dicitur schisma, juxtà illud *Isaiæ cap.* 59. iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & habetur in *cap. audi* 11. *quæst.* 3. sic interdùm homo excommunicatus eodem vocatur nomine, quia per excommunicationem separatur à consortio hominum, *cap. sacerdotes* 1. *quæst.* 1. *cap. Apostolica* 24. *quæst.* 3. Sed propriè schisma pertinet ad divisionem illam, quæ in Ecclesià Dei quandòque contingit, *cap.* 1. *& toto titulo de schismaticis.*

Sciendum secundo est, quòd schisma definitur hoc modo, est divisio, per quam quis ab unitate Ecclesiæ separatur, in quantùm Ecclesia est corpus quoddam mysticum ex universis fidelibus, & Romano Pontifice tanquàm capite constans, vel ut alii definiunt, est pertinax substractio, & separatio ab obedientia universalis Ecclesiæ, vel summi Pontificis, *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *Sanch. in summa lib.* 2. *cap.* 36.

Ex quibus infertur primo, quòd non omnis inobedientia Pontifici facta, est schisma, sed inobedientia, quæ habet annexam rebellionem in Pontificem, non ex parte rei præceptæ, sed ex parte officii ipsius

ipsius Pontificis, nempè quandò quis recusat subesse Pontifici uti capiti Ecclesiæ, & sic ratione officii, quo fungitur, post alios, *Sanch. nu.* 3. undè, si illum quis nolit agnoscere uti Dominum temporalem, non erit schismaticus; sic, si quis subjectus dominio Ecclesiæ temporali, neget obedientiam eidem, diceretur quidem Rebellis, sed non schismaticus, quia non impugnat Papam, uti caput Ecclesiæ, sed ut Principem temporalem, *Sanch. nu.* 4. & est notandum, quòd licèt de necessitate fidei teneatur credere, summum Pontificem esse verum Petri successorem, tamen si aliquandò contingat inter duos, vel plures quæstio de Papatu, non cogimur eadem fide credere, hunc esse magis Papam, quàm alium, quia hoc pendet ex dubietate facti quæ non pertinet ad fidem, *Sanchez lib.* 3. *cap.* 36. *in fine*, & stante tali contentione inter illos duos, & non constat de legitima electione, recurrendum est ad concilium generale, ut ab ipso judicetur, & definiatur, quisnam sit verus Pontifex, cujus definitioni, qui stare noluerit, habendus erit, ut schismaticus, *cap. licèt de election. Duard. ubi suprà, est text. in cap. si duo fortè* 79. *dist. ubi, gloss singularis. Abb. in dict. cap. licèt de election. Carus in §. fin. quæst.* 77. *Barb. videndus in rubrica de schismaticis num.* 6.

Ex quibus sequitur, eum, qui recedit ab obedientia sui Prælati, sivè Episcopi, vel Ecclesiæ, seù Diœcesis, non esse propriè schismaticum, quia schisma est divisio, & separatio ab Ecclesia universali, vel ab ejus capite; *Duardus in bulla cœnæ lib.* 2. *quæst.* 56. *num.* 50. *Laym. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. sicuti neque dicitur schismaticus ille, qui ob receptam à Summo Pontifice injuriam, noluit ejus obedire præceptis, nam talis non dicitur rebellis à Pontifice, ut Pontifex est, sed animo vindictæ, & privato, quamvis ipsum recognoscat, ut Christi Vicarium. Ille etiam est schismaticus, qui contempto Summo Pontifice facit, aut facere intendit Synodos generales, aut qui gerit se, ut Papam, cùm non sit Canonicè electus; sed schismaticus esset, qui intenderet facere aliquod opus putà jejunium, eleemosynam, &c. ut divisus ab Ecclesia, *DD. citati.*

Sequitur secundò, schisma ex se esse peccatum mortale, tùm quia adversatur charitati, cujus proprium est unire, & conciliare, tùm quia gravissimis pœnis punitur, ut patebit ex dicendis infrà, *Valentia* 2. 2. *disputat.* 3. *quæst.* 15. *punct.* 1. *S. Thomas verò* 2. 2. *quæst.* 9. *art.* 2. dicit, schisma esse minus peccatum, quàm hæresis, nempè hæresis est contrà ipsum Deum, peccatum verò schismatis est contrà unitatem Ecclesiæ, quæ unitas, est aliquod bonum participatum; nec potest schisma esse peccatum veniale ex parvitate materiæ, ut in simili diximus de hæresi, nam schisma consistit formaliter in divisione ab unitate universalis Ecclesiæ, aut capitis, quæ divisio in qualibet materia gravissimam continet malitiam, & regulariter schisma conjungitur tum hæresi, licèt possit dari schisma sine hæresi, ut si quis credat S. P. esse verum Christi Vicarium in terris, & fidem interiùs præstet omnibus articulis fidei, qui ab Ecclesia credendi proponuntur, & tamen ei neget obedientiam, quo casu erit schisma sine hæresi: Hæresis verò non potest esse sine schismate, quia omnis hæreticus recedit ab universali Ecclesia quatenùs renuit omnibus & universis fidei articulis ab ea propositis, assensum præbere: ità *S. Thom. loc. cit. artic.* 1. *ad* 3. *Duard. lib.* 2. *q.* 56. *nu.* 4.

Sequitur tertio, habentem facultatem absolvendi à casibus reservatis Pontifici in bulla cœnæ, posse schismaticos absolvere, tùm, quia hoc proprium est excommunicationis contractæ ob hæresim, ut auferri nequeat absque speciali expressione; sed in facultate absolvendi à schismate non requiritur expressio schismatis, nam generalis facultas generaliter est explicanda, *Sanc. d. c.* 36. *n.* 17. Sequitur quartò, ad schisma plura requiri. Primò enim requiritur inobedientia Summo Pontifici, à quo scinditur cum intentione expressa non obediendi ei, ut Summus Pontifex est; nam si recusat ei obedire, ut homini privato particulari, non est schismaticus. Secundò requiritur, quòd schismaticus dividendo à Romana Ecclesia, transeat in aliam oppositam Congregationem. *c. inter schisma* 25. *quæst.* 3. *cap. hæresim* 24. *q.* 3. *Ricciullus de Jure personarum, lib.* 9. *cap.* 1. *Sanchez d. l. cap.* 36. *Sanctarellus de hæresi cap.* 43. *Layman. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 11. *Barb. in rubrica de schismaticis num.* 7. qui dicunt, quòd licet schisma sit conjunctum cum hæresi, & non sit formaliter tale, tamen si adest error intellectus in tali separatione, puta si quis putet, se justè facere se separando ab Ecclesia, tunc erit formaliter hæreticus, *arg. text. in clem. unica, §. sanè de usuris, juncta Clem. ad nostram de hæreticis*, & sic procedit *text. in cap.* 1. *de schismaticis*, ubi de Hæresiarchis, & schismaticis simul fit mentio.

Sequitur quintò, quòd omnis hæreticus est schismaticus, quia hæreticus non credendo Ecclesiæ, se separat ab illius unitate, & ex eo quòd non credit, hæreticus dicitur, ex eo verò, quòd ab Ecclesiæ unitate se separat, schismaticus appellatur, non tamen omnis schismaticus est hæreticus quia potest esse quòd quis credat omnibus fidei articulis, & Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & tamen nolit ex propria voluntate illi obedire, *S. Thom. d. quæst.* 39. *art.* 1. *ad* 3. *Sanchez ubi suprà nu.* 8. *Sanctarellus d. cap.* 47. Sunt etiam schismatici in duplici differentia, alii namque sunt divisi ab Ecclesia quoad obedientiam solùm, utpotè, quia, cùm nullum habeant in fide errorem, moti malitia, superbia, & similibus, deviant ab obedientia Ecclesiæ: Alii verò sunt divisi ab Ecclesia, & quoad obedientiam, & quia nolunt determinationibus Ecclesiæ credere, & hi propriè sunt hæretici, quæ divisio magistralis schismaticorum fit à *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *ad* 3. *de communi Ricciullus lib.* 8. *de jure person. cap.* 1. *à nu.* 17. *Carena de officio inquisitoris par.* 2. *tit.* 3. *§.* 10. & dicere solebat *Origenes hom.* 9. *in Ezechielem* ubi schisma, ibi hæreses, & dissentiones, & ideò contrà hos schismaticos procedit Tribunal Sancti Officii, ut post alios *Carena*, §. 11. & sunt suspecti de hæresi vehementi, *Castrus Palaus tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *num.* 19. & præsertim si schisma sit antiquum, oritur gravis præsumptio hæresis, *ut in extravaganti ad certitudinem de sententia excommunicationis*, ubi *glossa*, & legas *Carenam ubi suprà d. §.* 11.

Sciendum est tertio, omnia gesta per schismaticum nullius esse momenti, *cap.* 1. *ubi notatur de Baptismo*, *cap.* 1. ubi *DD. de schismaticis, cap. ordinationes* 9. *quæst.* 1. *cap. factus* 7. *quæst.* 1. *cap. didicimus* 34. *quæst.* 1. quia schismaticus non habet claves Cœli, sed Inferni: ubi tamen est distinguendum, aut enim Sacramentum administratur à schismatico secundùm formam Ecclesiæ, eo, quia intendit facere, quod facit Ecclesia, & tunc, si versamur in Sacramentis, quæ ultrà gratiam, aliam executionem non expectant, ut sunt confectio Corporis Christi, Baptismus, & Unctio sacra, & ista tenent, quamvis recipientes ab eis, peccent mortaliter, nisi in casibus à jure permissis, de quibus *in* 34. *dist.* sed, si versamur in Sacramentis, ubi ultrà gratiam desideratur executio, pro ut est Sacramentum ordinis, & tunc respectu characteris valet, quia, cùm illud sit impressum in anima, etiam à schismaticis confertur, *glossa in d. cap.* 1. *in verb. irritas. de schismaticis*; sed respectu executionis non confertur, nisi Sacramentum fuerit receptum ex probabili ignoran-

ignorantia *Riccius d. lib.9. cap.3. de jure person. Barb. in d. cap. 1. de schismaticis*; nec possunt fieri per schismaticos collationes beneficiorum, *d. cap. 1. Ricciullus cap. 4. Barb. num.7.* non tamen est ipso jure irrita collatio facta per schismaticum, sed irritandata, *Barb. num.* 8. licèt alii dicant, verbum (careant) de quo ibi, importare latam sententiam.

Sciendum est quarto, gesta per schismaticos in temporalibus non valere, *cap. 1. de schismaticis*, ubi *glossa in verb. firmitate*, & *DD.* communiter *Franciscus Marcus decis. 497. Rota apud Seraphinum dec. 612.* quia, dùm Ecclesia habet Pastorem schismaticum, dicitur vacare; *cap.1.& cap. cùm vobis de praescript.* actus autem facti sede vacante, dicuntur nulli, *cap. precariæ 11. quæst. 2. cap. si qua de rebus 12. quæst. 1.* sicuti alienationes factæ ab intrusis, nullius reputantur momenti. *cap. nihil*, ubi *glossa*, & *DD. de elect. cap. fin. ne prælati vices suas, cap. alienationes 12. quæst. 2.* Ideòque collationes beneficiorum factæ à schismatico, nullius sunt momenti, *cap. 1. §. adjicientes de schismaticis*, & pari ratione nullæ reputantur uniones, sicuti nullum reputatur privilegium, *Rota ubi suprà*; quod procedit, etiamsi actus sit factus à schismatico cum consensu capituli, quia nihilominùs est nullus: *glossa in d. cap. alienationes 12. quæst. 2. Ricciullus lib. 9. de Jure personarum cap. 4. per totum.*

Quæstio tamen est, an Pontifex pro schismate sedendo in Ecclesia, cogi possit renunciare Pontificatui?

Respondeo, distinguendo tres casus: primus est, quandò versamur in Papa electo tempore schismatis, præstito antè electionem juramento de renunciando Pontificatui, si contingeret, alium, qui eo tempore, pro Pontifice se gerebat cedere, vel decedere, prout contigit tempore Gregorii XII. qui antè electionem jurejurando se obligaverat renunciare Pontificatui, si contingeret, Benedictum XIII. qui eo tempore pro Pontifice se gerebat, decedere, vel Pontificatui cedere, & tali casu dicendum est cum communi Canonistarum opinione, posse cogi ad cedendum, si ità visum fuerit Concilio, cujus hoc debet esse judicium, ità *Bald. in cap. venerabilem de electione num.10.* cujus ratio est, quia licèt electio Pontificis nullam conditionem recipiat, tamen etiam Summus Pontifex ligatur prædicto juramento, quia nititur ratione naturali, & respicit bonum publicum, ac tendit ad dirigendum universalis Ecclesiæ statum, cui subvenire quilibet tenetur; *cap. memor. 23. quæst. 1. cap. si Rector. 43. distinct.*

Secundus casus est, quandò discordantibus electoribus, duo, vel plures sunt Pontifices electi nullo præstito juramento de renunciando, sed adhuc non constat, quis eorum sit verè, & legitimè electus, & tunc benè possunt, vel omnes, vel illi tantùm, de quibus magis visum fuerit Concilio, cogi ad renunciandum, *cap. si duo 39. dist. Franciscus Marcus dec. 942. par. 1.* ratio est, quia, quandò est dubium quis sit verus Pontifex, perindè est, ac si nemo esset electus, *arg. text. in l. Duo sunt Titii, ff. de testam. tutela, & in l. si fuerit, ff. de rebus dubiis, & in l. cùm ex pluribus, ff. de manumissis testamento, cap. ex literis de sponsalibus, cap. solemnitates de consecrat. dist.1.* & ideò ratione publicæ utilitatis coguntur plures electi ad cedendum, ad hoc, ut veritas & pax in Ecclesia sequatur.

Tertius casus est, quandò constat, aliquem esse certum, verum, & indubitatum Pontificem, & alius vult eum inquietare, nec facile est ipsum armata manu comprimere, & hoc casu est quæstio, an verus Papa ad hoc, ut pax in Ecclesia sequatur, cogi possit Pontificiæ Majestati renunciare? & prima opinio dicit, quòd teneatur renunciare, tùm quia bonus Pastor ponit animam suam pro ovibus: Joannis *cap. 10.* tùm quia Prælatus inferior ob scandalum sedandum cogi potest renunciare, *cap. nisi cùm pridem, §. propter malitiam de renunciatione. Romanus singul. 794. Marsilius singul. 934. Covarru. in regula peccatum par. 1. nu. 5. de regulis Juris in 6.* ergo tanto fortiùs tenetur Pontifex, quo majus est scandalum, & major utilitas, quæ deindè consequitur in beneficium universalis Ecclesiæ: hanc opinionem sequuntur multi, quos refert *Ricciullus lib.9. de jure personarum, cap.5. num. 5.* Secunda opinio verissima est contraria, quam sequuntur *Turrecremata de Ecclesia lib. 4. par. 1. cap. 14. Bald. in cap. pastoralis de renunciat. Ricciullus ubi suprà*, quia nemo cogitur ad evitandam malorum hominum infestationem juri suo cedere, si ex hoc in futurum in Ecclesia Dei scandala nasci possunt, *cap. nisi cùm pridem, §. pro gravi de renunciat. cap. super gestum. cap. suscitans, cap. adversùs 7. quæst 1.* Sed, si talis Papa cogeretur renunciare, utique multa scandala orirentur in Ecclesia Dei: primò enim potestas Pontificia quæ perpetua esse debet, redderetur omninò labilis, & aperiretur via cuilibet malo Principi, depellendi verum Pontificem à sede, creando alium Papam, eumque armis adjuvando, ad hoc ut verus Pontifex cogeretur renunciare, quod multùm noceret Ecclesiæ. Confirmatur, quia, quandò scandalum non oritur ex culpa gerentis officium, sed ex malitia malorum hominum, tunc nemo cogitur propria dimittere propter illum, qui sic scandala concitat, quia tunc est propriè scandalum Pharisæorum, *d. cap. nisi cùm pridem, §. pro gravi, Covarru. in regula peccatum num. 6. in principio.* sed in casu, quo Summus Pontifex est verus, & electus jam Pontifex, non præbet scandalum, sed oritur ex alieno facto, ergo non tenetur renunciare.

Ad argumentum verò partis contrariæ Respondeo, quòd licèt Christus dixerit, bonum Pastorem debere animam ponere pro ovibus suis, tamen intelligitur viriliter agendo, non verò locum suum cedendo, legis *textum in cap. sciscitatis 7. quæst.1.* & licèt non teneatur Pontifex tali casu renunciare, tamen laudandus esset, si id faceret casu, quo non adest aliud remedium ad schisma sedandum, posito quòd ex tali cessione prævideat Pontifex, consequuturum pacem Reipublicæ, & hic est casus, in quo bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis, in quo assimilaretur Jonæ dicenti: si propter me tempestas ista orta est, projicite me in mare.

### *De Apostatis.*

Sciendum est primò, quòd Apostasiæ nomen est nomen Græcum, & idem significat, ac latinè elongari, & deficere, sivè esse rebellem, qua ratione illi, qui antiquitùs erant Christiani, & transibant ad Judaismum, vel paganismum, dicebantur Apostatæ, quasi propriæ religionis rebelles, & desertores, *Decianus lib. 5. criminalium cap. 70.* quia verò à Deo sejungimur triplici modò, primò scilicet, per secessum à fide, *cap. Julianus 11. quæst. 3. cap. non potest. 2. quæst. 7.* Secundò. per recessionem à statu approbatæ religionis; seù ordinis sacri, *cap. legi 15. quæst.1 cap. quoniam 40. dist. 3, per recessum ab obedientia, cap. si quis de major. & obedientia, cap. alieni 3. quæst. 4.* ideò triplex est Apostasia, scilicet à fide, à Religione, & ab ordine, seù obedientia *DD. in rubrica extrà hoc tit. Simanca de Catholicis instit. tit. 7.* Bernardus *Diaz, ubi Salsedus cap.114. Mascardus de probat. conclus. 112. Julius Clarus in §. fin. qu. 78.* Decianus *lib. 5. cap. 70. Sanctarellus de hæresi cap. 2.* Ricciul*lus lib. 6. cap. 1. Sanchez in summa* lib. 6. cap. 8.



Scien-

Sciendum secundò est, quòd Apostasia in genere sumpta sic definitur: est temerarius à statu fidei, ordinis, religionis, aut obedientiæ recessus, ità *DD. communiter in rubrica decretalium hoc tit.* Alii verò definiunt cum Theologis, ut sit retrocessio ab aliquo bono in quo homo perseverare tenebatur ex præcepto, vel ex solemni voto, aut professione, ità *Dominicus Bannes ad S. Tho. ubi suprà.* De illa Apostasia ab obedientia non est agendum, cùm sit parvi momenti, sed solùm agendum est de Apostasia à statu fidei, secundò, de Apostasia à statu ordinis, tertio, de Apostasia à statu religionis regularis.

Sciendum est tertio, quòd Apostata à fide dicitur ille, qui omninò à fide Christiana defecit sacrilegis Congregationibus se aggregando, ut si quis transeat de Christianismo ad Judaismum, sivè Paganismum, *l. 1. 2. & penul. C. de Apostatis, cap. contrà Christianos de hæreticis in 6. cap. non potest. 2. quæst. 7. DD. communiter in cap. 1. eod. tit. Decianus lib. 5. cap. 71. & sequenti, Farinaceus de hæresi q. 83. §. 2. num. 13.* item sacrificans Dæmoni, vel Idolis, vel sacrificari mandans *S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1.* qui ait, quòd Christianus adorans sepulchrum Mahumetis, dicitur Apostata, *Afflictus in constitut. Regni rubrica 3. de Apostatis*, sic, qui se tradit Dæmoni, & cum eo paciscitur, dicitur Apostata à fide, *Farinaceus de hæresi q. 183. §. 2. num. 17.* ex quo patet, quòd ad hoc, ut quis dicatur Apostata à fide, duo copulativè requiruntur. primum est, quòd recesserit à fide Christi: secundum, quòd recessus sit omnimodus, *cap. Julianus 11. quæst. 3. Albericus in l. si quis de facto num. 2. de Apostatis,* quare, si Christianus recedat à pluribus articulis fidei, tamen. si retinet adhuc fidem in reliquis, & nomen Christianum, non erit dicendus Apostata, sed Hereticus, *S. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 51. & lib. 16. cap. 2.* & probat *textus in cap. non potest 2. quæst. 7. & in cap. Beatus 7. quæst. 4. cap. non observetis 16. quæst. ult. cap. contrà Christianos de hæreticis in 6.* Si verò quis ab una secta improbata transeat ad aliam, puta si à Judaismo transeat ad Paganismum, non potest dici Apostata prout ex facto responderunt *Oldradus conf. 51. & Alciatus conf. 478.* quibus assentitur *Clarus in §. fin. q. 7. nu. 4. Campegius de dote q. 77.* quia privatio supponit habitum *arg. l. 4. §. idemque, ff. de re milit. & l. decem, ff. de verb. obligat. & in l. manumissiones, ff. de justit. & jure*, sed talis nunquàm fuit Christianus, ergo non potest dici desertor Christianæ militiæ. Qui verò Baptizatus fuit contrà formam veram, & necessariam, tunc, si ad reprobam sectam, & religionem se transferat, non potest dici Apostata, quia ob Baptismi nullitatem nunquàm fuit Ecclesiæ fores ingressus, *cap. 2. & 3. de presbytero non Baptizato*, ergo non potest dici, quòd egrediatur, qui non fuit ingressus *argumento d. l. decem. ff. de verb. obligat. Alphonsus de Castro de justa hæreticorum punitione lib. 1. cap. 8. dubit. 3. Ricciullus lib. 6. cap. 3.* est tamen quæstio, an Apostata à fide differat specie ab hæretico? Responsio communis est, Apostasiam non esse delictum specie distinctum ab hæresi, sed solùm inducere circumstantiam augentem deformitatem, & turpitudinem criminis; ità *S. Thomas 2. 2. qu. 20. art. 1. Sanch. lib. 2. summæ cap. 7. nu. 16. Ricciullus lib. 6. cap. 4. per totum*, Ratio est, quia ut benè dicit, *S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 2.* Tres sunt species infidelitatis, Paganismus, Judaismus, & hæresis: si ergò quis sub nomine Christiano contradicit fidei, quam anteà professus est, dicitur hæreticus; si verò quis repugnat fidei, quam tenet in figuris, & umbris, est Judæus. Si verò resistit fidei, quam nunquàm suscepit, & tunc est paganus, ergò non datur quarta species infidelitatis, in qua Apostatæ possint reponi, quamvis majori circumstantia graventur.

Neque dicas, obstare, *tex. in l. 3. C. de Apostatis, & in l. Manichæus, C. de hæreticis*, ubi hæretico ad fidem redeunti parcitur, sed Apostatæ minimè; ergo differunt specie.

Respondeo enim (omissis variis responsionibus de quibus *Afflict. in rubr. 3.*) primo, quòd Doctores multi insudarunt in vera intelligentia, *tex. in d. l. 3.* ut videre est apud *Menoch. de arbitr. casu 546. num. 18.* & tandem dixerunt, esse textum illum abrogatum, & debere ex corpore Juris aboleri; & inter iniquas constitutiones rejici, quia de jure Canonico, quod in hac materia attendi debet, *ut in cap. inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.* Apostatæ redeunti non solùm indulgetur, sed etiam ad redeundum compellitur, *cap. quidam de Apostatis cap. contrà Christianos de hæretic. in 6. & text. in d. l. 3.* Apostatæ ad fidem redeunti non parcit.

Respondeo secundò, quòd ex utroque jure parcitur Apostatis redeuntibus quantum attinet ad pœnam mortis, sed quantum attinet ad alias pœnas, putà ut possit hæres institui, ut succedat ab intestato, & ut testamentum faciat, &c. Jus Canonicum parcit Apostatis redeuntibus: Jus verò civile minimè, & in hoc differt Jus civile à Canonico, ut bene *Riminald. Junior in consiliis criminalibus diversorum cons. 38. num. 20. lib. 2.*

Ex quibus habes, Apostasiam non esse peccatum distinctum ab hæresi, & per consequens jura loquentia de hæreticis locum habent in Apostatis, in illis tamen, in quibus non reperitur specialiter diversitas, *l. ultima, C. de Apostatis, l. nos reddentes*, §. *manifestum, C. de summa Trin. & fide Catholica, Soc. in rubrica de hæreticis, Simanca de Catholicis institutionibus tit. 17.*

Habes secundò, eum, qui coactè coactione absoluta fidem Catholicam negat, vel Idolis sacrificat, corde tamen fidelis est, non posse Apostatam reputari, quia tali casu dicitur magis pati, quàm agere, ut ait *text. in cap. sacris, de his, quæ vi metûs-vè causa fiunt*; ergo pœnam pati non debet, *argumento l. fœdissimam, ubi Bald. C. ad legem Juliam de adulteriis: glossa in cap. ità reprobaveris 32. quæst. 5.* Si verò quis coactione conditionali id fecerit, putà, quia datur electio moriendi, seu tormenta patiendi: tunc dico, quòd quantum ad cor neque hæreticus potest dici, neque Apostata reputari, quia corde credit, ergo non adest pertinacia: post alios, *Sanch. lib. 2. summæ cap. 7. nu. 8.* qui addit, hoc peccatum posse per quemlibet confessarium absolvi: omnes tamen fatentur, quòd hic peccat mortaliter, tùm quia debet potiùs mori, quàm id facere, tùm quia licèt negare dicatur coactè, tamen voluntariè negat, quia voluntas coacta, voluntas est, *cap. majores, §. fin. de Baptismo cap. sacris de his, quæ, vi, metûs-ve causâ fiunt, l. mulier, §. qui metu, ff. quod metûs causa, l. si Patre cogente, ff. de ritu, nuptiarum*, & quamvis nolit negare Christum, vult tamen magis illud, quod negat, quàm illud, quod non negat, *cap. meritò, 15 quæst. 1. glossa in d. cap. non solùm in verbo negare, 11. quæst. 1.* quia verò animus latet, & Ecclesia non judicat de occultis, *cap. 1. de clandestina desponsatione*, meritò in foro externo asserens, se Christum negasse per vim, redditur suspectus de vehementi, vel levi, perpensis conjecturis personarum, & negotiorum, *Azorius par. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 9.* Talis verò negans coactè fidem, erit suspectus de vehementi, si cessante metu negat, vel in negatione permanet, quia diuturna conti-

nuatio

natio demonstrat, actum ex corde processisse, *cap. fin. de frigidis, & maleficiatis l. 2. C. de his, quæ vi, metusve causa fiunt.* Quando verò persona negans est gravis, puta Prælatus, Monachus, vel alius vir gravis, & ob metum non mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilii, fustigationis, carcerationis, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum, tunc est vehemens suspicio adeò ut possit cogi abjurare, ut latè *Farinac. de hæresi. quæst. 183. num. 27.* erit verò suspectus de levi, si fuerit facta negatio à personis infimis. diluet verò omnem suspicionem hæresis, vel Apostasiæ, si statim vi, vel metu cessante doluerit, & pœnitentiam egerit, *DD. ubi suprà.*

Sciendum est quarto, quòd recessus à statu clericali, dicitur Apostasia ab ordine, dicitur verò talis recessus factus à statu clericali, *cap. 1. & 3. de clericis conjugatis, Capella Tholos. decis. 239.* cythara enim cum psalterio malè concordat, *cap. diversis de clericis conjugatis*, quare per matrimonium per verba de præsenti contractum à Clerico in minoribus ordinibus constituto, vacant ejus beneficia, *cap. 1. & 3. de clericis conjugatis, Rota decis. 21. de probation. in antiquis, & decis. 1. de sponsalib. capell. Tolosan. dec. 239. ut aliàs diximus.*

Sciendum est quinto, quòd Apostata à religione dicitur ille, qui habitum dimittit, cum animo non redeundi ad eum, imò secundùm communem sufficit si recedat à Religione, quamvis habitum secum deferat. *Abb. in cap. 1. de Apostatis num. 2. ubi Soccin. num. 2. Mascard. conclus. 12. Jacobus Antonius de Mauro alleg. 13.* tùm quia habitus non facit Monachum, sed professio regularis, *cap. porrectum, cap. ex parte ubi DD. de regularib.* ergo retentio habitùs tantùm, non facit aliquem esse in religione, ut æqualis sit solutio, & colligatio vinculi, *l. nihil est de regul. Juris.* In Rota verò Romana fuit consultis Patribus Pœnitentiariæ practicatum, & decisum, quòd ad effectum, ut dicatur contracta Apostasia vera, & propria, quæ infert inhabilitatem ad obtinenda beneficia, requiritur recessus sivè licentia, & dimissio habitùs sine animo illum reassumendi: si verò aufugiat sine habitu, sed cum animo illum reassumendi, diceretur contracta Apostasia solùm inferens excommunicationem, ut dicit *Achilles de Grassis dec. 1. de Apostatis*, sequitur *Ricciullus lib. 8. cap. 1. in fine.*

Ex quibus sequitur, non dici Apostatam eum, qui infrà annum probationis, habitum reliquit. & à Religione recessit, *cap. consulti, cap. penult. de Regularibus, ubi DD. Lappus allegat. 46. Menochius de arbitr. casu 146. num. 45.* qui poterit sine ullo scrupulo ad ordines promoveri, *cap. postulasti eod. tit.* nec tenetur solvere expensas Monasterio, *Jason. in l. 1. num. 4. C. de sacros. Eccles.* Licèt verò possit quis à Monasterio exire infrà annum novitiatùs, tamen id fallit in mulieribus pœnitentibus, quas vocamus convertitas, quia in istis servatur per suas constitutiones, ut statim, quòd ingressæ sunt, non possint exire à Monasteriis, & in istis nihil disposuit *Trident. sess. 25. cap. 18.* imò expressè à regulis, de quibus ibi, facit exemptas.

Sequitur secundo, non posse dici Apostatam Monachum, qui gratia periculi evitandi habitum dimittit, dùm per loca periculosa iter agebat, *cap. clerici officia, ubi glossa de vita. & honest. cler. cap. 2. eodem tit. in 6. Afflictus in constitut. Apostatantes num. 9. Decianus, ubi suprà cap. 75. Menochius loco cit. casu 546. num. 40.* & regulariter quamvis habitus ex lascivia omittatur, tamen, si non deseratur animo iterùm non ampliùs reassumendi, non contrahitur Apostasia, ut ex facto dicit *Oldradus conf. 202. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 1.* Ille verò, qui recessit à Religione, si tamen statim redierit, non potest dici Apostata *DD. ubi suprà*, sicut nec qui habuit animum redeundi *arg. l. Pomponius, §. idem Pomponius, ff. famil. hercisc. §. Apium vers. in iis autem instit. de rerum divisione*, & notat *Bart. in l. 4. §. Prætor. ff. de damno infecto.* Neque dicitur Apostata Monachus, qui, cùm ab ejus Superiore carceratus detinetur, timens, ne ab eo immoderatè teneretur, ad Superiorem aufugit, *Bald. in cap. ad nostram de appellat. Rodriquez ar. 3.* sicuti nec est Apostata ille, qui aufugit ad amicum, quem rogavit, ut apud suum superiorem esset deprecator: *arg. l. quid sin fugitivus, §. sin autem ff. de edil. edict. & l. bovem, §. 1. ff. eodem*, quia verò hodiè Regularibus ex *Trid. sess. 25. de regularib. cap. 4.* non permittitur recedere à suis conventibus, etiam prætextu accedendi ad superiores suos, nisi ab eisdem missi, & vocati fuerint, aliàs ab ordinariis locorum tanquàm desertores suorum institutorum puniantur, ideò putat, *Bannes 2. 2. quæst. 12. artic. 1. vigore dicti Concilii Trid.* Religiosum in tali casu censeri Apostatam: sed meliùs dicunt alii, quòd mens concilii ibi non fuit imponere pœnam Apostasiæ prædictis religiosis, sed solùm punire fugam illam, quæ fieret sub levi, & falsa causa, sed si verè talis causa adesset recurrendi ad superiorem, tunc non posset dici Apostata, ut benè *Ricciullus dict. lib. 8. cap. 2. num. 18.* Nec dici potest Apostata Monachus factus Parochus, vel Capellanus alterius Ecclesiæ sui superioris licentiâ, quia non potest dici temerè recessisse, *Rodriq. d. ar. 1.* tamen quæstio est, an Monachus possit Ecclesiæ Parochiali præfici? & Respondent communiter, quòd, quandò Parochia dependet à Monasterio, præfici potest etiam à solo superiore, quia promovetur, ut membrum religionis, & remanet adhuc claustralis, & per consequens potest ad libitum superioris revocari, *glossa in Clem. ne in agro, §. ad hoc de statu Monachorum.* Si verò Parochia à Monasterio non dependeat, tunc attento jure communi posset Monachus sine dispensatione promoveri. *Abbas d. cap. quod Dei timorem, de statu Monachor. Lambret. de jure patronat. lib. 2. par. 1. quæst. 7. art. 19.* Curia verò Romana dixit pluriès non posse Monachum ex sola dispensatione superioris promoveri, sed requiri Summi Pontificis *dec. 5. de Jure patronat. in novis*, & idem dixit *Rota in dec. 28. de præben. in novis*, & aliàs dixit *Rota*, collationem Parochiæ Monacho factam absque dispensatione, nullius esse momenti, etiamsi motu proprio sit facta: aliàs verò eadem *Rota* rotans dixit, canonicum regularem posse ad Parochialem promoveri, dummodò adsit Episcopi dispensatio, ut apparet apud *Verallam dec. 87. par. 1. recedens à dec. 5. de Jure patron.* Verùm quidquid sit de jure communi, attento jure novissimo, Regulares nullatenùs possunt ad Parochiales, vel ad sæcularia beneficia promoveri, ex dispositione *Trid. sess. 14. cap. 10. & 13. de reformat. & ex regula Cancellariæ 42.* quibus cavetur, ut regularia beneficia regularibus, & sæcularia sæcularibus dentur, quod etiam declaravit Sacra Congregatio ex Decreto Gregorii XIII. de quo *Ricciullus lib. 8. cap. 2. nu. 41.* & additur Bulla Pauli IV. quæ incipit *postquàm divina bonitas*, & sic observant in praxi, nunquàm concedi Monachis Indultum ad retinenda

retinenda beneficia curata, ut refert *Mandosius in praxi signaturæ in tit. de dispensationib. vers. Monachi. Hoieda de incompatibilitate par.* 1. *cap.* 24. *Gonzal. reg.* 8. *gloss.* 7. *num.* 53. quod limita in partibus Indiarum, ubi ex speciali mandato P. V. ad preces Philippi Secundi concessit, ut in capitulis Provincialibus possint regulares concedere licentiam, ut officium Parochiæ exerceant sui subditi in Monasteriis sui ordinis vel extrà, in locis assignatis, & assignandis, per eadem, ut latè *Rodriq. tom.* 1. *quæst. regul. q.* 34. *art.* 1.

Neque etiam potest dici Apostata Monachus, qui dimittit habitum suæ religionis sine licentia superioris, & transit ad aliam diversi habitûs: sic colligitur ex *text. in cap. ultim. de Apostatis ubi DD. Rodriq. d. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. quia per talem transitum non deserit substantialia Religionis, ergo non potest dici, ab ea recessisse: licèt enim religiosus unam deserat, & ad aliam transeat, tamen non deserit religionem simpliciter, & in genere, & sic ad effectum, ut dicatur Monachus, sufficit, si vota primi Monasterii, & religionis retineat, ut verò dicatur Monachus, secundi Monasterii, requiritur nova professio in secundo ad hoc ut obligetur peculiaribus statutis secundi Monasterii: ità *Abbas in cap. Abbate Sancti Sylvani num.* 5. *de verb. signific. Rebuff. cons.* 105. *num.* 4. *Decius in cap. præter num.* 6. *de præb.* ergo nil mirum, quòd Monachus sine superioris licentia se transferens ad laxiorem religionem, non est Apostata, nec incurrit excommunicationem statutam per *text. in cap. periculosa ne clerici, vel Monachi, in* 6. quia in quacunque religione existat, semper erit in religione, & tribus votis substantialibus obligatus.

Si verò petas, quandò translatio de una religione ad aliam dicatur debitè facta?

Respondeo primo, quòd translatio ad laxiorem auctoritate Pontificis facta, valeat, sivè fiat cum causa, sivè sine causa, *glossa in cap. cùm singula* 32. *§. fin. de præben. in* 6. *Gratianus cap.* 432. quia omnes religiones sunt de jure positivo, *cap. fin. ubi Abbas de relig. domibus*: quòd si fiat sine causa auctoritate Papæ, tunc non reddit translatum tutum in foro conscientiæ, *glossa in cap. non est de voto, ubi Abbas num.* 9. *Gratianus num.* 17. Nec solet Summus Pontifex concedere translationem sine justa causa, quia transferre est absolvere à voto servandi primam, quod fieri non solet sine causa, *d. cap. non est de voto*: & sic intelligitur locus, *Trident. sess.* 25. *cap.* 19. *§. nemo*: ut autem concedatur validè talis licentia transeundi ad laxiorem, est quæstio an requiratur derogatio Sacri Concilii *Trid.* Affirmat *Navarr. cons.* 62. *al. às* 65 sequitur *Grat. dicto cap.* 434. *num.* 20. Sed verius est non requiri: quia *Trid.* loquitur de translatione, quæ fit vigore facultatis sibi concessæ, Papa verò non transfert vigore facultatis sibi concessæ, sed ex proprio imperio, & potestate, ergo cùm verba Decreti non conveniant Papæ, neque illi poterit convenire dispositio: *argumento text. in cap. semper in Civitate, §. id est de jure immunit. Bart. in l.* 1. *§. ait Prætor. ff. ne quid in flumine publico*; tùm quia licèt in Decretis Concilii requiratur specifica derogatio, *De Grassis dec.* 3. *de rescriptis, Verallus decis.* 258. *par.* 1. *Mohedanus dec.* 7. *de locato*. tamen in Decretis *Concilii Trid.* ubi non reperitur expressum, quòd debeat fieri derogatio specifica, intelligitur facta ex clausula generali (non obstantibus constitutionibus Apostolicis) ut dixit *Rota pluriès, teste Ricciullo lib.* 8. *de Jure person. cap.* 4. *num.* 7. *& lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 9. Quia verò *Trid. sess.* 25. *cap.* 19. dicit, nullum regularem cujuscumque facultatis posse transire ad laxiorem, ideò quærunt DD. an per hoc censeatur abrogata facultas, quam habent multi Generales transferendi ad laxiorem ex justa causa? Respondet *Navarr. cons.* 56. *de Regularib. & Gratianus cap.* 434. non censeri derogatum prædictis facultatibus, & loquuntur de Generali Sancti Augustini, & Generali Camaldulentium, sequitur *Sayrus decis.* 55. *in tit. de regularib.* sequitur *Ricciullus d. lib.* 8. *cap.* 4. *à num.* 12.

Respondeo secundo, quòd quandò translatio religiosi fit ad laxiorem religionem, requiritur licentia Conventûs, & Ipsius Generalis, *DD. ubi suprà*, quandò verò fit ad strictiorem, requiritur, ut petatur licentia: *glossa in cap. intelligimus de ætate, & qualitate*, etiamsi non obtineatur, *cap. licèt de regularib. ubi* DD. quia petitur talis licentia in signum obedientiæ, cui per unam petitionem censetur satisfactum, *Sanchez tom.* 2. *in summa lib.* 6. *cap.* 7. & idem dicas de Monialibus, quibus tamen non datur licentia transeundi ad alia Monasteria nisi cum licentia Sacræ Congregationis, *Sanch. loco cit. Ricciullus dict. lib.* 8. *cap.* 5. qui referunt conditiones, quibus Sacra Congregatio vult, ut fiat translatio Monialis de Religione in Religionem.

Respondeo tertio, quòd in transitu, qui fit ad aliam Religionem, ut videamus, quæ sit altera arctior, non est attendenda perfectio, sed severitas, seù asperitas, & si non, quæ perfectior, sed quæ durior, & asperior, *Sanch. post alios cap.* 8. *num.* 21. *Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 52. *ar.* 4. *Less. lib.* 2. *de Justitia cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 100. *Ricciullus dict. lib.* 8. *cap.* 6. probatur primo ex *cap.* 1. 2. *quæst.* 4. *& ex cap. licèt de regularibus.*

Religiosi verò Societatis Iesu, si post emissa vota simplicia spontè redeant ad sæculum, sunt verè Apostatæ, quia, cùm sint verè Religiosi post prædicta vota, erunt Apostatæ, si ab ea recedunt, ut latè *Ricciullus dict. lib.* 8. *de Jure personarum cap.* 8.

Possunt etiam religionum Prælati suos subditos incorrigibiles expellere à suis religionibus, *Sylvester in verb. religio, quæst.* 17. *Tabiena ibi, quæst.* 45. *Armilla quæst.* 28. *S. Thomas, quolib.* 12. *quæst. ultim. Rodriq. tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 30. *art.* 14. *facit text. in cap. illud sanè* 24. *quæst.* 3. *ubi dicitur*, quòd illis, quibus non potuit prodesse correctio, non parcat abscissio: hinc etiam videmus, clericos incorrigibiles tradi Curiæ, sæculari, *cap. cùm non ab homine de judiciis*, ergo multò magis poterit religiosus habitu, & consortio religionis privari, quibus ejectis religio non tenetur præstare alimenta, sed tenetur expulsus sibi victum quærere proprio labore, vel mendicando. *Navarr. in cap. non dicatis num.* 36. 12. *quæst.* 1. Neque dicas obstare, *text. in cap. ultim. de regularib.* ubi præcipitur omnibus Præpositis religionum, ut fugitivos, & ejectos perquirant, eosque corrigant, ergo non possunt dejici incorrigibiles? Respondeo enim textum illum intelligi de ejecto; ordine judiciario non servato, vel propter crimen, non autem de ejecto uti incorrigibilis, ut ex multis declarat, *Navarr. in dict. cap. non dicatis num.* 36. *& in cons.* 5. *de regular. Rodriquez to.* 1. *quæst.* 30. *art.* 22. talis verò ejectus non liberatur à tribus votis substantialibus Religionis solemnibus, ut ex pluribus probat *Azorius lib.* 11. *moralium cap.* 16. *quæst.* 4. sed solùm desinit esse claustralis, & eo tantùm respectu non habet communionem cum religione, *Abbas, DD. & alii in cap. fin. de infantibus expositis*, qui verò sic judicandus in hac materia incorrigibilis, legas *Rodriq. tom.* 1. *quæst. regul. qu.* 30. *ar.* 14.

Quandò verò talis ejectus a Religione, & habitu privatus repetitur à Religione ex rationabili causa, & ostendat se paratam, eum recipere, si Monachus redire recuset, est quæstio, an sit Apostata?

Vera

Vera opinio negat Navarr. cons. 51. de regular. & cons. 3. de statu Monachorum, Azorius ubi suprà d. cap. 16. quæst. 6. Rodriquez quæst. 30. art. 21. quia ejectus per justam sententiam, desinit esse Monachus Monasterii, tùm quia liberatur à vinculo obedientiæ, quo tenebatur obedire suo superiori, ergo quandò ejectus est justè, non potest ullo pacto repeti; secùs, si injustè ejectus sit, nullo Juris ordine servato, secundùm textum sic intelligendum in cap. ultimo de regularibus, neque talis ejectus tenetur procurare, ut in aliam religionem recipiatur, teste Rodriquez artic. 21. quidquid dicat Sotus de justit. & jure lib. 2. quæst. 7. art. 1. & sicuti ejectus non tenetur iterùm redire, ità religio non tenetur, eum iterùm volentem recipere, quia religio, & monachus debent à pari judicari, cap. ad Apostolicam de Regularibus, & licèt contrarium dixerint Sylvester in summa in verb. Apostasia, & Menochius de arbitr. casu 246. tamen talis opinio, nullo jure, aut ratione fundatur. ergo.

Quæstio tamen est, an Religiosus sit Apostata, deferens habitum religionis sub pannis coopertum?

Respondeo affirmativè, si eum deferat sine causa, ità Glossa in clem. 2. §. dignitatem, in verb. extrinseci de vita, & honest. cleric. dixit Oldradus cons. 184. num. 12. qui in fine; sic refert decisum per Clem. quintum, sequuntur Joannes Andreas, & Francus in cap. 2. de Apostatis, Mascardus de probation. conclus. 122. Marquardus de Judæis part. 1. cap. 4. sic decisum Venetiis refert Thom. Trivisanus decis. 19. lib. 2. & in Rota decis. 219. apud Verallum part. 3. & Achilles de Grassis decis. 1. de Apostasia num. 10. & patet, tùm quia gestatio publica habitûs pertinet ad honorem religionis, cap. Episcopi 53. quæst. 2. tùm quia in Trid. sess. 25. de regularib. cap. 19 habetur, non esse dandam licentiam regularibus occultè ferendi habitum suæ religionis, ergo; hæc tamen gestatio habitûs, tanquàm laici sub pannis, tunc facit aliquem Apostatam quandò sic ducitur habitus ad effectum, ut vivere possit tanquam laicus, vel tanquam clericus sæcularis, secùs, si ex levitate illum deferat, non animo deferendi religionem, quia talis non incurrit Apostasiam irregularitatis, quæ inducat inhabilitatem ad beneficia sed solum inducit excommunicationem; ut decidit Rota apud Achillem de Grassis decis. unica de Apostasia, num. 10. ubi dicitur sic etiam practicatum per pœnitentiariam, sicuti à fortiori non est quis Apostata, quandò defert habitum coopertum sub pannis propriis ob aliquam causam, cap. penult. ubi glossa de vita, & honestat. cleric. clem. 2. in verb. cessante, & in verb. rationabili eodem tit. Sylvester in verb. habitus num. 3. putà si esset timor latronum; vel aliquid aliud, ut in extravaganti 2. de major. & obedientia.

Causa verò portandi habitum Religionis coopertum sub pannis, est quæstio, an sit sufficiens solus timor, ne contingat ipsum incidere in manibus curiæ, seù superioris, apud quem accusabatur justè?

Prima opinio negat, de communi Trivisanus d. decis. 29. p. 2. quia talis timor est pœnæ benè meritæ, qui timor excusare non solet. Secunda opinio affirmat, ità Portius Imolensis cons. 84. tu dicas cum prima opinione, quia ubi offensio est licita, ibi defensio est reprobata, l. milites; §. irreverens, ff. de re militari, l. si servus, ff. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, undè in casu, quo quis potest occidi, non ei licebit se defendere & quatenùs se defendit, potest occidi. Bar. in l. ut vim, ff. de just. & jure: Sed in casu, quo Religiosus deliquit, justa est adversùs ipsum persecutio superioris, ergo: sequitur Ricciulus lib. 8. cap. 13. à num. 18.

Ille, verò qui nulliter professus est, & est declarata per sententiam nullitas illa, poterit exire, absque ullo scrupulo Apostasiæ; quia idem est non fuisse professum, & fuisse nulliter professum, arg. l. sin autem nullum, ubi Bald. C. de legitim. hæred. sed si hoc non fuerit declaratum per Judicem competentem, tunc, si exeat, erit Apostata, quia in causa propria sibi jus diceret contrà regulam text. in l. nullus, ff. de testibus, & in l. nemo, ubi DD. C. eodem, tùm quia in dubio præsumitur pro validitate professionis, prout præsumitur pro validitate cujuslibet actûs, l. quotiès, ff. de reb. dubiis, l. quotiès, ff. de verb. & juxtà notata per Surdum decis. 133. num. 16. Ricciullus lib. 8. de Jure personarum, c. 12.

Ex quibus omnibus sequitur primò, non esse idem Apostatam, & fugitivum, nam licèt omnis Apostata sit fugitivus, tamen non omnis fugitivus est Apostata; fugitivus enim est, qui à Monasterio ad tempus discedit non animo recedendi, sed redeundi, ut si fugiat ob Prælati metum, ob vagandi voluntatem, sivè fugiat cum habitu, sivè sine illo, Sanctarellus de Apostasia, cap. 3. dub. 1. Sanchez in summa, lib. 6. cap. 8. Nec fugitivus incurrit pœnas Apostatarum, de quibus infrà, etiamsi habitum dimittat: de communi Rodriquez d. quæst. 30. art. 2. Et sic excommunicatio lata in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit Ascendente Domino, contrà aufugientes à Societate Jesu, non incurritur ab eis, qui fugiunt animo redeundi, sic pœnæ Bullæ Pii IV. incipienti Postquàm divina bonitas, impositæ contrà Apostatas, non incurruntur a Religiosis fugitivis, Sanctarellus de Apostasia cap. 3. dubio 1. num 9. Sanchez ubi suprà.

Sequitur secundo, quid dicendum sit ad quæstionem, an Religiosus damnatus ad triremes, si aufugiat, sit Apostatata, an fugitivus? Respondeo enim cum communi non esse dicendum fugitivum; nam vel missus erat ad triremes in perpetuum, & tunc aufugiendo non videtur fugitivus, cùm censeatur in perpetuum ejectus à Monasterio, ejectus verò à Monasterio non est fugitivus; aut missus erat ad triremes ad tempus, & sic neque videtur fugitivus, saltem si hoc faciat non ut vagetur, sed ut ab illo oneroso statu aufugiat.

*In §. utrum cum tribus sequentibus.*

Agitur hìc de pœnis, quibus puniuntur hæretici, & schismatici: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, hæreticum, qui sua mente exteriùs manifestat hæresim, incurrere excommunicationem latam ab Ecclesia, & Papæ reservatam, quamvis suam mentem occultè manifestet, cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, de hæreticis, cap. quicumque de hæretic. in 6. & patet in Bulla Cœnæ, can. 1. quæ excommunicatio contrahitur ipso Jure, Hostiensis, Abbas, & alii in cap. cùm Christus de hæreticis, & tot excommunicationes incurrit, quot hæreses professus fuit, Ugolinus de censuris par. 2. §. 4. num. 11. Farinaceus de hæresi quæst. 191. §. 1. num. 9. & id procedit sivè hæreticus sit occultus, sivè manifestus, dummodò non sit mentalis, clem. 1. §. penult. ubi gloss. de hæret. Decianus lib. 5. criminalium cap. 7. Difficultas tamen est, an hæc excommunicatio annexa hæresi, sit de Jure divino? & vera est sententia negativa, Sanchez in summa lib. 2. cap. 9. Durandus in Bulla Cœnæ lib. 2. quæst. 18. Ricciullus lib. 5. cap. 13. num. 7. Carena par. 2. tit. 1. §. 26. quia, licèt potestas excommunicandi in genere sit de jure divino, tamen quoad excommunicationes particulares, etiam in casu hæresis est totum hoc de jure Ecclesiastico positivo, ex quo posset Ecclesia, si sibi videbitur, statuere, ut sui fideles Sacramenta ab Ecclesia suscipiant, & cæteros effectus

hujus

hujus excommunicationis, impedire, & pro sua voluntate mutare *Suarez*, *Alterius*, *& alii*, *quos sequitur Ricciullus dict. lib. 5. cap. 13. num. 9.* Ab hac pœna in foro judiciali poterunt absolvere Episcopi, & Inquisitores recipiendo hæreticos pœnitentes, illosque injuncta pœnitentia reconciliare Ecclesiæ, & talis absolutio prodest in utroque foro, *cap. ut officium de hæret. in 6. Simanca de Catholicis, institut. 3. Farinaceus de hæresi, quæst. 192. §. 4. num. 52. Genuensis in praxi. cap. 67. num. 10. Gratianus cap. 414. num. 24.* quæ absolutio in foro judiciali etiam hodie post Bullam Cœnæ dari potest per Episcopos, & Inquisitores, nam licèt ex Bulla Cœnæ sit reservata absolutio Sedi Apostolicæ, tamen intelligitur, ut de facto loquitur, quoad forum conscientiæ tantùm, non verò quoad judicialem, cùm de facto detur Episcopis, & Inquisitoribus facultas recipiendi hæreticos, eosque reconciliandi Ecclesiæ, sequitur quòd eisdem concedatur facultas absolvendi ab excommunicatione in foro judiciali, aliàs enim prædicta facultas esset frustratoria, ut benè *Farin. de hæresi, qu. 192. §. 4. num. 52. Ricciull. lib. 5. cap. 14. Carena ubi suprà, §. 26. nu. 130.* qua de re dicemus infrà.

Ex quibus infertur, eum non incurrere excommunicationem contrà hæreticos, qui mente revolvens suam hæresim, non aperit caput coram Imaginibus Sanctorum, secùs, si non aperiat caput, dùm hostia elevatur, nam tunc illius hæresis optimè concipitur ab adstantibus, & ipse præsumitur hæreticus: idem dicit *Sanchez de eo*, qui ex interna hæresi nunquàm templum ingreditur, quia hic exteriùs sufficienter præsumitur hæreticus ex omissione; ille verò qui fingens dormire, reverà non domit, sed sic stans in ficto somno profert aliquam hæresim, quam verè tenet, sed adstantes, & audientes sibi persuadent verè dormire, adhuc erit hæreticus externus secundùm *Patrem Dian. p. 5. tract. 1. miscell. resolut. 17.* licèt *Mendozza*, apud eum contrarium dicat: ille verò hæreticus, qui ignorat, excommunicationem esse annexam hæresi, non est excommunicatus, secundùm *Sanch. in summa lib. 2. cap. 8. num. 50. contrà Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 4. sect. 19. num. 10.* ubi verò Tribunal S. Officii contrà hæreticos est institutum, id non procedit, ut benè post alios *Diana ubi suprà*, quia non potest allegari ignorantia.

Sciendum secundò est, pœnam excommunicationis, latam contrà hæreticos, extendi ad credentes, receptantes, & fautores hæreticorum, ut in *Bulla Cœnæ excommunicatione 1. cap. excommunicatus, de hæretic. in 6. Duard. lib. 2. can. 1. quæst. 33.* appellatione verò fautorum veniunt receptatores, defensores, & credentes hæreticorum, *Farinac. de hæresi, quæst. 182. Duard. lib. 2. can. 1. quæst. 32. Carena par. 2. tit. 4.* & possunt esse fautores triplicis generis: primò per omissionem, & negligentiam, secundò facto, seù cooperatione, tertio modo consilio, seù verbis; primo modo per omissionem Inquisitores, eorumque ministri, si hæreticos non puniant, nec contrà illos procedant. puniuntur *Clem. 1. de pœnis*, Idem dicas, si lectionem librorum prohibitorum permittant, & prædicationem falsorum dogmatum, *Sanctarellus de hæresi cap. 11.* nisi tamen permitterent tales hæreticos ad evitanda majora scandala, *Farinac. quæst. 189. num. 149.* & tales Episcopi, id permittentes, sunt suspecti violenta suspicione, ità ut possint, ut hæretici damnari, *Farinac. num. 26.* in fautoriam etiam incurrunt Domini temporales, qui requisiti omittunt investigare, & capere hæreticos, *cap. excommunicatus, §. moneantur, & §. volumus de hæreticis*, & illi qui potentes denunciare, non denunciant, ut latè, *Carena par. 2. tit. 4. §. 1. à num. 8.* sic præstantes alimenta hæreticis, incurrunt in fautoriam, *Farinac. de hæresi, quæst. 182. num. 6. Duard. in Bulla Cœnæ libr. 2. can. 1. quæst. 32. Sanctarellus de hæresi cap. 11. dub. 1. num. 16.* sic impedientes Sanctum Officium, incurrunt crimen fautoriæ; receptatores etiam hæreticorum incurrunt crimen fautoriæ, *DD. ubi sup.* ubi prima est quæstio; an dicatur receptator, qui hæreticum recipit, ut talem, & in hæresis favorem, an verò, qui simpliciter, & quocunque modo recepit? prima enim opinio dicit debere recipi, ut hæreticum; secunda opinio dicit, quòd sufficit favere hæretico, licèt non ob hæresis favorem; ità contrà *Sanchez in summa lib. 2. cap. 10.* dicit *Suar. de fide disp. 24. sect. 1.* secundò dubitant DD. an incurrant pœnas hæreticorum eorumque fautorum, illi, qui receptant consanguineos hæreticos, prima oponio dicit incurrere, ità *Suarez de fide disput. 24. sect. 1. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 14. Sanctarellus de hæresi, cap. 12. dub. unico*, & alii penès ipsos, secunda opinio dicit non, incurrere: ità *Azorius par. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 4. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. Duard. ubi suprà quæst. 29.* Ratio est, quia ad incurrendam fautoriam, requiritur intentio formalis favendi hæretico, quia hæreticus est *cap. accusatus, §. Sacerdotes de hæret. in 6.* ibi. *Cùm non sit dubium, eos ipsos facere in favorem hæreticæ pravitatis*, sed non est ità in casu nostro, ergò, latè *Carena ubi suprà §. 50.* sunt verò receptatores hæreticorum suspecti de hæresi vehementi, quia omnes excommunicati, ex causa fidei sunt de hæresi suspecti vehementi suspicione, *DD. ubi sup.*

Ex quibus sequitur primò, quid dicendum sit ad quæstionem, an scilicet quis incurrat pœnas fautoriæ, si effectus fautoriæ non sit sequutus, v. g. quis hæreticum domi recepit, ut ab Inquisitoribus non inveniretur, & postea etiam inventus est, vel si daret hæretico pecuniam, ut aufugeret. & hoc non obstante captus est? Respondeas enim incurrere pœnas fautoriæ, ità contrà *Sanchez in summa lib. 2. cap. 10. quæst. 9.* contrà *Bona. in. tom. 3. disput. 1. quæst. 2. pun. 3.* & alios: ratio est, tùm quia, qui non denunciat hæreticum, cùm teneatur, excommunicationem incurrit, etiamsi aliter denunciet, ergò sic in casu nostro, qui favet, licèt effectus non sequatur: quia qui per testimonium falsum hæreticum procuravit liberare. & non potuit, incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ergò; tùm quia favor hæretico prohibetur, non ut hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat: sed hic effectus semper obtinetur, quotiès auxilium in favorem hæresis præstatur saltem pro illo tempore, quo auxilium exhibetur, ergò, etiamsi postea impediatur, adhuc erit excommunicatus, & ità docent *Suarez de fide disp. 24. sect. 1. nu. 14.* & alii, quos sequitur *Duard. ubi suprà, quæst. 31. Alegala part. 3. lib. 3. cap. 1. quæst. 2. num. 28.* neque dicas ex *Sanch.* & aliis citatis pro prima opinione, quòd mandans percuti clericum non incurrit in excommunicationem non secuta percussione; ergò ità in casu nostro. Respondeo enim negando consequentiam, quia ibi mandatum ordinatur ad executionem ejusdem delicti, v. g. homicidii. sed in casu nostro favor non ordinatur, ut alter hæresim committat, sed ad tuitionem hominis hæretici, & sic est delictum jam consummatum, quamvis effectus non sequatur.

Sequitur secundò, non revelantes hæreticos puniendos non esse, tanquàm eorum fautores, ut contrà multos dicit *Sanctarellus de hæresi, cap. 9. dub. unic. n. 19.* erunt tamen puniendi pœna arbitraria, ut inobedientes mandatis Inquisitorum: excipe tamen personas, quæ ex officio tenentur denunciare, ut familiares Sancti Officii, testes legitimè interrogati ab Inquisitore,

Inquisitore, & non deponentes, nam tales personæ, utpotè suspectæ de hæresi, erunt puniendæ, ut fautores hæreticorum, *Sanch. lib. 2, cap. 10. num. 17. Farinac. de hæresi. q. 182. §. 2. num. 26.*

Sequitur tertiò, legentes libros hæreticorum, retinentes, imprimentes, aut quomodòlibet defendentes, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ in primo canone, dummodò libri contineant hæresim, vel de religione Christiana malè loquantur, quam facultatem prohibendi libros hæreticorum summa cum ratione ab Ecclesia exerceri, probat latè *Ricciullus lib. 5. de jure personarum c. 21.* An verò possit per Principem sæcularem fieri librorum prohibitio, quæstio est? Respondeo, si contineant hæresim jàm declaratam poterunt prohiberi, & laudabiliter, non solùm ab Ecclesia, sed etiam à sæcularibus Principibus, *l. damnato, §. nec verò, C. de hæreticis, l. quicumque §. nulli. C. eodem.* Sed si hæresis non est adhuc detecta, & tunc aut Princeps sæcularis vult damnare prædictos libros, tanquàm seditiosos Reipublicæ, & poterit; aut vult damnare tanquàm continentes hæresim, ab Ecclesia non adhuc damnatam, & non poterit id facere, quia esset judicium facere de hæresi, quod est merè Ecclesiasticum, *cap. ut Inquisitionis, §. prohibentes, de hæretic. in 6. Ricciull. lib. 5. cap. 22.*

Nota primo, quòd ut cognoscamus, qui libri sint prohibiti, qui verò non, traditur generaliter hæc regula, ut scilicet Auctore damnato, libri quoque ejus censeantur damnati, sic habetur ex præcepto *Concil. Trident. & ex Indice sub Clement. 8. ex cap. Fraternitatis de hæreticis, & ex auth. credentes de haret.* ubi damnato tabellione de hæresi, instrumenta per ipsum confecta non valent, sed cum auctore damnato damnantur, & in *cap. excommunicamus 13. §. credentes de hæret. ex can. nullus 3. quæst. 4.* & procedit, sivè libri sint boni, sivè mali, semper enim censentur damnati, damnato auctore in pœnam auctoris, ergo nisi per Ecclesiam expresse approbentur, erunt prohibiti, & procedunt, sivè libri sint impressi, sivè manuscripti, *cap. noviter de sentent. excommunicationis*, ubi excommunicantur scriptores librorum hæreticorum, *Sanch. lib. 2. cap. 10. num. 28. Ricciull. lib. 5. cap. 23. num. 6. Farinac. de hæresi; qu. 180. num. 30.* & procedit in libris editis sivè antè, sivè post damnationem.

Nota secundo, quòd habens libros alio modo prohibitos sed non hæreticos, non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, sed aliam Clementis VIII. de qua in Indice librorum prohibitorum, *regul. 10,* quæ nulli est reservata, *Duardus dict. conf. 1. quæst. 35. Sanchez lib. 2. summæ cap. 10. num. 22. Suarez de fide disp. 20. sect. 2. num. 11.* novissimè *Pater Pueronus, Abbas Generalis Olivetanus in Bulla Cœnæ can. 1. num. 196. Naldus in verb. libri num. 9.* Qui verò legit scholia hæreticorum ad libros Catholicorum, vel *glossas* eorumdem, nullam pœnam excommunicationis incurrit, si *glossæ* sint magnæ, secùs, si parvæ, *Suarez de fide dict. disput. 20. sect. 2. num. 13. Duardus. quæst. 43 Pueronus num. 176. Carena dict. par. 2. tit. 10. num. 50.* Notat verò *Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 25.* semper talem librum posse legi, quia est auctoris Catholici, videas *Dianam par. 5. tract. 1. miscell. resol. 16.* qui tertiam affert opinionem, de qua suprà.

Tertio nota, quòd qui legeret librum hæretici ex professo non continentem hæresim nec de religione tractantem, non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, sed aliam sub Bulla Clementis VIII. *Carena post alios, §. 1. dict. tit. 10. num. 7.* qui verò ignorat esse librum hæretici, pœnam non incurrit: & addit *Naldus in verb. Bulla Cœnæ*, quòd in excommunicationem incidunt Aromatarii, qui certis utuntur librorum hæreticorum ad involvendas res, sequitur, *Scortia in selectis Pontificum Theoremate 410.*

Quarto nota, quòd parvitas materiæ daretur in hac re: primo in lectione librorum prædictorum, ut contrà *Toletum lib. 1. c. 19. n. 9. Ugolin. in Bulla Cœnæ can. 1. §. 1.* docent communiter DD. apud *Carenam ubi suprà.* Difficultas est, quæ dicatur parvitas materiæ? primo putat *Azorius lib. 8. cap. 16. quæst. 3.* parvitatem materiæ esse pauca verba legere. Secundo dicit *Hortadus de Mendozza de fide disput. 76. sect. 1. §. 11.* unam, vel alteram lineam legere, esse parvitatem materiæ, 3. *Suarez de fide disp. 20. sect. 2. num. 20.* dicit esse parvitatem materiæ, quandò non est multarum linearum lectio: alii concedunt tres, aut quatuor lineas, *Merolla tom. 1. disp. 1. cap. 2. Coroll. 7. num. 344.* Alii dicunt decem lineas, alii dicunt, parvam materiam dici unam integram paginam legere libri prohibiti etiam in folio: ità multi DD. quos refert *Diana par. 1. tract. 11. resol. 30.* qui cautus deindè *par. 5. tract. 50. resol. 42.* vocat prædictam opinionem nimis laxam, dicens ab *Emmanuel Sà, & Vivaldo*, fuisse per Magistrum Sacri Palatii deletam: ego tamen eam invenio apud *Laym. lib. 2. Theolog. moralis tract. 1. cap. 15. num. 5.* Sed est difficultas, quid, si quis legit duos, vel tres versus, in quibus certò cognovit hæresim: dico enim quòd, non obstante parvitate materiæ, incurreret excommunicationem secundùm *Duardum quæst. 45. num. 4. Reginald. lib. 9. cap. 14. sect. 3. num. 254.* Sed secundùm veram sententiam, non incurritur, quia non per hoc, quòd quis legit aliquam hæreticam propositionem, exponi dicitur periculo hæresis, ut benè *Diana dict. resol. 42.* Qui verò per duos, vel tres dies retinet librum hæreticum, vel prohibitum, non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; vel Indicis, ità *Jacobus Gordonus in Theolog. morali tom. 2. lib. 2. quæst. 13. cap. 8. §. 3. num. 81. Diana resol. 43.*

Quinto nota, bullam prædictam de non legendis libris hæreticorum, vel alio modo prohibitis comprehendere etiam Episcopos, & Cardinales: *DD. communiter apud Carenam d. tit. 10. num. 11. Ricciullus lib. 5. cap. 25. num. 3.* nam omnes licentiæ, quas antiquitùs habuerunt, fuerunt revocatæ per Summos Pontifices, teste *Carena ubi suprà num. 11.* ex quibus Bullis rejiciendus est *Pater Peyrinus in Privileg. Minimorum tom. 2. constit. 9. Paulus V. §. 2. n. 9.* qui dixit, quòd Generalis Regularium potest dare licentiam legendi libros hæreticorum suis Fratribus ad hæreses oppugnandas, quia in bullis suprà citatis expressè dicitur, quòd in posterùm etiam Regulares petant licentiam prædictam à Congregatione Sancti Officii, ut benè *Rodriquez in compendio qu. regul. resol. 92.* qui benè dicit, quòd privilegium Gregorii XIII. concessum Patribus Societatis Iesu, super quo fundatur *Peyrinus*, hodiè est revocatum per Bullam Cœnæ, quod etiam dixerat idem *Rodriquez resol. 73. num. 11. Portellius in verb. libri, Lezana in summa quæst. regular. par. 1. cap. 18. num. 96. Diana par. 5. tract. 1. Miscellan. resol. 49. Carena ubi suprà, num. 11.* & addit *Diana*, se de facto habuisse à Sacra Congregatione licentiam legendi libros quoscunque probitos anno 1636. mediante persona Cardinalis Barberini, sequitur idem *Diana resol. 16. tract. 13. Miscell.*

De Inquisitoribus est quæstio, an possint legere libros hæreticorum? Prima opinio dicit affirmativè, ità *Azorius, Graffius, & alii,* quos sequitur *Farinaceus de hæresi, quæst. 180. nu. 43. Bonacina tom. 3. disp. 1. q. 2. part. 4. num. 10. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2.*



cap.

*can.* 1. *q.* 34. *num.* 6. Secunda opinio negat posse legere, ità *Ricciullus lib.* 5. *de Jure personarum, cap.* 25. *num.* 4. *Barb. alleg.* 90. *num.* 8. *Carena par.* 2. *tit.* 10. *§.* 1. *num.* 12. facultas verò legendi libros prohibitos non potest hodie concedi nisi à Sacra Congregatione Cardinalium ex decreto Urbani VIII. apud *Carenam num.* 15. sine quorum licentia neque Episcopus potest eos legere.

Sexto nota, quòd, cùm retinere libros prohibitos sit delictum, est quæstio à quo Judice sit puniendum? ubi distingue, aut enim libri sunt prohibiti ob hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis, & tunc Inquisitores sunt Judices competentes contrà hos deteriores libros, ut in Bulla Pii IV. Incipiente *Dominici Gregis* in principio indicis, si verò libri ex aliis causis sint prohibiti, tunc punitio retinentium illos spectat ad ordinarios Ecclesiasticos, ut in *d. bulla habetur, & facit. regula* 7. *indicis, &* 20. *in §. fin.* libros verò prohibitos ob res lascivas, quas continent, retinentes, ab Inquisitoribus sunt puniendi, ut declaravit Sacra Congregatio in anno 1627. apud *Carenam ubi suprà §.* 20. *num.* 10. *& est notabilis P. Turriani selectarum disputationum par.* 1. *in censura propositionum centuria* 4. *dub.* 17. qui dicit, quòd si quis assereret, libros prohibitos in conscientia retineri posse, quandò non continent doctrinam contrariam fidei, aut Sacræ doctrinæ, tanquàm assertor propositionis scandalosæ & temerariæ, à Sancto Officio graviter esset puniendus, & denunciandus eidem tribunali, quæ opinio Turriani, an vera sit cogita.

Septimo nota, quòd retinens libros continentes hæreses, secundùm multos DD. est habendus pro hæretico, *Archidiaconus in cap. fin.* 24. *quæst.* 2. *Romanus singul.* 326. *Pegna commentario* 3. *Decianus lib.* 50. *criminalium cap.* 46. *num.* 26. *Farinaceus de hæresi quæst.* 180. *num.* 34. Alii dicunt, quòd tales non judicantur hæretici, licèt verè sint de hæresi suspecti, ut ex Bulla Pii IV. de qua suprà, *Duardus lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 51. *num.* 21. *Genuensis cap.* 18. *num.* 12. *Carena ubi suprà §.* 3. *num.* 23. Quòd si quis haberet librum à se compositum, continentem hæresim esset uti hæreticus puniendus, nisi tamen per transennam hæresim illam scripsisset, *Castrus Palaus tract.* 4. *disp.* 2. *puncto* 10. *§.* 4. *Carena §.* 3. *num.* 24. *Duardus, & Farinaceus ubi suprà.*

Si verò petas, quæ suspicio sit hæresis contrà retinentes libros hæreticorum. Primò dicunt aliqui, oriri vehementem de hæresi suspicionem contrà retentorem. *Repertorium Inquisitorum, in verb. libri. Decianus verò lib.* 5. *cap.* 36. *num.* 26. dicit oriri levem solùm præsumptionem. Tu dicas remitti arbitrio Judicis, qui considerare debet circumstantias, & qualitates, primo scilicet, si consideratè retinuerit, vel legerit, si parùm, & semel, si reprehendenti statim optemperaverit, si studiosè procuraverit habere, & retinere, &c. quòd si tales libri sint reperti apud hæredem, qui nondùm angulos domûs hæreditariæ perquisivit, talis retentio nullam facit hæresis suspicionem, ità *Pegna commentario* 3. *Farinaceus quæst.* 180. *Genuensis d. cap.* 18. *num.* 12. *Menochius lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 18. *Diana par.* 4. *tr.* 7. *resol.* 6. qui etiam notat, quòd in Inquisitoribus Hispaniæ tales retentores librorum prohibitorum abjurant de levi: sequitur *Carena d. §.* 4. *in fine.* Qui verò retinet librum hæretici, ut hæresim confundat & hoc appareat ex perquisitione domûs, ubi forsan reperiuntur cartulæ continentes impugnationem prædicti libri, esset ab hæresis suspicione alienus: verùm esset puniendus eo, quòd sine licentia, & propria auctoritate libros prædictos retinet, sed esset alienus ab omni tortura, & abjuratione; ità addentes ad *Romanum singul.* 326. *Castrus Palaus ubi suprà. §.* 2. *num.* 8. qui etiam est absolvendus ab excommunicatione lata in Bulla Cœnæ, quia ad quantumvis bonum finem libri hæreticorum retineantur, semper incurritur excommunicatio dictæ Bullæ, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 53. *Ricciullus lib.* 4. *c.* 25. *Duardus quæst.* 33. *num.* 28. *Abbas Pucronius in Bulla Cœnæ tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 188. eandem excommunicationem incurrunt scriptores similium librorum de hæresi suspectorum, & eodem modo, quo retentores punientur, quia scienter scribentes videntur fautores hæreticorum, *Farinac. de hæresi, quæst.* 180. *num.* 18. in eandem pœnam incidunt asportantes libros hæreticorum ex hæreticis provinciis ad catholicas; dummodò id scienter fiat, si enim asportantes nesciant, puta quandò in fasciculis inclusos asportant, nescientes, quid ibi contineatur, ut communiter accidit in Precario; cessaret suspicio hæresis: *Farinac. ubi sup. num.* 15. eandem pœnam incurrunt impressores talium librorum, ut in Bulla Leonis X. incipiente *Exurge Domine*, & Bulla Pii IV. quæ incipit *Cùm pro munere*, *Barbos. in cap. Fraternitati, num.* 7. *de hæreticis*, Sola verò retentio libri prohibiti, an sufficiat pro indicio ad torturam quæstio est? & communiter Respondent, quòd in homine bonæ famæ non facit contrà ipsum indicium, sicut res furtiva licèt inventa apud aliquem faciat indicium ad torturam, *Farinaceus de hæresi, quæst.* 180. *num.* 48. *& de furtis, quæst.* 177. in homine verò malæ vitæ maximè concurrentibus aliquibus adminiculis dicta retentio facit sufficiens indicium ad torquendum super complicibus credulitatis contentorum in prædictis libris, & an alias prædictas hæreses docuerit, *Carena par.* 2. *tit.* 10. *§.* 7. & si apud aliquem reperiretur liber hæreticorum sine Auctoris nomine, tunc licitè posset interrogari retentor de auctore in tortura, & si in tortura persistens Auctorem non nominaret, tunc haberetur ipse pro auctore dicti libri, & sic condemnaretur, ut hæreticus, *Dec. lib.* 5. *crimen cap.* 46. *n.* 26. *Duard. in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 51. *n.* 5. *&* 6. Casu verò, quo prædicti libri reperientur apud idiotam, vel hominem optimæ famæ, tunc esset abstinendum à tortura super intentione, & credulitate, & utendum esset remedio abjurationis de levi, legas *Genuensem cap.* 69. *num.* 12.

Octavo nota, quòd habens libros hæreticorum est quæstio, an teneatur illos tradere Inquisitoribus, an verò possit illos comburere? vera responsio est teneri tradere Inquisitoribus, ut constat ex quodam motu proprio Julii III. qui incipit *Cùm meditatio*, *Duard. ubi suprà quæst.* 52. alii verò, quos sequitur *Filliucc. tract.* 16. *cap.* 2. *quæst.* 8. *num.* 45. dicunt excusari eum, qui librum combusserit propria auctoritate, aut si tradiderit eum illis, qui possunt talem librum legere; primam verò sententiam sequuntur DD. communiter teste *Ricciullo lib.* 5. *cap.* 24. *Scortia Theatemate* 169. ego puto secundam probabilem, quia satisfit fini ipsius legis.

Nono nota, quòd hæreticus, si nolit ad fidem revertere, igne comburitur, *Clarus in §. hæresis*, est autem difficultas, an Hæresiarca pro prima vice, etiamsi converti velit, sit tradendus Curiæ sæculari (dicitur verò Hæresiarca, qui novas hæreses invenit, vel qui ab aliis inventas defendit, & aliis prædicat, *Pegna in commentario* 64. *part.* 2.) Prima opinio dicit, esse tradendos hos tales, *Simanca tit.* 48. *num.* 50. Secunda opinio dicit, non esse tradendos: ità *Pegna Comment.* 64. *Farinac. de hæresi quæst.* 193. Alii pœnitentes hæretici recipiuntur ex benignitate Piæ Matris Ecclesiæ, *l. Manichæos, C. de hæreticis cap. ad abolendam, §. præsenti de hæreticis*: & licèt

licèt difficultas sit, quandònam pœnitentes recipi possint, & ex *text. in dict. cap. ad abolendam.* videatur dicendum, esse recipiendos, quandò statim post deprehensionem erroris se pœnituerit, & sic dicunt aliqui apud *Menoch. de arbitr. casu* 373. tamen alii dicunt, hoc esse positum in arbitrio Inquisitorum: *Pegna in comment.* 8. sequutus fuit *Menoch. ubi suprà:* sed vera sententia in Tribunali Sancti Officii est, semper recipi tales pœnitentes, *Farinac. de haresi, quæst.* 193. *nu.* 55. & dictio illa, *Continuò, confestim &c.* accipi debet cum temperamento temporis, & pro subjecta materia etiam longum admittit intervallum, ut benè *Barb. num.* 9. *&* 10. *in dict. cap. ad abolendam:* immò est in arbitrio Inquisitoris positum, admittere ad pœnitentiam hæreticum, etiam post traditionem factam Curiæ sæculari, *Farinac. nu.* 62. Ego non admitterem semper, quia cùm traditus Curiæ sæculari se pœnitet, videtur potiùs coacta pœnitentia, & ut benè refert *Emericus in directorio par.* 3. *in decimo modo terminandi processum, num.* 204. quidam Sacerdos traditus Curiæ sæculari, ut igne combureretur, cùm jam fuisset igni applicatus, cœpit clamare, quòd educeretur, quia volebat abjurare, & sic fuit factum, sed post quatuordecim annos, fuit repertus permansisse semper in hæresi, ac multos infecisse, quare, ut impœnitens relapsus, fuit combustus.

Decimò nota, quòd schismaticus multis punitur pœnis. Prima est privatio Ecclesiasticæ potestatis, loquendo de potestate Jurisdictionis, non ordinis, *cap. didicimus* 24. *quæst.* 1. *Card. Tuschus litt. S. concl.* 55. *Bonacina de censuris in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 50. quæstio tamen est, an hæc pœna locum habeat in schismatico non denunciato? Prima opinio est, quod careat Jurisdictione prædicta, etiam antequàm sit denunciatus, *Azorius par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 9. *Valentia to.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 15. *puncto.* 3. Secunda opinio est, non carere nisi post denunciationem: ità *Toletus in summa lib.* 1. *cap.* 13. *Sotus, & alii,* quos sequitur *Duardus in bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 56. *num.* 13. *Bonacina in Decalogis disput.* 13. *quæst.* 4. *puncto ult.* §. 5. quia nullus vitandus est, nisi percussor Clerici, vel nominatim denunciatus; ergò anteà poterit schismaticus exercere Jurisdictionem, puta absolvere, excommunicare, Indulgentias concedere, beneficia conferre, &c. postrà verò quàm fuerit denunciatus non poterit id facere: potestate verò ordinis fundata in charactere, indelebiliter in anima impresso, non privatur *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 39. *ar.* 3. *Suarez de censuris disp.* 23. *sect.* 3. Ratio, quare priventur jurisdictione, ea est, quia cùm schismatici se voluntariè subtrahant ab Ecclesia, & ejus capite, par non est, ut fruantur fructu Jurisdictionis.

Secunda pœna, in quam incurrit schismaticus, est excommunicatio lata *in can. Bulla Cœnæ*, & quidem in primo canone, non in secundo, ut malè dicit *Navarr. in manuali cap.* 27. *nu.* 57. quem impugnat *Alterius tom.* 1. *de censuris lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 9. quæ tamen excommunicatio non comprehendit solos schismaticos mentales, nec fautores schismaticorum, *Bonacina, Duardus, & alii ubi suprà:* qui tamen ligantur excommunicatione, de qua in Bulla Pauli IV. quæ incipit *cùm ex Apostolatûs officio.*

Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia in futurum consequenda.

Quarta pœna est, pœna mortis, quandò sunt impœnitentes, & poterunt Judices sæculares sine degradatione clericos schismaticos punire. *Muta de Jurisdict. par.* 20. *casu* 38. qui alias ponit pœnas schismaticorum, *Farinaceus quæst.* 184. *à num.* 37. & quia defensores, & fautores schismaticorum incurrunt solùm excommunicationem in Bulla Pauli IV. quæ nulli est reservata, ideò poterunt à quocunque confessari absolvi: *DD. ubi suprà.* Advertat verò confessarius, quòd si quis dicat, hunc Summum Pontificem v. g. Sanctissimum Urbanum VIII. non esse verum Pontificem, non est habendus pro schismatico, sed pro vero hæretico, ut latè *Suarez de fide disp.* 10. *sect.* 5. *Bonacina tom.* 3. *in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 1. duo tamen nota, primum scilicet, quòd schismaticus secundùm *Menochium lib.* 5. *de præsumpt. præs.* 6. *num.* 24. præsumitur hæreticus, & ideò tenetur abjurare de vehementi: secundùm alios verò, quos sequitur *Duardus in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 56. *num.* 12. non præsumitur hæreticus, nisi ex consideratione diuturnitatis temporis, personarum, &c. quibus positis circumstantiis coguntur abjurare de vehementi, & debent abjurare schisma secundùm formam, quæ habetur *in can. quotiès cordis* 1. *quæst.* 7. *Sanctarellus de hæresi cap.* 43. *dub.* 1. *nu.* 10. Secundò nota, quæstionem esse inter DD. an schismaticus non solùm privetur beneficiis obtinendis, sed etiam obtentis? & Responsio communis est negativa, si loquamur de solo schismate non habente annexum crimen hæresis, quia non est imponenda pœna, nisi in jure habeatur; & *textus in cap. quia diligentia de electione* non loquitur de beneficiis adeptis, sed adipiscendis, ità communiter DD. apud *Duardum ubi suprà contrà Rebuffum in praxi beneficiorum de modis amittendi beneficia nu.* 29. Hæreticus verò privatur beneficiis obtentis etiam, ut suprà: & non solùm tales pœnas incurrit schismaticus, sed etiam incurrit irregularitatem, quandò schisma est notorium DD. communiter apud *Duardum d. quæst.* 56. quia omne delictum, quod depositionem meretur, parit irregularitatem, donec infamia per pœnitentiam aboleatur, ut alibi dicemus: & *tex. in d. cap. quia diligentia.* loquitur de inhabilitate ad beneficia *Bonacina in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 13. tandem nota, quòd suscipiens ordines à schismatico, incurrit in suspicionem ab usu ordinum à schismatico susceptorum, *cap.* 1. *de schismaticis,* ubi irritantur collationes ordinum non quidem quoad substantiam, sed quoad usum, nam eos recipiens impeditur usu ipsorum, *Suar. de cens. disp.* 23. *sect.* 3. & si suscipiat beneficium, vel dignitatem à schismatico, privandus est beneficio, vel dignitate Ecclesiastica, *d. c.* 1. *de schismaticis.*

*In §. Bona Hæreticorum.*

Conclusio hujus textûs est, bona hæreticorum confiscari debere. Idem docet *tex. in cap. excommunicatus de hæreticis, cap. cùm secundùm eod. tit. l. Manichæos §.* 1. *C. de hæreticis, Auth. Gazaros C. eod. tit.* ab hæreticis enim omnia bona sunt auferenda, quod non solùm de jure Civili, sed Canonico & Divino docet *Hostiensis in summa de hæreticis §. qualiter.*

Ampliatur conclusio, ut censeantur confiscata à die quo testes deponunt, eos incidisse in hæresim, non à die, qua per sententiam contumaces declarantur, ità *Farinaceus de hæresi loc. cit. Castrus Palaus, & alii apud Dianam par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 27. & sic procedit *tex. in d. cap. cùm secundùm,* illæ verò alienationes, quæ fuerint factæ antè delictum commissum, non revocantur, nisi fuerint factæ in fraudem fisci; *Peregrinus lib.* 5. *de jure fisci tit.* 1. *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 22. Quandò verò alienatio sit facta in fraudem fisci, ex circumstantiis judicandum est, puta si statim facta alienatione committatur delictum; quandò verò fiscus bona hæretici confiscat, tenetur solvere debita contracta à delinquente; nam, cùm publicentur tantùm bona delinquentis &

& bona dicantur deducto ære alieno, consequenter debet ea solvere, *Glossa, Bart. & alii in l. inter eos, §. fin. ff. de fidejussor. Surdus de alimen. tit. 8. privil. 59. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 15.* Quòd si bona publicentur in partem, tenetur fiscus satisfacere pro rata illius partis, quæ publicatur, *l. fin. C. de debitor. civit. l. 1. C. de fidejussorib.* eadem enim est ratio totius ad totum, ac partis ad partem: *l. quæ de tota, ff. de rei vendic.* non tamen tenetur fiscus satisfacere debitis post delictum contractis. Quòd si dubitetur, an debita sint contracta post delictum, an verò anteà, tunc ad fiscum pertinet probare, fuisse debita contracta post delictum, *Sanchez ubi suprà num.* 7. & quandò bona sunt sufficientia, & fiscus non satisfacit creditoribus, non tenetur ille ampliùs satisfacere, cujus bona confiscantur, etiamsi criminosus aliundè acquirat bona, & ad pinguiorem redeat fortunam, dummodò ea non recuperet criminosus ex Principis indulgentia: ratio est, quia liberatur ab obligatione per confiscationem, & tota obligatio transmittitur ad fiscum, *l. 1. C. de fidejuss.* quod locum habet etiam in conscientia, *Peregr. & alii ubi sup.*

Ampliatur secundò, ut non possint cogi Inquisitores, quandò bona hæreticorum confiscant, ad pretium restituendum, si talia bona inveniant apud emptores, quia ipsi non tenentur ad pretium *Ricciull. lib. 5. cap. 38.* etiamsi per mille manus hæreticorum bona transierint: *Surdus decis. 247. num. 11.* Ratio est, quia Inquisitores, & fiscus à die commissi criminis habent dominium eorum bonorum; ea verò bona, quæ alienarunt hæretici pro causis necessariis, non possunt revocari, *Gratianus cap. 54. num. 15.* tenentur tamen restituere Inquisitores meliorationes factas ab emptore, & sic nesciens, Titium esse hæreticum, si ab eo emat domum, & posteà cogatur restituere fisco, debent ei solvi meliorationes, si quas fecit; *Garsia de expensis, cap. 6. nu. 20.* quòd si emptor scivisset, eum esse hæreticum, tunc fiscus tenetur solùm solvere melioramenta necessaria, *Menochius de recuperanda possess. remed. 15. num. 515.* Neque possunt Inquisitores, bona, quæ confiscant, relinquere hæreticis pœnitentibus: nisi aliud suadeat consuetudo Inquisitorum, in aliquibus locis *Ricciullus cap. 41.* sunt verò applicanda secundùm Jus antiquum fisco sæculari bona confiscata, ut in *cap. urgentis de hæreticis*; quod jus antiquum servatur hodiè in Hispania, quia Rex noster facit omnes expensas Officii Sanctissimæ Inquisitionis, quæ sunt maximæ, *Covarr. lib. 2. var. cap. 9. num. 12. Farinaceus de hæresi, quæst. 190. §. 1. Castrus Palaus par. 1. tract. 4. disput. 5. punct. 23.* Idque fit ex concessione particulari Sedis Apostolicæ, ut benè *Farinaceus ubi suprà*, quia per se ad Summum Pontificem spectat potestas disponendi de bonis hæretici. De Jure verò, præcisa hac consuetudine, bona clericorum sunt applicanda fisco Ecclesiæ, *Covarr. ubi suprà, num. 12. Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 20. nu. 26. Barbos. in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. distin. 13. num. 8.*

Limitatur conclusio, ut confiscatis bonis mariti hæretici, non censeantur confiscatæ uxorum dotes, *cap. decrevit de hæretic. in 6.* nam pœna suos debet sequi auctores, *l. sancimus, Cod. de pœnis, Sanchez ubi suprà*, etiamsi essent bona paraphernalia, *DD. ubi suprà*; neque vestes uxoris quotidianæ confiscatæ censentur; nam istæ pertinent ad uxorem: secùs dicendum est de vestibus pretiosis à marito donatis, quia istæ pertinent ad virum: neque donatio propter nuptias confiscata censetur, quia eam lucratur uxor, sicut donata uxori à marito durante matrimonio censentur confiscata, quia talis donatio est invalida, & sic durante matrimonio hæc bona sunt mariti, *DD. ubi suprà*. sic tradita uxori intuitu uxoris non publicantur ob delictum mariti, etiamsi tradita sint à consanguineis mariti; secùs, quandò tradita sunt intuitu mariti, quia tunc censentur bona mariti, *DD. cit.*

Adverte tamen, quòd tunc confiscantur bona uxoris ob hæresim mariti, quandò ipsa scienter nupserit hæretico, in pœnam enim delicti publicatur dos uxoris ob hæresim mariti, *dict. cap. decrevit de hæret. in 6.* nisi sit dos soluta cum pacto, ut matrimonio soluto, restituatur alteri, ne tertius innocens damnum patiatur, durante tamen matrimonio fructus dotis pertinent ad fiscum: quæstio tamen est, an maritus scienter ducens hæreticam, patiatur pœnam confiscationis bonorum? & responsio est negativa, tùm quia jura loquuntur de bonis dotalibus, ut benè, *Sanch. lib. 7. de matrimon. disp. 16.* maritus autem non affert dotem, sed uxor, tùm quia majori periculo exponit se uxor contrahendo cum viro hæretico, quàm maritus cùm hæretica, ergo non debent pari pœna puniri.

Adverte secundò, quòd etiam post mortem possunt confiscari bona hæreticorum. Idem dicit, *text. in cap. accusatus de hæret. in 6.* in quo judicio confiscationis bonorum, sunt citandi filii, & hæredes ipsius delinquentis, *Farinaceus de hæresi ubi suprà num. 160.* & confiscatis bonis patris, bona etiam profectitia filii censetur confiscata, quia ista pertinent ad Patrem, non solùm quoad dominium, sed etiam quoad usumfructum, bona verò filii Castrensia, vel quasi Castrensia non censentur publicata, nam hæc absolutè pertinent ad filium non ad patrem, *Farinac. de delictis, quæst. 24. num. 33. Peregrinus lib. 5. de Jure fisci, titul. 1. num. 29. Menoch. de recuper. possess. remed. 9. num. 144.* Neque confiscatis bonis patris ob crimen læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ, aliquod reservatur filiis, neque pro alimentis, nam ob commune bonum expedit, ità fieri, ut homines à talibus criminibus arceantur, *Peregrin. lib. 5. tit. 1. num. 34. Ricciullus lib. 5. de Jure personar. cap. 40.* In Hispaniis verò Inquisitores solent accommodare filios inquisitorum; *Simanca de Catholicis instit. tit. 29. nu. 12.* quòd si filius hoc casu aliquid sibi abscondat, an in foro conscientiæ ad aliquod teneatur, quæstio est? Negant posse fieri, *Sanchez* cum aliis, quos allegat ubi suprà, præcisa aliqua necessitate, in qua sunt omnia communia, affirmant verò, posse fieri id in conscientia, *Rebellius de restitutione, quæst. 12. sect. 4.* & alii, quos sequitur *Bonac. tom. 2. disput. 1. de restitut. in genere, qu. ult. pun. 1. num. 37.*

Adverte tertiò, quòd hæretici puniri possunt post mortem, hoc modo videlicet, si formato processu, hæresis est plenè probata: hæreticus mortuus damnandus est, & ejus bona sunt fisco applicanda, etiamsi devenerint in manus tertii possessoris, & ejus ossa, si à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt & ejus status comburenda: quòd si ejus delictum non probetur, neque speretur brevi probandum, tunc erit absolvendus, *Sanctarellus de hæresi, cap. 27. dub. 1. num. 12.* suspecti verò de hæresi non possunt, tanquàm hæretici post mortem damnari, nisi in duobus casibus, quorum primus est si existens in carcere seipsum occidit, quia tunc talis mors esset quædam hæresis confessio; secundò, quando hæresis sufficienter est probata, ex eo, quòd probetur aliquem extitisse contumacem per annum in excommunicatione ex causa fidei, *Farinaceus loc. citat. quæst. 147.*

Advertè quartò, quòd per spatium 40. annorum possunt Inquisitores procedere contrà hæreticum, aliàs tempus præscribit actionem procedendi, ex *cap. fin. de præscript.* Alii verò dicunt talem facultatem procedendi nunquàm præscribi, *Pegna par. 3. Comment.*

*Comment.* 92. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. qui communiter docent, nullo temporis spatio præscribi talem facultatem procedendi contrà hæreticum ad ejus memoriam damnandam, statuam comburendam, &c. *Ad text. verò in dict. cap. fin.* Respondet *Acugna Archiepiscopus Bracarensis, ad decretum Gratiani part.* 1. *distin.* 23. *cap.* 14. *num.* 6. quòd ibi agitur de præscriptione, quoad sola bona hæreticorum; & cavendum est, à *Gloss. in l. Manichæos, Cod. de hæreticis, & Bartolo in l.* 2. *C. de Apostatis*, qui dicunt, bona hæreticorum præscribi à possessoribus spatio quinque annorum, etiamsi applicanda essent fisco sæculari. Veritas enim est, præscribi spatio quadraginta annorum, ex *d. cap. fin. Sanctarellus de hæresi, cap.* 22. *dub.* 2. *nu.* 8. *Carena par.* 3. *tit.* 9. *§.* 50. *& par.* 2. *tit.* 19. *§.* 81.

Adverte quintò, quòd si quis permanserit per annum in excommunicatione, dicitur incurrisse insordescentiam, *cap. cùm locum, de ætate & qualitate*, ubi licèt Pontifex narrando factum loquatur de excommunicatione durante per triennium, tamen in materia insordescentiæ annus in excommunicatione sufficit, ut incurratur, de communi *Ricciullus lib.* 4. *cap.* 7. *Alterius lib.* 4. *disp.* 6. *cap.* 1. qui annus debet esse completus, & continuus; quarè si quis stat in excommunicatione per sex menses, deindè obtenta absolutione cùm reincidentia post absolutionem stat per sex alios menses, talis non potest dici insordescens, nam in hac materia tempora non conjunguntur, *Rota Romana decis.* 195. *post secundum volumen consiliorum Farinacei*, *Seraphinus* 1285. *contrà Decium cons.* 145. *volum.* 1. *Ricciullus lib.* 4. *cap.* 8. *Card. Bellarm. in Trid. sess.* 25. *cap.* 3. refert, decisum per Sacram Congregationem, non potuisse procedi contrà eum, qui per tres annos stetit in excommunicatione, lata ab Auditore Cameræ Apostolicæ, tanquàm suspectum de hæresi, eo quia singulis annis in Festis Paschalibus ab eodem Auditore absolutionem obtinuit. Dubium tamen est, à quo die annus incipiat, an scilicet à die incursûs excommunicationis, an potiùs à die, quo fuit declaratus excommunicatus? & dico, ab eo die, quo fuit nominatim excommunicatus denunciatus. *Riccius tom.* 3. *resolut.* 216. *in praxi*, *Sanctarellus de hæresi, cap.* 4. *nu.* 6.

Ultrà verò annum continuum in insordescentia, requiritur perseverantia cum pertinacia animi, quæ includat contemptum clavium. *DD.* communiter in *cap. cùm bonæ, de ætate, & qualitate*, *Rota decis.* 196. *post secundum volumen consiliorum Farinacei*, *& eadem Rota decis.* 132. *par.* 1. *in recentiorib.* undè non sufficit ad probandam insordescentiam, probare, quòd stetit quis per annum in excommunicatione, sed requiritur, ut probetur animus eum contemptu clavium. *Ricciullus lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 3. undè qui infrà annum petiit absolutionem, licèt non obtinuerit, non potest dici insordescens, quia cessat contemptus, & in hac materia omnis causa, & omne impedimentum etiam injustum tollit præsumptionem contemptûs, *Riccius d. tom.* 3. *resol.* 214. *Ricciullus ubi suprà*, & cùm eris Vicarius, elapso anno citabis excommunicatum prædictum ad se purgandum, juxtà *textum in cap. cùm contumacia de hæreticis in* 6. & posteà fieri debet sententia declaratoria super insordescentia, *DD. ubi suprà.*

Parit verò insordescentia plures effectus: primus est, quia clericus, vel laicus, si habetur pro confesso, & convicto de delicto, pro quo fuit excommunicatus, si in excommunicatione insorduerit, ità quòd ampliùs non sit audiendus, nisi vellet innocentiam suam novis probationibus demonstrare, *Menochius de arbitr. casu* 416. *Genuensis prax. cap.* 26. *Salzedus, & Diaz in praxi canonica cap.* 118. *Ricciullus lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. *Alterius tom.* 1. *lib.* 2. *disput.* 8. *cap.* 3. non tamen erit ob insordescentiam privatus beneficiis, nisi crimen sit de illis, quæ inducunt privationem beneficiorum. *Seraphinus decis.* 1285. *Ricciullus dict. cap.* 7. *Alterius d. cap.* 2. *disp.* 6. est etiam talis insordescens de hæresi suspectus, *Trid. sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* quæ suspicio, an sit levis, an de vehementi, explicat *Carena p.* 2. *tit.* 8. *§.* 4. *&* 5.

Sed petas utiliter, stat quis per annum continuum in excommunicatione, sed hoc anno obtinuit breve à Roma, in quo adest absolutio illis verbis concepta (neque absolventes ad effectum dumtaxat præsentium consequendum) quæstio est, an talis absolutio, hoc modo facta, tollat cursum anni pro insordescentia? Respondeo, non tolli annum continuum, tùm quia actus agentium non operantur ultrà intentionem, tùm quia illa absolutio est verbalis, & de stylo, & datur quibuscumque, etiamsi non pœniteant, *Valerus in verb. absolution. differ.* 5. ergo non poterit operari absolutio illa, quòd pertinacia tollatur ab excommunicato, quia dicta clausula non tollit excommunicationem, sed impedimentum proveniens à prædicta excommunicatione suspendit, usquequò gratia suum sortiatur effectum, *Ricciull. ubi sup. lib.* 4. *c.* 7. *Marta de clausf. p.* 1. *c.* 47. *Barb. de clausul. clausf.* 179. *Carena p.* 2. *tit.* 8. *cum aliis.*

*In §. Sed videamus.*

AGitur in hoc *textu* de pœnitentia, quæ agi debet ab hæreticis; & quomodò absolvendi. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd hæreticus occultus potest absolvi à quolibet confessario electo virtute alicujus Jubilei, in quo conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus etiam in Bulla Cœnæ: sic fuisse Romæ declaratum anno 1607. in sacra Pœnitentiaria refert *Fillucc. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 265. idem ex communi dicit *Alphon. de Leone de Jubileo par.* 2. *quæst.* 11. *nu.* 37. *Farinac. de hæresi, num.* 192. *nu.* 63. *contrà Ricciullum libr.* 5. *cap.* 19. qui dicit cum aliis, de stylo Curiæ Romanæ servari contrarium, & ità fuisse declaratum per Gregor. XIII. quare ego vidi in multis Jubileis ad nos missis ad difficultatem tollendam, expressè dici ab omnibus casibus contentis in Bulla Cœnæ, excepto casu hæresis, est tamen difficultas, an possit Episcopus vigore *Concilii Trident. sess.* 24. *cap.* 6. absolvere ab hæresi occulta? Responsio communis est negativa, ut post alios *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 40. *num.* 21. *Ricciullus lib.* 5. *cap.* 14. *Riccius par.* 3. *decis.* 280. *Valerus in verb. hæresis differ.* 5. *Gratian. cap.* 414 *Bellocchius de casibus reservatis, par.* 2. *quæst.* 1. *num.* 175. qui omnes dicunt, Bullam Cœnæ derogare, & adimere supradictam facultatem Episcopis, & sic declarasse dicunt Pium V. Gregorium XIII. & Clementem VIII. Non desunt tamen multi *DD.* putantes, hæresim occultam posse ab Episcopis vigore *Concilii Tridentini absolvi*, quos sequitur *Fagundez de præceptis tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 33. quam tamen sententiam magis communiter reprobant *DD.* apud *Dianam par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 239. *& par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resol.* 43. Ego tamen expressè, & benè probatam reperio sententiam *Fagundez*, & aliorum; immò ad partes disputatam per *P. Texedam in Theolog. morali, lib.* 2. *tract.* 1. *controvers.* 18. *num.* 14. *& per Hurtadum de Mendozza* 2. 2. *S. Thom. disp.* 84. *sect.* 2. quam sententiam si vis consulere Episcopo tuo, scias, quòd potest Episcopus absolvere talem hæreticum occultum etiam,

etiam, per alium suum delegatum: *Texeda ubi suprà*, immò, & posset Episcopus talem absolvere etiam absentem ut latè *Diana par. 5. tract. 13. resol. 43.* quia absolutio à censuris dari potest absenti, ut alibi dicemus.

De Inquisitoribus verò est quæstio, an possint absolvere ab hæresi? & Respondent affirmativè, sivè sint Inquisitores Hispaniæ, sivè Italiæ; ut benè *Ricciullus ubi suprà*, qui poterunt absolvere ab hæresi, non solùm in foro externo, sed etiam conscientiæ: *Joannes Valerius in verb. hæresis differ. 3. Sanctarellus de hæresi cap. 1. dub. 3. num. 31.* & tamen est difficultas, an hæretico negativo scilicet non confesso, possit Sacerdos absolutionem dare, quandò jam est destinatus ad comburendum? prima opinio negat esse absolvendum, secunda affirmat, de quibus *Diana par. 1. tract. 5. resol.* 8. Ego tamen puto, cum *Hurtado de Mendozza de fide volum. 1. disp. 86. sect. 2. §. 29.* posse absolvi, licèt in foro externo procedatur cum eo, tanquàm cum hæretico pertinace, ut benè *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 78. Quòd si quis sit damnatus ad mortem, & reperiatur jam, ut vulgò dicitur, in Capella, penès Dominos societatis alborum, & ab eis inveniatur hæreticus, poterit absolvi tanquàm existens in mortis articulo, & non tenentur mittere ad Inquisitorem, *Mendozza ubi suprà disput. 48. sect. 7. Diana par. 5. tract. 13. resolut. 12.* nam in articulo mortis, quilibet hæreticus potest absolvi ab omni simplici Sacerdote, etiamsi adesset in eo loco Inquisitor, vel Episcopus, ut post alios; *Sanchez in summa lib. 21. cap. 13. num. 14.* quia non adest obligatio pœnitenti, ut se per tertiam personam superiori præsentet pro absolutione, & confessarius non tenetur, hoc gravamen suscipere, ut contrà *Bonacinam de censuris disp. 1. quæst. 3. pun. 3. num. 5.* dicentem teneri ægrum per se, vel per confessarium adire Inquisitorem in tali casu, docent communiter *DD. ubi suprà*: immò tali casu poterit simplex sacerdos etiam præsente confessario approbato, immò præsente alio sacerdote, cui casus, & censuræ sunt reservatæ, absolvere ab hæresi, latè *Sanchez ubi suprà, Barb. alleg. 25. num. 51. Valerus differ. 23. in verb. excommunicatio, arg. text. Trid. sess. 14. c. 7.* Verùm suprà dictus hæreticus occultus, in articulo mortis absolutus, si evadat periculum, debet se præsentare Summo Pontifici, quia censetur absolutus sub hoc onere, si supervivat, sub pœna reincidentiæ in eandem censuram: non ut iterùm absolvatur, quia jam est absolutus, sed ut obediat ejus mandatis, DD. apud *Barbos. lib. 5. in collect. tit. 39. cap. 11.* licèt contrarium dicant alii, quos sequitur *Filliuccius tom. 1. tract. 13. cap. 7. n. 141. & Bonacina de censuris disputat. 1. quæst. 3. puncto 3. num. 15.* qui dicunt, non opus esse, ut accedat ad Summum Pontificem, sed sufficere, ut ab Inquisitore denuò absolvatur; nam prior absolutio non obstat, quin pœnitens non possit novam absolutionem obtinere,

Sciendum secundo est, quòd si hæreticus occultus absolutionem ab Episcopo obtinere non potuit, mittere debet Romam ad majorem Pœnitentiarium, & interim, dùm talis expectatur facultas, potest ratione infamiæ, vel scandali, si timeatur, celebrare, si fuerit Sacerdos, si autem laicus, poterit Eucharistiam sumere eliciendo priùs actum contritionis, & si non potest existimare se actum contritionis perfectum habere, confiteatur, & à confessario absolvatur ex probabili doctrina, quam docet *Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 7. num. 87. & alii*, quos citat *Sancius in selectis disp. 32. num. 11.* immò addit *Fagundez de præceptis Ecclesiæ lib. 3. cap. 12. num. 12. cum Martino Navarro contrà Suarez 3. p. tom. 5. disp. 9. sect. 3.* secluso scandalo, & periculo gravis infamiæ, dictum hæreticum occultum procurantem absolutionem, si verè pœniteat, & contritus sit, posse celebrare.

### *In §. Relapsi autem.*

CONclusio hujus *textûs* est, quòd relapsi non sunt reintegrandi, sed traduntur Curiæ sæculari, dicitur verò hæreticus relapsus, qui convictus, vel vehementer suspectus abjuravit, & in eamdem reincidit, seù aliam, *cap. accusatus de hæret. in 6.* Dicitur etiam relapsus fictione juris, qui priùs abjuravit de vehementi, puta, si abjuraverit articulum Purgatorii, vel de puritate B. M. V. & posteà deprehenditur incidisse in eandem specie hæresim formaliter, *dict. cap. accusatus*, in quibus casibus punitur, ut relapsus, & traditur Curiæ sæculari, *d. cap. ad abolendam, §. qui verò & §. illos quoque de hæret. cap. accusatus, §. cùm verò, §. ille quoque, de hæret in 6.* & est Bulla Alexandri IV. quæ incipit; *Quod super; Riccius collect. 123. Castrus Palaus tract. 4. disput. 6. par. 2. Carena par. 2. tit. 2. §. 50.* qui verò abjuravit de levi, si in vehementem, vel levem hæresis suspicionem incidit, non dicitur relapsus, licèt sit gravitèr puniendus, quia requiritur, ut incidat post abjurationem, in hæresim formalem, ut declaravit Pius V. teste *Carena ubi suprà num. 26.* Quæstio tamen est, an si hæreticus spontè compareat, & abjuret hæreses, si relabatur, sit posteà habendus pro relapso, ad effectum tradendi eum Curiæ seculari? prima opinio negat, ità *Torreblanca de Magia lib. 3. cap. 123.* Secunda opinio affirmat *Carena ubi sup. §. 50. in fin.*

Pœna verò relapsi multiplex est. Prima quidem, absque ulla misericordia traditur Curiæ sæculari, nam sufficit, tales per falsam conversationem semel Ecclesiam decepisse, *Garsia in Bullis Pontificum Theoremate 36.* quod procedit sivè relapsus velit pœnitere sivè non, *d. cap. ad abolendam, §. illos quoque de hæreticis*: ità tamen, ut si pœniteat, priùs strangulетur, & posteà comburetur, ac etiam, ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ admittatur: si verò sit impœnitens vivus comburatur; & quamvis Ecclesia nunquàm soleat claudere gremium redeuntibus, juxtà *tex. in l. ultima, Cod. de summa Trin. & Fide Cathol. & textum in cap. Dico 24. q. 4.* tamen hæc intelliguntur in foro poli, undè Ecclesia admittit relapsos ad Sacramenta, sicut dixi; secùs, in foro fori: tamen non sunt admittendi ad Ecclesiasticam sepulturam, *Carena ubi suprà, §. 6.* & tales relapsi sivè pœnitentes, sivè impœnitentes torqueri debent saltem super complicibus, *Farinac. de hæresi, quæst. 185. num. 133.* non tamen sunt admittendi ad abjurationem, quia statim sunt tradendi curiæ sæculari; & tenetur Judex laicus absque ullo processu, ejusque revisione sententiam latam exequi. *Franciscus Molinus de Brachio sæculari lib. 1. c. 8. contrà Bart. in l. Magistratib. ff. de Jurisd. omni Judic. Diaz in praxi crimin. canon. cap. 144. Carena dict. tit. 2. §. 6. Diana tract. 7. p. 4. resol. 23.*

### *In §. Apostatæ, & sequenti.*

AGitur hîc de pœnis Apostatarum. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quòd Apostata, & fugitivus à religione, ubique capi potest à suo superiore etiam extrà suum monasterium, & territorium, quia dominus potest servum, vel famulum fugientem, & inventum, etiam extrà provinciam capere. *l. 1. C. ubi causa status, l. 1. C. ubi Curialis*, Sed Religiosus est sub potestate superioris, ergo potest superior illum capere, ubicùmque inveniat, tùm quia, *Honorius 2. in cap.*

*in cap. à nobis de Apostatis*, statuit, Apostatas qui minis, vel bladitiis nullatenùs possunt induci, ut abjectum habitum reassumant, posse carcerari, ibi durè affligi, ut solummodò vita sibi misera reservetur, *Sanchez lib. 6. cap. 8. nu. 33. Sanctarellus de Apostasia cap. 3. dub. 2. nu. 12.* nec gaudet religiosus Apostata privilegiis religiosorum, si habitum dimittat, prætendens invalidam professionem, *Trid. sess. 25. cap. 19. de Regular.* in quo tamen requiritur Judicis sententia, ut benè *Sanch. ubi sup.*

Sciendum secundò est, Apostatam jure communi ob Apostasiam non incurrere excommunicationem, nam non reperitur talis excommunicatio, ut benè *Sanctarell. de Apostasia; cap. 3. dub. 2.* In nonnullis verò religionibus ex peculiaribus privilegiis ipsarum, sunt excommunicati, ut patet ex privilegiis Societatis Jesu concessis à Gregorio XIII. ut in Bulla, quæ incipit *Ascendente Domino.* in qua Religiosi Societatis Jesu Apostatæ, sunt excommunicati, & absolutio Summo Pontifici est reservata, est tamen talis Apostata à Religione, irregularis, *cap. hi qui 50. distinct. cap. consultationi de Apostatis, Sanctar. de Apostasia, cap. 3. dub. 2. num. 16. Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 26.* qui verò detinet Apostatas, non est excommunicatus, nisi admonitus ab ordinario loci, eum dimittere noluerit, ut in Bulla Pauli IV. 14. in ordine, incipiente *Postquàm divina bonitas.* Illi verò, qui cooperantur ad fugam, vel apostasiam religiosorum, non solùm peccant graviter contrà jus naturale, eò quòd cooperantur ad rem malam, & sacrilegam; sed etiam tenentur restituere ea lucra temporalia, quæ Religio amisit propter fugam talis religiosi, saltem quandò id fecerunt vi, vel fraude; Ratio est, quia, cùm sit grave nocumentum religioni contrà ejus voluntatem, ergo peccant contrà justitiam, ac per consequens est obligatio restituendi damnum, *Cajetanus in verb. restituere, Sanchez tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 3.* Dixi, quòd qui detinet Apostatam non est excommunicatus, intellige de jure communi, nam ex privilegiis multarum Religionum sunt excommunicati tales detinentes, *Lezzana 1. tom. de Regular. cap. 16. nu. 15.* & poterunt Apostatæ, & fugitivi, ubique etiam extrà territorium capi à suis superioribus carcerari, & duci ad Monasterium, invocato ad hoc, si oporteat, brachio sæculari, *P. Rodriq. tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 6.* Quandò verò Apostata ad ordinem suum redire vult, benignè est recipiendus, quia id exposcit naturalis ratio, & clementia Ecclesiæ; & Religionis; *Navarr. lib. 3. de regularib. cons. 66.* non tamen tenetur Monasterium solvere debita contracta à Religioso Apostata, vel fugitivo, nisi in casu, quo rediens ad Religionem secum adduxerit aliqua bona, ex quibus possent solvi talia debita, *Navarr. ubi suprà cons. 73. lib. 3. Rodriquez dict. tom. 1. quæst. 30. art. 11.* putant aliqui, quòd ea bona, quæ acquirit Apostata, pertineant ad Religionem, quia est verè religiosus: alii verò dicunt, quòd pertineant ad Cameram Apostolicam. Legas *Lezzanam de Regularibus, cap. 16. nu. 20. & tom. 3. in verb. Apostata.*

Sciendum est tertio, quòd Monachus, qui ob sævitias Abbatis, seù Prælati, religionem deserit, non est Apostata, *Bald. in cap. ad nostram de Appellat. argum. l. 2. §. dominorum, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*, qui animus, non fuga facit Apostatam, *l. si quis sit fugitivus 17. §. idem Cælius, ff. de edil. ed.* & si delinquat post desertionem Religionis, est quæstio, an ut Apostata amittat fori privilegium? Vera sententia est, quòd non amittat tale privilegium fori: ità post alios, *Avend. de metu lib. 2. cap. 10. à nu. 81.* tùm quia remanet persona Ecclesiastica; ergo. Non tamen est Apostata filius, qui ob egestatem Patris, & Matris, religionem deserit, quia ut talibus subveniat, potest filius de superioris licentia religionem relinquere, *S. Thom. 2. 2. quæst. 101. art. 5. Navarr. cons. 65. de regular. lib. 3. Velasch. de privil. pauperum, p. 1. q. 11. à nu. 15.* & probatur hæc sententia, ex *l. qui cum uno 4. § fin. ff. de re milit.* ubi filius excusatur à crimine, de quo ibi, ob paternam affectionem aliquandò Castra deserens, absque superioris licentia. Legas *Avendanum ubi suprà.*

---

## *TITULUS V.*

### DE SORTILEGIS, MALEDICIS, ET SACRILEGIS.

Visum est suprà de delictis, quæ immediatè respiciunt Deum, verùm, quia inter hæc delicta connumerantur etiam Sortilegium, blasphemia, & sacrilegium; meritò ponitur hic titulus ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, antequàm ad literam *text.* deveniamus, quòd habemus superstitionem, divinationem, & vanam observantiam. Superstitio derivatur à superstatuo, vel superinstituo, quia est superflua, & vana observantia super statuta, seù instituta Majorum. *Isidorus lib. 8. ethimolog. cap. 3.* aliam tradit *Cicero lib. 2. de natura Deorum: aliam Lactantius libr. 4. divinarum Institutionum cap. 28.* Definitur ergo superstitio, ut sit indebitus cultus, seù vana religio. Omnes Catholici cum *S. Thoma 2. 2. quæst. 93. art. 1.* Dicitur vana, & falsa religio, quia opponitur religioni, quæ vero Deo cultum debitum, modoque debito exhibet, *Suar. tom. 4. de religione lib. 2. cap. 1. Less. lib. 2. de quatuor virtutibus Cardinalibus, cap. 43. dub. 1. Bonac. tom. 2. disp. 3. qu. 1. punct. 1. Castr. Palaus tom. 3. tract. 17. disput. 1. punct. 1. Ægidius Trullench. in Decalogum lib. 1. cap. 10. dub. 1. P. Fagundez in Decalogum lib. 1. cap. 34. Sanch. in Decalog. lib. 2. c. 37.*

Sciendum secundò est, quòd superstitio quatruplex est, secundùm *Sanct. Thom. ubi suprà*, prima est, quandò cultus divinus exhibetur falso numini, seù creaturæ, eam adorando loco Dei, quæ propriè appellatur Idololatria. Secunda est, quandò divinus cultus exhibetur vero Deo, sed modo indebito, & hæc appellatur superstitio, indebito modo colendi Deum. Tertia est, quandò homo petit à creatura auxilium, quod à solo Deo potest haberi, & ideò hùnc divinum cultum tribuit creaturæ, volens per eam instrui de futuris, aut de præteritis, aut præsentibus, & sic appellatur divinatio: quarta & ultima est, quandò homo in suis actionibus omittit dirigi à Deo, & petit, ut dirigatur à creatura, & ideò ei divinum cultum tribuit, & hæc appellatur superstitio vanæ observantiæ.

Superstitio verò colendi Deum indebito modo est duplex; altera, quandò cultus est falsus, ac perniciosus, vel ratione rei significatæ, vel ex parte colentis; ratione rei significatæ, ut si quis totum Deum coleret ceremoniis Judaicis, quæ denotant, Christum non esse incarnatum; ex parte verò colentis, ut si quis rebus turpibus & obscœnis, velit Deum colere, aut falsas reliquias populo proponeret adorandas, & falsis miraculis, & testimoniis doctrinam fidei confirmare vellet, vel si quis mutaret formam, aut materiam Sacramentorum; alia species est, quandò quis colit cultu superfluo, ut cùm quis vult, Deum adorare ceremoniis, quæ ad nullam Dei gloriam pertinent, v. g. quòd tot sint candelæ, non plures, ut sint potiùs viridi coloris, quàm nigri, & quòd bis dicat quis alleluia, quandò semel dici debet, aut

aut cantet Gloria, aut Credo, quandò non sunt dicenda, omnes enim tales modi adorandi Deum sapiunt superstitionem, *Sanchez & alii suprà citati*; Hæc autem ex suo genere loquendo ordinariè, non videntur esse nisi peccata venialia, hinc si quis suo singulari proposito in die dominica jejunaret, ut Deum coleret, esset peccatum superstitionis, quia est cultus indebitus, & superfluus, non tamen esset plusquàm venialis culpa cessante scandalo, & contemptu moris Ecclesiæ. Ex quo dicunt *DD.* votum jejunandi ordinariè diebus dominicis esse irritum, neque teneretur quis transferre ad aliam diem, quia est votum de re illicita, *Suarez lib. 3. de voto, cap. 6. num. 21. Sanch. dict. lib. 2. cap. 37. n. 16. Suar.* id absolutè, & indistinctè dicit; *Sanch.* verò dicit non valere, quandò id fieret ob quandam singularitatem servandam; sed si ad alium finem, putà ut corpus affligeret; vel mentem Deo haberet elevatam, valeret, & sic intelligitur *S. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 25. ad 3. & in 4. distin. 14. quæst. 3. artic. 1. qu. unic.* qui damnat jejunium die dominica, & Ecclesia transfert vigiliam cadentem in diem dominicam, in Sabbatum, & prohibet dominicæ jejunium in *cap. si quis presbyter 30. dist. & in cap. Sacerdos 26. quæst. 6. & in cap. ne quis jejunet de consecrat. dist. 3.* Idque prohibuit ad obviandum Manichæorum hæresi, qui dicebant, jejunium diei dominicæ necessarium esse, in contemptum resurrectionis Christi: & hoc jejunium condemnant *text. allegati*, & *S. Thomas*. & propter talem errorem. subtraxit, tunc Ecclesia dies dominicos à Quadragesima; hodiè verò quia cessat talis ratio, puto, non esse peccatum mortale jejunare in die dominico ob bonum finem; & sic approbat *S. Hieronymus in cap. utinam 78. distin.* & dicitur ibi, Apostolos illud servasse; ità dicunt *Sanch. ubi suprà, Fagundez dict. cap. 38. num. 8.* ex quo, si fecisti votum jejunandi in die alicujus Sancti, & dies illa incidat in die dominica, non esset superstitiosum, eo tunc jejunare, quia se habet per accidens dies dominicus in tali jejunio; immò videris ex voto obligatus, quia est de materia licita, neque impeditiva majoris boni; poteris tamen propria auctoritate in diem antecedentem, vel sequentem commutare, quia videtur gratius Deo ob ritum universalis Ecclesiæ, die dominica non jejunantis, jejunium in alium diem transferre, *Sanch. lib. 2. in Decalogum cap. 37. Castrus Palaus ubi sup. nu. 7.*

Ex quibus apparet, cultum superfluum Deo tributum, non esse ex se peccatum mortale, sed solùm veniale. Dixi ex se, quia ratione scandali, vel contemptûs, esset peccatum mortale, quia non est tali casu perfecta ratio superstitionis, quare petunt *DD.* an peccet mortaliter, qui in nocte Nativitatis Domini statim post primam Missam dicit alias duas, non expectato tempore diei? putat *Suarez tom. 3. in 3. par. disput. 80. de Sacramentis sect. 40. §. 3.* nullum esse peccatum, neque veniale: alii dicunt esse peccatum; sed prima opinio *Suar.* est vera, licèt contradicat *Fagundez dict. c. 34. à nu. 12.* ratio *Suar.* quia nullum violatur præceptum, ergo.

Cultu verò falso, modo indebito Deum colere, est peccatum mortale ex suo genere, ut ceremoniis Judæorum Deum colere, quia falsitas in materia religionis est de se materia gravissima, *S. August. lib. de mendacio cap 4. Sanch. n. 5.* & sic, si quis Maurorum, & Turcarum sectas veneratur, graviter peccat, sic qui falsas reliquias amicis pro veris donat, aut in publico proponit adorandas, vel qui fingit in publico miracula falsa. & ad id fingendum spolia mortuorum in loco alicujus Sancti opponit: hæc enim omnia de se sunt peccata mortalia, quamvis non fiant ex contemptu, neque animo irreverenti in Deum, & Sanctos, sed solùm ad acquirendam gratiam, favorem, aut pecuniam, tribuitur enim Deo falsus honor, *Cajetanus in verbo superstitio*, excusabuntur tamen ob ignorantiam, præsertim si sint personæ idiotæ, *Cajetanus in summa in verbo incantatio. Trullench. dict. cap. 10. dub. 1. num. 4.* Principalis verò species superstitionis est Idololatria, quà idola nullam divinitatem habentia pro veris Diis honorantur: generaliter verò omnis cultus divinus creaturæ attributus, est idololatria, & gravissimum est peccatum, & intrinsecè malum, & maximum est inter ea, quæ virtutibus moralibus opponuntur, *Castr. Palaus ubi sup. p. 2. Trullench. dub. 2.*

Divinatio, est futurorum contingentium prædictio modo indebito, *S. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 1. Suar. lib. 2. de superstitione. cap. 7. Castrus Palaus par. 3. Trullench. dub. 3. Fagundez cap. 35.* & dicitur divinatio quasi divina actio, futura enim cognoscere contingentia, Dei est, *Isaia 41. Annunciate nobis, quæ futura sunt, & dicemus, quòd Dii estis vos:* & secundò *Paralipom. 6.* ibi *Tu solus nosti corda Hominum*, ea verò, quæ futura sunt, sed à causa necessaria naturali dependent, dæmones prædicere possunt, quia eorum cognitio non excedit eorum naturam; idem dicas de rebus præsentibus, quæ in actum externum prodierunt, sciunt ergo Dæmones secreta consilia, furta, aliaque occulta peccata à voluntate prodeuntia: contingit verò divinatio futurorum, vel ex pacto expresso cum dæmone, vel tacito: expresso, ut si quis dicat dæmoni, invocabo te, & tu auxiliaberis mihi, tacitè verò invocat dæmonem, quandò quis effectum, soli Deo tributum, mediis vanis, & indebitis procurat, quia quamvis expressè dæmonem non invocet, tamen eo ipso, quòd talia media vana tentat, quibus dæmon se immiscet, videtur pacto tacito Dæmonem invocare, *Martinus del Rio lib. 4. cap. 2. quæst. 5. Suarez ubi suprà cap. 9.* semper tamen est peccatum mortale, Dæmonem invocare, sivè expressè, sivè tacitè, nec potest inter fideles quis ignorantia excusari. cùm sæpè de hoc edoceantur, *Sanchez cap. 38. num. 17. Fagundez num. 5. & alii suprà citati*, & multis locis Sacræ Scripturæ societas cum Dæmone prohibetur *Levit. 18. Deuteron. 18. Ecclesiastic. 34. Levit. 20.* ubi divinatores jubentur interfici, seù Pythones, aut Pythonissæ, & sunt illi, qui à Diabolo possidentur, & prophetæ diaboli sunt, *Less. libr. 2. de Justitia, cap. 43. dub. 5. numer. 27.* qui etiam cum aliis advertit, sæpè hoc peccatum esse conjunctum cum Apostasia à fide, exempla verò eorum ubi pactum tacitum præsumitur, est primò, si adhibeatur conditio vana; putà, si quis dicat verba aliqua Evangelii, aut alicujus Psalmi scripta in pelle, non verò in papyro, aut talis fœmina, quæ tali nomine appelletur, non alia; aut tali die, & hora non aliis; hæc enim omnia denotant pactum cum Dæmone tacitum: sic quandò in verbis admiscentur falsa, vel incerta, putà dicendo, quòd Christus habuit febrim, vel sanctissima Virgo in partu doloris; sic quandò adhibentur nomina peregrina, & characteres ignotæ, vel obscuræ significationis, quia tunc ad dæmonem censentur referri, tanquàm ea intelligentem, sic quandò promittuntur effectus maximi, semper est signum pacti taciti cum Dæmone, puta cùm promittitur sanitas repentina certis adhibitis verbis sacris, & complicationibus panniculorum; diuturnitas vitæ, sic, si recitata aliqua oratione, quæ in usu Ecclesiæ non est, promittatur sanitas, vel si ex collec-

collectione herbarum in die Sancti Joannis promittatur sanitas: Ratio enim est, quia excellentia talium effectuum ostendit, eos non provenire à talibus causis, & ex earum virtute, nec præsumitur, quòd veniant à Deo, quia non solet Deus tales effectus præstare per personas, nisi probatæ vitæ, vel sanctitatis, ergo à Dæmone, qui in omnibus homines decipere, & in omnibus honorem sibi ab ipsis præstari exoptat: & hæc omnia facere, sunt peccata mortalia, & sunt admonendæ personæ, quæ id faciunt, licèt interdùm excusentur, eo quòd putant dare operam rei licitæ, & ex ignorantia excusantur, nec sufficit, quòd interdùm ex talibus rebus fiant effectus admirabiles, quia id sæpè fit ratione fidei ægrotantis, & Deum invocantis, non ratione pacti incantantis; sic grave peccatum est contrà religionem habere dæmonem familiarem ad sciendum secreta, vel remotissimo loco gesta; observare verò hunc diem potiùs, quam alium ad navigandum, non est nisi peccatum veniale, *Navarr. cap. 11. num. 37.* peccatum verò veniale est observare somnia, auguria, avium cantus, & alia, ex quibus divinatio haberi potest, non habendo illis fidem tanquàm certis.

Illi verò, qui promittunt portantibus quasdam orationes, non discessuros morte repentina, & non pati infortunia, non peccant, si tales eventus non ut certos credunt, sed solùm illis sanctis confidunt, sed si certò sperant, peccant mortaliter peccato superstitionis. *Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 20.* post alios *Fagundez ubi suprà num. 16. cap. 36.* est etiam superstitiosa curatio per ensalma, ob pactum dæmonis implicitum, *Suar. cap. 15. num. 26. lib. 2. de superstit.* quia est curatio non medio ordinario; non tamen peccant tales, si cum verbis utantur aliquibus herbis medicinalibus simul cum orationibus, *Sanch. lib. 2. summ. c. 40. num. 39.* nec est amittenda curatio cum halitu, & saliva ob eandem rationem.

Quæstio tamen est, an sit credendum apparitionibus dicentium, se esse animas defunctorum? Pro responsione suppono, Dæmones permittente Deo sæpè hominibus apparere, fingentes se esse animas defunctorum, ut se aspicientes errore aliquo decipiant, & mortuos infament, ut docet, *Sanct. August. lib. 2. de Civitate Dei, cap. 11. Chrysost. hom. 29. in Matthæum, Sanct. Thomas par. 1. quæst. 117. art. 4. ad 3. Sanchez lib. 2. summæ cap. 38. num. 23.* & licèt aliquandò bona consulant, & petant suffragia sibi fieri, aut aliquid restitui, tamen id ex malitia efficiunt gratia posteà faciliùs decipiendi *DD. cit.* & nota quòd licèt possit dæmon animam separatam secundùm se naturali ratione movere de loco ad locum, adhuc coactam, tamen secundùm legem ordinariam à Deo statutam sine permissione divina hoc ei nullo modo conceditur, & ideò sine Dei permissione non potest animas ad hanc vitam evocare: & ità docet *Tertull. libr. de anima, cap. penult. Mendozza in viridiario, quodlib. scholastic. quæst. 5. Del Rio lib. 2. quæst. 26. sect. 7. Sanct. Thom. par. 1. quæst. 117. artic. 4. ad 3.* & quandò apparent animæ, id fit permittente Deo ob aliquas justas causas, *Del Rio dict. quæst. 26. Thyreus in lib. de spirituum apparitionibus à cap. 11.* & si appareant in corporibus, ea corpora, cùm non possint sibi componere, (quia secundùm veriorem sententiam Anima separata non potest vi propria res alias à se movere, *Suarez in 3. par. quæst. 45. sect. 2. disp. 32.*) componuntur, vel ab Angelis, vel à dæmonibus Dei jussu, ut autem cognoscas, quandò id, quod tibi apparet, sit Angelus lucis, an Dæmon, accipe hæc signa: primùm, si ad invocationem Nominis Jesu, vel Mariæ vel alterius Sancti disparéant, est Angelus tenebrarum, vel si ad aliam rem benedictam, ut benè *Petrus Thyreus de spirituum apparitionibus, capit. 16. Del Rio lib. 5. quæst. 26. sect. 3.* quare nunquàm credas Dæmoni, quandò in Dæmoniaco loquitur, & ait se talis, vel talis defuncti damnati, vel non damnati animam esse, quia anima defuncti nunquàm alterius hominis corpus ingreditur. *Abulensis in Matthæum capit. 8. quæst. 124. Sanchez dict. lib. 2. cap. 38.* Nec sunt admittenda pacta illa inter duos, ut qui primo obierit, alteri appareat, ut eum certiorem faciat de suo statu, est enim res periculosa, valdè obnoxia Dæmonum illusionibus, & qui amat periculum, peribit in illo, & refert *Surius tom. 3. in vita Sanctæ Ludgundæ mense Junii*, quæ id dixit cuidam Moniali: istæ tamen apparitiones non sunt necessariæ, ut constat *Lucæ 16.* ubi diviti avaro petenti, ut Sanctus Lazarus post mortem suis hæredibus appareret, responsum fuit ab Abraham. Moisem habent, & Prophetas, illos audiant, quod perindè fuit, ac si apertiùs diceret: sufficit illis doctrina Sacræ Scripturæ, ea contenti sint, ne petant apparitiones, in quibus plus periculi, quàm commodi esse potest. De Anima Samuelis ope Dæmonis, & pacto Pythonissæ ad vitam evocata, est quæstio, quomodò apparuerit ad vitam redeundo? Prima opinio dicit, illam non fuisse animam Samuelis, *Sanctus Augustinus libr. 2. ad Simplicianum, quæst. 3.* Sed fuisse ejus imaginem, *Tertullian. lib. de anima cap. 54. & Patres multi in dict. lib. 1. Regum cap. 38.* ubi factum prædictum narratur: Alii dicunt, reverà Animam Samuelis fuisse Saulo locutam. *Perer. in Exodum cap. 7. lib. 2. de religione cap. 16. Cornelius à Lapide in Ecclesiasticum, p. 3. cap. 46. vers. 23.* fuit enim anima Samuelis non arte magica, petente id Pythonissa, sed fuit jussu Dei evocata à Lymbo.

Vana observantia est, aliquem cultum non concernentem adhibere, puta in die alicujus Sancti venam aperire, & circà templum Sancti Antonii ter jumenta circumducere, *Sanchez dict. lib. 2. summæ cap. 40. num. 31.* Ignorantia verò, & bona fides utentium, hoc factum excusabit: sic accipere primam pecuniam oblatam crucifixo in die Parasceves ad faciendum anulum, ad contractiones membrorum unicum remedium vocatum à nostris Italis superstitiosis, teste *Cajetano 2. 2. quæst. 96. artic. 4.* res detestanda est: sic superstitiosum esset in die Sancti Joannis Baptistæ ire ad colligendas herbas pro certis quibusdam morbis: sic superstitio est illa, quam committunt Pastores ovium, apud Hispanos, qui dicentes certa verba custodiunt armenta, ut lupi non accedant ad ea, ut apud eos docet experientia. *Fagundez in Decalogum, lib. 1. cap. 38. num. 7.* sic superstitio est, quandò tempore pluviæ magnæ, ad eam sedandam, projicitur imago alicujus Sancti in flumen. Hinc sano modo intelligas, quod dicit *Cassiod. in psalm. 115.* multos fuisse sanatos à variis infirmitatibus per trinam recitationem illius versiculi: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis:* Id enim est intelligendum non propter trinam recitationem, sed propter elevationem ægroti, ter versiculum illud in honorem sanctissimæ Trinitatis repetentis; ob quod Deus id fecit, ut benè *DD. suprà citati*; nec est licitum philacteriis uti in medicando, *cap. 1. 26. quæst. 5. cap. ultim. eadem causa, quæst.* & sunt philacteria, ligamina execrabilium remediorum ad corporum sanitatem, *DD. citati. Castrus Palaus ubi suprà pun. 8.* Si petas, an sit licitum fidem præstare somniis; Respondeo, non licere, quandò sunt à Dæmone immissa; præsumuntur verè à Dæmone immissa, quandò impellunt ad malum, vel ad aliquod indiscretum; quòd si impellat ad bonum, credi potest

potest à Deo esse; est tamen cum humilitate præstandum illud opus bonum, ad quod summum incitat; quia interdùm Dæmon id facit, ut faciliùs decipiat; quòd si dubitetur, an somnium sit à Deo, vel à Dæmone præsumitur à Dæmone, ut benè docet *Martinus del Rio lib. 4. magicar. cap. 3. quæst. 6. ex illo Ecclesiast. 34. Nisi ab altissimo fuerit missa visitatio, ne des in somniis cor tuum.* Ratio est, quia, cùm Deus mittit somnium, simul etiam cognitionem immittit, à se immissum fuisse.

Rogabis, quibus modis possit contingere divinatio?

Respondeo primo per astra, ut facit Astrologus, quæ divinatio per astra, seù Astrologia est duplex, naturalis, quæ dicitur vera, & judicialis, quæ falsa. Prima dicitur scientia naturalis, cùm prænunciet effectus naturales ex causis naturalibus, ex motu enim, & aspectu stellarum, prænunciat futuras eclypses, falsa verò, & judicialis Astrologia non est ars, nec scientia; immò potiùs vana quædam, & execranda superstitio, quia ex aspectu stellarum præsumunt voluntates Hominum scrutari, & effectus liberos à liberis voluntatibus dependentes prænunciare, & divinare, sic superstitiosum est divinare, quòd homini eunti in forum tegula è tecto cadens caput obtundet, quòd in via, dùm iter facit, sacculum pecuniæ inveniet, quòd ab homine fodiente terram, invenietur Thesaurus, quòd navigans, navis peribit, &c. tales enim effectus, licèt causas habeant naturales, tamen causam certam ex astris habere non possunt, ideò ex astris hos effectus quærere, & prænunciare est divinatoria superstitio, *S. Thomas 2. 2. quæst. 95. art. 1 Suarez de Religione lib. 2. cap. 11. num. 28. Fagundez lib. 1. in Decalogum, cap. 38. num. 3. Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 38. num.* 30. quia tales eventus casuales nullam habent causam extrà Deum, ut benè *Aristot. 6. Meth.* quare nota, quòd non omnis prædictio ex Astris per se mala, & prohibita est, sed illorum tantùm, quæ non naturaliter contingit, talis autem divinatio, aut fit per signa terrestria, & dicitur Geomantia, aut per signa aquatica, & dicitur Hydromantia, aut per signa aerea, & dicitur Areomantia, aut per signa ignea, & dicitur Pyromantia, & hæc dicitur Astrologia naturalis, quæ si fiat ex motu syderum, cognoscendo effectus naturales, ad quos sydera influunt, non est illicita, quia hominis inclinationes possunt benè cognosci ab Astrologo, licèt cum maxima incertitudine: si verò per Astrologiam volumus divinare, quæ dependent à libero hominis judicio, & arbitrio, tunc est Astrologia judiciaria prohibita per Sixtum V. in Bulla, quæ incipit *Cœli & Terræ Creator*, quam Bullam solùm in foro externo, non in foro conscientiæ obligare dicit *Molfesius tract. 11. cap. 7. num. 10. Naldus in verb. Astrologus.* Alii verò putant, prædictam Bullam in utroque foro locum habere: ità *Salas 2. 2. tract. 50. disput. 2. sect. 3. num. 36. Sanchez d. cap. 38. num.* 34. & hodiè ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Inscrutabilis*, ubi voluit, quòd Astrologi judiciarii, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seù vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum judicia faciunt, vel facta in poterium penès se retinent, vel alicui ostendunt, aut verbis tractant, ultrà pœnam excommunicationis, quam ipso jure incurrunt, ut læsæ majestatis Rei, ultimo supplicio, confiscatione bonorum, & si fuerint clerici, privatione beneficiorum suorum, & officiorum mulctentur.

Ex quibus sequitur, omnes effectus naturales, ab astris dependentes, posse prædici, puta si consideretur nativitatis punctum, & ex eo conjecturetur temperamentum, & propensio hominis: tales verò effectus, excepta eclypsi, sunt contingentes, & valdè incerti eo quòd à multis aliis causis pendeant. Divinatio sumpta ex physionomia non est illicita cum temperamentis, de quibus *Portellius in verb. sortilegia, nu.* 27. Undè de Gregorio Nazianzeno legimus, quòd cùm esset condiscipulus Juliani Apostatæ, ex prava ipsius physionomia probabiliter conjecturavit malum animum Juliani, ità *Sanctus Gregorius Oratione 2. in Julianum.* Rejiciendus tamen est, *P. Hurtadus de Mendozza, qui de Cœlo, & Mundo disput. 2. sect. 6. §. 8.* voluit, posse Astrologos certò scire diem, ultrà quem quis vivere non possit, quod benè confutatur, quia temperamentum, & vita hominis non à solis astris dependent, non tamen videtur tuta sententia *Abulensis, qui cap. 19. in Leviticum quæst.* 29. vult, Astrologum non posse prædicere sano infirmitatem ei ex astris imminentem, hinc v. g. ad tres annos, id enim sciri potest, quia cùm puer tempore suæ generationis ex astris sortitus sit tale temperamentum, ergo, quandò occurrit directio illi opposita, poterit Astrologus dicere, puero imminere periculum infirmitatis. Sed Astrologus scit tempus, illius directionis, ergò scit tempus, quo nato erit timendum: si verò infirmitas alicui evenit ex accidenti, puta ex crapula, vel similibus, tunc non posset eam Astrologus prædicere, ut advertit *P. Arriaga in suo cursu philosophico de Cœlo disput. unica sect. 6. num. 66.* licitum etiam erit Astrologo, divinare ex astris, talem inclinatum esse ad Venerem, vel non, ad liberalitatem, vel parcitatem, ad ebrietatem, vel sobrietatem, *Abulensis in Leviticum quæst. 30. cap.* 19. Nullo tamen modo erit licitum, sed omninò superstitiosum asserere, in individuo aliquem, quandò v. g. in sua generatione habuerit Venerem Marti copulatam in signis masculinis, per hoc futurum sodomitam, & mulierem, quòd Lunam habeat junctam Marti, futuram impudicam, & adulteram, hoc enim esset impium dogma, *Raphael della Torre 2. 2. Sanct. Thom. quæst. 95. art. 5. disp. 1. assert.* 7.

Sequitur secundo, Astrologiam circà res dependentes à libero arbitrio prædicendas, omninò damnari, tùm ex Bulla Urbani VIII. de qua suprà: tùm ex loco *Hieremiæ c.* 10. ibi *Hæc dicit Dominus juxtà vias Gentium nolite discere, & à signis Cœli nolite metuere, quæ timent Gentes*; ubi benè *P. Cornelius à lapide* probat, hoc loco damnari Astrologiam judiciariam. Ad idem facit locus *Actor. cap. 19. vers.* 19. & ex sacris canonibus prohibetur *cap. illud, cap. sed, & illud 26. quæst. 2. cap. consuluisti, cap. sciendum 26. quæst. 5. cap. ex tuarum de sortilegiis.* ubi communiter *DD.* præsertim *Barbosa*, reprobatur etiam à Jure Civili, *l. item apud Labeonem, §. si quis Astrologos, ff. de injuriis, l. 2. C. de malefi.is, & Mathematicis l. nemo eod. tit. l. Mathematicos. C. de Episcopali audientia, & Baronius anno 137. num.* 11. refert de *Aquila* insigni interprete Scripturæ Sacræ, quòd quotidiè positionem nativitatis suæ spectaret, ob quod ab Ecclesia fuit expulsus, & Judæus effectus; & anno Domini 341. idem *Baronius* refert, *Eusebium Emisenum*, quòd hujusmodi Astrologiæ operam daret, ab Ecclesia sua aufugere coactum fuisse. Dividunt miseri in duodecim domos omnes sphæras cælestes, cujus divisionis nullam tradunt sufficientem causam, licèt conetur *Franciscus Nola Medicus Neapolitanus in sua physica lect.* 12. hujus rei assignare rationem; & latissimè confutavit Astrologus *P. Marquez in suo tract. de Gubernatore Christiano lib. 2. cap. 26.*

Sequitur tertio, dies faustos, & infaustos non dari, ut malè *Campanella in sua Astrologia judiciaria*, quem legi, dùm philosophiæ studerem, dicit enim *Campanella in peculiari titulo de diebus faustis, & infaustis*, quosdam dies quibusdam esse infaustos: & addit,

addit, diem Martis, & Veneris sibi ipsi semper fuisse infaustos. sæpè enim tormentis applicatus fuit, & semper accidisse, ait, in talibus diebus; & addit *Campanella*. familiam Mendozzam in Hispania habere privilegium particulare à Sancta Inquisitione, ut possit abstinere, ne in die Martis opus aliquod insigne aggrediatur: tu verò omninò caveas à tali superstitione Campanellæ, non enim dantur ex se dies fausti, & infausti. immò eos servantes reprehenduntur à *S. Paulo ad Galat. cap.* 4. ut benè *Martinus del Rio lib. 3. quæst. 6. sect. 6. damnantur à sacris Canonibus, cap. illud 26. quæst. 2. cap. non observetis 26. quæst. 7. damnantur à Theologis cum S. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 3. Torre Blanca de magia lib. 1. cap.* 27. qui refert *num.* 24. quòd, cùm tempore Philippi Secundi apud Hispaniam vigeret superstitio non contrahendi matrimonium in die Martis, eò quod erat dies belli, ipsemet Philippus Secundus tali die Martis matrimonium contraxit. Quare arguas contrà Campanellum: aut observatio dierum erat licita, aut illicita, si licita, cur opus fuit licentia pro familia *Mendozza*, si illicita, cur fuit concessa, cùm non potuisset concedi? videas *Alexandrum ab Alexandro lib.4. dierum genialium cap.* 29. qui notat, apud Rabinos diem Lunæ fuisse infaustum, eo quòd putabant tali die fuisse natum Caim; apud Athenienses dies Mercurii, apud Phrygios dies Jovis, apud Trojanos dies Veneris, apud Persas dies Saturni; ex quâ superstitiosâ dierum infaustorum observatione, emanavit correctio *text. in l. creationum 17. C. de jure deliber.* ubi Imperator sustulit creationum solemnitatem scrupulosam; antiquitùs enim in diebus criticis poterat adiri hæreditas, non verò in non criticis, & critici dicuntur ibi secundùm aliquos, dies impares, putà tertia die, septima die, quinta, &c. dicebantur critici alii, ubi *Bald.* notat, quòd antiqui fuerunt multùm bestiales, quia observabant dies: alii aliter explicant *text. illum*, legas ergò Ug. *Donellum in d. l. creationum, Petrum Gregorium lib. 46. cap. 2. Cujacium lib. 5. observat. cap. 41. Covarru. lib. 4. variar. cap. 10. Picharaum in §. Item extraneus num. 27. Instit. de hæredum qualitate, & differentia.*

Sequitur quartò, posse medicum observare somnia sine peccato, v. g. ex qualitate humoris prædominantis probabililem conjecturam sumere: putà si in somniis vidisti incendia, conjecturat medicus, humorem biliosum in te prædominari, si videas sanguinem, arguit abundantiam sanguinis: si videas fumum in somnis, arguit melancholiam: item si vidisti mortuos, tenebras, & funeralia, si vidisti glaciem, nivem, & pluviam, signum est pituitæ, si te volitare per aerem vidisti, signum est tuæ levis complexionis, si montes aureos vidisti, aut si tibi videbaris invenire sacculum auro plenum, est signum avaritiæ, & desiderii illud habendi; neque de hoc mireris, quia Sancti Patres erant diligentes observatores somniorum, *Cassianus collect.* 22. sed vetulæ hodie aliter observant, ut experientia scies, ad hæc somnia naturalia ex abundantia prædominantis humoris provenientia spectat illud somnium, in quo aliquis spectrum in se irruere, & se opprimere de nocte videt, ac sentit, quem incubum vocant medici, & provenit hoc somnium à crasso humore in cerebrum irruente, & vias spirituum animalium intercipiente, ut docet *Galenus lib. 3. de locis affectis cap.* 4. & hoc somnium, signum est crassi, & melancholici sanguinis, & cruditatis, & est periculum Epilepsiæ si quis sæpè illud patiatur, & hoc somnium vocatur phantasma.

*Super Principium textûs.*

Conclusio hujus *textûs* est, quòd si sortilegium, & divinatio non sapiat naturam hæresis, tunc non potest Inquisitor in eis se intromittere; si verò hæresis naturam sapiat, tunc poterit se intromittere. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò quòd sortilegium est quædam superstitio illusoria, & summè noxia, qua homo utitur Dæmonis ministerio: vel ut alii meliùs dicunt sortilegium est, quandò quis ad aliquod consequendum Diabolicis utitur instrumentis: *Ghyrlandus de sortilegiis, quæst. 1. Farinaceus quæstion. 20. criminali nu. 73. Scaccia de Judiciis lib. 1. cap. 12. num.* 20. habet sortilegium tres species, Prima divinativa, per quam sortilegi futura quædam, præsentia, vel præterita nobis ignota vaticinari conantur. Secunda species est sortilegii amatorii, quod fit ad flectendos animos pudicos mulierum, vel virorum ad libidinem. Tertia species est sortilegii maleficii, per quod fabricantur infirmitates, morbi, calamitates, & similia in hominibus, vel brutis, ex quibus, vel mors maleficiati statim sequitur; vel illius corpus paulatim conteritur. Sortilegi ergò nomine continentur divinatores, Incantatores, Strigæ, seù Larvæ, Sortilegi, Idololatræ, Magi, Arioli, Aruspices, & alii, de quibus *Zanchinus de hæreticis. cap.22. Farinaceus quæst. 181. de hæresi. Petrus Gregorius lib. 34. cap. 3. Martinus del Rio lib. 4. magicarum.*

Sciendum secundò est, posse Dæmones circà elementa, tempestates, grandines, tonitrua, ventos, terræ motus, & alia similia excitare. *Job.* 1. & possunt segetes de uno loco ad alium transplantare *Petrus Bisfeldius de confessionibus maleficiorum & magicorum par. 1. quæst. 1. concl. 10. Martinus del Rio lib. 2. quæst.* 11. Circà corpora verò hominum, primò possunt illa celerrimè de loco ad locum transferre, prout accidit communiter in larvis, quas Dæmones verè, & realiter ad nocturnos conventus transferunt, licèt alii dicant, quòd hæc translatio fiat solùm imaginariè, ut benè *Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 40. Bisfeldius conclus. 12. Parladorus in differ. juris differ. 106. §. 3.* possunt etiam Dæmones corpora hominum, & animalium transformare, non quidem figuram intrinsecè mutando, sed aliam ex vaporibus extrinsecùs circumponendo, *Martinus del Rio lib. 2. quæst. 18. Bisfeldius concl.* 3. Possunt etiam morbos caussare, qui nulla medica arte sanari possint, & similiter morbos sanare, qui naturaliter sanari nequeant. Possunt etiam impedire actus matrimoniales, vel refrigerando hominem ab actu illo, adhibendo virtutes rerum occultas, vel prohibendo missionem spirituum ad partem generativam; possunt etiam Thesauros occultos eruere, ut observat *Lucerna Inquisitorum, in tract. de strigis nu.* 14. possunt etiam exercere actus venereos cum viris exhibendo se succubos, & cum mulieribus exhibendo se incubos, & tali pacto possunt prolem gignere, deferendo semen alicujus in vas mulieris in actu copulæ, & tunc Pater prolis non est dæmon, sed ille homo, cujus semen fuit captum, *Petrus Thyreus de apparitionibus spirituum lib. 1. cap.* 10. & possunt facere, ut nascantur Gigantes, sumentes semen crassissimum, calidissimum, spiritibus affluens, & è contrà, ut nascantur Pygmei *Del Rio ubi suprà qu.* 15. possunt facere, ut bestiæ loquantur, ut accidit in serpente, qui tentavit Evam, *Del Rio quæst.* 19. & ut homo inediam sustineat, & longissimo tempore dormiat, & possunt senes reddere juvenes, *Del Rio d. quæst.* 21. 23. non tamen poterit Dæmon facere miracula vera, quia talia expostulant virtutem infinitam, & sic Dæmon non potest suscitare mortuos,

vivum

visum reddere cœco nato, facere, ut idem corpus sit in duobus locis, &c. *Del Rio lib. 2. quæst. 7. Bisfeldius de confess. Magorum, & Sagarum par. 1. conclus.* 1. circà animam unitam corpori dæmon potest causare amentiam, taliter objectum aliquod proponendo phantasiæ de continuo, vel potest causare odium, amorem, &c. *Del Rio quæst. 24.* Circà verò animam separatam nihil possunt dæmones, præterquàm damnatis possunt irrogare supplicia, non tamen possunt illas ab inferis excitare, & vivis repræsentare.

Sciendum est tertiò, posse sortilegium contingere cum pacto expresso, vel tacito dæmonis: expressum, quandò fit expressis verbis cum Dæmone, tacitum, quandò quis superstitiosis utitur signis, ad quorum usum Dæmon vigore pacti expressi, facti cum primo instituente, aliquot facit, & operatur, *Del Rio ubi suprà cap. 9.* & contingit pactum tacitum etiam, cùm absque eo, quòd intendat sortilegus opem Dæmonis invocare, & hoc est, quod dixit subtilissimè *Cajetanus 2. 2. quæst. 95. artic. 2.* quòd per crassam ignorantiam, vel inadvertentiam potest quis velle contraria, unum formaliter, aliud virtualiter, ut accidit in his sortilegis, qui formaliter nolunt dæmonis auxilium, & virtualiter illud volunt utendo signis, & magicis characteribus. Disputant verò nostri, an divinatio, & sortilegium factum per pactum expressum dæmonis, differat à sortilegio facto per pactum tacitum? Dico, esse habenda talia sortilegia in praxi pro specie distinctis, loquendo de foro externo. *Suarez de superstitione lib. 2. cap. 8. num. 19.* In foro tamen conscientiæ prædicta sortilegia non differunt specie; *Diana par. 4. tract. 7. resolut. 66.* & ex pacto tacito facto sortilegio interdùm evitatur culpa mortalis. *Portell. in dub. regul. in verb. sortilegia, nu. 26.*

Sciendum est quarto, sortilegia alia esse qualificata, seù hæreticalia, alia non qualificata, seù non hæreticalia: Sortilegium hæreticale & qualificatum est, quod exercetur cum aliquo dicto seù facto hæreticali, vel cum abusu Sacramentorum, vel sacramentalium, vel olei sancti, Candelæ benedictæ, Agnus-Dei, &c. vel cum in eo adhibetur Evangelium, symbolum, Pater noster, &c. vel verba scripturæ ad effectum, qui de se fit peccatum mortale, *Farinaccus de hæresi, qu. 181. Scaccia de Judiciis lib. 1. cap. 12.* est ergò sortilegium hæreticale, cùm quis à Dæmone petit, quod soli Deo tribuitur, putà petere resurrectionem mortui, illuminationem cœci, &c. Sic sortilegium hæreticale committunt rebaptizantes puerum, vel baptizantes imaginem, &c. vel cùm Dæmoni tribuitur adoratio: vel quandò fit ad inveniendum furtum; putà quandò virgo habens cereum accensum in manu, ponitur antè conceam plenam aqua, & virgo illa profert hæc verba, *Angelo Bianco, Angelo Santo, per la tua santità è per la mia purità mostrami chi hà tolta tal cosa*, ità consuluit plenissimè *Barbat. cons. 55. lib. 1. Decianus lib. 20. criminalium cap. 17. Farinac. quæst. 18. nu. 15.* licèt verò *Clarus in §. hæresis num. 23.* dicat, sortilegium, factum ad inveniendum furtum, non esse hæreticale, tamen veritas est, quòd tunc est hæreticale, quandò in eo intervenit abusus Sacramenti vel alicujus sacramentalis; sed in casu inveniendi furtum, vocatur diabolus sanctus, ergò est hæreticale. Idem dicas de usu speculi, cum accensione candelæ ad futura scienda: talis enim id faciens, est vehementer suspectus de hæresi, *Riccius decisum referens par. 2. dec. 243.* & omnia sortilegia facta vigore pacti expressi cum dæmone, sunt hæreticalia. *Genuensis cap. 18. nu. 11.* Sortilegium verò non hæreticale est, in quo nulla ex suprà dictis interveniunt, sed vigore pacti taciti cum Dæmone exercetur, & ob id licèt ad bonum finem factum, solet prohiberi ab Inquisitoribus, ut fuit decisum in nostra Curia Archiepiscopali in quadam vetula octuaginta annorum, quæ talia simplicia sortilegia faciebat ad sanandas infirmitates, teste *Ricc. dec. 144. vol. 2.* quam transcripsit à *Carrocio dec. 78.* sic superstitiosus est modus ille medendi, quo vulnus brevissimè curatur petitis lineis, sanguine vulnerati madefactis: ut benè *Bonacina disp. 3. de legibus quæst. 5. par. 4. num. 18.* & debet talis denunciari sancto Officio: pudicitiam verò tentare mulieris per dæmonem, præscindere sacra, vel sacramentalia, non est sortilegium hæreticale, quia per tale sortilegium petitur auxilium dæmonis ad tentandum, quod est ipsius proprium, cum *Matth. 4.* tentator dicatur *Riccius 1. to. resol. 424.* Sed alii meliùs dicunt esse hæreticale sortilegium, *Diana par. 4. tract. 7. resol. 10.* quia contrahunt amicitiam cum hoste, ergo redditur suspectus de infidelitate. Quandò tamen non adest pactum expressum cum dæmone, sed solùm præbetur poculum amatorium secùs est; de eo vero sortilegio est quæstio, an sit hæreticale, quod fit cùm hostia non consecrata? Prima opinio dicit, quòd sit hæreticale, *Scaccia lib. 1. cap. 12. num. 34. P. Zanardus in summa par. 2. cap. 64.* Secunda opinio negat esse hæreticale; *Farinaceus dist. quæst. 181. num. 20. Del Rio lib. 5. sect. 15. Caren. par. 2. tit. 12. §. 8.*

Sciendum est quinto, quòd si quis utatur in sortilegiis, characteribus, ac nominibus incognitis, & cum talibus miscet aliquod factum hæreticale, vel aliquod sacramentum, vel sacramentale, tunc est sortilegium hæreticale, de quibus signis agit *Martinus del Rio lib. 1. Magicarum, quæst. 1. Torre Blanca de Magia lib. 2. cap. 9. num. 27.* omnia verò nomina incognita dæmonibus adscribuntur, Gob, Giber, Gabir, &c. *Joannes Laurentinus de Anania lib. 2. de natura Dæmonum cap. 6.* Nomina verò Angelorum tria propria sunt, Michael Gabriel, Raphael, ità *Patres Concilii Romani sub Zacharia Papa*, apud *Cardinalem Baronium tom. 9. annalium anno Domini 745. ibi Nos autem, ut à Sancto Apostolorum verbo edocemur, & divina tradidit auctoritas, non plusquàm trium Angelorum nomina agnoscimus, Michael, Gabriel, Raphael:* ità *P. Cornelius à Lapide in caput primum Apocalyps. vers. 4. §. nota typum*, & symbolum. De nomine (**Uriel**) est quæstio, an inter nomina damnata ab illis Patribus reperitur nomen Urielis, è contrà verò in *lib. 3. & 4. Esdræ* sæpiùs de eo fit mentio, & quamvis libri illi non sint ex Canonicis, negari tamen non potest, quin ab Ecclesia permittantur, & plures Sancti Patres apud *Cornelium à Lapide* de Angelo Urielis, sæpè mentionem faciunt; & addit *Cornelius*, Panormi esse insigne templum dicatum Septem Angelis, pluriès in scripturis nominatis, inter quos, ultrà illos, quatuor sunt, Salatie, qui interpretatur oratio Dei: Jehudiel, qui interpretatur laus Dei, & Barachiel, qui interpretatur Benedictio Dei: quare habemus determinationem Concilii, & usum illius templi, ubi pinguntur septem Angeli, & loca Apocrypha scripturæ, Ego accedo Concilio, & dico cum *Patre Granado in 1. par. S. Thomæ de Angelis tom. 3. tract. 16. disp. 2.* quòd abstinendum omninò est in publicis orationibus ab aliis nominibus Angelorum, præter illa tria recepta, immò consultius esse, nullum aliud nomen etiam in privatis deprecationibus posse nos usurpare, idque erit magis conforme consuetudini Ecclesiæ, & decreto Concilii jam citati.

Sciendum est sexto, quòd hodiè contrà omnes sortilegos, sivè sapiat sortilegium naturam hæresis, sivè

sivè non, sivè de hoc dubitetur, potest Inquisitor se intromittere ex peculiari Bulla Sixti V. de qua *Scortia Epitome* 58. *Theoremate* 158. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. & advertit *Genuensis in praxi cap.* 68. *num.* 8. quòd si aliquod admisceatur sacramentale in sortilegiis, tunc torquetur pro ulteriori veritate, & si neget, adhuc compellitur abjurare de vehementi, & ut plurimùm laici ignobiles traduntur triremibus, quandò verò sortilegus in tormentis confessus sit, se per sortilegium aliquem occidisse, & pœniteat, & sit paratus corrigi, non poterit tradi Curiæ sæculari, sed debet admitti ad reconciliationem, *Menochius lib.* 1. *centuria* 4. *casu* 388. *Farinac. quæst.* 20. *num.* 105. Interdùm fit sortilegium in tormento funis ab aliquo delinquente, ut in tormentis non confiteatur, & reperitur in fortiis Judicis laici, quo casu dubitatur per *DD.* quis sit competens Judex pro tali sortilegio (& hoc vocatur sortilegium taciturnitatis, de quo *Martinus del Rio lib.* 5. *magicarum sect.* 9. *Torreblanca de magia lib.* 2. *cap.* 23.) prima opinio dicit, esse Judicem laicum prædictum, & fuisse quendam damnatum ad triremes, qui id fecerat, ob tale delictum, refert *Simon de Petris cons.* 106. sed tu dicas, quòd si illud sortilegium fuit hæreticale remittitur ad Inquisitorem; secùs verò, si non fuerit hæreticale, & sic procedit decisio *Julii Clari in §. hæresis. Gabalii casu* 223. *num.* 81. *Farinac. de hæresi quæst.* 181. *num.* 93. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. & *Regens de Aponte in tractatu manuscripto, de his, quæ practicantur in Regno in materia Jurisdictionis Ecclesiasticæ in titulo de sortilegiis.* Sed credo hanc distinctionem procedere de jure communi: sed hodiè ex Bulla Sixti V. omnia sacrilegia cujuscumque generis ad Inquisitores pertinent, ut suprà dixi; nota tamen etiam hodiè sortilegia posse considerari, ut hæreticalia sunt, & pertinent ad Inquisitores. Secundò possunt considerari, ut ex illis resultant latrocinia, homicidia, & similia, & hoc casu Judex laicus est competens istorum sortilegiorum, *Grivalla dec.* 33. *num.* 31. *Bisfeldius de confession. maleficorum membr.* 2. *conclus.* 6. *dub.* 2. *Faber. tit. C. de maleficis, & mathematicis lib.* 9. *Valent.* 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *par.* 4. neque est novum, quia videmus apud *Genuensem in cap.* 82. *nu.* 13. practicatum, Curiam sæcularem cœpisse poligamum, & consignasse Ecclesiasticæ, à qua tortus super intentione, coegit eum abjurare, & posteà statim ipsum consignavit Curiæ laicæ, quia ablata per torturam, & abjurationem hæresis suspicione, delictum poligamiæ remanet merè laicale: sed si poligamus reperiatur in carceribus Ecclesiasticis, in totum ab ipsa curia punitur; legas *Genuensem ubi suprà*, quem tamen doctè impugnat *Didac. Garf. de Transmicra, tract. de poligamia lib.* 3. *quæst.* 1. qui dicit stante præventione facta per laicum esse statim ad Ecclesiasticum remittendum, nec ampliùs ad eundem laicum esse remittendum, ob quod dictum prohibuerunt laici officiales librariis, ne venderent librum *Transmicræ*. Contrà verò Ægyptiacam, vulgò zingaram, dantem bonam venturam non procedit Tribunal Sancti Officii, quia talis datio bonæ venturæ fit semper cum risu, & joci causa, & nullus est, quamvis simplex, qui præstet fidem prædictis. *Torreblanca lib.* 1. *de magia cap.* 10. *Navarius in* 3. *par. quæst.* 114. *artic.* 4. *Villadigo in politica cap.* 50. §. 20. *num.* 36. *Bovadilla in politica lib.* 2. *cap.* 17. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 128. *Carena par.* 2. *tract.* 12. §. 17. *qui* §. 20. & *sequenti agit* quomodò debeat constare de ipso delicto.

Sciendum est septimò, quòd nulla censura incurritur, quæ ipso jure sit lata, aut saltem consuetudine contrà maleficos, Magos, incantatores, divinatores, &c. præcisa hæresi, ut docent *Azorius par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæst.* 3. *Less. lib.* 2. *de Justit. cap.* 43. *dub.* 50. & 29. *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 38. *nu.* 91. Ratio est, quia nullum jus affertur continens excommunicationem ipso jure latam: vel si aliquod jus afferri potest continens censuram ipso jure latam, ea tamen adhuc non est recepta; licèt contrarium dicat *Martinus del Rio lib.* 4. *disquisitionum magicarum cap.* 2. *sect.* 4. *quæst.* 7. & probabile putat *Suarez de Religione tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 50.

Dices primo, obstat, *text. in cap.* 1. 26. *quæst.* 5. ubi habetur; si quis ariolos, Aruspices, vel incantores observaverit, aut philacteriis (id est chartulis, in quibus continentur incantationes, teste *ibidem glossa*) usus fuerit, anathema sit.

Respondeo, illam excommunicationem non fuisse usu receptam secundùm aliquos, & communiter alii cum *Sanch. ubi suprà*, quos sequitur *Barb. in collect. ad tex. illum*, dicunt, quòd verbum illud, anathema sit, importat excommunicationem ferendam, quia est futuri temporis optativi modi, vel saltem dubitatur, an sit temporis præsentis subjunctivi, an futuri temporis modi optativi, & sic in dubio sumenda est interpretatio futuri, non præsentis, quæ tamen responsio *Sanch.* non est probabilis, quia sic posset quis dicere etiam in omnibus excommunicationibus latis ipso jure, ut *Concilii Triden. Bullæ Cœnæ, &c.*

Respondeo ergò secundò, quòd verbum illud, anathema, continet sententiam ferendam, quia licèt regulariter importet excommunicationem latam, tamen in materia nostra ex aliis textibus apparet, non esse impositam latam excommunicationem, sed ferendam, ut latè probat *Barb.* sunt enim multa alia Jura declarantia hanc sententiam esse ferendam, ut in *cap.* 2. 3. & *cap. non oportet* 26. *quæst.* 5. ergo nil mirum, quòd ibi excommunicatio sit ferendæ, non latæ sententiæ.

Dices secundò, obstat *text. in c. aliquanti* 26. *quæst.* 5. ubi sermo est de auguriis, & divinationibus, & habetur ibi, *Hæc quicumque Clericus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.*

Respondeo, talia verba esse futuri temporis, nec constare, an contineant completam excommunicationis pœnam.

Dices tertio obstat Bulla 7. Leonis X. quæ incipit *Superna dispositionis*, ubi in 14. §. excommunicantur laici divinatores, vel sortilegi, Clerici verò privantur beneficiis, & officiis, ergo sunt excommunicati ipso jure.

Respondeo, Bullam illam receptam usu non fuisse, ut docet *Toletus lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 3. *Filliucc. tract.* 14. *cap.* 6. *quæst.* 11. *num.* 97. eodem modo respondeas ad Bullam Joannis 22. quæ incipit *Super illius*, quæ Bulla, cùm non sit in corpore juris, ubi sunt aliæ *extravagantes ejusdem Pontificis*, supponitur non fuisse sufficienter promulgata, quòd si dicas, illam extare in bullario, tunc respondeo, non fuisse usu receptam, quare absolutè teneas Incantatores, divinatores, maleficos, &c. non affici excommunicatione, nisi saperent hæresim: undè confessarii, antequàm eos absolvant, debent interrogare, an contrà fidem aliquid senserint, & errorem exteriùs indicaverint.

Rogabis primò, an possit maleficus rogari, ut alio maleficio dissolvat primum.

Respondeo negativè, quia maleficium est malum, ergo non est petendum pro bono fine, poterit tamen rogari maleficus, ut maleficium dissolvat modo licito, faciendo ea, quæ præstari possunt sine ope dæmonis, putà dissolvendo ligaturas, eas movendo à loco ubi posuit; immò id posset ab omnibus fieri *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 10. *Martinus del Rio*

*Rio lib. 6. magicarum quæst. 2. Fagundez in Decalogum lib. 1. cap. 42.*

Rogabis secundò, quæ remedia adhiberi possint contrà maleficia?

Respondeo, posse adhiberi magnam fidem in divina protectione, confessionem peccatorum, & communionem, usum exorcismorum, aquæ benedictæ, reliquias sanctorum, &c. *Fagund. cap. 43.*

Confessarius verò cum sortilego debet se habere hoc modo; in primis petere debet ab eo, an habuerit errorem in intellectu, nam si eum habuerit, esset hæreticus exterior, & excommunicatus in Bulla Cœnæ domini in primo canone, ut benè *Bellochius de casibus reservatis par. 2. quæst. 1. Homobonus de bonis in examine Ecclesiastico, par. 1. tract. 7. cap. 4. quæst. 19.* quòd si non habuerit errorem in Intellectu, tunc debet advertere, an sortilegium sit reservatum Episcopo loci, quia solent illud ut plurimùm reservare, maximè si fiat cum abusu rerum sacrarum, *Homobonus de bonis de casibus reservatis par. 2. casu 2.* & hoc casu debet ab Episcopo impetrari auctoritas, ubi advertat confessarius sua prudentia, quòd interdùm expedit magis mittere pœnitentem personaliter ad superiorem, & Episcopum pro absolutione, ut advertit *Lazarius de blasphemia, quæst. 11.* immò si sortilegus, in foro externo fuerit ab Inquisitore absolutus ab excommunicatione, adhuc debet à confessario absolvi pro foro conscientiæ, quantùm ad culpam, & debet interrogare, an pactum expressum fecerit cum dæmone, & an rebus sacris usus sit: si pactum fecisset, debet curare, ut dissolvatur, quod sufficienter dissolvitur per pœnitentiam commissi criminis, quòd si maleficus, vel sortilegus apud se habeat chyrographum Dæmonis, debet illud lacerare; sed si reperiatur in posse Dæmonis, non est necesse, ut curet illud restitui à Dæmone, *Suarez lib. 2. de superstitione cap. 17.* sic à malefico debet confessarius petere, an confecerit maleficium cum rebus sacris, an exibuerit honorem Satanæ, & an damnum alteri intulerit, nam si damnum intulit, ad restitutionem tenetur, sicut etiam tenetur maleficus restituere pecuniam sibi à dæmone traditam, si constet eam alicui surreptam esse ab eodem dæmone, nam res domino est restituenda, quòd si non constet surreptam fuisse, non tenetur, quia fieri potest, ut eam dæmon acceperit ex fundo maris, aut ex Thesauro in nullius bonis existente; cavere debent, qui tales pecunias accipiunt, ne eas expendant, antequàm constet, pecuniam veram esse, quia solent ut plurimùm converti in carbones similes pecuniæ à Dæmone decipiente: *DD. ubi suprà, Fagund. cap. 45.*

*In §. Diversa.*

Agitur in hoc *textu* de pœna maledicorum, seù blasphemantium. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd blasphemia est verbum maledictionis, convicii, seù contumeliæ in Deum, vel Sanctos: *S. Thomas 2. 2. quæst. 13. S. Augustinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 11. Suarez de Religione lib. 1. cap. 4. Trullench. lib. 1. cap. 12. Castrus Palaus tom. 3. disput. 2. tract. 17. pun. 2.* Dicitur verbum maledictionis, quia licèt *Alphons. de Castro lib. 1. de justa hæretic. punitione. & Corduba in suo quæstionario lib. 1. quæst. 17. §. 15. notab. 1.* dixerit in solo facto, & signo posse contingere blasphemiam, ut si quis conculcet imagines; tamen verius est, blasphemiam in solis verbis, mente, ore, vel scripto prolatis consistere, *Suarez dict. cap. 4. num. 4. Sanch. lib. 2. in Decalogum cap. 32. Sanctarellus de blasphemia cap. 2. dub. 3.* opponitur verò blasphemia virtuti religionis, quia derogat honori Dei, cui honor ex virtute Religionis debetur: non tamen est blasphemia immediatè contrà confessionem fidei, quia Dæmones blasphemant, & credunt, cùm sciant Deum esse justum, ergo blasphemia esse potest cum fidelitate, *Suar. Sanchez, & alii ubi suprà*: Sed quandò blasphemia est hæreticalis, opponitur confessioni fidei saltem externæ, & hoc modo intelligitur *S. Thomas quæst. 13. art. 1.* cùm dixit, blasphemiam opponi confessioni fidei. Differt blasphemia à tentatione Dei, quia tentatio est quædam probatio, seù experientia alicujus Divinæ perfectionis, nempè scientiæ, potentiæ, vel bonitatis, & similium mediis inordinatis, ut si quis miraculoso effectu vellet divinam voluntatem scrutari; sic petere à Deo, ut suam omnipotentiam manifestet mediis indebitis, de qua tentatione Dei agit *S. Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 1. & sequenti.*

Sciendum secundò est, blasphemiam esse peccatum mortale ex suo genere, immò non dari levitatem materiæ in blasphemia docent *Valentia, Suar. Sanchez, & alii, quos sequitur Castrus Palaus ubi suprà §. 2.* quia nulla datur levis contumelia respectu Dei, licèt *Villalobus in summa tom. 2. diff. 15. tract. 1.* admittat in blasphemia parvitatem materiæ, sed communis est contraria, ubi tamen nota, quòd, si quis in Sanctos convicium proferat, non ut Sanctos, sed ex alio respectu, potest esse peccatum veniale ex parvitate materiæ, v. g. si quis diceret Sanctum Crispinum, & Crispinianum fuisse sutores, idque per jocum, & Sanctos Joannem, & Paulum fuisse Eunuchos, non esset peccatum mortale, *Sanctarellus de blasphemia cap. 4. dub. 2. Sanchez cap. 32. num. 42. Diana par. 5. tract. 50. resolut. 3.* licèt contradicant *Larca apud Dianam loc. cit.* Dubium tamen est, an omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ sint ejusdem speciei, v. g. an blasphemia, qua in Deo perfectionem negas, vel qua illi tribuis, quod non debes, vel qua malum illi imprecaris, conveniant specie? Respondeo convenire in specie, quia tota malitia blasphemiæ consistit in diminutione honoris, quòd verò hoc, vel illo modo diminuatur, est impertinens: *Bonacina disput. 3. in primum præceptum Decalogi, quæst. 8. par. 4. Castrus Palaus ubi suprà §. 2.* Major verò est difficultas de blasphemia prolata in Deum, & Sanctos, an specie differant. & per consequens an teneatur quis dicere blasphemavi Sanctos, vel blasphemavi Deum, an sufficiat dicere blasphemavi? Respondeo contrà multos, quos sequitur *Castrus Palaus nu. 4.* non differre specie, cum *Lazario de blasphemia quæst. 3. num 51. Cajetano in verbo blasphemia. Azorio lib. 9. cap. 28. Diana par. 1. tract. 7. resolut. 50. & par. 5. tract. 1. miscell. resolut. 21. Trullench. ubi suprà dub. 2.* & probari potest, quia juramentum factum per Deum, vel per Sanctos non differt specie, ergo neque blasphemia: ubi tamen nota, quòd tunc blasphemia esset explicanda in confessione, quandò procederet ex odio formali Dei, vel contineret heresim; seclusis enim duobus casibus, in nullo alio tenetur pœnitens explicare qualitatem blasphemiæ: ità *Gipsius de casibus reservatis par. 2. cap. 1.* & sic poterit pœnitens tacere in confessione, an blasphemia fuerit contrà Deum, an contrà Beatam Virginem, an contrà Sanctos, quidquid contrarium dixerit *Sanch. ubi sup. cap. 32. nu. 3.*

Sciendum est tertiò, quòd blasphemia est multiplex, alia enim est in Deum, alia in Sanctos: de qua divisione, & quomodò distinguantur egimus suprà, Secundò dividitur blasphemia in hæreticalem, & non hæreticalem; hæreticalis est illa, quæ expressè continet hæresim; non hæreticalis, quæ non continet.

Prima

Prima dicitur, quandò Deo tribuitur id, quod suæ Majestati non competit, vel negatur, quod competit; ut si quis dicat, *Al dispetto di Dio*, *Grammaticus decis.* 50. *Menochius casu* 375. *Naldus in verbo blasphemia*, *Thorus in verb. blasphemia*: ex quo recedas à *Bald. cons.* 476. *lib.* 3. qui consuluit, hanc blasphemiam non esse hæreticalem, cujus opinio communiter reprobatur: sic blasphemia hæreticalis est, quandò dicitur *Reniego Dio*, *la Croce*, *la fede*, *il Sacro crisma*, *la purità della B. V. ergo &c. Barb. al. leg.* 51. *num.* 78. sic blasphemia hæreticalis est, si dicatur. *Putana di Iddio*, nam hæc verba sunt contrà puritatem Dei, *Naldus ubi suprà. Homobonus de casibus reservatis par.* 2. *casu* 1. *Bellochius de casibus reservatis parte* 2. *quæst.* 1. *num.* 341. quicquid in contrarium in terminis hujus blasphemiæ consuluerit, *Grillesonius cons.* 95. sic blasphemia hæreticalis est, quandò quis dicit *Potta d'Iddio*, ut pluriès decisum refert *Vivius decis.* 388. sic est blasphemia hæreticalis, quandò quis diceret, *Iddio ingiusto, Iddio traditore*, *Iddio partegiano. Comitolus lib.* 4. *quæst.* 9. *cap.* 3. sic est hæreticalis, & talis fuit judicata in *Senatu Pedamontano* apud *Thesaurum lib.* 1. *quæst. for. quæst.* 87. blasphemia illa, qua dixit quidam *Al dispetto di quel becco cornuto*, *&c.* legas *Thesaurum ubi suprà.* Blasphemia verò non hæreticalis illa dicitur, quæ licèt secundùm se, & in actu signato, nihil significat contrà fidem, tamen in actu exercito, & ex modo dicendi significat errorem contrà fidem; *Marta de Jurisdictione par.* 2. *cap.* 13. *num.* 12. tales sunt omnes imprecationes Deo factæ, & omnes maledictiones eidem datæ; quærunt DD. an sit blasphemia hæreticalis dicere, *Renego S. Pietro*, *&c.* Responsio communis est negativa, quia per illas blasphemias non negatur, neque affirmatur aliquod, quod sit contrà fidem: *Suarez ubi suprà.* erit ergo blasphemia non hæreticalis, sed simplex, dicere, maledictus sit Deus, displiceat Deo, &c. inter has blasphemias ea est notabilis differentia, quòd hæreticalis pertinet ad Inquisitorem, sed non hæreticalis est mixti fori, semper enim blasphemia hæreticalis remittitur ad Judicem Ecclesiasticum, ut pluriès fuisse decisum refert *Capiblancus pragm.* 8. *par.* 1. *de Baronib. num.* 69. *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 51. *num.* 84. Sed blasphemia non hæreticalis est mixti fori, & datur locus præventioni inter Judicem Ecclesiasticum, & laicum, *cap.* 2. *de Maledicis*, *Soccinus cons.* 119. *volum.* 4. *Barbos. num.* 95. Verùm in Regno nostro non datur locus præventioni, sed Judex laicus tantùm cognoscit de laico blasphemo, *Pragmat.* 3. *de Jurisdict. ad invicem non turbanda.*

Est, & alia differentia inter has blasphemias, quòd illæ, quæ sunt hæreticales suspectum faciunt blasphemantem de hæresi, sed illæ, quæ non sunt hæreticales nihil tale faciunt, & quidem si pluriès blasphemaverint in ludo ex ira, vel extrà ludum ex aliqua indignatione, faciunt aliquem suspectum de hæresi vehementer: si verò non ex habitu, sed raro blasphemaverit quis hæreticaliter, erit suspectus de levi, *Genuensis cap.* 18. *num.* 11. *Carena par.* 2 *tit.* 7. §. 4. & licèt in delictis ex duplici actu regulariter consuetudo inducatur *Glossa in cap. mos dist.* 1. *& ex cap. tua nos*, *& cap. Illo vos de pignorib.* nam quod bis fit, frequenter fieri dicitur *cap. Monasteria, de vita, & honestate Clericorum. ubi Abbas num.* 50. undè dæmoniaci, energumeni, & laborantes morbo caduco, si frequenter cadant, non possunt in ordinibus ministrare, *cap. communiter* 33. *distin. cap.* 1. 7. *quæst.* 2. & dicuntur cadere, frequenter si bis cadant, ut dixit *Gloss. in dict. cap. Monasteria*, attamen ad hoc, ut quis dicatur habere consuetudinem blasphemandi, non sufficit, quòd bis blasphemaverit, sed requiritur, ut sæpè ac sæpiùs, *Maschardus conclus.* 194. *Menochius casu* 375. *Lazarius de blasphemia*, *quæst.* 8. *Sanctarellus de blasphemia*, *cap.* 6. *dub.* 5. *& Lazarius* vult ad minùs quinque actus induci ad hanc consuetudinem inducendam, *Lannardus in summa tom.* 2. *cap.* 64. dicit ad minùs requiri, quòd per annum pluriès blasphematus fuerit, sed meliùs *Menoch.* dicit remitti ad Judicis arbitrium, quæ consuetudo blasphemandi secundùm unam opinionem, quam tenet *Riminaldus junior cons.* 7. *num.* 2. poterit probari per testes singulares; alii dicunt, quòd non possit probari pes eos. *Alexander cons.* 72. *vol.* 1. *Boerius decis.* 301. *num.* 11. *Grammatic. in Constitut. Regni blasphemantes num.* 18. *Buccaronus in differ. inter judicia par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 32.

Observat etiam, quòd actus probandi consuetudinem blasphemandi, debent esse interpellati, nam si quis unico actu plures blasphemias proferret, non diceretur talis pluriès blasphemasse, sed semel tantùm, *Cepolla cons.* 76. *Bellonus de his, quæ in continenti fiunt*, *lib.* 1. *cap.* 97. *num.* 11. *Lazarius de blasphemia*, *quæst.* 8. *num.* 25. *Salazar de usu, & consuetudine cap.* 6. *num.* 13. *Covarr. lib.* 2. *var. cap.* 10. *num.* 7. sicuti occidens duos homines unico ictu, non dicitur duo homicidia commisisse; sicuti neque tenetur in confessione quis dicere, quandò unico actu plures blasphemias in Deum dixerit: puta *Iddio ingiusto*, *Iddio non è omnipotente*, *&c. DD. ubi suprà*, Blasphemia etiam hæreticalis ex causa, & ira prolata, vel in ebrietate, interdùm excusatur ab ordinaria pœna; undè M. C. V. excusavit quendam rusticum, qui cùm cum suo domino creditore litigaret, & magna ira, & inconsideratè hæc verba protulit, quòd scilicet Deus non poterat facere, quòd ipse teneretur ad tantas operas. *Thorus in verbo blasphemans par.* 1. *Rovitus in rubrica de blasphemantibus. num.* 9.

Ex quibus sequitur primò, blasphemiam committi spernendo Sanctos, quia sicuti in Sanctis laudatur Deus, ità in eis blasphematur, & ideò gravis injuria committitur, & blasphemia ab eo, qui dicit, *Al dispetto di Iddio*, *è della Vergine*, *ò della nostra donna*, quia talia verba communiter intelliguntur secundùm communem usum loquendi de Beata Virgine, cùm ipsa per antonomasiam dicatur Virgo, & Domina nostra, *Lazarius de blasphemia*, *quæst.* 3. *num.* 39. non tamen esset blasphemia si quis diceret *Posser d'Iddio*, *ò verò possanza*, *d'Iddio*, nam talia verba secundùm communem modum loquendi solùm important admirationis signum: esset verò blasphemia, si dicerentur talia verba animo injuriandi potentiam Dei, non tamen est blasphemia, cùm quis vocat amasiam suam Deam, vel Idolum suum, quia verba prædicta non accipiuntur secundùm propriam significationem, sed in hyperbolica, ut post multos dicit *Diana tract.* 1. *miscell. var.* 5. *resol.* 20. caveas tamen à *Suar. tom.* 1. *de Religione lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 8. qui dicit, quòd proferre hæc verba, *Al dispetto di Iddio*, non sit blasphemia hæreticalis ab Inquisitoribus punienda. *Naldus in verb. blasphemia*, *Sanctarellus de blasphemia cap.* 2. *dub.* 1. quia sensus talis blasphemiæ est hic, quòd omninò fieri debeat quod blasphemans profert, etiamsi Deus sua omnipotentia id nollet, ergo est hæreticalis, & Inquisitoribus denuncianda. *Lazarius ubi suprà num.* 39. Ex quo apparet, quàm malè dixerint *Alexander*, *Bartol.* & alii, quos impugnat *Menochius dict. casu* 375. *Mascardus dict. concl.* 194. dicentes, talia verba non esse blasphemiam, qui idem dicunt de eo, qui dixit *Reniego Dio*, secùs si dixerint

rit, *Reniego Maria Vergine*, *S. Pietro*, *&c. Sanch. d. lib.* 2. *in summa cap.* 32. *num.* 36.

Sequitur secundo, eum, qui blasphemat ex habitu, & inadvertenter scilicet ad id, quod facit, non advertens, non peccare mortaliter, dùm blasphemat, sed peccare in causa, quandò scilicet advertit ad pravum habitum, & consuetudinem, illamque non conatur evellere, & extirpare, vel quandò blasphemat cum sufficienti advertentia; quia tunc blasphemia est voluntaria, quandò verò blasphemat, absque advertentia sufficienti ad peccatum mortale, non peccat de novo, sed peccavit in causa eo, quia non abstulit pravam consuetudinem, ad quam advertit *Layman. lib.* 4. *tractat.* 10. *cap.* 6. *Toletus lib.* 4. *cap.* 13. *Sanchez lib.* 3. *summæ cap.* 50. ex quo dicit *Joannes Sancius in selectis disp.* 20. *num.* 7. quòd *DD.* asserentes, negandam esse absolutionem habenti consuetudinem jurandi, intelligendi sunt de habente consuetudinem jurandi ex advertentia, non autem quandò proferuntur juramenta inadvertenter, quia tunc non sunt nova peccata, quantùmcumque pessima consuetudine nascantur, ut ideò faciant Confessarii accusare de tali negligentia in extirpanda prava consuetudine jurandi, & de reliquo non curent aliud.

Sequitur tertio, quòd si quis conspurcaverit, vel laceraverit Imaginem Sanctorum, dicitur blasphemare facto, & est de hæresi vehementer suspectus, ut de communi *Genuensis*, *cap.* 18. *num.* 11. & abjurat de vehementi, quæstio tamen est, an talis casus sit mixti fori, an verò pertineat ad Inquisitores privativè quoad laicos? putant *Julius Clarus in* §. *fin. quæst.* 68. *& Simanca Catholicarum Institut. tit.* 33. *num.* 17. esse hoc delictum mixti fori, ità ut sit locus præventioni inter utrumque judicem, & pluriès fuisse condemnatos à Judicibus sæcularibus dicit *Francus dec.* 504. ubi *Riccius in addition. Gaballus casu* 91. & sic dicit *Franciscus Bernardus Porrus in suo fasciculo rerum criminalium*, *fol.* 45. Secunda opinio est, quòd tale crimen spectet ad Judices Sancti Officii privativè ad laicos, & pluriès practicatum refert *Carena par.* 2. *tit.* 7. §. 7. sic dicit *Genuensis d. cap.* 18. *num.* 17. *Lazzarius de blasphemia*, *quæst.* 6. *num.* 14. Neque tales personæ gaudent indulti beneficio: *Franciscus Bernardus Porrus in d. fasciculo rerum criminalium*, *fol.* 46. *Mastrillus de Indultis cap.* 26. *num.* 14. nec admittitur quis in Regno pro blasphemia Dei, Sanctissimæ Virginis, ac Sanctorum Apostolorum ad compositionem, ut in pragmaticis de blasphemantibus, de quibus *Tassonus de antefato vers.* 2. *obser.* 1. *num.* 193. *& vers.* 12. *observ.* 1. *num.* 15.

Sequitur quarto, fuisse hæreticalem blasphemiam, qua quis usus fuit dicendo (*nec Deus ipse, si de Cœlo descenderet, amoveret frumentum de arca mea*) *Vivius decis.* 275. *num.* 18. sed difficultas est de blasphemia sub conditione de futuro, & Respondent omnes esse verè hæreticales, *Sanctarellus de blasphemia cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 13. de blasphemia verò sub conditione de præterito est quæstio: puta si dicat quis: *si hoc non est verum renego Deum*, talis enim blasphemus subditur judicio Inquisitorum, licèt aliter, & meliùs dicat *Carena d.* §. 10. quandò ille vera dixit sub conditione de præterito sic blasphemando, quia conditio sub tempore præterito est impropriè conditio *Bart. in l.* 1. *ff. de condition. & demonstr.*

Sequitur quinto, consuetudinem Civitatis non excusare à pœnis blasphemiæ, ut benè *Lazarius de blasphemia quæst.* 3. *num.* 21. *Grivella in decis.* 24. *num.* 11. quia in hac materia consuetudo aggravat delictum, & multis grassantibus opus est exemplo, *l. aut facta*, §. *fin. ff. de pœnis*, & crescente malitia, justum est pœnam augeri: immò hæreticaliter blasphemantes non gaudent immunitate ut in terminis *Riccius tom.* 2. *var. resol.* 2. *Peregrinus de Immun. cap.* 12. *num.* 22. *Ambrosinus de Immun. cap.* 8. *num.* 12. *Diana par.* 1. *tract.* 1. *resol.* 28. quia sunt suspecti de fide, Ego dicerem gaudere cum *Lanario de blasphemia quæst.* 5. *num.* 73. quia aliud est esse hæreticum; aliud suspectum de fide: blasphemus hæreticaliter, est solùm de fide suspectus, ergo cum bulla exceptet hæreticum, non videtur exceptare suspectum de hæresi: in hoc tamen delicto, sicuti, & in crimine Læsæ Majestatis non datur repulsa testium, nisi ob inimicitiam, *Rovitus in pragm. de blasphemiis*, *Anna singul.* 67. *Visconte in verb. blasphemia*: sed alii pluriès practicarunt dari repulsam ex omni capite *Clarus in* §. *blasphemia vers. ultimo Boerius decis.* 302. *num.* 12. *Carena par.* 7. *tit.* 7. §. 11. & tales torqueri solent pro habenda veritate, *Carena* §. 12. & abjurare cogitur, si erat solitus blasphemare, & alias pœnas blasphemantium, quibus puniuntur à Judicibus Ecclesiasticis, ponit *Bar. alleg.* 51. *n.* 89. qui enumerat inter alias, quòd, si ex occasione ludi fuerit solitus blasphemare, debet dari pœnitentia, ut se abstineat à ludo sub pœna pecuniaria, ut tollatur occasio blasphemandi: sequitur *Carena* §. 14.

Sequitur sexto, falsam & communiter reprobatam esse cautelam *Thomæ de Ferrariis* 25. *in ordine*. qui ait, quòd si blasphemus post prolatam blasphemiam Sacerdoti confiteatur, & ab eo absolutionem obtineat, liberabitur ab omnibus aliis pœnis; & allegat *Ferrarius cons. Bart.* 167. incipiens *minister fratrum de pœnitentia*: quæ tamen *Bart.* sententia, & *Ferrarii* cautela communiter reprobantur in tribunalibus, quia per pœnitentiam non tollitur pœna civilis, & legalis, *Barb. in dict. cap.* 1. *de maledicis. Parladorus differ.* 12. §. 2. *num.* 22. & quamvis *Gagliardus de delictis mentalibus*, *& actualibus*, *in tit. de blasphemia num.* 127. dicat, ob talem confessionem esse talem reum mitiùs puniendum, tamen communiter reprobatur, sicuti videmus, quòd absolutus in foro conscientiæ ab excommunicatione, poterit adhuc in foro externo à Judice puniri pro eo delicto, pro quo fuit excommunicatus, *DD.* communiter relati, à *Duardo in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 12. *num.* 22. *Ricciullus lib.* 4. *de Jure personar. cap.* 68. *num.* 12.

Sequitur septimo. quòd licèt minoribus in delictis sit minoranda pœna, ut post alios, *Farinaceus de pœnis temperandis*, *quæst.* 92. *Caballus casu* 134. *& Julius Cæsar Roginellus practicar. quæst. cap.* 35. tamen minori blasphemanti non prodest minor ætas ad effectum ei minuendi pœnas, dummodò sit doli capax, *Farinaceus ubi suprà num.* 192. *Ruginellus dict. cap.* 35. *num.* 19. & hoc probant exemplo illius pueri, de quo *S. Gregorius lib.* 4. *dialogorum cap.* 19. talis enim puer, cùm esset annorum quinque ob ejus blasphemias, quas ab impio Patre didicerat, è manibus parentum fuit à diabolo ereptus, & in Infernum detrusus: hoc ipsum patet ex exemplo puerorum, qui irridebant *Eliseo* de quibus dicit *Scriptura* 4. *Reg. cap.* 2. quòd postquàm *Eliseus* illis maledixit, egressi sunt duo Ursi, qui quadraginta ex illis pueris laceraverunt. In tribunali verò Sancti Officii si loquamur de abjuratione, tunc dico, quòd à minore fieri debet: si verò loquamur de aliis pœnis, & dico, quòd nullus minor punitur pœnis ordinariis, nisi esset hæreticus pertinax, *Farinaceus de hæresi*, *quæst.* 194. §. 2. *num.* 33. ex quo S. D. N. Urbanus VIII. in sua Bulla, quæ incipit *Apostolatus*, expressè statuit, celebrantes, quamvis Sacerdotes non

sint,

sint, sæculari foro esse consignandos, ut ultimo supplicio afficiantur, etiamsi minores essent annis 25. dummodò majores essent annis viginti, in quo extendit Bullam Gregorii XIII. & Clementis VIII. nam antea puniebantur minores non pœna mortis.

Sequitur Octavo, quam benè in multis tribunalibus Sancti Officii blasphemo imponatur pœna de qua in *cap. 2. de Maledicis*, scilicet, ut stet in foribus Ecclesiæ cum candela accensa in manu, genibus flexis in die festivo, dùm Missarum solemnia celebrantur, & aliquandò etiam cum lingua compressa ligno, vulgò inchiovata, prout pluriès practicatum refert *Fernandez de Oteio lib. 3. disputationum Juris. quæst. 14. Barb. in dict. cap. 2. de Maledicis*, quæ tamen pœna locum non habet in Clericis, *Abbas Hostiensis*, & alii, quia sic vituperaretur ordo Clericalis, neque practicatur talis pœna cum viris nobilibus, *Gregorius Lopez in l. 2. tit. 28. par. 7. glossa 4.*

Sequitur nonò, in Tribunalibus laicis blasphemiam puniri hoc modo, de jure quidem communi pœna mortis, *Auth. ut non luxurientur &c.* quam pœnam mortis, in pluribus, qui fuerant soliti blasphemare, practicatam fuisse refert *Osterus lib. 3. quæst. 14. Cantera quæst. Juris de blasphemia.* Alii dicunt, in praxi non puniri pœna mortis, & in Regno nostro blasphemantes ultrà linguæ perforationem, pœna triremium per quatriennium puniuntur: & licèt dicat *Pragm. 1. de blasphemantibus*, puniendos etiam esse pœna publicationis bonorum pro tertia parte, tamen talis pœna non est in usu *Merlinus cap. 97.* & quandò blasphemia sapit hæresim, judicavit interdùm pro tali casu Collaterale Consilium puniendum esse blasphemum pœna mortis, *Merlinus cap. 98. in fine.* De Jure tamen Canonico legas *textum in cap. si quis per capillum. 22. quæst. 1. & in cap. Apostolica 24. quæst. 4. & in cap. 2. de maledicis, Franciscus Marcus dec. 108. par. 1.* & bullam Pii V. incipientem, cùm primum, de qua re *Novarius concl. unica de blasphemantibus in tract. de Jure Pontificio*, & pœnas blasphemantium etiam in foro externo posse multiplicari, si interpellatis vicibus contingat blasphemari, dicit *Grivella dec. 24.* cessat verò pœna blasphemiæ ordinaria, quandò quis prorupit in verba prædicta absque blasphemiæ intentione *Vivius decis. 275. Barrius dec. Bononiæ 135.* sic blasphemans conditionaliter, excusatur à pœnis ordinariis, ut fuit practicatum in M. C. V. in quodam, qui dixerat hæc verba, *mal'anno habbia S. Andrea se l'ho fatto io*, & formata inquisitione blasphemiæ contrà eum in M. C. demùm compilato processu, fuit dictum, non esse puniendum pœna ordinaria, teste *Novario in pragm. 1. de blasphemantibus nu. 6.*

Sequitur decimò, blasphemantem inadvertenter excusari à pœnis ordinariis, puta, quia ebrius, vel furore æstuans, vel si ex consuetudine prava, quam si adverteret, non diceret, ità novissimè *Lynglois decis. 9. quæst. 7.* ubi declarat in ebrio, ut indistinctè procedat, quandò non sua culpa in ebrietatem lapsus sit putà, quia socii sal in vinum posuerunt ipso inscio, vel aliquod simile ad illum decipiendum; aliàs si inebrietas venit ex sua culpa, excusaretur à dolo non verò à culpa, quia ebrietas excusat à tanto, & non à toto, undè mitiùs cum eo agendum erit, *l. omne delictum, §. per cibum, ff. de re militari, & addit Lynglois ubi suprà decis. 9. quæst. 7. num. 6.* pravam consuetudinem loci excusare à blasphemia, quia consuetudo patriæ aliqualiter excusat in delictis, licèt secùs, si ex consuetudine propria quis esset blasphemus, quia ille graviùs veniret puniendus, per *text. in l. 2. ff. de privatis delictis*, cùm delicta tantò graviora sunt, quantò longiori tempore delinquentes in eis insordescunt, vel relabuntur;

*cap. fin. de Consuetudin. cap. non debet de consang. & affinit. cap. excommunicatus, §. qui autem de hæreticis*: undè dicit ipse, quòd nulla venia est dignus talis blasphemus in foro exteriori, ne veniæ facilitas incentivum delinquendi tribuat, *cap. ut Clericorum. de vita, & honestat. Cleric. Merlinus verò in controvers. forens. cons. 98.* dicit, Collaterale Consilium judicasse pœnas in pragmaticis de blasphemantibus impositas, non comprehendere nisi consuetum blasphemare, legas *Barrium decis. 134.* & in eisdem pragmaticis pro foro externo est dispositum, ut blasphemiæ crimen duobus testibus probetur, quia in omni negotio duo testes plenè probant, *cap. in omni negotio de testibus. Zuccharus Decis. Rotæ Lucensis secunda*, qui testes debent esse absque ullo defectu, puta non minores, non fœminæ, non criminosi, non singulares, est tamen testis sufficiens ad probandum hoc delictum commissum alius carceratus, quandò blasphemia fuit commissa in carceribus, ut benè *Merlinus cap. 98. Novar. in pragmat. de blasphemantibus in fine.*

Sequitur undecimò, Confessarios cum blasphemo debere se gerere hoc modo: primò videre debent, an habuerit errorem intellectûs, quia tunc erit blasphemus hæreticalis, excommunicatus in Bulla Cœnæ, *Homobonus de exam. Eccles. tom. 1. tract. 7. cap. 5. quæst. 22. & de casibus reservatis par. 2. casu 1. Bellocchius de casibus reservatis par. 2. qu. 1. nu. 275.* quòd si nullum errorem habuerit in intellectu, tunc considerare debet confessarius, an blasphemia hæreticalis, sit reservata Episcopo, prout solet communiter reservari, & tunc non poterit absolvere, & monere debet confessarius pœnitentem de gravitate criminis, quæ gravitas ex divinis ultionibus fit nota; nam ob blasphemiam Sennacherib Regis Assiriorum Angelus Domini percussit centum octuaginta quinque millia Hominum de ejus exercitu, ut habetur, *4. Regum cap. 19.* & Antiochus ob blasphemiam plaga horribili percussus fuit, ut habetur secundo *Machabæorum cap. 14.* & plures alias ultiones refert *Lazarius de blasphemia, quæst. 5.* & blasphemo consuetudinario non statim debet confessarius absolutionem dare, sed differre per aliquod tempus secundùm communem opinionem, de qua *Diana p. 1. tract. 17. resol. 55. contrà Joannem Sanctium apud eum.*

**Rogabis, an maledicens proximo, vel ei desiderans aliquod malum, peccet semper mortaliter?**

**Respondeo**, quòd ad hoc, ut sit peccatum mortale requiritur primò, ut ipsa imprecatio mali sit ex animo, secundò, ut sit ex plena deliberatione animi, tertiò, ut malum, quod alteri imprecamur, sit grave, quare, si aliquot istorum desit, erit veniale tantùm peccatum, undè non semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis, vel in rusticis, mulionibusque maledicentibus sibi, vel jumentis, aliisvè, est peccatum mortale, quia frequenter ex ira quadam, vel ex depravata consuetudine maledicunt, non ex animo imprecantes malum & frequenter in istis est imperfecta animi deliberatio, *Azorius par. 3. lib. 13. cap. 10. P. Diana tract. 6. miscell. resolut. 13.* qui verò filiis mortem imprecatur, ne in futurum delinquant, vel quid turpe faciant, non peccat mortaliter, *Less. lib. 2. cap. 35. dub. 10. num. 30. Cajetanus 2. 2. quæst. 13. artic. 1.* Si verò curiosè quæras, an peccet mortaliter quis, sibi exoptando mortem ad evitanda mala temporalia, ægritudinem scilicet, afflictionem, paupertatem, &c. Respondeo, duas esse opiniones, primam esse peccare mortaliter, ità *Apulensis Regum lib. 3. cap. 9. quæst. 4. Navarr. in manuali cap. 15. num. 15.* quia homo non est dominus vitæ suæ, tùm quia est vitium pusillanimitatis, & timiditatis,

tatis, velle carere magno bono temporali, quod est vita, & mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti. Secunda opinio dicit, posse aliquem optare sibi mortem, ut à magno malo temporali liberetur, *Sancius in selectis disput.* 2. *num.* 9. *Sotus in* 4. *distin.* 50. *quæst. unic. ar.* 5. post primam conclusionem: & probatur exemplo *Eliæ* 3. *Regum cap.* 19. *& Jonæ cap.* 4. tùm quia potest quis prudenter extimare majus malum aliquam afflictionem, quàm mortem, ergo non est contrà charitatem sibi debitam, optare vel potiùs mori, quàm illud pati: sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 92. Et nota, quòd possum ego desiderare mortem inimico meo, si aliter non possum evitare mala mihi inferenda; si ergo est inimicus mihi nociturus, possum ei mortem optare, ut bonum mihi, ut post Hortadum de Mendozza dicit *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 89.

Rogabis ultimo, an maledicens Creaturis irrationabilibus, peccet mortaliter?

Respondeo, quòd si maledicat illis secundùm se, & propter ipsas, non est peccatum mortale, tùm quia non sunt noster proximus, tùm quia possumus creaturas irrationales occidere, ergo possumus illis sine peccato maledicere, *Toletus lib.* 4. *cap.* 13. Secùs, si quis malediceret illis per ordinem ad Creaturam rationalem.

*In §. Similibus.*

Agitur in hoc *textu*, quibus pœnis debeat puniri sacrilegus, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd sacrilegium dicitur quantùm ad nomen rei sacrilegium; sivè furtum, & sic sacrilegus dicitur, qui sacrum lædit, seù furatur. *Calepinus in verb. sacrilegium, Decianus libr.* 6. *criminalium, cap.* 4. aliquandò denotat omnem profanum cultum, quia in eo Deus, qui est summè sacer, offenditur, qua ratione *Sanct. Augustinus, & alii Patres* vocabant Idola gentilium, sacrilegia sacra, & pacta cum dæmonibus, sacrilega pacta; propriissime tamen sacrilegii ethimologia est à læsione rei sacræ, *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. *&* 3. Definitur ergò, *à Sanct. Thoma ubi sup.* ut sit sacræ rei læsio, seù violatio, cujus rei sacræ Nomine intelligitur illa, quæ divino Jure, vel Ecclesiastico, est Deo destinata.

Ex quibus sequitur primò, sacrilegium distingui à perjurio, à tentatione Dei, à Magia, à superstitione à blasphemia & quolibet alio vitio, quo divina Majestas in se offenditur directè, & immediatè, quia sacrilegium non respicit immediatè ipsum Deum, tanquàm materiam, & objectum, circà quod versatur, qualiter respicit perjurium, blasphemia, tentatio Dei, &c. sed respicit rem creatam in cultum Dei destinatam, cujus cultui derogat, ac proindè sacrilegium offendit Deum non in se, sed in rebus ipsi dicatis, *Suarez de religione tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 3. *de sacrilegio in proemio, Lessius lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 2. *num.* 7.

Sequitur secundò, sacrilegium posse considerari in tribus rebus, quæ sacræ sunt, scilicet primò, circà personas sacras. Secundò, circà res sacras. Tertiò, circà locum sacrum, *cap. sacrilegium*, ubi *Glossa, & DD.* 17. *quæst.* 4. *Theologi cum S. Thoma* 2. 2. *quæst.* 99. *artic.* 1. *&* 3. *Summista in verb. sacrilegium, Lessius ubi suprà dub.* 3. *Bonacina disp.* 3. *in primum praeceptum Decalogi, quæst.* 6. *puncto unico, Castrus Palaus tom.* 3. *tract. ultim. punct.* 3. *§.* 1. *num.* 4. circà personam quidem Ecclesiasticam dicitur committi sacrilegium, vel eam percutiendo, vel usurpando ejus jurisdictionem, trahendo eam ad Tribunal laicum. Tertiò committitur per veneream actionem cum eis. Circà verò res committitur sacrilegium in Sacramentis, ornamentis Ecclesiæ, in vasis sacris, & similibus. Circà verò locum committitur sacrilegium polluendo, vel extrahendo aliquos à loco sacro; &c. Ingeniosa tamen est controversia, an irreverentia commissa contrà Sacramentum Eucharistiæ sit irreligiositas, sicuti fuisset contrà Christum in humanis existentem, an verò sacrilegium solùm, quod est quærere, an irreverentia, qua offenditur Eucharistiæ Sacramentum, sit ejusdem speciei cum illa, qua offenderetur Christus Dominus in se ipso. Prima opinio dicit, esse ejusdem speciei, & peccatum utrumque irreligiositatis: ità *Suarez tom.* 1. *de religione, lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. movetur, quia Christus in Eucharistia eadem adoratione latriæ adoratur, ac in propria persona, *Trid. sess.* 13. *cap.* 5. *can.* 6. ergo irreverentia facta Christo in Eucharistia, est ejusdem rationis cum irreverentia facta Christo in propria persona, ergo utrumque est peccatum irreligiositatis; & probatur ex *S. Paulo* 2. *ad Corinth. cap.* 11. ubi dicitur, reum esse Corporis, & Sanguinis Domini, qui indignè Eucharistiam sumit. Secunda opinio dicit, irreverentiam factam Eucharistiæ esse propriè sacrilegium, licèt omnium gravissimum, neque aliam speciem irreligiositatis habere, sic *Cajetanus* 2. 2. *d. quæst.* 99. *art.* 1. *&* 3. *§.* 1. *dub.* 6. *Lessius lib.* 2. *de Justitia, cap.* 45. *dub.* 3. *num.* 16. & favet *S. Thom. ubi suprà*; nam Eucharistia, etsi Deum contineat, tamen non est formaliter Deus, sed signum gratiæ sanctificantis Deum ipsum continens, ergo injuria facta Eucharistiæ non fit formaliter Deo, ergo non est irreligiositas à sacrilegio distincta: tùm quia Christus Dominus in Eucharistia non se exhibet visibiliter; ergo injuria facta Eucharistiæ, dicitur facta signo Christum continenti, & gratiam sanctificantem causanti, & licèt sit adoratio latriæ, tamen ut sit latriæ adoratio, sufficit, ut feratur in Christum, aliamque personam divinam sivè in se, sivè in signo.

Sequitur tertio, esse sacrilegium percutere Clericum, quia læditur persona sacra, *cap. si quis suadente Diabolo* 17. *qu.* 4. sic fornicatio cum Clerico in sacris, vel cum habente votum castitatis, continet sacrilegium, quia læditur persona sacra ratione voti, sic exactio vectigalium à personis Ecclesiasticis, & tractio ipsarum ad Tribunal Ecclesiasticum, est sacrilegium, *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *Azorius par.* 3. *lib.* 9. *cap.* 27. *quæstion.* 2. sic homo, qui abutitur sententiis, & verbis Sacræ Scripturæ ad superstitiones, vel ridicula, sacrilegium committitit, vel ad hæreses confirmandas, sic sacrilegium committit, qui pingit Imagines sacras indecenter, ut si v. g. Beatam Virginem pingat admodum fœminæ vanæ, aut qui tractat reliquias Sanctorum indecenter, *Layman ubi suprà.* Idem dicas, si vasis sacris utatur ad comedendum, bibendum, &c. & qui Sacramenta in peccato mortali ministrat, sic qui frangit, spoliat, incendit, & alia similia facit locis sacris, *cap. ad hæc de religiosis domibus Navarrus in manuali, cap.* 27. *num.* 98. Nota tamen, ea vasa esse materiam sacrilegii, quæ fuerunt vel consecrata, vel benedicta, non verò alia, in quibus ponitur vinum & aqua, *Gomesius tom.* 3. *var. cap.* 5. *nu.* 11. *Farinac. in tractat. criminali, quæst.* 172. *nu.* 46. *&* 58. An verò retentio legatorum, & decimarum sit, sacrilegium quæstio est; affirmant communiter *DD.* apud *Lessium lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. *num.* 38. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 15. *puncto* 1. ego dico, quòd si legata non sint tradita Ecclesiæ, licèt sit injustitia ea retinere, non tamen est sacrilegium, quia non sunt facta bona Ecclesiæ; retentio Decimarum est contrà cultum Dei, undè sacrilegium, *Castrus Palaus ubi suprà §.* 2. *num.* 10. tempus verò, quia non sacratur, licèt in eo fiant res sacræ, ideò non est sacrum, & per consequens lædens diem festum, non dicitur lædere rem sacram, *Palaus ubi suprà.*

Sequitur quartò, sacrilegium esse ex se peccatum mortale, quia opponitur virtuti religionis. Difficultas verò est, an & quandò possit esse veniale? Respondeo, quòd si committitur ex formali contemptu rei sacræ, nunquàm poterit esse veniale, quamvis læsio rei sacræ videatur levissima; quia contemnere sacrum, est proprium grave peccatum hæreticorum, sed si non ex formali contemptu, sed materiali res sacra offendatur, peccatum veniale erit, primò, ex parte materiæ, ut si leviter clericum percutias, vel si rem levem fureris à loco sacro, vel levem rem voto promissam violes: usurpatio verò Jurisdictionis tùm imponendo tributum clerico, tùm in illo judicando, aut ad judicium trahendo, nunquam esse potest levis materia, nam licèt minimum tributum sit, & minimum tempus, in quo à Judice sæculari detineatur clericus, tamen usurpatio ipsa Jurisdictionis mala est, teste *Suarez lib. 3. de religione, cap. 7. num. 2.* Secundò; potest sacrilegium fieri veniale ex defectu considerationis, & advertentiæ, quod in omnibus peccatis commune est; post alios *Bonacina disput. 3. in Decalogum, quæst. 7. pun. unic. nu. 19.*

Sequitur quintò, sacrilegium esse posse peccatum omissionis. & commissionis, licèt frequentiùs sit commissionis, percussio enim clerici, extractio delinquentis ex loco sacro, profanatio vasi sacri, destructio templi, & similia, peccata sunt commissionis, ut patet, irreverentia verò Eucharistiæ, si ab aliquo non exhibeatur debita reverentia, erit peccatum sacrilegii omissionis: ut si cùm adoranda proponitur Eucharistia, non te inclines, vel Sacerdos, qui eam sine decenti custodia habet, secundùm terminos *text. in cap. sanè de celebratione Missarum.* Committi etiam potest sacrilegium per excessum. & per defectum, per excessum, ut si testibus non sacris utaris, tanquàm sacris, si reliquias, vel Imaginem alicujus Sancti non approbati à Sede Apostolica proponatur veneranda, peccas enim peccato sacrilegii per excessum: per defectum verò, quandò percutis clericum, profanas vasa sacra, &c. teneris etiam in confessione dicere, quodnam sacrilegium commiseris, scilicet clericum percutiendo, ad Tribunal trahendo alium clericum, vel aliquid aliud: *Bonacina disput. 3. de primo præcepto Decalogi, quæst. 6. puncto unico in fine.*

Sequitur sextò, committi sacrilegium ab eo, qui frangit, spoliat, incendit, vel destruit loca sacra, puta Ecclesias, hospitalia, &c. *cap. ad hac de religiosis domibus Navarr. in manuali cap. 27. num. 98.* Difficultas verò est, an spolians Ecclesiam, sit excommunicatus ipso jure, & prima opinio dicit, non esse excommunicatum ipso jure, *Cajetanus, & alii*, quos refert, & sequitur *Suar. disp. 22. de censuris sect. 2. num. 10.* Secunda opinio est *Azorii 1. part. lib. 9. cap. 27. quæst. 12. Grassi par. 1. lib. 2. cap. 28. nu. 12. Toletus libr. 1. cap. 36. Fillinccius tract. 15. cap. 2. quæst. 6. num. 5.* qui dicunt, esse ipso facto excommunicatum. Probatur ex *cap. conquesti, de sententia excommunicat.* ubi Summus Pontifex mandat denunciari excommunicatos quosdam, qui Ecclesias cujusdam Episcopatûs spoliaverant, & fregerant: ergò si mandat denunciari, vel fert excommunicationem, vel aliundè latam supponit: sed non probatur aliundè sufficienter latam esse: ergò ibi fertur excommunicatio, nisi velimus dicere, latam esse hanc excommunicationem in *cap. omnes Ecclesiæ 17. quæst. 4.* ubi licèt loquatur de omnibus raptoribus, & fraudatoribus Ecclesiarum, tamen potest dici, illum *textum* fuisse receptum saltem, quoad fractores, & spoliatores Ecclesiarum, ut notat ibi *Gloss.*

Requiritur tamen ad incurrendam hanc excommunicationem effractio, & spoliatio simul, quia cùm *text. in dict. cap. conquesti*, loquatur per particulam copulativam, requiritur utraque, argumento *text. in l. si quis ità stipulatus, ff. de verb. obligat. l. si quis hæredi plures, ff. de condition. Institut.* & sic qui frangit Ecclesiam, sed non furatur, vel furatur, sed non frangit, quia fortè ab alio est fracta, non est excommunicatus, idem dicas de eo, qui frangit Ecclesiam, & furatur crumenam alicujus existentis in Ecclesia, quia hic non dicitur Ecclesiam spoliare, eo quia illa crumena ad Ecclesiam non spectat, ut supponitur.

Dices in *cap. canonica 11. quæst. 3. excommunicantur violatores Ecclesiarum*, ergò sufficit, si sit effractio Ecclesiæ absque spoliatione.

Respondeo, illud Concilium fuisse Provinciale, & ideò solùm illam Provinciam obligare, non totam Ecclesiam, nisi velimus respondere, excommunicationem ibi non fuisse usu receptam, & sic etiam respondeas ad *text. in cap. quisquis 7. quæst. 4.* ubi excommunicatio est ferendæ, non latæ sententiæ, & sic etiam Respondeas ad *text. in cap. omnes Ecclesiæ 17. quæst. 4. Suar. de cens. ubi sup.*

Hæc autem excommunicatio est Papæ reservata, ut patet ex *dict. text.* ibi (Apostolico se conspectui præsentent) intellige, postquàm est denunciatus, nam antè denunciationem, potest per Episcopum auferri, immò à quolibet confessario approbato, si jus commune spectemus, *cap. nuper de sententia excommunicationis*, post denunciationem verò, est excommunicatio reservata Pontifici, quæ denunciatio specifica esse debet, ut in extravaganti ad evitanda, *Suarez, & alii ubi suprà*: quòd si quis comburat res Ecclesiæ, eandem excommunicationem incurrit, vel si templum ipsum destruxeris, & bona illius dissipaveris, *Suarez tom. 5. de censuris disput. 22. sect. 2. num. 12. Castrus Palaus ubi suprà disp. 21. §. ult.* si verò quis effegerit, & expoliaverit Oratorium privatum, vel Cæmeterium non unitum Ecclesiæ, talem pœnam non incurrit, ut post alios *Carolus Thesaurus de pœnis Ecclesiast. par. 2. cap. 3.*

Sequitur septimò, sacrilegium committi, faciendo in Ecclesia turpia luda, Comædias, &c. rixas, seditiones, &c. *cap. decet de immun. Eccles. in 6. cap. cùm decorem de vita, & honestat. Clericorum. Suar. de Religion. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 16. & cap. 6. num. 50.* Sic sacrilegium committitur faciendo convivia in Ecclesia, sternendo lectum absque causa, quia hæc in honorem Dei prohibentur *cap. non oportet. 43. distin. cap. in Oratorio eadem distin.* Ego tamen cum *Suar. ubi suprà*, puto, non committi peccatum mortale hæc faciendo, tùm quia verbum (oportet) interdùm convenientiam, non necessitatem denotat: tùm quia *text. in d. cap. in oratorio, non est lex Ecclesiastica*, sed regula *S. August. & Benedicti*, quæ regula non præceptum, sed consilium denotat.

Sequitur octavo, committi sacrilegium ab eo, qui copulam habet, vel desiderat habere cum Moniali per votum Deo dicata, nam violat, vel saltem violare cupit personam sacram: & sic sacerdos habens rem cum fœmina, sacrilegium committit, & tenetur hanc circumstantiam explicare, ut diximus, cùm de Pœnitentia; qui verò rem habet in Ecclesia auctoritate Episcopi destructa sine spe reædificationis; non est sacrilegium, sic, si quis habet rem suprà tectum Ecclesiæ, vel in Campanili, non est sacrilegium, quia Campanile non spectat ad interius Ecclesiæ corpus, idem dicas de sacristia, & Cameris Ecclesiæ adhærentibus; secùs dicas de Choro, & Capellis, quia Capellæ, & Chorus spectant ad interius Ecclesiæ corpus, *Suarez tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 9. nu. 7.*

Rogabis, quomodò polluatur Ecclesia? Respondeo

Respondeo primo; pollui per voluntariam seminis emissionem, *cap. Eccles. de consecr* 1. *dist. cap. si Ecclesia, de consecr. Ecclesia in* 6. quæ seminis emissio secundùm opinionem, *Bonac. tom.* 1. *de Matrim. quæst.* 4. *punct. ultim. num.* 7. *Sanchez tom.* 3. *lib.* 9. *de Matrim. disput.* 15. *num.* 11. satis est, si sit voluntaria etiamsi semen non cadat in terra: secundùm opinionem verò *Vasquez* 1. 2. *tom.* 1. *quæst.* 72. *ar.* 7. *disp.* 98. *cap.* 3. *num.* 6. *Pontii lib.* 10. *de matrimon. cap.* 10. *num.* 15. non sufficit omnis pollutio voluntaria; sed requiritur, ut sit notoria eo modo, quo notoria esse potest, hæc enim violat Ecclesiam, & habet circumstantiam specialem in confessione exprimendam.

Secundo polluitur Ecclesia per injuriosam sanguinis effusionem in ea *cap. unic. de consecrat. Ecclesia in* 6. quòd si fiat ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab amente, & furioso; vel à puero, usum rationis non habente, non polluitur Ecclesia, quia non est actio injuriosa, sic pollueretur Ecclesia, si Martyr occideretur in ea, quia talis actio injuriosa, licèt passio esset Deo grata, *Suarez de Eucharist. disp.* 8. *sect.* 4. non tamen pollueretur Ecclesia, quandò quis vulneraretur extrà Ecclesiam, & posteà sanguinem fundit in Ecclesia: sic si quis existens in Ecclesia, vulneraret aliquem existentem extrà Ecclesiam, non ob id polluitur Ecclesia, etiamsi vulneratus posteà se recipiat in ea, qui enim vulneraretur in Ecclesia, & statim recepit se extrà eam, antequàm in ea sanguinem mittat, adhuc polluitur Ecclesia, quia polluitur Ecclesia per effusionem sanguinis, vel quandò datur causa naturalis ejus effusionis: sed in Ecclesia est hoc casu data naturalis causa effusionis, ergo: non tamen duæ, vel tres guttæ sanguinis sufficerent, nec sufficit emissio sanguinis è naso, ut in rixa puerorum contingere solet: Pollueretur verò Ecclesia, quandò quis in ea per suffocationem occiditur, absque sanguinis effusione, aut quandò per carnifices suspenditur, *cap. proposuisti de consecrat. cap. Eccles. de consecr.* 1. *dist. DD. citati.*

Nota tamen, quòd, polluta Ecclesia, censetur etiam pollutum Cæmeterium illi contiguum, quia gaudet eodem privilegio Cæmeterium, ac Ecclesia: Polluto verò Cæmeterio non censetur polluta Ecclesia, quia minùs nobile non trahit ad se nobilius, *cap. unic. de consecrat. in* 6. ubi etiam habetur, quòd, polluto uno Cæmeterio, non censetur alterum pollutum, quotiès unum Cæmeterium est alteri contiguum, & ab eo sejunctum medio pariete, licèt de uno ad aliud per portam intermediam pateat accessus, *DD. sup. cit.*

Tertio polluitur Ecclesia, quandò benedicitur, vel consecratur ab Episcopo publicè excommunicato, secundùm *DD.* communiter, quicquid in oppositum dixerint *Suarez, & Coninch.* qui dicunt, nullo jure probari talem pollutionem in hoc casu: qua de re *Alterius lib.* 1. *de cens. disp.* 14. *cap.* 1. & ideò impugnant hoc multi apud *Lezzan. in verb. Eccl. nu.* 12.

Difficultas verò est, an polluatur Ecclesia, si sepeliatur filius Christiani ante baptismum? Respond. negativè *Sayrus lib.* 50. *de censuris, cap.* 16. *num.* 24. quia, licèt ille filius reverà non sit fidelis, propriè tamen non est gentilis, vel infidelis, sicuti est filius infidelis. Communis respondet affirmativè scilicet, *Suarez, Coninch.* & alii, apud *Bonacinam de matrim. disput.* 4. *pun. ultim. num.* 23. nam filius antè Baptismum, est infidelis saltem negativè, cùm non habeat fidem, sicuti etiam dicunt ipsi, pollui Ecclesiam, quandò mater sepulta fuit cum filio adhuc vivo existente in utero, & filius moritur in Ecclesia ob negligentiam eo, quòd mater non fuerit aperta, quòd si filius sepeliatur una cum matre in Ecclesia, tunc si existit in utero, quia censetur pars matris, non polluitur Ecclesia, secùs, si erat à matre separatus. videas *DD. citatos.*

Quarto polluitur Ecclesia, quandò in ea sepellitur Paganus, aut Infidelis, *cap. Ecclesiam de consecrat. distin.* 1. quòd si sepelliatur cathecumenus antè fidem susceptam, non polluitur, nam præsumitur decessisse cum baptismo flaminis, *DD. ubi sup.*

Quinto polluitur Ecclesia, quandò parietes Ecclesiæ ità destruuntur, ut opus sit reædificatione, quòd si parietes permaneant destructo tecto, & aliis ornamentis, non dicitur polluta Ecclesia, *capit. ligneis de consecratione Ecclesiæ, cap. si motum de consecratione dist.* 1. *de quibus casibus, Barbos. alleg.* 28. *Cardin. de Lugo, de Euchar. disp.* 20. *sect.* 2. *à num.* 52.

Rogabis, quomodò possit Ecclesia polluta reconciliari?

Respondeo, quòd si erat benedicta solùm, poterit reconciliari à simplici Sacerdote cum aqua benedicta; quòd si Ecclesia sit consecrata, debet à proprio Episcopo cum vino, & cinere reconciliari, vel ab alio Episcopo de licentia proprii, vel saltem Episcopus debet dispensare, ut in ea celebretur, *cap. aqua per Episcopum de consecrat. Eccles. vel Altar. Henriquez lib.* 9. *cap.* 7. *Azorius par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 50. *Graff. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 30. Non ignoro tamen, *Emanuelem Sà in verb. Ecclesia, Sylvium in* 3. *part. quæst.* 83. *artic.* 3. *Victoriam de Sacramentis, quæst.* 99. docentes, posse etiam Ecclesiam consecratam reconciliari à simplici Sacerdote cum licentia Episcopi. Verùm non sunt audiendi, quia loquuntur contrà expressum casum *text. in dict. cap. aqua.* Regulares verò habent privilegium, ut suas Ecclesias pollutas, etiam consecratas, reconciliant per suos Superiores aqua priùs benedicta per Episcopum, ut ex multis privilegiis, & bullis id ostendi, *Lezzana in verb. Ecclesia num.* 15. & in hoc sensu sunt accipiendi *Barbos. alleg.* 28. *num.* 58. *Portellus in verb. Ecclesia fratrum, Novarius in summa bullar. de pollutione Eccles. n.* 7. qui dicunt, posse superiores regularium, Ecclesias suas etiam pollutas reconciliare.

Rogabis secundo, quomodò se gerere debeat Sacerdos, quandò inter celebrandum Ecclesia polluitur.

Respondeo distinguendo duos casus, Primus est, quandò pollutio accidit post inchoatum Canonem, & tunc debet Missam terminare: quia sacrificium inchoatum jure divino terminare debet, sed sacrificium censetur inchoatum cœpto Canone, ut suppono, quia tunc hostia proximè præparatur ad consecrationem, ergo tunc Missa finiri debet.

Secundus casus est, quandò pollutio accidit antè cœptum canonem; & tunc debet Missam inchoatam intermittere *Suar.* 3. *par. tom.* 3. *disput.* 81. *sect.* 4. *Coninch. quæst.* 83. *de Sacramentis artic.* 3. *dub.* 1. *num.* 236. *Nugnus* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *Portellius, Lezzana, & alii ubi suprà.*

Rogabis tertio, an celebrans in Ecclesia polluta, incurrat aliquam censuram?

Respondeo, duas esse opiniones, prima est *Azorii par.* 2. *lib.* 10. *cap.* 26. *Graff. & aliorum ubi sup.* qui dicunt, incurrere suspensionem, si celebraverit ab eo die, in quo delictum in ea commissum fuit publicatum.

Secunda opinio, & verior est, nullam incurri suspensionem, vel irregularitatem celebrando Missas, vel dicendo divina officia, vel sepeliendo aliquem in Ecclesia polluta. *Suar. ubi suprà, Sayrus lib.* 5. *de censur. cap.* 14. *nu.* 36. *Henriq. lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 7. ratio est, quia nullo jure probatur talis suspensio, vel irregularitas, cùm non sit in jure expressa, *cap. is qui sentent. excommunicationis. ergo, &c.* Ro-

Rogabis ultimo, quandònam Ecclesia polluta, sit reconciliandà?

Respondeo, quandò pollutio est publica, nam ità usu, & in praxi receptum est, publicè autem constare potest de pollutione Ecclesiæ, quandò pluribus delictum innotuit, vel confessione delinquentis, vel evidentia facti, aut simili alia ratione, *Coninch. de Sacramentis tom.* 1. *q.* 83. *art.* 3. *num.* 230. *Navarrus in manuali cap.* 27. *num.* 256.

Pro Ecclesiarum debita reverentia est notanda Declaratio Sacræ Congregationis, de qua *Diana par.* 5. *post finem in Declarationibus Sacræ Congregationis Declarat.* 49. fuit enim declaratum, quod Gubernator, & Magistratus recusantes contrà solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem, sunt debitis remediis cogendi, ut accedant; hanc Declarationem refert etiam *Lezzana in verb. Ecclesia num.* 18.

*In §. Sacrilegium autem.*

CONcluditur in hoc *textu*, quòd sacrilegium potest committi tripliciter: primo, quandò accipitur sacrum de sacro. Secundo, sacrum de non sacro. Tertio, non sacrum de sacro: in primo casu certum est esse sacrilegium; in secundo verò, & tertio casu, est difficultas inter *DD.* an sit sacrilegium: qua in re ità resolvas; quòd, aut loquimur de Jure Civili, & tunc requiritur ad sacrilegium, ut res furata: sit sacra, & simul, quòd de loco sacro furata sit, *Julius Clarus in §. sacrilegium. num.* 1. aut loquimur de Jure Canonico, & tunc his tribus modis semper est sacrilegium, *cap. si quis contumax, §.* 1. 17 *quæst.* 4. *Menochius casu* 398. *Carolus Thesaurus de pœnis par.* 2. *in verb. sacrilegium. cap.* 1. quod Jus Canonicum in hac materia attendi debet, ex quo nota, sacrilegium committi furando in Ecclesia, sivè res sit sacra, sivè non. communiter *DD.* quos sequitur *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 16. Probatur ex *cap. quisquis inventus.* 17. *quæst.* 4. Controversia tamen est inter *DD.* an latro furans crumenam in Ecclesia, committat sacrilegium? & prima opinio affirmat, nulla adhibita distinctione; ità *Layman. lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 18. *Suarez de religione tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 7. colligunt ex *d. cap. quisquis,* 17. *quæst.* 4. ubi apertè habetur, committi sacrilegium, auferendo rem non sacram de sacro loco, ergo, cùm lex ibi non distinguat, nec nos debemus distinguere: *arg. textûs in l. de pretio, ff. de Publiciana in rem actione, Menochius cap.* 389. *nu.* 19.

Secunda, & verior est sententia, non esse sacrilegium, nec consequenter est explicanda circumstantia in confessione, *Sotus in* 4. *distin.* 18. *quæst.* 2. *art.* 3. *Fagundez de præceptis lib.* 4. *præcepto* 2. *& in Decalogum præcepto* 7. *cap.* 2. *num.* 10. *cum sequenti, & alii plures*, quos sequitur *Diana par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 27. docet enim hæc opinio, quòd duobus modis potest res non sacra in Ecclesia esse. Primò, quia est sub jure, & quasi potestate Ecclesiæ, v. g. quia est illi tradita ad custodiam, vel in pignus, vel alio simili modo deposita. Secundo, potest res aliqua profana per accidens esse in Ecclesia, vel quia ibi est persona, quæ illam secum defert; vel quia ibi casu relicta est: Primo modo docent dicti *DD.* furari bona illa in Ecclesia esse sacrilegium, quia fit injuria Ecclesiæ. Secundo verò modo non est sacrilegium, illa furari, quia non irrogatur specialis injuria Ecclesiæ. sic *Thomas Zerola in praxi cap.* 12. *quæst.* 17. dicit, quòd furari tapeta, tobaleas, cortinas, &c. accommodatas sacristiæ pro aliqua festivitate, esset sacrilegium; secùs, si quis furaretur sellam, tapetum, vel baldachinum, quod fecerat Princeps afferri in Ecclesia pro sui commoditate; quòd si sacrista fecisset ea sibi accommodari, & ipse pararet pro sessione alicujus Principis, vel Prælati venientis ad Ecclesiam pro devotione, tunc etiam committeretur sacrilegium, quia indirectè cultui divino erant deputata: *Farinac. de immun. cap.* 16. *num.* 217. *Diana ubi suprà.*

Ex quo nota, non committi sacrilegium ab eo, qui extrà Ecclesiam surripit Parocho gladium, vel aliquid aliud, quod Parrochus non possidet nomine Ecclesiæ. Secùs dicas de oblationibus factis Ecclesiæ, quia eas possidet nomine Ecclesiæ, *Reginaldus lib.* 19. *num.* 56. sed *Pesignanus* docet, hoc casu non esse sacrilegium, sequitur *Diana par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 27.

Nota secundo, existentem in Ecclesia cum animo furandi, fornicandi, vel occidendi, non committere sacrilegium, nisi intendat hoc facere in Ecclesia: Ratio est, quia Ecclesiæ sanctitas internis actibus non violatur *DD.* citati.

Nota tertio, sacrilegium esse mixti fori loquendo de Jure Communi, & per consequens puniri posse, tam à Judice Ecclesiastico, quàm laico: Verùm in Regno ex *Pragm.* 3. *de jurisdict. ad invicem non turbanda*. laicus punitur à Judice laico, & ecclesiasticus ab ecclesiastico, pœna verò imponenda, est arbitraria, quod arbitrium extendi potest, usque ad pœnam mortis, si grave sit sacrilegium, quale esset furtum alicujus custodiæ, ubi reponitur Sacramentum Eucharistiæ, licèt illa minimi valoris sit, quia non tàm attenderetur qualitas furti, quàm qualitas sacrilegii; *Julius Clarus in §. sacrilegium num.* 4. *Menochius de arbitrar. casu* 389. *Farinaccus quæst.* 172. *à num.* 12. *Gomesius tom.* 3. *variar. cap.* 5. *num.* 11. Et nota, quòd in M. C. V. fuit quidam condemnatus ad mortem, eò quòd pyxidem surripuit à tabernaculo, in qua repositum erat Sacramentum Eucharistiæ; & fuit ex peculiari rescripto Pontificis dictum, non gaudere immunitate, ut constat mihi ex Curia Ecclesiastica, ubi conservatur litera sacræ Congregationis, qua fuit dictum, ut non gaudeat pro ea vice tantùm, ex quo malè, *Regens Sanfelicius in* 2. *tom. decis.* 244. pro regula ponit, furantem in Ecclesia non gaudere immunitate, non enim hoc dixit Congregatio immunitatis, sed pro ea vice stante gravitate delicti, & refert idem *Sanfelicius de anno* 1636. fuisse quendam furca suspensum, eo quòd furatus fuerat patenam argenteam in Ecclesia. Et probatur ex *l. sacrilegii pœnam ff. ad legem Aquiliam. Salzedas in praxi criminali Canonica cap.* 87. *Decianus lib.* 6. *practic. cap.* 33. *Castrus Palaus tom.* 3. *disp.* 2. *in fin. §. ultim.* & talis damnatus de sacrilegio, efficitur infamis juris infamia, & consequenter est irregularis, quia est crimen publicum, *l. lege Julia, ff. ad leg. Juliam peculatûs*, nam omnis injuria contrà religionem, est crimen publicum, *Clarus in l. fin. quæst.* 1. quòd verò sacrilegus sit infamis, legas *text. in cap. si fin. de furtis*, *cap. si quis presbyter* 50. *dist. Salzed. ad Dias in praxi cap.* 90. *litt. A.* & procedit, etiamsi non sit condemnatus per sententiam, dummodò crimen sit notorium, quia, cùm sit enorme delictum, & dignum depositione secundùm communem opinionem *DD.* de quibus suprà, ipso jure infamem reddit, & irregularem, *dict. cap. fin. juncto text. in cap. fin. de tempor. ordin.* super qua tamen irregularitate & infamia, potest Episcopus dispensare cessante scandalo, & peracta pœnitentia, vel ejus parte, ex *dict. cap. fin. Carolus Thesaur. p.* 2. *de pœnis Eccles. in dict. verbo sacrileg. cap.* 1. *in fin.*

Nota quarto, quòd poterit in Ecclesia polluta celebrari cum licentia Episcopi in casu urgentis necessitatis, *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 2. *Suarez de Sacramentis disput.* 81. *sect.* 4. & etiam nota, quòd, licèt in Ecclesia polluta, vel Cæmeterio polluto sepeliri fideles interim non debeant, ex *Abbate in dict. cap.*

*cap. fin. de consecrat. Eccles. per illum text.* tamen si sepelirentur, exhumari corpora non debent, nisi sint excommunicati, vel personaliter interdicti non tolerati; post multos *Carolus Thesaur. de pœnis ubi suprà cap. ult.*

Nota ultimo cum eodem Thesauro multos *D D.* dixisse, quòd si post Ecclesiæ pollutionem quis celebret in ea, antè tamen ejus publicationem, reconciliaretur Ecclesia: ità dixerunt *Castrus, Sà, Avila*, & alii, quos sequitur *Diana par. 1. tract. 14. resolut. 69. Bonacina de Sacramento Matrimonii, quæst. ult. in fin. num. 27.* Sed alia opinio est contraria, quam sequuntur *Layman. Fagundez*, & alii qus sequitur *Portellus in addit. ad dub. regularia in verb. Ecclesia, num. 50.* Ratio est, quia ut benè *Thesaurus*, reconciliatio fit ex certa verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta, & in hoc etiam reprobat *Thesaurus Dianam ubi sup. à dicentem*, quòd si Sacerdos bona fide celebravit cum Calice, vel patena nondùm consecrata, vel cum vestibus nondùm benedictis, tales res remanerent consecratæ, ut deindè ampliùs deservirent ad Missam sine alia consecratione. Id enim manifestum est: sicuti si quis celebraret bona fide in loco profano, nullus posset dicere, quòd remaneret consecratus locus ille.

---

## *TITULUS VI.*

### De Furtis.

Visum est suprà de delictis immediatè Deum offendentibus: quia verò sunt aliqua, quæ immediatè homines offendunt, meritò ponitur hic titulus de furtis; per furtum enim immediatè homo offenditur mediatè verò Deus: Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, totam hanc materiam hujus tituli dividi posse in tres partes: prima scilicet de furtis erit, secunda de restitutione in genere; tertia denique de restitutione in particulari, quibus positis perfectissimam habebit cognitionem retentionis rei alienæ, eritque bonus Canonista, & melior Casuista.

Est ergo furtum occulta ablatio rei alienæ invito Domino: ità *S. Thomas 2. 2. quæst. 65. art. 3. Less. lib. 2. cap. 12. dub. 1.* & cum eis omnes communiter, licèt aliter definiant Civilistæ, *Fagund. in Decalogum præcepto 7. tom. 2. ubi Filliuccius, Trullench, & cæteri recentiores.*

Dicitur (occulta) ad differentiam rapinæ, quia per hoc distinguitur à rapina, quæ committitur, quandò Dominus non ignorat rem suam auferri, quandò verò fur aliquid aufert ignorante domino, tunc committitur furtum, nam occultè rem alienam aufert ignorante Domino: undè furtum committit, qui absente Domino fores illius perfringit, ut aliquid indè auferat, *Molina disp. 267.*

Dicitur (ablatio rei alienæ) nam non committitur furtum ab eo, qui rem suam aufert, vel quam credit esse suam, dummodò res illa non fuerit ab ipso pignorata, aut commodata, quia hoc casu auferens ipsam, potest fur nuncupari, quia aufert ab altero usum rei commodatæ, vel securitatem, quam alter percipiebat ex illa re: *DD. ubi suprà.*

Dicitur (invito Domino,) quia si quis credit Dominum ratum habere, & non dissentire, non committit furtum, etiamsi occultè rem illius accipiat, quia consentienti non fit injuria, undè excusantur à peccato pauperes, qui tempore messis auferunt notabilem quantitatem tritici, auferendo modicam à singulis, *Lessius lib. 2. cap. 12. num. 41.*

Ex quo infertur, quòd si Domino præsente, & non contradicente quis rem ejus aufert, non dicitur furtum committere, nec ad restitutionem teneri, si id non faciat ex metu, aut verecundia Dominus, quia tunc omninò tacente ex istis causis furtum committi dicitur. *l. penult. ff. de furtis cap. error 23. dist. Sanchez in summa lib. 7. cap. 19. num. 13.*

Sciendum secundo est, furtum, & rapinam esse peccata mortalia ex suo genere, tùm quia prohibentur in Decalogo: tùm quia opponuntur justitiæ, sed omne peccatum contrà justitiam, est peccatum mortale, ergo: ità *S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6.*

Dices, obstat *text. proverb. 50.* ubi habetur (non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit) ergo, &c.

Respondetur, secundùm *S. Thomam loc. cit. art. 6. ad 1.* furtum dici culpam non grandem respectivè, & comparativè ad adulterium, de quo in eo loco agitur, eo quòd adulterium gravius sit furto. Potest tamen peccatum furti esse veniale triplici ex capite: primo, ex indeliberatione, secundo, ex parvitate materiæ, tertio quandò Dominus non est invitus, quoad substantiam rei acceptæ, sed solùm quoad modum, undè cùm uxor clam accipit aliquid à marito, vel filius à Patre, vel Avo, nepos à patruo, & amicus ab amico liberali, & benigno, excusatur à peccato mortali, quia ob justam causam creditur Dominus concessurus; undè non censetur tunc Dominus invitus, quoad substantiam, sed solùm quoad modum: *Rebellius de obligat. justitiæ par. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 3. num. 3.*

Filii & uxor possunt retinere sibi aliquid post mortem viri, vel parentum, & occultare bona in creditorum præjudicium. Immò filii succedentes patri, matri, vel avo in bonis acquisitis per usuras, possunt aliquid retinere illæsa conscientia, undè vivant, *Diana par. 5. tract. 4. resol. 17.* parvitas quomodò dicatur *Diana par. 5. nu. 5. resol. 34. & par. 1. tract. 6. resol. 36.* An in furto reliquiarum detur parvitas materiæ *Diana resol. 35.*

Rogabis primo, quænam quantitas requiratur ad hoc, ut furtum sit peccatum mortale.

Respondetur, quòd quot sunt *D D.* tot sunt opiniones, undè prima opinio est *Navarri*, esse quantitatem notabilem ad furtum committendum peccatum mortale dimidium regale, Secunda opinio est, *Gregorii de Valentia tom. 3. disput. 6. quæst. 19. pun. 16.* cum aliis asserentis esse peccatum mortale accipere tres argenteos, etiamsi à divitibus auferantur, tertia opinio est *Bonacinæ de Contractibus disp. 2. quæst. 8. pun. 1. num. 6.* ubi distinguit, quatuor esse genera personarum in ordine ad quas consideranda est gravitas, & levitas furti; primo, enim aliæ sunt personæ illustres, quæ splendidè alunt familiam, & respectu harum nummus aureus esset materia sufficiens ad peccatum mortale, *Fagundez verò in 7. præcepto cap. 1. num. 18.* post multos, quos allegat, dicit duos, aut tres ducatos esse peccatum mortale respectu istarum personarum, secundo, aliæ personæ sunt, quæ vivunt ex suis redditibus, quales sunt communes divites, & respectu harum personarum quatuor regales circiter sunt materia gravis, tertio, aliæ personæ sunt, quæ se sustentant suo artificio, & opera, & respectu harum personarum duo regales essent materia notabilis, licèt *Fagundez ubi suprà num. 20.* dicat quinque regales: quarto, aliæ personæ sunt, quæ vivunt mendicando, & tunc respectu harum unus regalis est materia notabilis. Et ratione lucri cessantis, vel damni emergentis res valdè minima constituere potest peccatum mortale,

mortale, ut si à furtore acum furetur quis, modò sciat non habere aliud instrumentum, ut possit operari: *Fagundez ubi suprà cap. 2. Toletus lib. 5. cap. 6.* quòd si quis furetur rem minimam, & prævideat dominum ex illa re furata fore proruptururum in maximas blasphemias, peccat mortaliter non contrà Justitiam; sed contrà charitatem, cùm teneamur sine nostro incommodo vitare peccata alterius: *DD. ubi suprà.*

Rogabis secundò, an paulatim modica, aliena accipiens, vel expendens, peccet mortaliter, & tenetur ad restitutionem?

Respondetur, affirmativè docere communiter DD. scilicet si in eo furto complente materiam gravem recordetur præcedentium furtorum, licèt in aliis furtis non habuerit animum ampliùs furandi, *Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 4. nu. 90. & tom. 2. lib. 7. cap. 21. Filiuccius tom. 2. tract. 8. cap. 20. Bartholomeus à Sancto Fausto in Thesauro religiosorum lib. 8. quæst. 189. num. 3.* Ratio est, quia suppositis antecedentibus furtis, in illo ultimo fit fur hic talis, & per consequens retinet rem alienam in notabili quantitate invito domino, ergo in eo actu peccat mortaliter, si habet animum retinendi furta præterita, & licèt illa furta essent parvæ materiæ, tamen,quandò posteà in unum coalescunt, efficiunt materiam gravem.

Limitatur verò hæc opinio primò procedere, quandò supradicta furta fierent in eodem genere negotii, & ex animo ditescendi, ut qui furantur modica vendentes vinum, oleum, aut alia, secùs si fierent in diverso rerum genere sivè diversis negotiis, nec ditescendi animo, quia tunc non coalescerent in unum prædicta furta, ità *Rebellius par. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 5. num. 44.* quod impugnat *Sanchez in summa tom. 2. lib. 7. cap. 21. num. 16.* nobis tamen adhæret *Tannerus in 2. 2. S. Tho. disp. 4. sect. 6. dub. 9. num. 287. & Bonacina loc. cit. par. 2. num. 3.*

Limitatur secundò tunc furta prædicta coalescere in unum, quandò inter illa non est magna interpolatio, & intervallum, quod intervallum secundùm opinionem *Sanchez ubi suprà*, debet esse unius anni tempus, quia tanta interpolatio non videtur conjungere quantitates illas parvas *Filiuccius verò tom. 2. tract. 31. cap. 10. num. 244.* putat, tale intervallum, ut non continuetur furtum cum alio, esse mensem unum, vel dimidium.

Limitatur tertiò, ut in his casibus major quantitas requiratur in furto, ut sit mortale, quàm in aliis, & eo major, quò plures sunt domini, nam in quò plures damnum dividitur, eo minùs cæteris paribus sunt inviti: *Sanchez ubi suprà*, quæ quantitas debet esse duplo major, quàm in aliis furtis requiratur.

Limitatur quartò, in exiguis illis furtis, quæ committuntur à servis, & ancillis ex rebus dominorum suorum non, ut illas vendant, sed ut comedant: ità *Megala in 2. 2. lib. 2. cap. 1. quæst. 3. num. 42. Cajetanus in summa in verb. furtum: Sayrus lib. 9. cap. 15. num. 17. Reginaldus tom. 2. lib. 23. cap. 1. num. 23.*

Advertant tamen primò, Confessarii, quòd ità furantes non tenentur restituere sub peccato mortali totam quantitatem furatam, sed tantùm illam partem, qua restituta, cesset notabilis quantitas ad furtum mortale requisita, sic *Navarrus, Rebellius*, & alii, quos sequitur *Filliuccius tom. 2. tract. 31. cap. 10. num. 247.*

Sed quæres, an detur casus, in quo ultima acceptio rei ablatæ, complens materiam notabilem, non sit peccatum mortale?

Respondeo affirmativè, undè, cùm quis committit furtum ultimum cum animo illud ultimum obolum restituendi, aut aliquid aliud, ità quod non velit sibi retinere notabilem quantitatem, non peccat mortaliter in illa ultima exceptione complente materiam notabilem, quia acceptio rei alienæ non est peccatum mortale, quandò fit cum animo eam restituendi ità citò, ità ut ratione dilationis non inferatur domino damnum alicujus momenti.

Sic dicunt DD. quòd si, cùm homo furatur ultimum obolum, jam consumpserit omnes, quos priùs surripuerat, nec habet undè solvat, non peccat mortaliter, dummodò habeat animum solvendi illam quantitatem, si fortè aliquandò pervenerit ad pinguiorem fortunam; ità *Granadus in 1. 2. S. Thomæ controvers. 6. tract. 2. disput. 2. sect. 5. num. 51.*

Rogabis tertiò, an si quis longo tempore rem alienam non restituat, unum tantùm, vel plura peccata committat?

Respondetur, tunc iniquum detentorem peccare de novo mortaliter, quandò renovat de novo propositum non restituendi, ut si in animo dicat, etiamsi retinere non proposuissem, nunc retinere propono: cæterùm si id non faciat fur, non erit novum peccatum à primo distinctum, sed solùm circumstantia aggravans, ità DD. apud *Bartholomeum de Sancto Fausto in speculo Confessariorum disp. 4. quæst. 203.*

Rogabis quartò utrùm committatur peccatum mortale, quandò plures de communi consensu, & scienter auferunt ab eodem rem levem respectu singulorum, quæ tamen notabilis est, si collectivè sumatur respectu omnium?

Respondetur esse peccatum mortale, ità *Less. lib. 2. cap. 12. dub. 9. Azorius par. 3. lib. 50. cap. 12. Filliuccius cap. 40. nu. 248.* & alii apud ipsos. Ratio est, quia, cùm singuli cooperentur ad damnum notabile, sequitur singulos peccare mortaliter, & teneri sub mortali ad restitutionem, secùs, quandò damnum illatum fuit absque communi consensu, id est quandò singuli non ut consortes, neque ut una causa, plura minima surripuerunt, *Sanchez in summa lib. 7. cap. 21. num. 22.*

Rogabis quintò, an liceat surripere in necessitate sine peccato mortali?

Ad intelligentiam hujus quæsiti suppono necessitatem, aliam esse gravem, aliam extremam, aliam communem. Necessitas gravis est, quam patiuntur illi, qui non habent necessaria ad suum statum: necessitas extrema est, quam patiuntur illi, qui non habent omninò necessaria ad sustentationem, & victum, qualis necessitas est illa, quam patitur cum periculo vitæ, aut gravis morbi: communis necessitas est, in qua reperiuntur pauperes, qui mendicando victum acquirunt; Hoc posito.

Respondeo primò, licere in extrema necessitate ad sublevandam necessitatem surripere, nam talis necessitas facit omnia communia: intellige nisi dominus rei non existat in pari necessitate, quia tunc in pari necessitate melior est conditio possidentis, *S. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 7. Less. lib. 2. cap. 12. dub. 12.* & alii communiter.

Dices: in extrema necessitate non licet mentiri ad salvandam vitam; ergò neque licet rem alienam surripere.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis, est, quia mendacium est intrinsecè malum, undè non desinit esse malum ob extremam necessitatem: surripere verò, desinit esse malum, si fiat ad sublevandam extremam necessitatem, propter quam res dicitur mutari, & non manet ampliùs aliena, sed fit communis ob extremam necessitatem.

Ex quo furans in extrema necessitate, si impediatur

tur à Domino, poterit eum occidere servato moderamine inculpatæ tutelæ; ità DD. *citati*, quia utitur jure suo.

Respondeo secundò, non licere in gravi necessitate aliquid surripere. Ratio est, quia in tali necessitate res est aliena: sola enim extrema necessitas rem communem facit. DD. apud *Filliuccium tract.* 32. *cap.* 50. *quæst.* 4. *nu.* 134. licèt ipse contrarium doceat, quorum opinio non est improbabilis, & post factum ea uti possumus, præsertim in casu gravis necessitatis valdè maximæ, *Less. lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 12. *nu.* 71.

Respondetur tertiò, in extremo periculo amittendi honorem, & pudicitiam, licitum non est rem alienam surripere ad impediendam honoris, & pudicitiæ amissionem: quia surreptio rei alienæ, non est medium ad tuendam pudicitiam, & honorem, *Bannez* 2. 2. *S. Thomæ q.* 32. *ar.* 6. qui tamen cum aliis docet, hoc casu licitum esse surripere eum animo restituendi, si infamia, & amissio honoris nequeat aliter evitari, quia non censetur dominus rationabiliter invitus.

Respondetur quartò, existentem in extrema necessitate posse abstinere à surripiendo, & permittere sui mortem, si hoc faciat ob bonum, & honestum finem, ut cùm non posset surripere, nisi occidendo Dominum rem injustè defendentem, quòd si non adest talis causa, tenetur surripere ad suam vitam defendendam, *DD. citati.*

Respondetur quintò, posse aliquem surripere in extrema necessitate, ut subveniat extremæ necessitati pauperum; nam qua ratione possunt pauperes surripere, eadem ratione possumus nos illos adjuvare, dummodò non haberemus proprium, de quo eis possemus adjuvare, *D D. citati*, quos sequitur *Medina de eleemosyna, quæst.* 5. In necessitate etiam spirituali extrema, quandò quis non potest aliter salvari sine nostra opera, tenemur proximo auxilium præstare, nisi essemus in peccato mortali, quia debemus nobis potiùs consulere, quàm proximò: *Diana par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resol.* 23. *&* 24.

Rogabis sextò, an credendum sit alicui dicenti, se laborare extrema necessitate?

Respondetur, non facilè credendum esse, ut benè *Malderus in* 2. 2. *S. Thomæ, quæst.* 23. *artic.* 6. Ratio est, quia hoc asserit in propria causa; undè ad hoc, ut quis dicatur in extrema necessitate, non sufficit ipsius assertio, vel etiam Parochi, vel confessarii testantis de illius necessitate, quia fieri potest, ut isti decipiantur nisi testentur de visu, sed requiritur, quòd moraliter constet de illius indigentia, puta per assertionem alicujus de visu, undè non facilè credas, extremè indigere eos, qui in publicis viis expositi eleemosynam petunt, eti nisi extremæ necessitatis signa clara præbere videantur, quia sunt testes in propria causa, & solent his signis uti hi tales frequenter exaggerationis, & simulationis causa, ut eleemosynam extorqueant. *Mald. loc. cit.* & alii apud *Filliucc. tract.* 28. *cap.* 3. *q.* 4. *nu.* 64.

Rogabis septimò, an teneatur, qui aliquid accepit in extrema necessitate, transacta illa, illud restituere?

Respondetur cum *Azorio lib.* 12. *cap.* 6. *Sylvestro in verb. furtum, quæst.* 50. *Angelo eodem verb. nu.* 50. teneri restituere, si illud accepit medio aliquo contractu antè necessitatem extremam: Ratio est, quia jam contraxit obligationem restituendi, quæ jam per supervenientem extremam necessitatem non fuit extincta, sed consopita; quòd si illud in extrema necessitate acceperit, & in eadem consumpserit, non tenetur restituere, quia extrema necessitas facit omnia communia, *l.* 2. *ff. ad legem rhod. de jactu.*

Confirmatur, quia si quis cessit bonis, secundùm opinionem probabilem non tenetur ad restitutionem, si perveniat ad pinguiorem fortunam, dummodò cesserit cum ignominia sedendo in loco publico, ut docet *Eliseus Danza in pugna Doctorum cap.* 3. *de contumace num.* 12. *Navarr. collect.* 35. *nu.* 2.

Dixi, secundùm probabilem opinionem, quia adest opinio probabilior, ut teneatur ad restitutionem, quam tenet *Covarr. lib.* 1. *var. resol. cap.* 1. *nu.* 6. *Filliuccius tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 50. *nu.* 153. *Lessius lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 3. *num.* 4. Ratio est, quia debitor, qui cessit bonis per actum ignominiosum, talem pænam non patitur loco solutionis, sed loco pœnæ pecuniariæ, vel alterius pro culpa præsumpta in accipiendis mutuis, & faciendis aliis contractibus, cùm esset impotens solutionis, ut latè *Covarru. ubi suprà.*

Immò addit *Lessius ubi suprà*, quòd quandò quis cessit bonis, potest retinere sibi tuta conscientia bona necessaria sibi, & familiæ suæ, ut non indecorè vivat, etiamsi debita pro quibus cessit, sint ex injustitia jam & delicto notorio acquisita.

### *De Restitutione in Genere.*

Restitutio, est actus Justitiæ commutativæ, quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei, cui debetur.

Dicitur (actus Justitiæ) quia restitutio ad virtutem Justitiæ pertinet.

Dicitur (commutativæ) quia restitutio non est actus cujusvis justitiæ, sed commutativæ: est enim Justitia alia distributiva, quæ versatur circà pœnas, & præmia, commutativa verò in contractibus, restituendo rem, quæ debetur, non habito respectu ad pœnas, sed ad rem, quæ debetur.

Ex quo principio infertur primò, ex violatione Justitiæ distributivæ nullam oriri obligationem restituendi, nisi ex hoc lædatur aliquod jus pertinens ad Justitiam commutativam, & ideò Princeps conferens officium indigno, relicto digno, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem omnium damnorum indè provenientium, cùm sit causa horum damnorum, *Less. lib.* 2. *cap.* 32. *dub.* 1. *Filliucc. tract.* 28. *cap.* 8. *quæst.* 3. *num.* 130.

Infertur secundò, quòd si in aliquo homine concurrat qualitas intrinseca, scilicet illa qualitas, quæ est necessaria simpliciter ad illud officium, & dignitatem, & concurrat etiam qualitas extrinseca, hic homo præfertur omnibus aliis: quàpropter si quis esset bonus, & sufficienter aptus ad finem illius officii, alter verò eminenter aptus, sed pravæ vitæ, præferendus est ille, qui habet sufficientem idoneitatem, nam haberet qualitatem junctam sanctitati ad finem illius officii: sed, si in aliquo esset maxima sanctitas, sed omninò ignorantia, ità quòd non esset aptus ad illud officium exercendum, alter vero esset aptus, sed esset pessimæ vitæ, hic homo malus esset præferendus, quia aptitudo ad illud officium, est qualitas intrinseca, bonitas verò est qualitas extrinseca, & ad benè esse, *S. Th.* 2. 2. *quæst.* 61. ubi ejus discipuli.

Infertur tertio, quòd si sint aliqui æqualis scientiæ, debet semper melioris vitæ eligi, sed si sint æqualis vitæ, debet eligi melioris scientiæ; cujus ratio est, quia electio debet esse de majori bono *cap. licèt* 89. *dist. Concilium Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* quòd si sint pares in sanctitate, & scientia, tunc collator habet potestatem gratificandi, cui velit ex illis.

Infertur, quarto, quòd si eligatur indignus, qui tamen

tamen rectè officium gessit, & nulli damnum intulit, adhuc peccavit eligens, quia exposuit periculo Ecclesiam, Rempublicam, bona, & patrimonium pupillorum, *Covarru. in regula peccatum par. 2. §. 7.*

Infertur quinto, quòd si eligatur dignus relicto digniore, erit valida electio, *ad Monasterium 16. quæst. 7. cap. cum nobis de electione, glossa in cap. constitutus de appellat. & in cap. licèt 8. quæst. 1. & in cap. 3. de Jure patron.* & sic talis electio rescindi non potest, *S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 3. Lambertinus de Jure patron. lib. 2. parte 1. quæst. 1.* & sic determinatum videtur in *Trident. sess. 24. cap. 1. ubi ait*, digniorem esse eligendum, ut à peccato electus sit immunis, non tamen statuit Concilium, electionem digni, omisso digniori, rescindendam fore, *Covarr. in regul. peccatum par. 2. §. 7. nu. 3.*

Difficultas verò est, an eligens dignum omisso digniori, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

Respondeo contrà *Covarr. ubi sup.* & alios non esse peccatum mortale: ita *Navarr. de restitut. lib. 2. cap. 2. nu. 127. Ledesma in summa par. 2. tract. 7. cap. 2. conclus. 7. difficult. 15. Gutierrez Canonic. quæst. cap. 11. Garsia de beneficiis tom. 2. par. 7. cap. 16. num. 16.* Probatur, quia, si contraria opinio esset vera, omnes Episcopi essent in statu damnationis; & ratio rationis est, quia curata, & Episcopalia beneficia dignioribus concedenda esse statuit *Tridentinum sess. 24. cap. 1. & cap. 18.* ergo, dùm de his tantùm loquens ait, esse conferenda dignioribus, signum est, quòd reliqua relinquit conferenda ad arbitrium Prælati.

Confirmatur, quia dùm de canonicatibus loquitur, *sess. 24. cap. 12.* hortatur, ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, saltem media pars canonicatuum conferatur magistris doctoribus, vel saltem licentiatis in jure canonico, ergo dùm hoc Concilium hortatur, tantùm sequitur, has dignitates non curatas non esse necessariò conferendas graduatis dignioribus.

Neque obstat, quòd videantur adesse multa jura disponentia, beneficia non curata conferenda esse dignioribus, & non dignis. Respondeo enim, quòd ista jura videntur abrogata ex novissima practica per quam Summus Pontifex concedit dignis, omissis dignioribus, ut benè notat *Antonius Diana tract. 15. resol. 38.*

In Beneficiis curatis, ut sunt Episcopatus, &c. non licet eligere dignum, prætermisso digniori, ut benè ex pluribus probat *Barb. in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 6. cap. 19. num. 4. ex textu* sic intelligendo in *cap. unic. in tit. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, ubi (Non ex affectu carnali sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare) qui textus apertè probat, digniorem esse eligendum. Quamobrem non est audiendus *Alexander de Alexand. 1. 2. quæst. 136. §. 2.* putans, solùm in Episcopatibus esse peccatum prætermittere digniorem, non autem in cæteris beneficiis etiam curam animarum habentibus: nec *Filiuccius tom. 3. tract. 41. cap. 4. num. 181.* qui putat probabile esse, eligentem dignum, omisso digniore in talibus beneficiis curatis, peccare solùm venialiter.

Quòd si beneficia conferantur per provisionem liberam, absque ullo concursu facto à summo Pontifice, vel à Rege ex tacito consensu Ecclesiæ, tunc putat *Less. lib. 2. cap. 34. dub. 14. num. 64.* adhuc esse conferenda dignioribus: *Reginaldus verò tomo 1. lib. 32. tract. 3. cap. 14. nu. 17.* putat, hoc casu non habere tantùm onus Pontifices, & Reges, sed posse eligere dignum omisso digniori, nisi digniorem in promptu habeant.

Rogabis, an obligatio eligendi digniorem, extendatur etiam ad resignantem beneficium suum in favorem alterius? Respondetur negativè, ità contra *Sotum de Justitia, & de Jure lib. 3. quæst. 6. ar. 2. Vasquez de benefic. cap. 2. §. 4. dub. 7. num. 100.* docent *Less. lib. 2. cap. 34. dub. 13. Reginaldus tom. 1. lib. 30. tract. 3. cap. 14. nu. 170.* Probatur, quia talis resignans non est distributor: ergò potest resignare digno, cui voluerit, non enim talis resignatio fit per concursum ad commune bonum, sed pars parti jus suum transfert, & sic neque peccat collator acquiescendo resignationi minùs digno factæ, & relicto digniori & ideò meritò *Petrus de Aragona in 2. 2. quæst. 63. art. 2.* docet, hanc sententiam conformem esse etiam praxi receptæ per summum Pontificem.

Rogabis secundò, an Patronus laicus teneatur in beneficio curato præsentare digniorem?

Respondetur negativè, sed posse præsentare dignum omisso digniori: ità *Lambertinus de Jure patronat. par. 1. lib. 2. quæst. 10. art. 3. Riccius par. 3. decis. 306. Bellectus in disquisit. Clericali par. 1. §. 4. Joannes Valerus in differ. utrisque fori in verb. elect. diffic. 2. Garsia de beneficiis tom. 2. par. 7. cap. 19. num. 19.*

Probatur primò, ex *Trid. sess. 25. cap. 9.* ibi ad hæc liceat Episcopo præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere, secundò ex eodem *Triden. sess. 25. cap. 8.* ubi Concilium facit differentiam, inter patronos Ecclesiasticos & Laicos & vult, ut Ecclesiastici teneantur præsentare digniores, laici verò, si præsentaverint idoneos, admittantur, ergò cùm Concilium non arctet patronum laicum ad præsentandum digniorem, neque nos arctare debemus.

Ex quibus omnibus optimè infertur, non obligari ad restitutionem conferentem digno, omisso digniori in beneficiis simplicibus, quia nullum jus habent digniores, ut benè *Valerus in verb. Electio differ. 1. num. 20.* & consequenter neque tenebitur ad resarcienda damna illata.

Infertur ultimo, eum, qui bona alicujus accepit distribuenda inter pauperes hujus Civitatis, teneri ad restitutionem, si ea non distribuat secundùm præscriptum modum, quia violat justitiam commutativam, non tradendo eis bona relicta à testatore, *Lessius ubi suprà.*

Difficultas verò est, an, si testator dixerit, ut bona aliqua distribuantur inter pauperes, teneatur distributor eligere pauperiores?

Respondeo, non opus esse, ut inter pauperiores, sed posse inter pauperes distribui, ità ex Theologis docent multi relati per *Bartholomeum à Sancto Fausto in speculo confessar. disp. 4. quæst. 175. ex Juristis verò Card. Mantica de conjecturis lib. 8. tit. 5. num. 6. Joannes Martinez 20. lib. 5. tit. 4. lib. 14. glossa 1. num. 15. citantes Bart. & Bald.*

Undè, si quis haberet facultatem distribuendi inter pauperes, potest etiam eligere religiosos Mendicantes pro suis necessitatibus: & religiosus, cui data est electio, potest bona distribuere inter religiosos sui Monasterii. *Card. in clem. 1. num. 22. ubi Imola num. 18. Ancharanus num. 16. de testamentis, Pontius consil. 26.* Si verò haberet quis facultatem distribuendi inter pauperiores, posset dare pauperibus, nec tenebitur ad restitutionem, nisi pauperes fuerint designati in testamento, *Corradus in responsis par. 1. quæst. 101.*

Dicitur verò dignior in Episcopatu obtinendo Canonista, quàm Theologus, excepto casu refutationis

tationis hæreticorum, nam ad regimen Ecclesiæ valdè necessaria est scientia Juris Canonici, ità *Simancas de institut. cathol. titulo* 25. *Abbas, & Hostiensis in cap.* 1. *de consang. & affinit. Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *quæst.* 71. *nu.* 49. *videas Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 1. *nu.* 31. Idem dic, si confessario esset in testamento relictum, ut distribuat pecuniam inter pauperes, posset enim ille dare pauperibus, omissis pauperioribus, nec peccat, qui unum pauperem alteri prætulit, *Card. Mantica de conject. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 7. An verò legatum pauperibus relictum, possit dari uni pauperi: videas *Genedum collect.* 114. *num.* 2.

### *De Necessitate Restitutionis.*

NEcessarium ex Philosophis apud *Valentiam tom.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. dupliciter aliquod dici potest in materia nostra. primò, necessitate medii, secundò, necessitate præcepti. Primi generis est illud, sine quo salus haberi non potest, sivè ex ignorantia, sivè alia causa prætermittatur, talis est Baptismus in re, vel in voto, &c. Secundi generis est illud, quod ex præcepto ità necessarium est, ut ex justa causa possit interdùm omitti, nec violatur tunc præceptum. Hoc posito.

Dico primo, restitutionem non esse necessariam necessitate medii ad salutem, sed præcepti.

Prima pars patet, quia fieri potest, ut obtineatur interdùm salus, omissa restitutione ob aliquam justam causam, de quibus infrà.

Secunda pars patet, tùm ex *Matth. c.* 2. ibi Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, tùm ex *Tobia* 11. ibi videte, ne furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto quicquam, aut contingere, tùm etiam ex *cap. peccatum de regul. juris in* 6. ubi dicitur, quòd non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Adverte tamen, hoc præceptum restitutionis obligare sub peccato mortali, quia restitutio est actus Justitiæ, quæ sub mortali obligat, nisi excuset parvitas materiæ: est etiam tale præceptum affirmativum, quia per eum præcipitur actio positiva, redditio scilicet alteri rei suæ, ut benè *Lessius lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 10. si enim esset negativum, ut putant alii apud eundem *Less.* obligaret semper, & ad semper, sicut præceptum non blasphemandi Deum, & non odio prosequendi proximum, quia negativum est, obligat semper, & ad semper: sed dantur multi casus, in quibus non tenetur quis restituere. ut infrà, ergò.

Dico secundò, Necessitas, & obligatio restituendi oritur ex multis capitibus.

Primò, ex contractu, ut cùm tibi commodavi, vel pignoravi aliquid. oritur tibi obligatio restituendi.

Secundo, ex re accepta, ut si quis surripuit rem aliquam, eam restituere tenetur.

Tertio, ex delicto. seù damnificatione, ut cùm quis alteri damnum, intulit, putà si segetes combussit, vestem abstulit, &c. *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 6. *art.* 6. *Less. ubi suprà cap.* 7. *dub.* 50.

Dico tertio, omnis necessitas, & obligatio restituendi, nonnisi ex violatione Justitiæ oritur, ità *DD. ubi suprà*, est enim restitutio actus Justitiæ, undè Medicus nolens mederi ægroto, à quo nullum acceperat stipendium, non tenetur restituere, etiamsi ægrotus moriatur ex illa infirmitate, sic nolens succurrere in necessitate alicui, non tenetur ei restituere, quia ex charitate tantùm tenebatur.

Ex quo sequitur primò, quòd si alicui detur aliquid, ne fornicetur, vel ne blasphemet, ille non tenetur restituere, quia hoc totum pertinet ad charitatem, ità contrà *Covar. in regula peccatum par.* 2. *§.* 2. *Navarr. cap.* 17. *num.* 33. & alios docet *Sotus de Justitia, & jure lib.* 4. *quæst.* 7. *artic.* 2. *Less. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *num.* 71. *qui num.* 69. excipit ea, quæ nullam habent difficultatem, ut odium deponere. verùm quia adhuc odium deponere, non caret difficultate, & mortificatione voluntatis, consequenter, si quis accipiat aliquid, ne odio habeat aliquem, nec tenetur ad restitutionem; ut benè *Tenderus in* 2. 2. *S. Thomæ disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 10. *nu.* 191.

Sequitur secundò, obligationem restituendi, oriri ex culpa, & quidem ex culpa etiam veniali, ut docet *Navarr. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 43. *Rebellius par.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 10. *sect.* 4. & alii apud *Bonacinam tom.* 2. *de contract. disp.* 1. *q.* 1. *propos. ultim.* vel ex culpa tantùm mortali, ut docet *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 160. *Less. loc. cit. dub.* 7. *Azorius par.* 3. *lib.* 9. *cap.* 8. *Filiuccius tract.* 30. *cap.* 2. *quæst.* 9. qui docent, non esse obligationem restituendi absque peccato mortali, præcisa obligatione ratione contractûs, vel officii.

Ex quo infertur, quòd si quis puteum aperuit, & ex oblivione apertum reliquit. si ibi animal cadat, non tenetur ad restitutionem; sic, si quis occidit aliquem credens esse feram, quem nihilominùs occidisset, si cognovisset esse hominem, non teneretur ad restitutionem homicidii, nam actio homicidii facta cum ignorantia comitante, non est injusta, nec imputatur ad culpam, nam ignorantia comitans excusat actum externum à peccato, quamvis non excuset pravum affectum internum, sicut etiam excusat ignorantia comitans à censuris incurrendis, & sic jaciens sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram, sed in mente sua ita erat affectus, ut illum occidisset, si scivisset esse suum inimicum, irregularitatem, vel excommunicationem non incurrit, si lata esset excommunicatio contrà homicidas, quia tale opus externum non est voluntarium, cùm non cognoscatur, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. *Suarez disp.* 4. *sect.* 8. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 76. *artic.* 3. *disp.* 126. *& de excommunicatione dub.* 14. *nu.* 4. quod adeò verum est, ut etiamsi tunc temporis occidens daret operam rei illicitæ, neque teneatur ad restitutionem, si hominem occiderit: & ideò, si Clericus dans operam venationi prohibitæ clericis, hominem occidit credens esse feram, quem adhuc occidisset, si cognovisset esse hominem, non teneretur ad restitutionem quia venando non peccavit contrà Justitiam, nec occidendo hominem, quem inculpabiliter credebat esse feram, quamvis illum occidisset, si cognovisset esse hominem.

### *Qui teneantur Restituere?*

HUjus quæsiti materia in plures conclusiones dividitur à DD. ideò, ut ordinatè procedamus.

Dico primo, Possessor bonæ fidei, qui scilicet rem alienam possedit credens esse suam, statim, ac advertit alienam esse, tenetur restituere, quia dicitur retinere rem alienam invito domino: immò, si rem à fure emerit, tenetur eam domino vero restituere, cùm advertit ejus esse, absque eo, quòd pretium possit petere, ut docent omnes, teste *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 2. *ex l.* 2. *C. de furtis, & ex l. si mancipium C. de rei vendic.*

Dico secundo, qui alienavit, vel consumpsit rem alienam bona fide, credens esse suam, non tenetur restituere, nisi in aliqua re factus sit locupletior, *S. Tho.* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *Less. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 1.

*Probatur*

*Probatur ex l. sed & si lege. §. item si rem: l. si rem & pretium, l. item veniunt, §. præter hac C. de petit. hared.* nam res accepta non extat, ergo non adest caput restitutionis; quia verò id quo factus est locupletior, succedit loco rei acceptæ, meritò id restituere tenetur. Dicitur verò locupletior factus ille, qui cognoscit, se non fecisse aliquos sumptus occasione rei alienæ, quos alioquin fecisset, quòd si ex sua industria cognoscat id habuisse, non dicitur factus locupletior: ideò si quis invitatus fuit ad comedendum rem furtivam, & post cœnam ludens cum sociis vicit magnam quantitatem pecuniæ, non dicitur ditior factus ratione pecuniæ lucratæ, sed ratione ejus quod comedit, *DD. citati.*

Si verò sumus in dubio, an quis sit effectus locupletior ex re aliena, concludunt *Sanchez, & Lessius, & alii citati*, non esse præsumendum, cùm in dubio melior sit conditio possidentis.

Ex quo principio infert *Lessius loco cit.* contrà *Sotum, & alios*, eum non teneri ad restitutionem, cui res aliena perit casu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis, quo ipse bona fide possidebat rem, credens esse suam, nam cùm res desiit, non adest obligatio restituendi. Idem dic si quis emit rem alienam bona fide, & posteà vendidit æquali, aut minori pretio, quia non est factus ex re aliena locupletior; secùs, si vendidisset majori pretio, quia tunc, utpotè factus locupletior ex incremento pretii, illud restituere tenetur.

Infertur secundo, eum, qui bona fide possidens rem alienam, alteri donat, cui non donasset, si illam non habuisset, non teneri ad restitutionem, secùs, si aliam similem donasset, quia in hoc esset effectus locupletior: *DD. citati.*

Infertur tertio eum, qui bona fide apud amicos rem furtivam comedit, valentem triginta, domi suæ verò comedisset rem valoris decem assium, solùm tenetur restituere viginti asses, in quibus est effectus locupletior, DD. apud *Sanchez loc. cit.* Cæterùm si apud amicum comedit rem valentem triginta asses sed domi suæ comedisset rem valentem quadraginta, tenetur solùm ad illa triginta, nisi cooperatus esset ad totum damnum, ut si aliis restituere volentibus, ipse suasit comedere, nam hoc casu ad totum teneretur, quia alioquin sequeretur, dominum rei reportare commodum, & lucrum ex re ipsa sibi ablata. Idem dic de eo, qui vestem alienam bona fide consumpsit, nam hic tenetur valorem ejus comparente Domino restituere, si aliam vestem æqualis valoris consumpsisset, quòd si pretiosiorem consumpsit, tenetur solùm ad restitutionem illius vestis, quam consumpsit, quòd si vestem sericam bona fide emptam quis consumpsisset, non tenetur ad restitutionem valoris illius vestis, sed solùm valoris ejus, quam consumpsisset, si vestem sericam non habuisset: *DD. cit.* quos sequitur *Azorius p. 3. lib. 4. cap. 2.*

Dico tertio: dubitans rem alienam esse (dicitur verò dubium, cùm quis non magis in unam, quàm in aliam partem inclinat, ad differentiam opinionis, quæ est, quandò intellectus uni parti non certò, & firmiter, sed cum formidine oppositi adhæret) tenetur adhibere diligentiam ad inveniendum verum Dominum, qua adhibita, si non invenerit verum dominum, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, nam semper in dubio melior est conditio possidentis, quòd si posteà inceperit dubitare alienam esse, poterit post adhibitam sufficientem diligentiam in inquirendo domino, alteri vendere, dummodò admoneat emptorem de hoc dubio, nam res minùs valet cum hoc dubio, *Filiuc. tract. 2. c. 4. q. 8. num. 149.*

Si verò possessor bonæ fidei incœpit dubitare, & negligens fuit in indaganda veritate, ob quam negligentiam fuit factus impotens ad eam sciendam, non tenetur ad restitutionem, licèt in eo peccaverit negligendo inquisitionem veritatis, nihilominùs incœpit possidere bona fide, *Rebell. ad restitut. l. 2. q. 5. n. 90.*

Immò poterit, qui rem bona fide accepit, & posteà incipit dubitare esse rem alienam, quòusque faciat debitam diligentiam, ea re uti, si sit res, quæ usu non consumitur, secùs, si sit res usu consumptibilis. *Sanchez de matrim lib. 2. disp. 41. num. 21. & in summa lib. 2. cap. 23. num. 183.* Sicut etiam, si quis matrimonium contraheret, & posteà adhibita sufficienti diligentia non constet de veritate, poterit, nedùm reddere, sed etiam adhuc petere debitum, ità *Sanch. ubi sup. num. 46. Coninch. de Sacramentis disp. 34. dub. 10. Filiucc. tom. 1. tract. 10. cap. 9. num. 143, Diana par. 3. tract. 4. resolut. 295.*

Dico quarto, accipiens rem mala fide, & dubitans esse alienam, tenetur adhibere debitam diligentiam ad assequendam rei veritatem, ne domino rei injuria fiat, & damnum inferatur, quòd si facta diligenti inquisitione rei, veritatem invenire non potest, tenetur restituere rem inter eos, quorum esse dubitat, ad ratam dubii, DD. apud *Lessium lib. 2. cap. 14. dub. 4. Filuccius tract. 32. dub. 4.* & alii communiter, nam in dubio non est melior conditio possidentis mala fide, sicut est possidentis bona fide, non enim possessori malæ fidei suffragatur possessio.

Adde, quòd hoc casu dubii non tenetur possessor restituere rem, si dubium est inæquale, puta si magis inclinet possessor in eam partem, ut putet rem alienam esse, ità *Sanchez in summa lib. 2. cap. 10. num. 9. retractans se ab eo, quod docuerat de matrim lib. 1. disp. 41. num. 10.* quam etiam opinionem sequitur *P. Dian. pag. 2. tract. 15. resol. 10.*

Quòd si dubitetur, cujus sit res, erit facienda restitutio pauperibus: nam hæc censetur Domini voluntas, ut benè *Sanch. ubi suprà*, qua de re alibi. Immò si dubitet quis, rem aliquam à Titio mala fide possideri, aut furtivam esse non poterit emere, aut alio modo accipere, quia exponeret se periculo accipiendi rem alienam invito Domino, *Less. lib. 2. cap. 14. dub. 4. Sanch. & alii loc. cit.*

Ex quibus principiis Infertur, in dubio meliorem esse conditionem possidentis, quod nedùm in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum verum est: & ideò dubitans, an votum emiserit, non tenetur ad votum, qui verò opinatur, se votum emisisse, tenetur ad votum, nam possessio favet dubitanti, non verò opinanti, nisi habeat opinionem probabilem etiam pro se, *DD. cit.* quos sequitur *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 9. & lib. 2. disp. 41. num. 32. & in summa lib. 1. cap. 10. num. 11.*

Infertur secundo, voventem in dubio teneri ad id, quod minus est, & sic dubitans, an emiserit votum Religionis in communi, an in particulari, tenetur solùm eligere hanc in particulari, ita ut, si ad istam non admittatur, sit liber à vinculo voti: sic vovens habere rem cum fœmina, & dubitans de qua intenderit, potest eligere, quod voverit de illicita, non de licita; arg. *text. in l. nummis, ff. de leg. 3. cap. ex parte de censib. DD. citati.*

Infertur tertio, eum, qui dubitat an promiserit matrimonium, non teneri ad eum contrahendum, secùs, si certò scit, se promisisse, sed dubitat, an voluerit se obligare, nam in primo casu possessio stat pro libertate, in secundo casu possessio stat pro voto: sic si emiserit votum, dubitans an habuerit perfectum judicium, quia hoc casu etiam tenetur ad il-

Ind observandum, cùm etiam possessio stet pro voto, *Sanch. & alii ubi sup.*

Infertur quarto, eum, qui dubitat, an juraverit, non teneri ad juramentum servandum, cùm possessio stet pro libertate, secùs, si dubitet quis, an adimpleverit juramentum, quod scit se emisisse, nam possessio stat pro juramento, & ideò Sacerdos dubitans, an recitaverit horas Canonicas, tenetur eas repetere, quia possessio stat pro præcepto: sic committens adulterium, & dubitans, an sua sit proles, vel ex marito adulteræ, non tenetur ad restitutionem, sed potest credere esse mariti adulteræ, *Rebell. de restit. lib. 3. q. 10. nu. 21. cum aliis.*

Infertur quintò, dubitantem, an sua actione, vel omissione cooperatus sit efficaciter ad damnum alterius, non teneri ad restitutionem, *Sanchez. lib. 5. summa cap. 10. num. 44.* quia in dubio maximè in materia justitiæ, melior est conditio possidentis, *l. si ob turpem causam; ff. de condict. ob turpem causam;* sed qui dubitat an fecerit damnum, possidet suam libertatem & pecuniam, ergo est melior ipsius conditio.

Infertur sextò, quòd si constet, aliquem ex quatuor damnum intulisse absque mutuo consensu, vel consilio; sed dubitatur, quisnam illorum damnum intulerit, unusquisque videtur obligatus ad restitutionem ad ratam dubii majoris, vel minoris, nam possessio stat pro delicto, quod constat ab aliquo illorum patratum fuisse, nec est major ratio, cur ab uno potiùs, quàm ab alio patratum sit, *DD. cit.*

Dices: semper in dubiis tutior pars est eligenda, *cap. ad audientiam, & cap. significasti, de homicidio,* ergo potiùs dicendum est, debere in his casibus restitutionem fieri, &c.

Respondeo, axioma istud, ut benè *Sanch. loc. cit.* solùm habere locum in casibus à jure expressis, ut est casus irregularitatis in casu dubii homicidii, in quo scilicet Summus Pontifex imposuit irregularitatem, ut in *d. cap. ad audientiam, & significasti.*

Dico quintò, cooperans in damnum alicujus, restituere tenetur, sivè cooperaverit jubendo, sivè consulendo, sivè consentiendo, sivè approbando, vel laudando, sivè recipiendo, vel assecurando; sivè, cùm tenetur loqui ex officio, non loquitur, sivè, cùm tenetur impedire, & non impedit, sivè qui tenetur manifestare, & non manifestat. Idque pendet ex illo generali Philosophorum axioma, quod est causa causæ, est causa causati, *S. Thom. 2. 2. qu. 62. ar. 7. Azor. p. 3. lib. 4. cap. 10.*

Rogabis utrum peccet mortaliter contrà justitiam, & teneatur ad restitutionem qui verum crimen, sed occultum, alteri objicit, & illud probat falsis testibus.

Respondetur, peccare mortaliter contrà Justitiam, & teneri ad restitutionem, ratio est, quia idem est alicui imponere falsum crimen, ac imponere verum, quod tamen est occultum, & nonnisi falsis testibus probari potest, sed imponens falsum crimen, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem damni illati, ergo etiam imponens verum, sed occultum, & non probabile, nisi falsis testibus: quia quod juridicè probari non potest, est juridicè falsum, *Molina de contractib. disput. 17. tract. 4. Menoch. de præsumpt. lib. 1. præs. 8. Filiucc. tract. 19. cap. 9. n. 248.* & ideò peccat mortaliter, qui falsis testibus recuperat rem sibi debitam in judicio, quia tamen non retinet rem alienam, ideò eam restituere non tenetur, *Navarr. in manuali, c. 25. nu. 23. ex quo.*

Infertur primò, eum, qui infert damnum consentienti, non teneri ad restitutionem, quia ei non fit injuria, *cap. scienti, de regulis juris in 6.* volenti enim, & scienti non fit injuria: quòd si quis consentiret tantùm involuntariè mixtè, putà cùm acciperet pecuniam ad usuras ab eo, qui non esset ei aliter pecuniam daturus, teneretur dans ad restitutionem; sic latro, qui à viatore pecuniam accipit, tenetur ad restitutionem, quia involuntariè datur ei. Ille verò qui alium consentientem absolutè occideret, non tenetur ad restitutionem. Idem adulter non tenetur ad restitutionem conjugi consentienti, *DD.* apud *Lessium lib. 2. cap. 27. dub. 3.*

Infertur secundò, mandantem, vel jubentem aliquod damnum fieri, teneri ad restitutionem damni secuti, quòd si posteà revocaverit mandatum, & ea revocatio mandatario manifestetur, ad nihil tenetur mandans. Idem dic de consulente, *DD.* apud *Reginald. lib. 10. nu. 108. Med. de restit. q. 7.*

Infertur tertiò, consulentem alicui, ut occideret aliquem, quem non occidisset sine tali consilio, teneri ad restitutionem, quia censetur causa efficax damni, cùm homicida ejus consilio motus sit ad occidendum. Sic dic de eo, qui consensit, vel consuluit, vel mandavit delictum, ad quod patrandum erat paratus absque suo consilio, quia non censetur causa efficax, non tamen tenetur restituere ille, qui parato hodiè occidere gladio, suadet occidere crastina die, vel qui parato occidere gladio, suadet occidere veneno: quòd si quis parato occidere, post aliquos dies, suadet occidere statim, tenetur ad restitutionem, tùm quia injustè patitur occisus damnum ob alterius consilium, quod re ipsa est causa mortis, tùm quia posset esse, ut homicida mutasset sententiam, & se ab homicidio abstinuisset. *DD. cit.*

Infertur quarto, causam inefficacem alicujus damni non obligari ad restitutionem, & ideò, qui alapam impingit Titio, ex quo Titius ægrè ferens percussionem ob impatientiam lapsus est in morbum, ex quo mortuus est, non obligatur ad restitutionem, quia mors non sequitur ex injusta actione, sed potiùs ex illa impatientia, ut infrà.

Infertur quintò, dantem consilium Caio ab alio, teneri ad restitutionem, nam ipse consulens est vera efficax causa damni illati, quòd verò alius dedisset consilium, nihil obstat, quia ipse alius contraxisset obligationem, quam nunc ille contraxit, *Less. lib. 2. cap. 13. dub. 2. cum aliis.*

Infertur sexto, cum eodem *Less. ubi suprà dub. 3. num. 19. Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 11. num. 15.* & aliis, non teneri ad restitutionem eum, qui suo consilio, vel alia ratione fuit causa minoris damni, quàm alioquin fuisset illatum, ut qui parato furari viginti, suasit furari decem, & parato occidere, solùm suasit percutere, quandò ab eo malo non poterat alia ratione delinquentem retrahere. Sic parato ad adulterandum, si consulam, ut simplicem fornicationem committat, cùm non possem alio medio retrahere, neque pecco, sicut nec peccat, qui parato occidere mulierem adulteram suadet, ut parere sinat, & posteà occidat; qui verò parato furari decem, suadet furari quindecim, ad quinque tantùm restituere tenetur, nam tenetur ad restituendum, in quo damnum intulit.

Infertur septimo, teneri ad restitutionem eum, qui furi parato accipere centum à Caio, suasit accipere quinquaginta à Titio, si de Titio non cogitaverat fur, quia est causa efficax damni illati, *DD. citati.* quòd si fur de utroque cogitaverat, & uni eorum firmiter statuerat damnum inferre, tunc suadens in genere minus malum, non peccat, *DD. cit.* immò si determinasset fur accipere ab utroque, & suadeam, ut ab uno accipiat, non pecco, quia suadeo minus malum.

Infertur

Infertur octavo, eum, qui consuluit alteri delictum facere, & ex tali consilio passus est consultus multa damna, non teneri ad restitutionem damnorum, quam passus est consultus, quia ut benè *Less. lib. 2. cap. 13. dub. 7. n. 55. Azorius par. 3. lib. 4. cap. 11. quæst. 6.* exequens tale consilium, debet sibi damnum imputare, cùm ei liberum esset sequi, & non sequi, tale consilium, ergo, ei non fit injuria, quia volenti, & scienti non fit injuria, *cap. nullus de regulis Juris in 6.* nisi tamen esset superior, qui id consuluisset, quia tunc, cùm subditi coactè quodammodò operari videantur, tenetur superior ad restituenda omnia damna, quæ passus est consultus ex tali consilio.

Infertur nono, consentientem in damnum alterius teneri ad restitutionem, & sic dans suffragium in mortem alterius injustè, tenetur ad restitutionem, quòd si major pars suffragiorum data sit, tunc, si quis dederit suffragium, non tenetur ad restitutionem, quia jam causa efficax erat, & ideò peccant quidem mortaliter dantes talia suffragia, sed non tenentur ad restitutionem, *DD. cit.*

Infertur decimo, eum, qui laudat malefactorem, & eum inducit ad inferendam alteri injuriam, teneri ad restitutionem, quia censetur efficax causa damni secuti; si laudat, sed non inducit, quia tunc, cùm non censeatur causa efficax, non tenetur ad restitutionem, *Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 3. & alii apud ipsum*, & sic ille, qui deridet aliquem, & vel eum vituperat, qui non furatur, vel non ulciscitur, tenetur ad restitutionem, si ex sua derisione moveatur delinquens ad furandum, & ulciscendum, quia censetur causa efficax damni, & sic exprobrans marito uxoris adulterium, tenetur ad restitutionem, si ex eo maritus occiderit adulterum; quia talis exprobratio censetur consilium inducens in mortem adulteri, *Navarrus.* & alii, quos sequitur *Filliucc. tract. 32. cap. 3. quæst. 9. num. 64.*

Infertur undecimo, eum, qui recepiat malefactorem, eique securitatem præbet ad patrandum delictum, vel ad non restituendum, teneri ad restitutionem, *Filliuccius lo. cit. quæst. 10.* quòd si fur se recipit in domum alterius causa vitandæ mortis, & res furtivas tradidit domino domûs, tenetur dominus domûs illas restituere vero domino, non manifestato fure, quòd si timeat dominus domûs sibi imputandum hoc furtum, tunc poterit eas tradere alicui Sacerdoti sub sigillo confessionis, ut eas vero domino restituat, *DD. citati*: qui verò solùm recipit, vel abscondit delinquentem nullo modo concurrendo ad delictum, non tenetur ad restitutionem, quia non est causa efficax damni.

Infertur duodecimo, participantem in opere malo voluntariè contrà justitiam, teneri ad restitutionem, & ideò ille, qui fuit particeps prædæ jam factæ, tenetur ad restitutionem pro parte sibi data, sic si plures in vineam ingressi damnum notabile dederunt, pro rata tenentur ad restitutionem, & sic comitantes furem, ostendentes iter absque justo metu, tenentur ad restitutionem illius damni, cujus causa fuerunt, *DD. ubi sup.*

Infertur decimotertio, Christianos captos à Turcis, navigantes metu mortis in triremibus Turcarum contrà Christianos, non solùm excusari ab excommunicatione in Bulla Cœnæ, sed etiam à peccato, & ab onere restituendi, nam adest metus, & rationabilis causa, *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 18. Filiuccius, & alii ubi suprà.*

Infertur decimoquarto, eum, qui alium læthaliter vulneratum ab alio, interficit, non teneri ad restitutionem totius damni, sed solùm prout mortem acceleraverit, quia solùm illius damni causa fuit, erit tamen irregularis, licèt mortem acceleraverit, non tamen tenetur ad restitutionem, *DD. ubi sup.*

Infertur decimoquinto, Custodes hortorum, vinearum, &c. qui non impediunt damna, ad quæ se obligarunt impedienda, teneri ad restitutionem: sic tutores, vel curatores, quandò negligentiam committunt in bonis pupilli, tenentur ad restitutionem. Patres verò, qui alimenta filiis denegant, non tenentur ad restitutionem, quia non violant justitiam, sed pietatem. Dominus verò tenebitur ad restitutionem ob alimenta denegata famulo, quem ex pacto alere tenetur, *DD. cit.*

Infertur decimosexto, quòd si fur tibi aliquid det, ne impedias ipsius furtum clamando, vel manifestando non teneberis ad restitutionem, si id facere non debebas ex officio, *Sotus de Justitia, & jure lib. 4. quæst. 7. art. 3. Navarrus cap. 17. n. 21. & sic Layman. lib. 4. Theolog. moral. sect. 5. tract. 2. cap. 50.* & alii apud ipsum docent, quòd, si aliquis ex domesticis furaretur res ex domo, non tenerentur ad restitutionem alii famuli, qui hoc vident, sed ille tantùm, cui est cura domus. Nisi fures extranei domum ingrediantur ad furandum, nam tunc ex justa ratione famulatus omnes tenentur ad restitutionem, quia tenentur omnes res Domini ab injuria externorum tuendas. Ex quo eodem principio testis, quamvis citatus ob denegatam testificationem, non tenetur de damno partis, quia non tenebatur ex officio bonum partis procurare vel ejus damnum impedire. *Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 8. num. 9. Tanderus in 2. 2. S. Thomæ disp. 4. q. 6. dub. 2. num. 79.*

Infertur decimoseptimo, ad quæstionem an teneatur confessarius ad restitutionem, si culpabiliter non obligavit pœnitentem ad restituendum. Respondetur enim contrà multos DD. ut est *Sylvester, Nugnus, Gabriel,* & alios non teneri ad restitutionem, licèt ex ignorantia vincibili non obligaverit pœnitentem ad restitutionem, ità docent *Bonacina de contractibus disput. 1. quæst. 2. pun. 11. num. 12. Ægidius Coninch. de Sacrament. disput. 8. dub. 17. num. 144. Bartholomæus à Sancto Fausto in speculo Confess. disp. 4. quæst. 121. num. 7. Filiuccius tom. 1. tract. 7. cap. 12. quæst. 7. num. 374.* & alii cum eis. Ratio est, quia Confessarius non tenetur ex officio, & ex justitia prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bono spirituali pœnitentis, cujus causam agit, ergo licèt confessarius pœnitentem non admonendo peccet contrà proprium officium; non tamen peccat contrà proprium officium per ordinem ad eos, quibus facienda est restitutio, sed per ordinem ad bonum spirituale pœnitentis.

Limitatur verò hæc doctrina, modò confessarius non dicat pœnitenti obligato restituere, ut non restituat, vel faciat restituere, cùm non teneatur, *DD. ubi suprà.*

Infertur decimooctavo, eum, qui impedivit aliquem sine vi, & fraude à consecutione alicujus boni, quod ei non debebatur ex justitia, non teneri ad restitutionem, etiamsi animo nocendi impediat. Ratio est, quia hic talis non violat justitiam, eo quia is, qui impeditur, non habebat jus, ità *DD.* apud *Lessium lib. 2. cap. 12. dub. 18.* & ideò non tenetur ad restitutionem, qui sine vi, vel fraude impedivit, ne Caius institueret Titium hæredem, vel legatum alteri non relinqueret, etiamsi oraverit, ut se ipsum hæredem institueret, vel amico legatum relinqueret: sic nec ad restitutionem tenetur ille, qui sine vi, vel fraude curavit testamentum factum mutari, & alium hæredem institui, vel aliquid sibi, vel amicis relinqui, sic nec tenetur ad restitutionem ille, qui

qui fecit, ut beneficium daretur digno, omisso digniori, quia dignus nullum habet jus ad beneficium, secùs verò, si procuravit, beneficium dari indigno, omisso digno, quia tunc tenetur ad restitutionem nedùm digno, qui habet jus in beneficiis, sed etiam Ecclesiæ, quæ damnum patitur, eo quòd non habeat idoneum ministrum, *Less. loc. cit.*

Infertur decimo nono, Advocatum, qui adhibuit eam diligentiam, quam cæteri boni Advocati adhibere consueverunt, non teneri ad restitutionem damni, quod Cliens patitur amittendo causam, quam non amisisset, si adhibuisset majorem diligentiam Advocatus. Idem dic de Medico, vel alio officiali, *Azorius par. 3. lib. 13. cap. 19. dub. 50. Less. lib. 2. cap. 7. dub. 7. n. 31.*

Infertur vigesimo, Advocatum consulentem alicui, ut faciat aliquid, & pro consultatione pretium recipientem, teneri ad restitutionem, si consultus damnum passus sit, secùs, si consilium datum sit ab idiota bona fide, sine dolo, vel fraude quia hoc casu non tenebitur consulens ad restitutionem, ut latè *Joannes Valer. in differ. utriusque fori in verb. restitutio differ. 13. nu. 2.* quòd si fraude, fingendo scilicet se imperitum, consilium dederit, tunc tenetur ad restitutionem, ut benè *DD. citati*, quia censetur causa damni per fraudem.

### *Explicatur Quid, & Quantum sit restituendum.*

UT hoc faciliùs intelligas, plures ponam conclusiones, quibus demonstratur clarissimè, quænam res restituendæ sunt, undè.

Dico primo, res aliena retenta, si extet, restituenda est, si verò non extet, restitui debet valor illius, *l. manifestè. ubi DD. C. de solut. Authen. hoc nisi, C. de solut.* immò tenetur debitor ad damna, quæ passus est creditor, *DD. citati.*

Rogabis, an qui damnum fecit in segetibus, exempli gratia, teneatur restituere quantùm valent segetes eo tunc, an verò quantùm valituræ erunt.

Respondetur, quantùm valent tunc arbitrio boni viri. Idem dic de eo, qui pullum equinum occidit, sic qui domum comburit, solùm quantùm valebat tempore combustionis, restituere tenetur, qua de re latè *Lessius lib. 2. cap. 12. nu. 19. Filliuccius tract. 32. cap. 10. quæst. 70.* Nobiles verò, qui differunt solutionem mercium mercatoribus, puta *Molina tom. 3. disput. 726.* non teneri ad restitutionem lucri cessantis; tùm quia verisimile est, non deesse mercatoribus aliam pecuniam ad negotiandum, tùm quia solent mercatores eas merces multò cariùs vendere propter illam expectationem.

Dico secundò, acceptum ab aliquo pro opere illicito faciendo; putà pro adulterio, homicidio, furto, & similibus, non esse restituendum post patratum opus, *Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 3. num. 18. Sanchez in summa lib. 2. cap. 38. nu. 96.* acceptum verò antè opus patratum, debet restitui, quia tenetur quis abstinere se ab opere malo: factum verò opus illud illicitum, cùm sit pretio extimabile, ratione periculi, laboris, vel damni, cui se exposuit exequens promissionem, consequenter non causat ex parte recipientis obligationem restituendi; & ideò, qui pro copula promisit fœminæ aliquid, tenetur ei illud dare, quia fœmina locavit corpus suum alteri, ex quo ille percepit voluptatem pretio extimabilem; ut docent *DD.* apud *Lessium lib. 2. cap. 14. dub. 8.* Non ignoro tamen, multos *DD.* probabiliter docere non teneri ad restitutionem ità *Durandus in 4. distinct. 39. quæst. 4. Palaus Comitulus lib. 3. responsorum moralium, quæst. 5. Joannes Valerus in differ. utriusque fori in verbo promissio differ. 8.* qui communiter docent, falsò supponi à contrariis *DD.* distingui usum corporis meretricis ab actu ipso peccaminoso; quamobrem non negabit doctus confessarius absolutionem scholari, qui rem habuit cum fœmina, si posteà nollet solvere mercedem consuetam, etiamsi eam dare promiserit, neque meretrix potest cogi ad restituendum; quod accepit, quia ut benè *Toletus lib. 2. cap. 21. & Valerus ubi suprà*, datio, & acceptio pro fornicatione, licèt actu sit mala, non tamen est contrà Justitiam. In Regno verò nostro decisum habemus, posse meretricem petere, quod sibi promissum fuit: *Gizzarellus decis. 54.* & de jure communi civili meretrici datum repeti non potest, *l. 4. §. sed, & quod meretrici, ff. de condict. ob turpem causam.*

Dico tertio, bona inventa, quorum Dominus ignoratur, restituenda sunt pauperibus, modò adhibita fuerit sufficiens diligentia in inveniendo Domino, pauperes verò, cui possunt dari, sunt, loca pia, Monasteria, Hospitalia pauperum, & carentes necessariis ad congruam sustentationem, sicut, & animæ Purgatorii nomine pauperum veniunt. Addit verò *Salonius 2. 2. quæst. 62. artic. 6. contr. 4. conclus. 1.* posse aliquid petere inventorem rei alienæ à directo domino. Poterit verò habens bona incerta, ea retinere titulo paupertatis, si non inveniat dominum, cum licentia tamen confessarii, nam non est deterioris conditionis aliis pauperibus, *Sanchez in summa lib. 6. cap. 11. num. 54.* quòd si habens tales res, applicavit eas pauperi adhibita sufficienti diligentia, postquàm invenerit dominum, tunc ipse ad nihil tenetur, immò neque pauper, cui res applicata fuerit, restituere tenetur domino comparenti; nam pauper acquisivit dominium rei sibi traditæ, *DD. cit.*

Dico quarto, bona derelicta conceduntur occupantibus, *§. alia sanè Institut. de rerum divisione*, & non sunt restituenda; undè non poterit sibi ovem retinere, qui eam è lupi faucibus eripuit, aut ex evidenti incendio extraxit, licèt possit pretium suæ industriæ exigere, *l. Pomponius, ff. de acqu. rerum domin.* Ea verò bona, quæ laicorum sunt morientium ab intestato, ad fiscum pertinent, non existentibus consanguineis, usque ad decimum gradum, *l. vacantia, C. de bonis vacantibus*, si verò talia bona sint Peregrini ab intestato mortui; tunc per Episcopum loci tradenda sunt hæredibus, vel distribuenda in pias causas, *Auth. omnes Peregrini, C. communia, de succession. Less. lib. 2. cap. 14. dub. 7. num. 49.*

Dico quinto, Thesaurus inventus in proprio fundo ad inventorem totus spectat; si in alieno fundo inveniatur data opera, totum pertinet ad dominum fundi, si verò fortuitò, dimidium ad Dominum fundi, & dimidium ad inventorem, *l. unica, C. de Thesaur. lib. 10. Less. cap. 6. dub. 12.*

Ampliatur primo, ut Thesaurus inventus in loco sacro, dimidium pertineat ad Dominum, vel Prælatum loci sacri, aliud dimidium ad inventorem; quòd si inventus sit *Thes. arte magica, totus spectat ad fiscum, d. l. 1. C. de Thes. lib. 10.* Intellige post sententiam Judicis, *Less. ubi sup.*

Ampliatur secundò, ut *Thesaurus inventus in fundo*, qui duos habet dominos, utilem scilicet, & directum, pertinet ad Dominos communes hoc modo, ut dimidium uni detur, alterum verò dimidium dividatur inter eos, undè inventor, qui est dominus; habebit tres partes, duas, ut inventor, Tertiam, ut dominus, & Quarta pars alteri condomino pertinet. Usufructuarius verò solum dimidium sibi retinebit, cùm non sit dominus: *Thesaurus* verò in fundo emphiteutico inventus, dividitur inter emphiteutam, & proprietarium, quoad illam partem, quæ pertinet domino fundi, *Filiuccius tract. 31. cap. 6. quæst. 10.*

Dico

Dico sextò, Lapilli, gemmæ, &c. inventa in littore maris occupanti conceduntur, *§. lapillorum Institut. de rerum divis.* ad quorum dominium acquirendum requiritur ultrà aspectum apprehensio, ideò venæ lapidum, & similium in fundo dotali inventæ, pertinent ad maritum, si jàm vena aperta erat, quandò datus in dotem fuit, *l. si fundus, ff. solut. matrimon.* si verò aperta fuerit posteà, tunc si id, quod percipitur, ex vena renascitur, ad maritum spectat, quia censetur fructus dotis, secùs, si non renascatur, *l. ultima, ff. de fundo dotali, l: divortio, §. si vir in fundo, ff. de sol. matrim.*

Dico septimò, Animalia fera, quæ sunt in bonis nullius, capienti conceduntur, quæ verò mansueta facta sunt, & habent consuetudinem volandi, & revolandi, pertinent ad proprios Dominos & ideò peccant, qui traducunt ad sua Columbaria alienas Columbas, dummodò non apposuerint, absque fraude bonos cibos ad nutriendas suas Columbas, cujus occasione alienæ alliciantur, & trahantur, quia tunc nullum erit peccatum, *Molina disp. 50. ex quo.*

Observa tamen, feram vulneratam à me, & posteà ab alio captam, pertinere ad capientem, si post vulnus liberè vagabatur, secùs, si non liberè vagabatur. Idem si fera meo laqueo capta, mea erit, si non possit ampliùs aufugere, secùs, si posset liberè aufugere, quia tunc capientis fit, *Lessius ubi suprà cap. 5. dub. 11.* Sic qui rete alienum de fluvio extraxit, & pisces abstulit, tenetur ad restitutionem piscium, si posteà illud rete extendit in eodem loco, & alios pisces cepit, *DD. citati.*

Dico octavò, teneri dominum etiam antè Judicis sententiam ad resarciendum damnum, quod sua culpa intulerant servi, vel animalia, *l. 2. ff. de noxalibus actionib. cap. si bos, cap. si culpa tua, cap. si læserit: de injuriis.*

Dico nonò, si debitor debeat aliquid sivè ex delicto, sivè non, & illud misit creditori, quod tamen culpa Nuntii, vel alia ratione perit, antequàm perveniat in posse creditoris, tenetur ad restitutionem, & ideò, si mutuò acceperit pecuniam à Caio Titius, quam posteà misit pro extinctione mutui, tenetur ad iterùm solvendum, *DD. citati.*

Rogabis primò, an possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus perceptos? Ut hoc faciliùs intelligatur suppono, fructus alios esse naturales, alios industriales, & alios mixtos, seù Civiles.

Fructus naturales sunt, qui ex sua natura nascuntur sine facto hominis, ut poma, glandes, herbæ, plantæ.

Fructus industriales sunt illi, qui non producuntur à natura, sed ab hominum industria, ut est pecunia per negotiationes, & cambia, acquisita. Sic frumentum, &c.

Fructus civiles dicuntur illi, qui partim ex re ipsa, partim ex hominum industria producuntur, ut sunt pensiones domorum, navium locatarum, merces, &c. *Covarr. 1. lib. var. cap. 3. Menoch. de recuperanda possess. remed. 15. n. 590.* His positis.

Respondeo primò, possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus industria perceptos ex re aliena, quia sunt fructus industriæ, non rei alienæ, & ideò benè docuit *Navarr. in manuali, cap. 17. nu. 15. & Ludovicus Lopez in Instruction. par. 1. cap. 101. Megala 2. 2. lib. 5. cap. 7. num. 85. Azoriuspar. 3. lib. 4. quæst. 3.* & alii, eum, qui torquem aureum furto accepit, si illum locavit, non obligari ad restitutionem pretii locationis, sic eum, qui mulum surripuit diviti, & locavit eum per spatium multorum annorum, non obligari ad restitutionem pretii locationis, sed tantum muli, docet *Lessius lib. 2. de Justitia, & jure cap. 12. dub. 17. num. 114.* qui putat cum aliis in duobus casibus posse confessarium sine ullo scrupulo non obligare pœnitentes ad restitutionem pretii locationis alicujus rei. Primò, quandò Dominus erat dives, qui tale pretium locationis non putaretur velle. Secundò, quandò res sit talis, quæ locari non solet, v. g. pecuniæ, vel aliæ res, quæ locantur ad ostentationem, quia tunc reputantur fructus extraordinariæ industriæ, *Malderus in 2. 2. S. Thom. tract. 4. c. 1. dub. 10.*

Respondetur secundò, possessorem bonæ fidei teneri in conscientia ad restitutionem fructuum perceptorum, tam naturalium, quàm civilium, *Menochius ubi suprà*, quòd si fructus jàm sint possessi per triennium bona fide, non sunt obnoxii restitutioni, quia sunt usucapti, *Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. num. 87.* Immò fructus perceptos antè elapsum triennium etiam præscriptos putant *Molina*, & alii quos sequitur *Sanchez ubi suprà nu. 92.* licèt id neget *Menochius ubi suprà num. 589.* Quæ opinio in puncto Juris vera est, nam cùm ad præscriptionem horum fructuum triennalis possessio requiratur, & hìc non habeamus possessionem triennalem, non possunt dici usucapti.

Respondetur tertio, possessorem bonæ fidei non teneri ad restituendos fructus, quos sua negligentia non percipit, *DD. ubi suprà*, nam non potest teneri ratione rei acceptæ, quia res non est apud ipsum, neque tenetur ratione contractûs, cùm nullum inierit cum domino contractum, neque tenetur ratione injustæ acceptationis, quæ nulla est: ergo.

Rogabis secundò, utrum fructus ex re aliena percepti, à possessore malæ fidei restituendi sint?

Respondetur primò, fructus tàm naturales, quàm Civiles tenetur restituere possessor malæ fidei, patet hoc à fortiori, nam si eos tenetur restituere possessor bonæ fidei, multò magis & possessor malæ fidei; fructus verò industriales non tenetur restituere, nam dependent ex sua industria, & in hoc à pari proceditur cum possessore bonæ fidei, *DD. cit.*

Respondetur secundo, possessorem malæ fidei teneri ad restitutionem fructuum, quos ipse non percepit, & Dominus rei percepisset: nam est causa efficax talis damni, & amissionis fructuum; sunt tamen ab hoc detrahendæ expensæ, quas dominus fecisset in iis fructibus percipiendis, & labores impensi circà fructus, *Abbas in cap. conquæstus de usuris, Filiucius tract. 32. cap. 4. quæst. 2. num. 89.* Ille verò, qui pro aliquo tempore fundum possedit bona fide, & posteà incipit mala fide possidere, pro eo tempore, quo est in mala fide, tenetur ad restitutionem, ut possessor malæ fidei; pro eo verò tempore, quo fuit in bona fide, tenetur, ut possessor bonæ fidei; *cap. si virgo 34. qu. 2. Sanch. ubi supr.*

An verò possessor malæ fidei restituere teneatur fructus, quos percepit ex re aliena, quam ipse meliorem effecit, sed dominus illam non effecisset, quæstio est, & licèt affirmativè respondeant multi apud *Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. num. 148.* tamen mihi magis placet opinio *Covarr. lib. 1. var. cap. 8. num. 4. Soti de Justitia, & jure, quest. 9. art. 3.* & aliorum apud ipsos, quòd non teneatur ad restitutionem, nam melioratio est furis, ergo ei fructificari debet.

Rogabis, an possessor, bonæ, vel malæ fidei, possit in restitutione rei alienæ detrahere expensas, & valorem industriæ, ac laboris, quem apposuit?

Ad intelligentiam suppono, expensas alias esse necessarias, alias utiles, alias voluntarias.

Necessariæ sunt, quæ nisi fierent, res periret, vel fieret deterior.

Expensæ utiles sunt, quæ conducunt ad majorem rei utilitatem, & extimationem, quam anteà res non habebat.

Expensæ voluntariæ dicuntur esse expensæ pertinentes ad ornatum, ut sunt viridaria, picturæ, &c. His positis.

Respondetur primò, esse in foro conscientiæ restituendas omnes expensas, tam necessarias, quàm utiles, quia non passus est Dominus damnum per has expensas, sed est effectus ditior, *Rebell. lib. 2. qu. 8. nu. 3. Less. lib. 2. cap. 12. dub. 17. nu. 111.*

Respondetur secundo, expensas voluntarias posse deduci, quatenùs res plus valet ob eas expensas, nisi fortè voluerit eas auferre possessor: licèt in foro civili non possit possessor malæ fidei repetere expensas utiles, vel voluntarias in pœnam delicti *l. domum. C. de rei vendic.* licèt possit eas destruere.

*Explicatur, cui facienda sit restitutio.*

QUia suprà visum est, quid sit restitutio, ex quo capite oriatur, qui teneatur ad restitutionem, quid,& quantum restituendum sit: operæ pretium erat videre, cuinam restituendum sit, quod ablatum est, ideò.

Dico primò, semper res restituenda est ei, à quo ablata fuit, ut si res deposita penès Franciscum, quæ erat Caii, ablata sit à Francisco, ei restituenda est, nam ei fuit injuria facta; ergo, ei rem tenetur unà cum lucro cessante, & damno emergente restituere, ut servetur æqualitas; quòd si quis à fure rem sustulerit, non ei, sed domino restituere tenetur, quia ei debet res restitui, qui vel est Dominus, vel habet Jus in re, sed nihil tale est in fure, ergo *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 62. ar. 5.* ex quo id colligunt *DD.* apud *Filiuccium tract. 32. cap. 4. quæst. 58.* qui etiam addunt, quòd si dubitetur, an is, à quo res sublata sit, verus sit dominus, necne, tunc ei restitui debet, cùm sit melior conditio ejus, qui proximè possidebat.

Dico secundò, bonæ fidei possessor, qui rem alienam bona fide emit, aut alio oneroso titulo accepit, si cognoverit, rem esse alienam, non tenetur eam domino restituere, sed rescisso contractu potest ei restituere, à quo emit bona fide, ut possit pretium recuperare, *Toletus lib. 3. cap. 17. nu. 12. Less. lib. 2. cap. 14. dub. 3.* rationem assignant, quia tenetur unusquisque suo bono etiam prospicere, quod certè non esset, nisi ità diceremus.

Limitatur conclusio, quandò res gratis à possessore bonæ fidei fuisset acquisita, quam ei tradidit fur, hoc enim casu vero domino comperto, ei, non furi tenetur restituere, *DD. citati,* nisi certò sciat rem restituendam esse Domino à jure: Ideò mulio rem accipiens asportandam, sciens esse furtivam, vero domino restituere tenetur, licèt sciverit, amissurum mercedem locationis.

Rogabis: emit Titius equum furtivum à Sempronio bona fide, eumque vendidit Caio, qui Caius comperto Domino equum restituit, an Titius teneatur dare pretium equi Caio, quod ab ipso accepit?

Respondeo, distinguendo duos casus.

Primus est, quandò Caius restituit equum potens admonere Titium: & hoc casu non tenetur Titius dare pretium, quia poterat Titius suum recuperare pretium à Sempronio, quòd si non potuisset pretium recuperare, licèt non præcesserit monitio, adhuc debet dari pretium à Titio, quia non est Caius Titio, causa damni.

Secundus est casus, quandò restituit equum non potens admonere Titium, vel si poterat, videbat eum non esse pretium à Sempronio consecuturum, & hoc casu tenetur Caio dare pretium: exornat hunc casum *Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. num. 22. & Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 5.*

Adverte tandem, quòd si ego Conduxi à Caio domum centum nummis aureis: & locavi Titio eodem pretio, poterit Titius tuta conscientia Caio solvere pensionem, *Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 5.* nam ex hoc nullum mihi infertur damnum, sed utiliter geritur negotium meum.

Rogabis secundò, ubinàm sit facienda restitutio?

Respondeo, distinguendo tres casus.

Primus est, quandò quis bona fide possidebat, & postmodùm in mala fide positus restituere debet, & tunc debet restituere eo loco, in quo res est tunc temporis, quo aliena cognoscitur, & sic si emi equum hìc Neapoli, & posteà cognovi, eum esse Civis Panormitani, teneor hìc restituere, non Panormi.

Secundus casus est, quandò quis mala fide possedit, & tunc propriis expensis restituere tenetur eo loco, ubi dominus rem suam possessurus erat: quòd si dominus mutaverit domicilium, tunc possessor malæ fidei poterit detrahere expensas, quas dominus, qui mutavit domicilium, fecisset in asportandis rebus suis in mutatione domicilii.

Tertius casus est, quandò restitutio oritur ex contractu certo, celebrato in aliquo loco certo, & tunc restitui debet res, ubi contractus celebratus est, nisi aliud expressum sit. *Filiuccius tract. 32. quæst. 10. num. 112.*

Rogabis tertio, quo tempore debeat fieri restitutio?

Respondeo. statim ac commodè eam facere potest quis, nisi dilationem obtineat à Creditore. *S. Thomas 2. 2. qu. 61. art. 8. Azorius par. 3. lib. 4. cap. 14.* Particula verò statim, non debet intelligi mathematicè, sed moraliter, & sic, si quis in lecto existens, vel ad mensam, aut ad Missam præsens recordetur, se debere rem alienam restituere, non tenetur Missam, mensam, aut lectum deserere, ut restituat, sicut è contrà, qui habens opportunitatem restituendi, non restituit, tenetur ad damnum, quod ex dilatione resultat, & est in peccato mortali, quòusque non restituat, nisi excusetur ratione parvitatis materiæ. & ideò non potest Confessarius absolvere pœnitentem, qui, cùm posset commodè restituere, intendit restitutionem differre usque ad mortem aut illam in testamento imponere faciendam à suis hæredibus, etsi in articulo mortis possit facere restitutionem commodè, & eam mandet per hæredes fieri, neque absolvi poterit, nisi tamen mandet eam fieri per hæredes justà aliquà causà, ut ratione scandali, vel infamiæ evitandæ. *Bonacina de restitut. disp. 1. quæst. 6. in fine nu. 15.*

Ex quo infertur, Confessarium non posse eum absolvere, qui potens restituere in totum, vult solùm restituere in partem ob aliquod emolumentum sibi proveniens. Ratio est, quia eo ipso, quòd non vult restituere, nisi per partes cùm teneatur, & possit totum restituere, verè consentit in detentionem rei alienæ id est illius residui, ratione cujus manet in peccato, ergo incapax est absolutionis. ità docent *Salonius 2. 2. quæst. 62. artic. 8. Medina de restitutione, quæst. 4. dub. 3. Sotus de Justitia, & jure lib. 4. quæst. 7. artic. 4. Molina de Justitia, & jure tract. 20. dispur. 756. Bonacina ubi suprà num. 16. Diana tract. 6. miscell. resol. 5.*

Rogabis quartò, quo ordine sit facienda restitutio?

Respondetur, quòd primò tenetur restituere principalis exequens. Secundò, in defectum principalis tenetur consulens, & mandans. Tertiò, post consulentem, & mandantem, tenetur principaliter receptator. Quartò, post receptatorem tenetur non impediens, & non manifestans damnum, cùm id facere teneretur. *S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 7. ad 2. Bonacina loc. cit. quæst. 8. punct. 1. num. 9.*

Adverte tamen, quòd omnes istæ causæ, puta consentiens, receptans &c. ità se habent, ut una solvente in totum, alia maneat libera, una verò solvente pro parte, reliquæ teneantur suam partem contribuere, juxtà

juxtà ratam cooperationis ad damnum, *DD. citati.* Sic principali restituente, ad nihilum aliæ causæ tenentur; quòd si causa minùs principalis restituat, non tenebitur causa principalis restituere, sed solùm tenetur facere indemnem illum, qui restituit.

Rogabis quinto, quid si plures teneantur restituere, & Dominus uni remisit obligationem restituendi, an alii teneantur restituere?

Respondeo, distinguendo duos casus.

Primus est, quandò illi plures se habent inter se ut causa minùs principalis, & principalis, & hoc casu, si Dominus remisit obligationem causæ minùs principali, adhuc tenetur principalis ad restitutionem, secùs, si obligationem remisit principali, quia tunc non tenetur minùs principalis restituere, nam principalis tenetur per se restituere, alii verò per accidens.

Secundus casus est, quandò plures tenentur æqualiter restituere, & tunc, si pars læsa uni remittat obligationem; cæteri tenentur restituere residuum.

Adde quòd, si pars læsa remittat obligationem uni, qui minùs principaliter debebat; poterit is, cui remissa fuit obligatio, ire contrà principalem ad repetendum id, quod à creditore fuit remissum, dummodò creditor cesserit ei omnem actionem: ratio est, quia succedit in locum creditoris: quòd si actionem non cesserit, non poterit id facere, videas *DD. citatos.*

Rogabis sexto, quomodò sit facienda restitutio, quandò bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum creditoribus? Ut hoc faciliùs intelligas.

Suppono primo, creditores alios dici reales habentes jus in re, quos hypothecarios appellamus, alios dici personales, habentes solùm jus in personam, & ideò personales vocantur.

Suppono secundo, hypothecam dici securitatem rei pro debito: undè quandò alicui assignatur res pro securitate crediti, tunc appellatur hypotheca, quòd si res fuerit mobilis, appellatur pignus à pugno.

Suppono tertio, hanc hypothecam dividi, ut alia sit Generalis, alia Specialis. Generalis est, quandò obligantur omnia bona debitoris pro securitate: Specialis, quandò res aliqua certa, & particularis obligatur.

Secundo, hypotheca dividitur, quòd alia sit tacita, alia expressa, tacita est, quæ à jure imponitur absque partium conventione, ut est hypotheca dotis, ratione cujus mariti bona obligata censentur, sic hypotheca tacita est in bonis, qui contrahit cum fisco, *l. 2. C. in quibus causis pignus vel hypotheca tacitè contrahatur*, *l. assiduis, C. qui potiores in pignore habeantur.*

Tertio, in bonis ministrorum Ecclesiæ, quæ sunt hypothecata pro mala administratione, *cap. ex literis de pignor.*

Quarto, in bonis Patris administrantis bona filii, *l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberas.*

Quinto, in rebus invectis in domum conductam, *l. 2. C. in quibus causis pignus*, vel hypotheca tacitè contrahatur, *§. item Serviana Institut. de action.*

Sexto, in bonis tutoris, & Curatoris habent pupilli hypothecam tacitam pro administratione, *l. pro officio, C. de administr. tutor.* Septimo in re empta ex pecunia pupilli, vel minoris, quæ manet obligata pro pretio, *l. si tutor, C. de servo pignori dato.* Octavo in bonis defuncti pro legatis, *l. 1. C. communia de legatis, Negus de pignorib. parte 3. memb. 2.*

Hypotheca expressa est illa, quæ apponitur ex conventione partium verbo, aut scriptis. His positis.

Dico primo, qui rem habet alienam, primo loco eam restituere debet, licèt alia debita habeat, eo verò casu, quo Titius habet tres creditores, & ab uno eorum emit rem, quam habet, nec potest omnibus satisfacere, tunc tenetur præferre creditorem, qui sibi vendidit rem, *Azorius par. 3. lib. 4. cap. 36.* nam videtur irrationabile, ut res vendita nondùm tradito pretio, tradatur extraneo relicto venditore.

Dico secundo: habens multa debita, quorum aliqua sint certa, alia verò incerta, debet priùs certis, quàm incertis satisfacere, nam id jus naturale persuadet, ex quo personæ determinatæ non debent ità damnum pati, cùm jam certò sciantur, ac personæ indeterminatæ. Dicuntur verò debita certa illa, quorum domini sciuntur, incerta verò, quorum domini ignorantur, *Bonacina quæst. 8. pun. 2. num. 9.*

Dico tertio: habens plura debita, quorum aliqua sint ex delicto, alia verò ex contractu licito, non tenetur priùs satisfacere debito ex delicto, quàm ex contractu, vel è contrà, sed unicuique pro rata: ità docent *DD. citati contrà Navarrum, & Cajetanum*, dicentes, priùs esse restituenda debita ex contractu, quàm ex delicto, & contrà Medinam, & alios dicentes, priùs esse solvenda debita ex delicto, quàm contractu.

Probatur conclusio, quia bona debitoris non sunt magis obligata creditori ex delicto, quàm ex contractu, ergò nullus est præferendus, sed pro rata concurrere debent.

Dico quarto, quotiès quis habet plura debita, quorum aliqua sunt ex contractu oneroso, alia ex gratuito, tenetur priùs satisfacere debitis ex contractu oneroso, quàm gratuito; Ideò si debeam Titio centum ex contractu emptionis, & Caio censum ex donatione, quia scilicet ei donavi, & non possum utrique dare, teneor ei censum dare, qui causam habet ex contractu oneroso, scilicet Titio, nam regula est, ut in promissione gratuita semper intelligatur illa conditio, si scilicet rerum status non mutetur: sed quandò non est solvendo, rerum status jam est mutatus: ergò, & ideò, si bona testatoris non sufficiunt pro creditoribus, & legatariis, priùs creditoribus, quàm legatariis debemus satisfacere, *DD. citati.*

Concurrentibus creditoribus hæredis & legatariis, priùs debet satisfacere hæres legatariis, quibus bona testatoris sunt tacitè obligata *d. l. 2. C. communia de legatis*, quàm suis creditoribus, nisi isti essent creditores, qui creditum contraxissent intuitu hæreditatis, puta pro faciendo inventario vel funere defuncti, *Sylvestr. in verbo restitutio num. 6. quæst. 6.*

Dico quintò, quotiès quis habet plures creditores, quorum aliqui sunt reales, habentes hypothecam, alii personales, tunc priùs satisfacere dedet creditoribus habentibus hypothecam, quàm creditoribus personalibus, *l. eos C. qui potiores in pignore habeantur.*

Si verò concurrunt plures creditores omnes habentes hypothecam, & res non sufficiat omnibus, tunc priùs solvendum est ei, qui priorem, & antiquiorem habet hypothecam, nam regula est in Jure, quòd qui prior est in tempore, prior est in jure, idque verum est, etiamsi prior hypotheca sit tantùm generalis, vel tacita, posterior verò specialis & expressa, *Covarr. lib. 3. variar. cap. 7. num. 20.*

Limitatur verò prædicta doctrina in pluribus casibus, in quibus posterior tempore, præfertur priori habenti hypothecam, & id.

Primo est, quandò quis pecuniam mutuavit ad reparandam domum, vel navim, vel rem aliam similem hypothecatam, quia hic secundus præfertur

cæteris creditoribus, etiamsi habeat hypothecam expressam & specialem in illa domo, vel navi, *l. 5. ff. qui potior. in pignor. habeantur.*

Secundò, quandò quis pecuniam mutuavit ad rem aliquam emendam, quo casu potiùs ei satisfacere debet debitor, quàm alteri.

Tertio, quandò mutuavi pecuniam pro vectura mercium, vel pro ædium conductione, in quibus merces custodiuntur, quia tunc mihi priùs ex illis mercibus satisfaciendum est, *l. 6. C. qui, potior. in pign. hab.*

Quarto, quandò esset quis creditor posterior ex causa dotis, ut uxor, vel filii, quia tunc præfertur omnibus creditoribus, habentibus tacitas hypothecas priores, *l. Assiduis C. qui potior. in pign. hab.* alii verò creditoribus, habentibus hypothecam expressam anteriorem non præfertur, sic decisum in S. C. refert *Gizzarellus dec.* 1. multos alios casus legas apud *Lessium lib. 2. cap. 15. dub. 4. Azorium lib. 7. cap. 13.*

Dico sexto, in Creditoribus personalibus nullus servatur ordo, sed omnibus pro rata satisfacere tenetur debitor, *Lessius ubi suprà*; nam illa regula, quæ habet, quòd prior in tempore, est potior in jure, non habet locum, quandò sumus in creditoribus personalibus, *DD. ubi suprà.*

Hoc verò limitatur primo, in eo, qui fecit moderatas impensas ad sepulturam debitoris, aut alterius, quem debitor sepelire tenebatur, quia hic creditor præfertur aliis creditoribus habentibus tacitas, vel expressas hypothecas in bonis defuncti, *l. penul. ff. de reliquiis, & sumptib. funer. l. 2. ff. de privil. credit.* etiamsi bona hæreditaria non sufficiant, *Diana par. 7. tract. 3. resol. 116.*

Secundo, qui deposuit pecuniam penès nummularium præfertur aliis creditoribus habentibus solùm actiones personales.

Tertio, Sponsa de futuro, quæ tradidit, dotem sponso, & matrimonium non fuit effectuatum, licèt non præferatur aliis creditoribus habentibus hypothecas, præfertur tamen habentibus actiones personales, *d. l. eos, C. qui potior. in pign. hab. l. 2. §. ultim.* cum duobus sequentibus, *C. de privileg. credit.*

Quarto Pupillus in bonis tutoris, vel curatoris præfertur omnibus, id quod non habet locum in successore pupilli, quia tale privilegium est personale, qua de re *Molina disp. 536. cum aliis.*

Dico septimo, quandò debitor habet plures creditores, quorum aliqui sunt pauperes, alii verò non, tunc non poterit satisfacere pauperibus posterioribus, relictis anterioribus divitibus, nisi pauperes creditores essent in gravi, vel extrema necessitate. Ratio primi est, quia omnes creditores habent æquale jus in debitorem: ratio secundi est, quia quandò creditores sunt in gravi, vel extrema necessitate; tunc adest in debitore obligatio justitiæ, & charitatis, ut benè *Bonacina disp. 1. de contract. quæst. 8. par. 2. num. 24.*

Dico octavo, ille, qui accipit rem, sciens illum, qui ei eam dat, dare in fraudem creditorum, teneri ad restitutionem, quia cooperatus est actioni injustæ cum damno creditorum: si verò id ignoranter acceperit tunc ex nullo capite restituere tenetur. Immò putant multi, quos sequitur *Filiuccius tract. 34. num. 128. & tract. 35. cap. 8. quæst. 9. num. 202.* eum, qui accepit titulo oneroso, vel gratuito, non teneri ad restitutionem, etiamsi noverit tradentem fieri impotentem ad solvendum, dummodò ipse non induxerit ad donandum, vel tradendum, quæ opinio probabilissima est.

Dico nono, Debitor, qui non est solvendo creditoribus, peccat contrà Justitiam, & tenetur ad restitutionem damni, quandò non est solvendo, & ei relinquitur legatum, vel hæreditas, ex qua possit solvere, ut sic fuisse decisum in Collegio Pœnitentiaria, docet *Filiuccius tract. 32. cap. 5. quæst. 30. num. 139.* ratio est, quia tenetur sumere media ad satisfaciendum, sed non accipit, cùm possit accipere, ergo peccat mortaliter. & tenetur ad restitutionem damni, in foro tamen externo repudiatio valet, *l. qui autem. ff. quæ in fraudem Credit. l. non fraudatur, 77. ff. de regul. Juris.*

*Explicatur ex quibus causis excusetur quis à restitutione.*

PRima causa excusans à restitutione, est condonatio, vel remissio facta à creditore debitori, modò liberè facta sit. Ratio est, quia ideò est facienda restitutio, ne fiat injuria creditori, sed hoc casu per remissionem non fieret injuria ergo, &c.

Ampliatur etiam in compositione, puta si debitor composuerit se cum creditore ratione inopiæ, & ex quinquaginta dat 30. nam si pervenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur aliquid restituere; modò compositio sit facta sine dolo, fraude, vel metu.

Secunda causa excusans à restitutione, est compensatio facta à creditore, quia tunc debitor restituere non tenetur; nam etiam per compensationem tollitur inæqualitas inter debitorem, & Creditorem, ut autem fieri possit à Creditore compensatio, requiruntur aliqua, Primo ut debitum sit certum, undè dubitans de suo debito non potest compensare, secundo ut non plus accipiatur, quàm debeatur, plus enim accipiens furtum committit. Tertio requiritur, ut debitum sit actu, non in potentia; verùm, si fortè creditor non habet spem recuperandi rem suam tempore præfixo, poterit compensationem antè tempus præfixum facere, *Tannerus 2. 2. disput. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 406.* Quarto, ut admoneat debitorem vel hæredes, jam debitum esse solutum ne bis solvant: ità *Bonacina de contract. disput. 1. quæst. ultim. par. 2. nu. 18.* qui addit, Quinto, ut debitor non possit alio modo rem consequi, nam si posset quis rem sibi debitam & sublatam, per Judicem consequi, non debet fieri compensatio. Verùm hæc quinta conditio non requiritur secundùm multos, & ideò quandò ex occulta compensatione non oritur scandalum neque turbatur Respublica, potest quis eam facere, licèt Judicem adire posset, quem non adit, nam hoc casu non agitur de novo acquirendo, sed de retinendo proprio; ità *Joannes Valerus de differentiis utriusque fori in verb. compensatio diff. 3. num. 2. Malderus 2. 2. tract. 4. tract. 1. dub. 6. Villalobos in summa tom. 3. tract. 11. dubit. 23. num. 9.* & alii apud eos.

Septimo additur ab aliis, quòd ad hoc, ut fieri possit compensatio, opus est, ut res, ex qua fit privata compensatio, non sit depositum, ità docent ex *cap. bona fides depositio Covarr. in cap. quamvis pactum par. 1. §. 4. num. 9. Jason in §. bonæ fidei num 72. Institut. de actionib.* & alii, verùm hæc septima conditio non est necessaria, ut benè docent *Navarrus lib. 3. cap. 2. num. 389. Tanderus 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 406.* & alii. Ratio est, quia *text. in d. cap. bona fides*, procedit etiam in foro externo, & quandò aliter obtineri posset compensatio, secùs in foro conscientiæ, quia nulla injuria, vel injustitia fit deponenti, sed vis vi repellitur, nam aliter meum debitum recuperare non possum, vim enim rebus meis facit, qui eas injustè retinet, *Diana tract. 16. resol. 48*

An verò compensatio possit fieri in foro conscientiæ,

tiæ, si adsint creditores anteriores. Respondent affirmativè DD. apud *Dianam par. 5. tract. 1. miscell. resol. 79.* qui etiam docet, creditorem non ligari monitorio sub pœna excommunicationis restitutionem inducente, si sciat, esse alios anteriores in bonis sui debitoris, quia Judex Ecclesiasticus solùm intendit obligare ad restituendum eum, qui non potest retinere rem sine peccato Idem. *Diana par. 3. tract. 4. resol. 10. & in addit. resol.* 8. *Theophilus Raynaudus de monitoriis par. 1. cap. 2. quæst. 6.*

Octavo additur ab aliis ad hoc, ut fiat compensatio, quòd res sit ejusdem rationis cum re debita, quia quæ sunt diversæ rationis parte invita compensari non possunt, ut v. g. equus, & pecunia, vestis, & torques compensari nequeunt, ita docet *Sylvius in 2. 2. quæst. 62. art. 8. quæst. 1. concl. 7. causa 5.* & alii, qui tamen apertè falluntur: nam ut benè *Bonacina ut suprà.* Id solùm procedit in foro externo, non in foro conscientiæ, in quo benè potest fieri compensatio in debitis diversæ rationis, & sic, si debes mihi pallium, ego verò tibi debeam mulam, vel pecuniam, quia invicem commodavimus, te nolente pallium reddere, possum mulam retinere, *Valerus loc. cit.*

Adverte posse fieri compensationem etiam in delictis posito quòd commissa sint, undè si Titius, & Caius se injuriis affecerunt, poterunt uti compensatione, ità ut nec Titius Caio restituere teneatur nolente Caio famam restituere, sic infamatus poterit compensationem facere in pecunia, aut alia re pecunia extimabili, nolente infamatore famam restituere, *DD. citati.*

Secunda causa excusans à restitutione, est secundùm aliquos ingressus religionis; ità videtur sentire *S. Thom. 2. 2. quæst. ultim. ar. 6. ad 3. ubi Cajetanus, Paludanus in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 3. concl. 3. Angelus in verb. religiosus §. 16. Sylvester in verb. Religio* & alii. Ratio est, quia liber homo non obligatur, quoad personam suam, sed tantùm, quoad bona, ergo cedendo bonis, libera remanebit persona, sed per ingressum religionis cedit quodam modo bonis, ergo.

Verùm contrarium dicendum est, scilicet non liberari ab obligatione: ratio est quia solutio debiti est juris naturalis, ità docent *Navarrus de regular. nu. 8. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 7. Molina tom. 3. disp. 757. & alii.*

*Azorius autem 1. par. lib. 12. cap. 1. quæst. 5. Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 8. Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 19. num.* 8. & alii meliùs distinguunt duos casus.

Primus est, quandò quis brevi tempore in sæculo manendo, posset probabiliter tantùm lucrari, ut debita sua vel integrè, vel in magna parte solvere posset, & tunc teneretur ad hoc.

Secundus casus, quandò, ut debita solveret opus esset manere in sæculo longo tempore, & hoc casu non esset adstrictus ad expectandum in sæculo, sed posset religionem ingredi statim, tempus verò breve, quod expectandum esset hoc casu esset tempus duorum annorum.

Adverte tamen primò, quòd si post ingressum religionis, hæreditatem, legatum, vel aliquid aliud religiosus acquirit, tenetur Monasterium illius debita solvere, non tamen tenetur religiosus ad laborandum in Monasterio pro solvendis debitis, ut benè *Sanch. ubi suprà num. 4. Paludanus, Angelus, & Sylvester*, quidquid in contrarium dixerint alii.

Adverte secundò, regulares non debere ad Religionem aliquem admittere, qui gravatus est ære alieno, ut determinavit Pius V. anno 1587. Et Clemens VIII. anno 1602. verùm, si admittant, professio valet, & determinavit Clemens VIII. moderando motum Pii V. ex quo professio erat invalida, qui tamen motus non extenditur ad Moniales, & ad eos, qui non magno ære gravantur nec ad eos tandem extenditur, qui ad impotentiam solvendi creditoribus pervenerunt absque sua culpa; nam S. P. Pius V. videtur supponere culpam, per illa verba, *multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, &c.* legas *Sanchez de summa lib. 4. cap. 19. Bonacinam de contractib. disp. 1. quæst. ultim. parte 2. num.* 8.

Tertia causa excusans à restitutione, est præscriptio, id est acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore à lege definito: sic enim definit præscriptionem Jurisconsultus. *in l. 1. ff. de usucapionib.*

Ut autem præscriptio locum habeat, requiritur primo continuata possessio nomine proprio facta, undè possidens multo tempore rem depositam, vel sibi commodatam, non facit usucapionem, quia non possidet proprio sed alieno nomine: sic usufructuarius alicujus rei proprietatem præscribere non potest, quia non proprio nomine possidet. Secundò requiritur, ut res possideri, & possidens possidere possit. Ideò laicus possidens res Ecclesiasticas, eas non præscribit, *cap. causam de præscriptionib.* sic homo liber præscribi non potest, ità ut fiat servus, Item non potest præscribi res ex furto, rapina, vel usura acquisita, *§. furtivæ Institut. de usucap. l. non solùm, ff. de usucap.* Ille verò, qui rem furtivam bona fide emit, vel accepit, spatio 30. annorum præscribere potest eam, *Azorius par. 3. lib. 1. cap. 20. quæst.* 8. tempore verò consueto præscribere poterit fructus rei furtivæ; licèt rem ipsam præscribere non poterit, *Filiuccius tract. 31. cap.* 8. *q.* 2. *num.* 207.

Addunt alii, res prohibitas alienari, non posse præscribi, sic res mobiles pretiosæ non possunt triennio usucapi, fundus dotalis nec præscribi potest, nisi præscriptio illius cœperit antequàm fieret dotalis, sic res pupilli præscribi non possunt, nisi esset in cœpta antè pupillarem ætatem, nam tempore pupillaris ætatis præscriptio dormit, *l. sicut in rem, C. de præscrip. 30. annorum. Azorius par. 3. lib. 1. cap. 22. q. 9.*

Tertio requiritur bona fides ad hoc, ut procedat usucapio, seù præscriptio, *cap. possessor. de regul. Juris in 6. cap. fin. de præscription. cap. vigilanti eodem tit.* quandò autem præsumatur mala fides, legas *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. cent. 2. casu* 225. ubi enumerat quatuordecim modos, quibus præsumitur quis in mala fide. Videas etiam *Mascardum de probation. tom. 2. concl.* 1377. *& conclus.* 785.

Ex quo infertur primo, debitorem, qui triginta annis elapsis, debitum non solvit, non posse illud præscribere, quia non dicitur habere bonam fidem; quòd si triginta annis non solverit, & existimaverit bona fide, debitum solutum esse, tunc præscribere poterit, *l. sicut in rem C. de præscript. 30. vel 40. annorum. Bellonus in decis. Rota Genuensis dec.* 203.

Infertur secundo, interrumpi præscriptionem per supervenientiam malæ fidei, quandò quis incœpit possidere bona fide, & posteà supervenit mala fides, vel contestatur lis coràm competenti Judice; nam tunc incipit habere malam fidem, *DD. in l. naturaliter, ff. de usucapion.*

Infertur tertio, ignorantiam juris clari impedire præscriptionem, putà si quis accipit rem ab usurario, ignorans etiam inculpabiliter, usurarium res usuris acquisitas non posse alienare, sed restituere debere, non potest eas præscribere; sic accipiens rem à religioso, ignorans, religiosum non posse res alienare, non potest eas præscribere, *l. Juris, ff. de*

*Juris*, *& facti ignorantia*, *l. nunquàm*, *ff. de usucapion.* error enim, & ignorantia Juris usucapionem impedit, poterit tamen hoc casu præscribere quis fructus rei, *l. bonæ fidei emptor*, *ff. de acqui. rer. domin. Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. nu. 167.* Nam ignorantia circà fructus, videtur ignorantia facti, cùm putet possessor, se fructus ex re sua percipere.

Ignorantia autem veri dubii prodest ad præscribendum, undè accipiens aliquid ex contractu, de quo est dubium inter *DD.* an sit licitus, potest præscribere, *Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 130.*

Ignorantia tandem facti præscriptionem non impedit, undè emens à Prælato, credens capitulum consensisse, potest præscribere, quia est ignorantia facti, *l. nunquàm*, *ff. de usucapion*, sic emens à minore, quem credebat majorem, potest præscribere rem emptam, quia habet ignorantiam facti.

Infertur quartò, dubitantem rem esse suam non posse præscribere, si dubitet à principio, secùs si post possessionem bona fide inchoatam dubitare incipiat, quia primo casu dubium accedit malæ fidei, secundo casu bonam fidem non tollit, dummodò diligentiam adhibeat ad Inquirendum, an sit aliena.

Infertur quinto, successorem universalem, putà hæredem, non posse præscribere rem, quam defunctus mala fide possedit, quamvis ipse hæres bona fide eam possideat. Ratio est, quia hæres, & defunctus censentur una persona, *§. 1. Authen. de jurejurando à mor. præst.* quòd si successor sit particularis, putà emptor vel legatarius poterit præscribere non quidem res immobiles, quia obstat *tex. in Authen. malæ fidei*, *C. de præscription. longi temporis*, sed res mobiles, vel fructus rerum immobilium. *Menochius de recuper. possess. remedio 15. num. 621.* Alii verò putant, posse etiam præscibere res immobiles, quandò intercessit spatium 30. vel 40. annorum, *Azorius par. 3. lib. 1. cap. 18. quæst. cum aliis.*

Quartò, requiritur in præscriptione titulus, quo scilicet accipiat quis rem ab aliquo, vel emptionis, vel donationis, vel permutationis causa, qui titulus cum possessione conjunctus facit usucapionem, modò simul adsit bona fides, *cap. vigilantis de præscript. l. 1. ff. de usucapion.*

Quinto requiritur tempus à lege definitum, id est, ut præscribantur res immobiles, aut jura, & servitutes, requiritur contrà privatas personas spatium decem annorum inter præsentes, & 20. annórum inter absentes, contrà verò rem immobilem Ecclesiæ requiritur spatium quadraginta annorum, dummodò non sit Ecclesia Romana tam inter præsentes, quàm inter absentes, *cap. de quarta*, *cap. ad aures de præscription. Authen. quas actiones*, *C. de sacros. Eccl.* ad præscribendas verò res immobiles Ecclesiæ Romanæ requiritur spatium centum annorum ad præscribendum contrà Monasterium Sancti Benedicti requiritur spatium 60. annorum, ex privilegio Eugenii: *Molina disp. 72.*

Quandò verò, præscribuntur res mobiles tunc requiritur tempus trium annorum inter præsentes, & quatuor verò inter absentes, *l. unica*, *C. de usucapion.* quod tempus requiritur etiam ad præscribendas res mobiles Ecclesiæ Romanæ, *d. Authen. quas actiones. Covarr. in regul. possessor. par. 2. §. 50.* Si verò quæras, quisnam dicatur præsens, & quis absens.

Respondetur, omnes eos, qui in eadem Civitate, vel in eadem Regni parte habitant, dici præsentes, eos verò, qui in diversis Civitatibus, vel Regni partibus habitant, dici absentes, *Abbas, & Canonistæ in cap. de quarta de præscription.* Si verò fuerit per aliquod tempus absens, tunc duplicatur tempus absentiæ, ità ut si fuerit absens per quatuor annos, præsens per sex, tunc debet possidere per alios octo annos, *DD. suprà citati.*

Bona tamen fisco debita, & jam ab eo acquisita, quadraginta annorum spatio præscribuntur, *l. omnes cum sequentibus. C. de præscript. 30. annorum*, ea verò bona, quæ nondùm acquisita fuerunt à fisco, præscribi possunt spatio quinque annorum *l. 2. C. de vectigalibus*, *Covarr. ubi suprà par. 2. §. nu. 7.*

Contrà Principem verò, ad præscribendum ea, quæ ad suam Coronam spectant, spatium centum annorum requiritur, sicut jam ad præscribendum contrà Civitates, requiritur spatium centum annorum. *l. ultim. C. de sacros. Eccles. Covarr. in regula possessor. par. 2. §. 2. nu. 8. Molina disput. 74.*

Ex quibus omnibus habes, legitimam præscriptionem excusare ab onere restituendi, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, nam possidens rem alienam, bona fide illam suam facit, *cap. si virgo*, *cap. Sanctorum de præscript.* idque jure optimo fuit sancitum, tùm ut lites vitarentur, & ne dominia rerum diù essent incerta, tùm ad puniendas dominorum negligentias. *DD. in l. 1. ff. de usucapion.*

Habes, secundò, quòd contrà præscriptionem datur minoribus, piis locis, & aliis Ecclesiis restitutio in integrum auctoritate Judicis, habent enim tempus quatuor annorum ad repetendam rem suam, postquàm cognoverint rei suæ præscriptionem, qui tamen probare debent eam evenisse ipsis omninò ignorantibus, *l. 1. §. fin. ff. ex quibus causis majores*, *Covarr. in dict. regula possessor part. 3. §. 3. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 18.*

Quarta causa excusans à restitutione (impediens tamen, non tollens omninò obligationem:) est damnum, quod creditori resultaret ex restitutione, undè teneor denegare insano suum gladium, apud me depositum, quod petit ad aliquem, vel ad seipsum occidendum: Ille verò debitor, qui prævidet, quòd si restituat pecuniam creditori, hic erit abusurus ea in malam partem cum detrimento tertii, non tenetur restituere; secùs, si nullum adesset tertii detrimentum; sed solùm proprium ipsius creditoris, quia forsan eam in ludos, vel meretrices convertet, hoc enim casu nedùm potest eam restituere, sed tenetur, *Bonacina disp. 1. quæst. ultim. punct. 1. num. 4.*

Quinta causa, etiam dilationis restitutionis est, quandò timetur, quòd debitor restituendo ex impatientia se in laqueum conjiciet, vel quòd filii sese latrociniis immisceant, vel quòd uxor aut filiæ sui copiam faciant alii propter egestatem, DD. quos sequitur *Lessius lib. 2. cap. 16. nu. 21.* Sicut non tenetur fœmina, quæ filium peperit ex adulterio, manifestare suum adulterium ad impediendum damnum filiorum legitimorum, si ex manifestatione adesset periculum vitæ, vel famæ, neque tali fœminæ deneganda erit absolutio, *cap. officii de pœnit. & remiss.*

Sexta causa differendi restitutionem, est impotentia debitoris ad solvendum, quia impossibilium non est obligatio, & creditor censetur irrationabiliter invitus: ideò debitor ut suæ extremæ necessitati, vel suorum subveniat, potest restitutionem differre, immò etiam gravis necessitas sufficit ad excusandum ab obligatione restitutionis, dummodò creditor non sit in pari necessitate, *DD. citati.*

Septima causa, est cessio bonorum, quia qui cessit bonis, censetur impotens ad satisfaciendum, *l. 1. C. qui bonis cedere possint*, *l. qui bonis*, *ff. de cessione bonorum*, *§. ultim. institut. de actionib.*

Rogabis primò, utrum, qui cogitur cedere bonis suis, possit aliquid abscondere, & sibi retinere?

Respon-

Respondeo affirmativè, quantùm scilicet necesse est ad tenuem sui sustentationem, & eorum, quos alere tenetur juxtà suum statum, nam non est verisimile obligari cum tanto suo incommodo, *Rebell. de restitutione*, *q.* 12. *sect.* 4.

Rogabis secundò, utrum qui cessit bonis teneatur in conscientia, quandò pervenit ad pinguiorem fortunam?

Respondetur affirmativè, etiamsi cesserit cum ignominia, putà ascendendo lapidem, ità docet *Covar.* 2. *var. cap.* 1. *n.* 6. & alii apud *Lessium lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 3. & apud *Filiuccium tract.* 32. *cap.* 50. *quæst.* 7. *num.* 153. Ratio est, quia per tales actus ignominiosos, non tollitur obligatio naturalis restituendi, quamvis aliqui DD. oppositum sentiant, ut videre est apud *Novarium collat.* 35. *num.* 20.

*Explicatur textus in cap. Odoardus de solutionibus.*

QUia cessio bonorum confert cedenti dilationem restitutionis, ut suprà, congruum est videre de alio beneficio Clericis competente in locum cessionis bonorum, & hoc est illud beneficium, de quo habetur in *cap. Odoardus de solutionibus.* Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd Clericis non habentibus, undè satisfaciant suis creditoribus, competit hoc privilegium, ut absque cessione bonorum à creditoribus dimittantur consignatis reditibus bonorum etiam beneficialium ipsis creditoribus, ità tamen ut deducatur, ne ipsi Clerici egeant; vel præstent cautionem restituendi debita, quotiès ad pinguiorem pervenerint fortunam; dicitur verò Clericus non solvendo, quandò non habet sufficientia pro suis alimentis, *Covar. lib.* 2. *var. cap.* 1. *num.* 9. *Campanilis in divers. Juris Canon. rubrica* 11. *cap.* 10. *num.* 50. & alii communiter, undè hoc beneficium ità liberat Clericum, ut si ad pinguiorem fortunam pervenerit, teneatur in foro etiam externo, quod non est in cessione bonorum: sic decisum in Curia Archiepiscopali refert *Riccius par.* 4. *decis.* 174. Immò non potest Clericus compelli cedere bonis, sicut laici, quòd si cedere voluerit, ad ejus libitum remittitur, *Menochius de arbitr. Jud. casu* 183. *num.* 16. *Riccius par.* 4. *decis.* 308. & *par.* 1. *decis.* 160. *Farinaceus in tract. crimin. quæst.* 27. *nu.* 66.

Sciendum secundò est, quòd in concessione beneficii *d. cap. Odoardus*, sunt citandi omnes creditores, ità ut non obstaret alicui creditori non citato exceptio dicti beneficii. Sic decisum in Curia Archiepiscopali, refert *Riccius par.* 4. *dec.* 289. *qui in decis.* 270 refert, quòd, si Clericus fuit citatus super tenore instrumenti liquidi eo tempore, quo petit beneficium, *cap. Odoardus*, tunc non poterit contrà eum liquidari instrumentum.

Sciendum est tertio, beneficio, *cap. Odoardus*, gaudere omnes Clericos sivè in sacris, sivè in minoribus, nam *text. in dict. cap. Odoardus*, loquitur generaliter; appellatione autem Clericorum in favorabilibus etiam veniunt Clerici in minoribus, *Riccius par.* 2. *decis.* 20. & *par.* 4. *decis.* 173. & 308. *Carolus de Grassis de effect. Cleric. in præludiis, num.* 252.

Ampliatur primo, ut conveniat Clerico excommunicato, cui etiam privilegium fori, & Canonis conveniet, *cap. intelleximus de judiciis*, *Carolus de Grassis effect. Cleric. eff. ct.* 1. *num.* 525. & 641. *Riccius resol.* 355. & *in praxi resolut.* 250. Eo verò casu, quo Clericus in minoribus, seù primæ tonsuræ non gauderet privilegio fori, adhuc gauderet privilegio *d. cap. Odoardus*, *Barb. de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 12. licèt contrarium doceat *Campan. rubr.* 11. *cap.* 10. *nu.* 50.

Ampliatur secundò, in Clerico conjugato, qui gaudet hoc privilegio circà carcerationem, & personalem districtionem, ut non sit à Judice sæculari cognoscendus, cùm hoc Judici Ecclesiastico reservetur, quoad alia non gaudebit, *Riccius par.* 3. *decis.* 170. *ubi nu.* 4. probat hoc beneficio in totum gaudere Clericum conjugatum.

Ampliatur tertio, in Clericis Græcis, qui utuntur legitimo matrimonio, quia, cùm hi sint verè Clerici, gaudent omnibus privilegiis Clericorum, *DD. citati.*

Ampliatur quarto, ut conveniat Clericis semel admissis ad beneficium, *dict. cap. Odoardus*, sicut cessio bonorum iterari potest, DD. communiter, quos sequitur *Genuens. ubi sup. nu.* 19.

Ampliatur quinto, etiam in debito jurato, quia eo casu adhuc tali beneficio uti potest, sic decisum in Curia Archiepiscopali docet, *Genuens. ubi sup. nu.* 13. Idem dic de Clerico obligato in forma Cameræ, ut docet *Gallesius de obligat. in forma Cameræ p.* 6. *q.* 7. *Genuens. ubi sup.*

Ampliatur octavo, pro pœnis debitis fisco & liquidatione instrumentorum vel accusatione obligationum penès acta, quia adhuc poterit hoc privilegio uti, *Farinaceus de delictis*, *qu.* 18. *nu.* 57.

Ampliatur septimo, ut habeat Clericus hoc beneficium, etiamsi ei cum juramento renunciasset, dummodò petat absolutionem à juramento, antequàm veniat dies solutionis, *Campanilis ubi suprà*, *Riccius par.* 4. *decis.* 173. & *alii.*

Sciendum est quarto, quòd ad hoc, ut Clericus gaudeat hoc privilegio, primo requiritur, ut confiteatur debitum, nam si id non confitetur, non gaudebit tali beneficio, quæ confessio, & recognitio debiti fieri potest etiam post sententiam, *Afflictus decis.* 379. *Genuensis in praxi cap.* 3. *num.* 50. Secundo requiritur probatio paupertatis, quia, cùm talis Clericus in ea se fundet eam probare debet, *Afflictus decis.* 377. & *alii ubi suprà.* Probaretur verò paupertas per communem extimationem, vel alio modo arbitrio Judicis, de quo sat est, ut summariè constet: *Riccius par.* 1. *decis.* 81. & si reditus, quos Clericus haberet, non excederent scutos 25. esset probata paupertas, *Riccius collect.* 1750. *par.* 5. Tertio requiritur, ut indicet bona, quæ possidet ad instantiam creditorum, *Genuensis cap.* 3. *num.* 18. Quartò requiritur secundùm aliquos, ut Clericus in minoribus inserviat alicui Ecclesiæ, quos meritò impugnat *Sanchez in summa tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 35. *Navar. in quæst. for. lib.* 2.

Sciendum est quinto, adesse aliquos casus, in quibus Clerici hoc beneficio non gaudent.

Primus, quandò Clericus tempore contractûs sciebat, se non esse solvendo, & falsò asseruit, se habere idoneas facultates, nam hic ratione doli non gaudet tali privilegio, *Riccius*, *qui de communi testatur in praxi resolut.* 247. & *p.* 5. *collect.* 1750. Secùs, si non asseruit habere idoneas facultates, *Genuensis in praxi decis.* 3. *n.* 6.

Secundò, Clericus, qui in fraudem creditorum bona consumpsit, aut ea occultavit, vel debita contraxit sub spe gaudendi hoc beneficio, neque eo gaudere potest, *Riccius*, & *Genuensis ubi suprà.*

Tertio Clericus, qui sua bona consumpsit in ludo, vel luxuriosè vivendo, non gaudet hoc privilegio, *Genuensis ubi sup. Riccius resol.* 247.

Quarto Clericus, qui tempore contractûs se finxit non esse Clericum, altero contrahente ignorante, non

poterit uti hoc privilegio, ob dolum; quo contrahentem induxit ad secum contrahendum, *Carolus de Graffis de effect. cleric. effectu 7. num. 33.*

Quinto, Clericus effectus post contracta debita in fraudem creditorum, vel qui clericatum suscepit, postquàm fuit condemnatus ad solvendum debitum, *Genuens. & de Graff. ubi sup.*

Sexto, Clericus recipiens beneficium, & obligatus ad pensionem solvendam, non potest uti beneficio, *cap. Odoard. Riccius resol. 255. par. 4. & dec. 173. Gigans de pensionib. q. 2.*

Septimo, Clericus conventus actione reali, non potest uti hoc privilegio, quia hoc casu non prætenditur aliquid contrà personam; *Ricc. ubi sup. Carol. de Graffis ubi sup. num. 62.*

Octavo, Clericus debitor ex delicto, non potest uti hoc privilegio, sed servatur regula. *l. 1. ff. de pœnis*, qui non habet in ære, luat in corpore: quod intellige, si pecunia sit applicanda fisco ad vindictam publicam, secùs, si pecunia sit parti solvenda ratione interesse, quia respectu dicti interesse habet locum beneficium dicti capituli, *Riccius resol. 251.* In foro verò sæculari in cessione bonorum, decisum habemus in S. C. quòd, cùm Julianus Berlinzone, inquisitus, & condemnatus in exilium, & ad interesse partium pro truffa serici eidem consignati ab Augustino Miranda, & aliis mercatoribus ad manufacturandum in filatorio, quod interesse in S. C. fuit liquidatum in ducatis mille; & pro dicta quantitate petiisset admitti ad cessionem bonorum, judicatum fuit non esse admittendum, quia tale interesse pendet ex delicto, etiam quod veniret applicandum privato, *Reg. Rovitus in pragm. 3. de cessione bonorum, num. 3.*

Sed in foro Ecclesiastico solet pœna commutari, ut ubi deberet luere in corpore, mittatur in exilium, vel detineatur longiori tempore in carcere, *Campan. ubi sup.*

Nono, Clericus ratione perjurii, quia forsitan debitum erat juratum, poterit carcerari: quia est grave peccatum perjurii, *cap. hoc videtur 22. quæst. 5. glossa in dict. cap. Odoardus, Genuensis in praxi cap. 3. num. 16. Layman in Theologia morali lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 50.* qui idem docet de Clerico suspecto de fuga; diceretur verò suspectus, quandò nihil possideret in loco, vel esset alienigena, vel alio modo suspectus argum. *l. ait Prætor, §. si debitorem, ff. de his, quæ in fraudem credit.* & in his casibus carceratur, & posteà discutitur, an debeat ad cessionem admitti, *Genuensis ubi sup.*

Decimo Clericus, qui condemnatus fuit ad solvendum, & potest satisfacere, & recusat, poterit carcerari, *Abbas in cap. 1. de deposito*, communiter *D D.* quos sequitur *Layman in Theologia morali lib. 3. tract. 20. cap. 12.* sic practicari docet *Genuensis dict. cap. 3. num. 20.* nam Regulariter contrà Clericos valentes solvere, & recusantes, expediuntur literæ executoriales in rem, & in personam, extantibus tamen bonis, in quibus possit fieri executio, *Riccius par. 1. dec. 59.*

Undecimo, Clericus debitor gaudere non potest hoc beneficio, quandò creditor est pauperior, quia creditor tractat de damno vitando, *Genuensis ubi suprà, num. 14.* ubi limitat, quandò Clericus esset creditor ex causa lucrativa, non onerosa.

Duodecimo, Clericus hæres non confecto Inventario, non potest uti hoc Beneficio, *cap. Odoardus, Riccius resolut. 255. num. 3.*

Decimotertio, Clericus exercens illicitam negotiationem, non potest uti hoc beneficio in pœnam sui delicti, quia hoc casu delinquit faciendo id, quod est sibi prohibitum, *cap. fin. de vita, & honest. Cleric. Riccius, & Genuensis ubi suprà.* Id quod intellige de debitis contractis ratione illicitæ negotiationis, secùs in aliis debitis alia occasione contractis.

Decimo quarto, hoc beneficium non competit laico fidejussori Clerici, cùm tale privilegium sit personale, & ideò personam Clerici non excedit, argum. *cap. privilegium de regul. juris in 6. Riccius in praxi resolut. 248. Thorus in compendio decisionum in verb. fidejussor, par. 7.*

Econverso verò Clericus, fidejussor laici, gauderet tali privilegio, ex generali dispositione *dict. cap. Odoardus*, ut per *Novarium de electione fori. quæst. 5. num. 4.* sic decisum in Curia Archiepiscopali refert *Riccius par. 3. decis. 20.*

## De Restitutione in Particulari.

### Articulus Primus.

*De restitutione ob damna spiritualia illata.*

Ad hujus articuli intelligentiam dico primo, quotiès quis induxit alium ad peccatum, vel à bono opere abduxit, absque vi vel fraude, non tenetur ex justitia, sed ex charitate curare, ut ille à peccato resipiscat: si verò id fecerit per vim, vel fraudem, tenetur nedùm fraudem ex justitia aperire, sed etiam curare, ut à peccato resipiscat, quòd si solo pretio, vel consilio id fecerit, non tenetur ex Justitia, nisi sit Prælatus, aut alius, qui ad hoc teneatur; *D D.* quos sequitur *Bonacina de contractib. disp. 2. quæst. 1. pun. unic. num. 2. & sequentibus, ex quo*

Infertur primo, Religiosos negantes suffragium Novitio idoneo, peccare mortaliter, ut contrà *Sanchez in summa tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 59. & Peregrinum in comment. ad Constitutiones Religionis Theatinorum, par. 2. cap. 5. litt. B. §. 1.* docent *Miranda in manuali Prælatorum tom. 1. quæst. 25. art. 12. conclus. 1. & 2. Bartholomeus à Sancto Fausto in Thesauro Religionum lib. 5. quæst. 213. & sequenti, Suarez de religione tom. 3. lib. 4. cap. 3. cum aliis.* Ratio est, quia tenetur ex officio bonum religionis procurare, & ad hoc datur eis potestas examinandi.

Dices ex *Sanchez*, Novitius retrocedens à Religione, peccat solùm venialiter, ergò à pari religiosi ei negantes suffragium, non peccant plusquàm venialiter, consequentia probatur: non magis obligatur Religio Novitio, quàm Novitius religioni, quoad culpam.

Resp. concedendo antecedens: & negando consequentiam, nam diversimodè obligatur Religio Novitio, ac Novitius Religioni, quia Novitius nullam habet obligationem; at verò Patres Religionis obligantur ad procurandum bonum Religionis.

Infertur secundo, retrahentes aliquos sine justa causa per fraudem, aut vim, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem damni, quod religioni resultat, illi verò, quem avocavit à tali statu, etiam restituere tenetur, nam utrique injuriam facit: secùs, si id sine vi, vel fraude fecit, tunc enim peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem quia injuriam non facit, *D D.* communiter, quos sequitur *Layman in Theologia morali lib. 3. sect. 6. tract. 2. cap. 8. num. 2.*

Infertur tertio, eum, qui vi, aut fraude retraxit ingressurum religionem, teneri vim, & fraudem tollere, & ad restitutionem ejus boni, quod Religioni esset acquisiturus ille egrediens; secùs, si absque vi, vel dolo id fecerit, quòd si id ei persuasit, quia forsitan religio erat relaxata, vel quia majora potuisset in sæculo bona facere ad publicam utilitatem, non peccaret, *Bonac.* & apud eum omnes, *ubi sup. num. 4.*

Adver,

Adverte tamen, hoc casu, non teneri illum, qui avocavit aliquem à Religione, ingredi religionem, cùm religio sit status perfectionis; tenetur tamen, si id facere commodè potest, procurare, ut alius religionem ingrediatur, sic resarciendo damna religioni illata, *Bonac. ubi sup.*

Adverte secundò, Novitium, qui redit ad sæculum, non teneri ad expensas, quas fecit Monasterium alendo eum, &c. ut docent 13. *DD.* quos refert, & sequitur *Sanch. in summ. lib.6. tom.2. cap.10. num. 4. Faustus in Thesauro religios. l. 5. quæst. 191. quia ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 16. de regularib.* possunt liberè exire antè tempus professionis; sed si expensas restituere deberent. utique hoc intuitu retinerentur, ergo. Accedit, quia Novitius tempore Novitiatûs deservit Religioni, ergò ejus bonis ali debet.

### Articulus II.

*De restitutione ob violationem secreti.*

AD Intelligentiam hujus articuli. Dico primo, revelantem secretum in grave damnum alterius, peccare mortaliter; revelantem verò in leve præjudicium, peccare venialiter: Licèt utroque casu sub sigillo commissum sit. Ratio utriusque est, quia primo casu fit gravis injuria tertio. secundo casu levis, ergo tunc peccat mortaliter, secundo casu solùm venialiter, *Summistæ in verb. secretum.*

Limitatur conclusio, quandò revelatur secretum grave duobus, vel uni, qui id celabunt, dummodò non sit peccatum aliquod urgens, & causans infamiam id, quod detegitur, *DD. cit.*

Dices, Christus *Joannis* 13. manifestavit secretum peccatum Judæ, sed Christus non poterat peccare, ergo manifestatio secreti etiam in re magni momenti, non est peccatum mortale.

Respondetur, id Christum fecisse justâ ex causâ, scilicet, ut fierent discipuli firmiores, scientes jam fuisse prævisam proditionem à suo præceptore.

Dico secundò, revelans secretum nedùm peccat mortaliter, sed tenetur ad restitutionem, si id fecerit, absque justa causa; ideò aperiens literas sigillo munitas, peccat mortaliter. si hoc faciat, prævidens aliquod futurum damnum evenire, vel si ille, qui mittit literas cupit maximoperè, ut quod in litteris est, non manifestetur, quòd si legantur ob curiositatem, nullum est peccatum mortale, *DD. cit.*

Dico tertio, revelans secretum in tormentis, vel ad bonum publicum, non peccat mortaliter, quia non potest secretum obligare contrà charitatem alteri debitam, etiamsi tale secretum sit juratum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Posset tamen is. cui aliquod secretum dictum est, Judici interroganti respondere cum juramento, se nihil scire, addita æquivocatione, ne illi aperiat, quia justam habet causam, cùm non possit Judex cogere ad manifestandum secretum, quod ex jure naturali servandum est. Sic etiam potest etiam presbyter absque irregularitatis periculo denunciare homicidia, & alia delicta, protestando, se non intendere pœnam sanguinis, etiamsi de hoc juravit Presbyter, scilicet, se non dicturum, *Bonac. q. 2. in fine.*

### Articulus III.

*De restitutione facienda ob furtum filii-familias, uxoris, religiosi, & famulorum.*

AD intelligentiam hujus articuli; Dico primo, quotiès filius-familias accipit notabilem quantitatem ex bonis, quorum proprietatem, & usumfructum habet Pater, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, *DD.* communiter, quos sequitur, *Lessius lib. 2. de Justitia, & jure cap. 12. dub. 13. Fagundez 2. tom. in Decalogum præcept. 7. cap. 3.* Probatur, tùm quia *Proverb.* 28. habetur, qui subtrahit à Patre suo vel à Matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidii est: tùm quia accipiens rem alienam in notabilem quantitatem, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, sed ità est in casu nostro, ergo, &c.

Ampliatur in servo, qui mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, accipiendo, aliquid in notabili quantitate à suo domino, secùs, si paulatim aliquid surripiat comestibile, & illud convertit in proprium usum: quòd si accipiat ad vendendum, vel ludendum, vel consumendum cum aliis, peccat mortaliter peccato furti: de communi *Less. ubi sup. cap. 12.*

Limitatur, quandò acciperet bona Castrensia, vel quasi Castrensia, quia tunc non peccat mortaliter, quia hæc bona tàm quoad usumfructum, quàm quoad proprietatem spectant ad filium, *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 39. n. 7. Less. ubi sup cap. 6. dub. 2.*

Limitatur secundò, quandò sumus in Clericis, qui bonis, quæ sibi provenerunt aliundè, quàm à Patre, vel ejus contemplatione, & quæ ipsi non acquisiverunt, quæ propriè adventitia dicuntur, possunt liberè disponere, tàm inter vivos, quàm in ultima voluntate, & consequenter ad exemplum bonorum castrensium, vel quasi-Castrensium, in eis furtum non possunt facere, cùm in eis Pater nihil habet, *Authen. Presbyteros, C. de Episcopis, & Clericis. DD. in cap. quia nos. de testament. DD.* quos allegat, & sequitur *Carolus de Tappia de religiosis rebus, cap. 1.*

Ut autem hanc secundam limitationem perfectè intelligas, sciendum est, peculium filii-familias esse quatruplex Castrense, quasi-Castrense, Adventitium, & Profectitium.

Castrense comprehendit omnia, quæ acquirit filius-familias occasione militiæ, *l. Castrense, ff. de castrensi peculio,* ut sunt militum stipendia, hostium spolia, legata occasione militiæ relicta, &c. *Molina 1. tom. tract. 2. disp.* 130.

Quasi-Castrense comprehendit omnia, quæ ex publico munere, seù officio, putà Doctoris, Advocati, Medici, &c. acquiruntur, vel quæ à Principe donantur: sic bona Clericorum, quæ ex titulo Clericali, vel beneficio acquisita sunt, & in hoc peculio, sicut etiam in castrensi, nihil habet Pater, sed filius dominium & administrationem retinet.

Peculium adventitium comprehendit bona, quæ filius habet non à Patre, neque intuitu Patris, sed vel ex propria vel liberali alicui donatione, vel legato Matris, aut avi materni hæreditate, &c. & horum bonorum sola proprietas spectat ad filium, ususfructus verò ad Patrem, *l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis.*

Peculium profectitium comprehendit ea bona, quæ ex pecuniis, & rebus Patris, vel occasione Patri, à Filio acquiruntur, & dicuntur quasi ex paterna substantia profecta, & hæc bona tam quoad proprietatem, quàm quoad usum fructum, spectant ad patrem, *DD. in d. l. cùm oportet, Joannes Garsi de conjugali acquisitione n. 126. post tractatum de expensis, & meliorationib.* His positis,

Rogabis primò, an ut Clerici gaudeant hoc privilegio secundæ limitationis, debeant habere requisita, *Triden. sess. 23. cap. 6. de reformat.*

Respondetur negativè cum *Sanchez in summa tom. 2. lib. 7. cap. 12. num. 33.* nam *Trident. loc. citat.* loquitur de his requisitis, ad hoc ut gaudeat Clericus privilegio fori, ergo non debet extendi ad alia privilegia, sicut neque aufertur Clericis privile-

gium Canonis, licèt non habeat ea requisita, *Diana par. 1. tract. 2. resolut. 36.* ubi docet, sic declarasse Sacram Congregationem; verum tamen est, Clericos conjugatos cum unica, & virgine, non gaudere tali privilegio, *juxtà textum in cap. unico de Clericis conjugatis in 6. & in Triden. ubi suprà cap. 6, Sanchez loco cit. num. 36.*

Rogabis secundò, utrum Clericus in omnibus bonis adventitiis gaudeat hoc privilegio?

Respondetur in omnibus bonis adventitiis, tàm acquisitis intuitu Clericatûs, quàm non Clericatûs, gaudere tali privilegio, cùm pleno jure spectent ad filium, ità docent *Abbas, & Covar. in cap. quia nos, de testamentis, Sanchez ubi suprà num. 31.* plures referens, *Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect. 19. num. 66. Layman. in Theolog. morali lib. 3. tract. 14. cap. 8. Bellectus in disquisit. Clericali par. 1. in tit. de bonis Clericorum, §. 7. num. 5. Molfes. ad Consuetudines Neapolit. tom. 2. cons. 23.* contrà alios, quos refert, & sequitur *Regens Constantius in titulo de filiis officialium, num. 53.* qui docent, Clericum tale privilegium habere solùm in bonis acquisitis intuitu Clericatûs

Probatur nostra opinio, tùm quia, *text. in dict. cap. quia nos*, loquitur expressè de omnibus bonis, tùm quia hoc privilegium est concessum ratione dignitatis, & meritorum, *ut in d. l. sacrosanctæ, Cod. de Episcopis, & Clericis*, sed hæc ratio militat in omnibus; in militibus verò, secùs est, nam non ratione dignitatis personæ privilegium conceditur, & sic meritò non habent nisi respectu bonorum acquisitorum intuitu militiæ.

Ex quo sequitur, Patrem non posse irritare vota realia, emissa per Clericum filium-familias de bonis acquisitis post Clericatum, quia talia bona sunt quasi-Castrensia, ergò sine consensu patris potest de eis vovere filius, & in his est sui Juris, *Faustus de tribus votis lib. 2. q. 111.*

Sequitur secundò, in bonis acquisitis, antè Clericatum habere patrem usumfructum, nam non per hoc, quòd fit Clericus filius, efficiuntur illa bona, quasi Castrensia: sicut per hoc, quòd filius fiat Episcopus, licèt liberetur à patria potestate, non tamen amittit Pater usumfructum in bonis filii anteà acquisitis, *Covaruv. in dict. cap. quia nos, Pinellus in l. 1. par. 2. nu. 43. C. de bonis maternis, Carolus de Grassis dict. effect. 19. num. 67. Sanchez ubi suprà num. 26. Bellectus loco cit. num. 7.* & alii, quos sequitur *Layman. d. lib. 3. tract. 4. cap. 8. nu. 2.*

Sequitur tertio, Clericum in bonis profectitiis, acquisitis post Clericatum, non gaudere tali privilegio, *Sanchez, & Covarru. ubi suprà*, qui concordantes adducunt, qui tamen id limitant in donatis à Patre intuitu Clericatûs, vel ad titulum Patrimonii, hæc enim essent quasi-Castrensia, dummodò ordines susceperit filius, aliàs, si ordines non susceperit, redit ad Patrem donatio, utpotè non sequuta causa. Non ignoro tamen, *Jasonem, Rolandum, Surdum*, & alios apud *Molfesium in Consuetud. tom. 2. cons. 23. Bellectum ubi suprà*; indistinctè docere, Clericum omne, quod à Patre consequitur, pleno jure acquirere.

Dico secundo, majorem quantitatem requiri in furto facto à filio-familias ad hoc, ut sit peccatum mortale, quàm in furto facto ab aliis, putà à servis, vel extraneis, quia pater non ità est invitus circà furtum filii, quàm aliorum; undè excusat *Navarrus* à peccato mortali, qui patri diviti surripit tres aureos: sicut nec peccat mortaliter peccato furti filius expendendo aliquid in ludos, eleemosynas, &c. juxtà conditionem sui statûs: peccat tamen, si nummos datos ad emendos libros, aut vestes, aut ad solvenda stipendia præceptori, consumat in feminas, vel ludos, nam hoc casu est Pater rationabiliter invitus, nam non donavit, nisi ad illum finem, & ideò est rationabiliter invitus, & tenentur filii ad restitutionem. *Fagundez ubi sup. à cap. 3. à. num. 3.* & notat *Fagundez ubi suprà, num. 11.* posse filium, qui perpetuò assistebat patri in rerum venditione, & negotiatione, accipere clàm de bonis patris pro labore, & industria sua, quantùm Pater daret extraneo famulo, pro eodem labore, & negotio, idque ultra expensas, quas Pater facit in eo alendo, & *Navarrus in manuali, cap. 17. n. 144.* & alii, quos refert. Neque dicas, filium teneri jure naturali laborare pro parentibus, eisque servire, id enim verum est, quandò parentes egent, & quandò fratres similiter partialiter lucrantur, aliter non.

Dico tertio, uxor accipens quantitatem notabilem ex bonis mariti, vel ex bonis, quorum maritus habet administrationem, & usumfructum, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, nisi id faciat cum consensu expresso, vel tacito mariti; si verò sumat, vel expendat aliquid de bonis, in quibus habet ipsa dominium, & usumfructum, non peccat, quia accipit rem propriam.

Poterit tamen mulier eleemosynas facere moderatas, & secundùm sui statûs conditionem, etiam contradicente marito, ut docet *Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 14. num. 85. Coninch. de act.bus supernaturalibus disp. 27. dub. 50. num. 52.* & alii apud ipsos, ratio est, quia in tali eventu maritus est irrationabiliter invitus, uxor enim non est mancipium, sed socia bonorum, ergo eam in decenti statu tenetur maritus sustentare, sed ad decentiam statûs pertinet has donationes, & eleemosynas facere, ergo, &c.

Dices obstat Auctoritas *Sanct. Augustini in cap. Quod Deo 33. quæst. 5.* ubi cuidam conjugatæ, ait *Sanct. Augustinus nihil de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis sine arbitrio mariti facere debuisti:* ex quo *text.* contrariam sententiam tenet *Turrianus in 2. 2. S. Thom. disp. 84. dub. 1. Navar. in manuali cap. 17. num. 154. Graff. in decis. lib. 26. cap. 60. nu. 8. par. 1.*

Respondetur, quòd in his verbis *S. Augustini*, non traditur præceptum, sed consilium, & sic transgrediens mulier tale consilium, non peccat mortaliter.

Si verò quæras, quænam quantitas particularis possit dari ab uxore, nesciente viro?

Respondeo, vigesimam partem lucri annualis: *Bannes in 2. 2. S. Thomæ, quæst. 32. art. 8. Malderus 2. 2. qu. 32. art. 8. Genedus de paupertate religiosa dub. 32. num. 14. Ledesma in summ. tom. 2. tract. 4. cap. 3. concl. 38.* nam talis dispensatio debet esse interpretativè volita à bono viro, ex quo.

Infertur, uxorem, marito ignorante, posse eleemosinam tribuere, ut Deus avertat grave damnum mariti, ne scilicet eum puniat, vel ut impetret ejus conversionem à statu malo, *Navarrus, Turrianus, Malderus*, & alii, quos sequitur *Filiuccius in quæstionibus moralibus tom. 2. tract. 34. cap. 2. num. 44.* idque ampliant, etiamsi maritus, si tale quid sciret, ei displiceret; ratio est, quia tali casu maritus esset irrationabiliter invitus. Confirmatur exemplo *Abigail. 1. Reg. 15.* quæ valenter, & piè misit munera David, quæ maritus impiè negaverat.

Dices ex *Coninch. ubi sup. dub. 5. nu. 56.* contrarium sentiente: si hæc opinio esset vera, nimiùm laxaretur libertas mulierum, nam multa largirentur imprudenter, sub prætextu, ut viri à peccatis emendarentur.

Respon-

Respondetur ex hac sententia, non dari nimiam uxoribus libertatem, nam tales eleemosynæ, sunt dandæ in moderata quantitate, considerata quantitate bonorum, nam alioquin esset maritus rationabiliter invitus, undè uxores in tali casu se remittant ad Confessarium, qui considerando statum viri, & quantitatem bonorum, taxabit summam eleemosynæ ab uxore pauperibus tradendam.

Dico quarto, religiosus peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, quandò aliquid accipit notabile de bonis Monasterii, quod etiam peccatum cum eadem obligatione contrahit illud recipiens à religioso: Ratio est, quia uterque committit furtum accipiendo rem alienam invito Domino, Immò hodiè ex Bulla Clementis VIII. edita anno 1594. quæ incipit Religiosæ Congregationis, disponitur, ut nullus religiosus, vel monialis possit aliquid donare sub pœna amissionis officii, & dignitatis: & etiam præcipitur in eadem Bulla, ut accipiens non absolvatur, nisi facta restitutione: An verò Bulla prædicta sit usu recepta inter religiosos, quæstio est? etenim *Stephanus Gratianus discept. forens. tom. 2. cap.* 203. *num.* 17. dicit, non fuisse usu receptam, id ipsum docet *Megala par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *quæst.* 3. *num.* 65. Alii verò, & magis communiter volunt, usu receptam esse, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 1. in qua Bulla putant communiter *D D.* Summum Pontificem non inducere novam formam circà causæ approbationem, & sic quæ dicatur justa causa, *Dian. ubi suprà resol.* 2. Sed quoad religiosos non est usu recepta secundùm magis communem, licèt quoad moniales recepta sit, *Diana ubi sup. resol.* 2.

Verùm circà eam, Advertunt primo, prædictam Bullam procedere, etiamsi quis donet ea, quæ sibi tradita sunt, hoc pacto, ut ad libitum disponat, de eis, ut in dicta Bulla.

Advertunt secundo, id procedere sivè donatio fiat à religioso per se immediatè, sivè per alium *Bonac. in tract. var. disp.* 3. *in princ.*

Advertunt tertio, suprà dictam Bullam non procedere, quandò religiosus donat munera duorum aureorum sine prælati licentia, licèt tunc peccet mortaliter, ut sic respondisse Clementem ipsum VIII. Claudio Aquavivæ Generali Societatis Jesu, docet *Molfesius in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 86. Item nec procedere docent, quandò quis non acceptat aliquid donum, sed rogat, ut detur Amico, seù consanguineo suo, *Faustus in Thesauro religiosorum lib.* 8. *quæst.* 213. *& alii cum eo.*

Adverte quarto, prædictam Bullam procedere, quandò regulares, vel moniales dant eleemosynam, quia loquitur, quandò donant, *Riccius in praxi tom.* 2. *resolut.* 25. sic nec proceditur, quandò donantur esculenta, & poculenta, puta dona, quæ paucis diebus consumi possunt, *Valerius in differ. utriusque fori in verb. munera differ.* 1. *num.* 59. *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 8. *& resol.* 13.

Advertit quinto *Bonacina ubi suprà num.* 12. non licere religiosis recipere hominem divitem in hospitium, nisi causa necessitatis, vel devotionis, & contrarium facientes incurrere in pœnas Bullæ: hoe ipsum docet *Faustus ubi suprà libr.* 8. *quæst.* 224. *num.* 50. Verùm contrarium docet *Franciscus Sousa in expositione prædictæ Bullæ, §.* 7. *num.* 91. qui docet, religiosos recipientes in Monasteriis aliquem non occasione devotionis, vel transitûs, sed recreationis, in suprà dictam Bullam non incurrere.

Adverte sexto, non procedere dictam Bullam in donatione remuneratoria, quam faceret Religiosus, seù monialis, ut latè docet *Sousa in dict. Bulla, §.* 1. *num.* 65. *& sequenti*, & hoc casu poterit donare nedùm aliquid æquivalens meritis, sed excedens ipsa, etiam in quarta parte, nam adhuc remuneratoria dicitur, *Valerus ubi suprà*, *Barbosa in l. quæ dotis numer.* 60. *ff. solut. matrim. Diana par.* 2. *tract.* 6. *resol.* 15. *&* 16.

Adverte septimo, posse moniales præbere cum licentia Abbatissæ, seù prælati aliquod ultrà stipendium assignatum, dummodò eum magna charitate serviant, *Faustus ubi suprà lib.* 8. *quæst.* 227.

Adverte octavo, religiosos posse inter se largiri munera, dummodò id non faciant ambitionis causa, *Valerus ubi suprà*. Religiosus donare potest munera, quæ sunt partus Intellectûs, putà conciones, lectiones, & alia scripta, *Valerus ubi suprà*, neque incidit in dictam Bullam, si donaverit alteri suam pitantiam, *D D. citati*, *Diana par.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 28. *de pitantia*, & hoc casu, quo donant res minimas inter se, non opus est licentia expressa superioris, nisi illa inter se sibi ipsis donent ex aliqua causa ambitionis, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 20. & licentia donandi sufficit generalis, quia adaptatur ad omnes donationes, quas voluerit facere donans, *Diana dict. tract.* 6. *resol.* 21. quæ licentia donandi ab Abbatissa haberi poterit sufficienter, cùm ista dicatur habere administrationem Monasterii, *Diana resol.* 22. Non tamen prohibitum est donare Militibus Hierosolymitanis Divi Jacobi, &c. quia sunt expresè exceptuati in dicta Bulla Clementis; ex quo colligitur, esse veros religiosos, quia exceptio fundat regulam in contrarium, *Diana resol.* 23. ex quo.

Primo Nota, quòd potest Monialis cum licentia sui Prælati facere amico, seù cognato corporalia magni valoris, vel picturam, neque incideret in pœnas prædictæ Bullæ Clementis VIII. quandò amicus, vel consanguineus illi subministrat omnia necessaria pro illis rebus faciendis, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 6.

Secundo Nota, quòd si monialis reciperet quantitatem pecuniæ à suo amico vel familiari, cum conditione, ut dominium remaneat penès donantem, & sola administratio competat moniali; tunc poterit monialis ista de tali re disponere in beneficium confessarii, quia esset disponere, tanquàm minister illius consanguinei, *Diana part.* 1. *tract.* 6. *resol.* 10. qui probabile id tenet; mihi videtur non posse subsistere, quia remanet dominium penès parentem, ergò non potest de ea disponere monialis.

Tertio Nota, posse moniales donare aliquid confessario, quandò servit cum aliqua majori charitate, ultrà salarium taxatum per superiorem, absque eo, quòd incurrat in dictam Bullam, dummodò tamen non adsit præceptum superioris contrarium, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 17.

Quarto Nota, quòd si superior religionis det licentiam alicui habendi aliquos annuos introitus, & iste religiosus parciùs vivendo conservat aliquid, potest id, quod conservat, alteri donare neque incurrit in pœnas dictæ Bullæ de largitione munerum, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 19. quod potest dare etiam post *Trid. sess.* 25. *cap.* 2. *de regul. ubi Dian. p.* 1. *resol.* 25. *tract.* 6. *resol.* 28.

Quinto Nota, quòd si religiosus à suis devotis nummos accipit, & Prælato inscio libros necessarios emit, non peccat peccato proprietatis, neque facit contrà Bullam Clementis VIII. de largitione munerum, dummodò illos teneat in cella omnibus expositos, quia quidquid hoc pacto possidet religiosus, Prælatorum suorum voluntati, & potestati subjicit, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 26. *contrà Bartholomeum à S. Fausto in suo speculo lib.* 8. *qu.* 111. *num.* 2. *contrà Sanch. lib.* 7. *summæ tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 56.

Sexto Nota, novitios non comprehendi in dicta Bulla, quia in pœnalibus non comprehenduntur appellatione religiosorum: quia licèt religiosi non possint confiteri, nisi confessariis ab eorum Prælatis designatis, aliàs confessio est nulla: tamen si Novitii alteri confiteantur, valebit confessio, neque Novitii incidunt in casus reservatos religiosorum, & sic possunt absolvi sine superiorum licentia. *Diana resolut.* 27.

Septimo Nota, religiosum accipientem pecuniam absque superioris licentia; ut liberè de ea disponat in eleemosynam, nomine ejus, qui dedit, non peccare mortaliter contrà votum paupertatis, neque contrà Bullam Clementis VIII. *Faustus lib.* 8. *quæst.* 109. *Sanchez lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 4. quia votum paupertatis obligat religiosum, ne acceptet dominium rei inscio superiore, sed in casu nostro non accipit dominium, sed accipit solùm illam nomine alieno, scilicet tradentis: ergo, *Diana p.* 1. *resol.* 29.

Octavo Nota, quòd si religiosus accipiat maximam quantitatem rerum usu consumptibilium religionis pro suo usu, & ex hoc damnificetur Monasterium in maximo, esset peccatum mortale: at secùs, si nullum, vel leve resultaret damnum, quia religiosi tractantur, ut filii, sed inter filios, & patrem nullum consideratur damnum notabile, ergo. *Diana tract.* 6. *resol.* 30.

Nono Nota, quòd ut religiosus disponere possit sine læsione voti paupertatis, sufficit licentia tacita religiosorum superioris, si etiam hoc superiori displiceat, modus scilicet accipiendi ea clandestinè, *Diana par.* 1. *tract.* 9. *resol.* 31. *per tot.*

Decimo Nota, quòd regularis, qui paulatim expendit pecuniam modicam sine superioris licentia, non peccat mortaliter, nisi coalescant simul illa minuta furta, *Diana par.* 1. *resol.* 34. *tract.* 6. & si ad usum proprium accipiat, nunquàm coalescunt, *resol.* 35.

Undecimo Nota, quòd religiosus sine peccato potest commodare, & mutuo dare aliqua, quæ ipsi ad usum permissa sunt, *Diana resol.* 37. qui multos refert; sicut etiam potest commutare etiam aliquas res cum sæculari, quandò Conventus nullam patitur jacturam, *Diana ubi suprà resol.* 38.

Duodecimo Nota, quòd sine ullo peccato potest Religiosus accipere rem ex publico usu Religionis, cum animo eam rem ponendi iterùm in eodem loco, *Diana resol.* 40. *qui resol.* 41. ait, religiosum accipientem ab amico aliqua comestibilia, neque peccare mortaliter, quia ad hoc præsumitur habere licentiam à Prælato: secùs, si comestibilia essent magni valoris, quia non præsumeretur licentia superioris.

Rogabis, quæ quantitas requiratur adhoc, ut furtum à religioso factum, sit peccatum mortale?

Respondetur secundùm Rebellium eam quantitatem requiri, quæ in aliis furtis requiritur, id ipsum sequitur *Molina to.* 3. *tract.* 2. *disp.* 687. *secundùm Sanchez in summa tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 20. est quantitas quatuor argenteorum. Secundùm opinionem *Ledesma in addit. ad summam tom.* 2. *cap.* 4 *&* *Genedum de paupertate religiosa dub.* 2. *num.* 10. quantitas octo, vel novem argenteorum, si furetur à religioso Monasterio erit peccatum mortale, secundùm verò *Rodriquez in summa tom.* 4. *cap.* 118. *num.* 27. requiritur quantitas duorum aureorum, id ipsum docuit *Sotus de Justitia & Jure lib.* 4. *quæst.* 3. undè eligas, quam volueris opinionem, quia omnes sunt probabiles, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 36.

### Articulus IV.

*De restitutione facienda ob Judicium temerarium factum.*

Ad intelligentiam hujus articuli, Suppono primo, dari Judicium temerarium, & suspicionem: Judicium temerarium est, cùm quis videns adolescentem cum muliere loquentem, credit ipsum velle cum ea peccare, ità ut de hoc non dubitet, sed firmiter suæ intentioni adhæreat. Suspicio verò, est quandò quis ex iisdem levibus indiciis id cogitat quidem, sed cum formidine; quia non judicat firmiter, nec deliberatè sentit. Quod diligenter adverte, quia multi credunt se judicasse temerariè, cùm eorum non sit judicium, sed temeraria suspicio: legas *Cajetanum* 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. *Filuccium tract.* 40. *cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 2.

Suppono secundo, judicium temerarium non committi, quandò malum de aliquo judico ex probabilibus conjecturis: undè non erit peccatum mortale, si videns aliquem noctu schalam ascendere ad ingrediendum domum alterius per fenestram, judicem ipsum ingredi ad patrandum delictum. sic neque est judicium temerarium, si videam adolescentem ingredi domum, quam solæ meretrices inhabitant, aut si videam ipsum in loco obscuro lascivè amplexantem puellam, sciens non esse sponsos, sic non est peccatum mortale judicare de aliquo ex aliquibus indiciis aliquod peccatum, quem constat pluriès in eadem peccata incurrisse. His positis.

Dico primo, peccare mortaliter eum, qui firmiter judicat de aliquo gravi malo proximi absque sufficienti fundamento, & conjecturis. Ratio est, quia graviter jus proximi, quod habet, ne de eo malum cogitetur, læditur, ideò *Matt. cap.* 7. *& Lucæ* 6. dicitur, *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Quòd si non judicat firmiter, sed solùm suspicetur, tunc regulariter est peccatum veniale, quòd si de viro sanctissimo suspicetur quis absque fundamento, hæresim, adulterium, vel incestum, tunc est peccatum mortale: Verùm putant multi apud *Layman. lib.* 3. *sect.* 3. *pun.* 2. *num.* 6. nunquàm suspicionem de re gravi respectu proximi, esse peccatum mortale, licèt fiat ex levibus indiciis: quæ opinio probabilior est, quia nullum judicium sine certitudine est peccatum mortale, sed suspicio est sine certitudine, ergo, &c.

Observa igitur, multos pœnitentes falsò, sed ignoranter, se accusare de Judiciis temerariis, ex eo, quia ad hoc, ut judicium dicatur temerarium, tria requiruntur, primo, ut efficiatur sine indiciis sufficientibus, secundò, ex plena deliberatione, tertio certò, & sine ulla formidine: quæ omnia raro simul concurrunt in homine malè de proximo judicante; præsertim tertium requisitum, nam multi judicant cum formidine alterius partis, quo casu non est judicium temerarium peccatum mortale, legas *Lessium lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 16. *Filiuccium tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 12. *& alii apud eos.*

Dico secundo, non peccare mortaliter eum, qui judicat ex levibus indiciis aliquem esse spurium vel natum ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio, vel ortum habuisse à Judæis, vel Saracenis, aut esse filium Clerici, ut contrà *Sotum*, *Valentiam*, *Molinam*, & alios docet *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 11. *dubit.* 4. *Lessius lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. *& alii cum eis.*

Probatur, quia apud homines prudentes non existimatur opprobriosum nasci ex talibus parentibus, cùm hoc non oriatur ex culpa nascentis, sed potiùs ei ad laudem tribuitur, si virtutem colat, quam impii parentes non sunt prosecuti: Intellige hoc, ut benè

benè *Lessius*, dummodò non oriatur contemptus, vel aliquod damnum in fama, vel in officiis consequendis.

Dico tertio, judicium temerarium est peccatum contrà Justitiam, & obligat ad restitutionem, quandò alteri manifestatur. Prima pars, quòd sit peccatum mortale contra justitiam, est, quia lædit jus, quod alter habet ad suam famam tuendam, *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 11.

Probatur secunda pars, quia licèt judicium temerarium, quandò est purè internum, non obliget ad restituendum, tamen quandò alteri manifestatur, committitur peccatum mortale detractionis, & ideò, quandò non manifestat, satisfacit deponendo judicium, & non malè judicando in futurum. In secundo casu debet famam restituere. *Azorius ubi suprà.*

Dico quarto, quotiès dubito de aliquo actu: debeo eum interpretari in meliorem partem negativè, non positivè.

Exemplum hujus rei est, si quis videt Titium lautè comedentem, & bibentem, non teneor judicare ipsum comedere, & bibere ex necessitate, sed possum judicium suspendere, non judicando comedere ex necessitate, neque ex gula, & hoc sibi vult explicare dubia in meliorem partem negativè, *Azorius ubi suprà num.* 50. & alii communiter. Quòd si hoc casu velit quis de Caio positivè judicare, tenetur benè judicare, *DD. ubi suprà*, & ut benè docet *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 4. licèt possim hoc casu errare, cùm esse possit, ut verè comedens comedat, ut se inebrietur, tamen melius est errare, inquit scilicèt Doctor, benè opinando, quàm errare malè judicando.

### ARTICULUS V.

*De restitutione facienda ob susurationem.*

AD intelligentiam hujus articuli, Dico primo, quòd susurratio est peccatum linguæ, quo quis alterius defectum manifestat ad seminandas discordias inter amicos, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 74. *ar.* 1. *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 8. qui etiam docent esse peccatum mortale, quia affert gravem injuriam & damnum, & interdùm docet *Molina tract.* 4. *disput.* 25. contineri in susurratione plures malitias; undè qui malum refert ad seminandas discordias inter conjuges, ut faciliùs arripiant occasionem adulterandi cum alio, peccat peccato susurrationis & adulterii, ob malam intentionem adulterandi, quam habet.

Dantur tamen casus, in quibus susurratio est licita, ut si manifestatur defectus alterius ad dissolvendam perniciosam amicitiam nullo mendacio intercedente, ideòque non peccat mortaliter, qui manifestat, secluso mendacio, defectum unius concubinarii ad dissolvendam perniciosam amicitiam, quæ aliter solvi non potest, *Azorius ubi suprà dub.* 50. potest quis amicitiam aliquorum dirimere, ut eam sibi conciliet, modò id faciat licitis mediis.

Dico secundo: susurrationis peccatum est connexum cum obligatione restituendi, ratio est, quia est susurratio peccatum contrà justitiam, causans proximo damnum, ergo, &c.

### ARTICULUS VI.

*De restitutione facienda propter Contumeliam, & Derisionem.*

AD intelligentiam hujus articuli, Suppono primo, Contumeliam esse injuriam, qua alteri objicitur crimen, vel alterius defectus in ipsius præsentia, quæ contumelia, utpotè graviter lædens famam proximi, est peccatum mortale ex suo genere, licèt ex parvitate materiæ vel inadvertentiæ possit esse peccatum veniale.

Suppono secundo, contumeliam non esse peccatum, quandò fit sine animo injuriandi, ut si per jocum, vel per correctionem convicium profert. Sic excusantur à mortali mulierculæ, vel pueri, qui animo irato sibi invicem dicunt quidquid in buccam venit.

Suppono tertio cum *Azorio* 3. *par. lib.* 23. *cap.* 50. *dub.* 1. omnes contumelias habere eandem malitiam, nec unam esse altera graviorem. Undè non est audiendus *Bonac. de contract.b. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 1. dicens, contumeliam, vel derisionem ergà parentes, habere specialem malitiam in confessione explicandam, verius enim est, omnes contumelias esse ejusdem rationis.

Suppono quarto, derisionem esse actum, quo alterius honor verbis, vel factis violatur, cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubescentiam: undè ait *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2. quòd major contemptus reperitur in derisione, quàm in contumelia, quæ derisio est peccatum mortale ex suo genere, concurrentibus tamen tribus conditionibus. Prima est, intentio graviter confundendi proximum. Secunda est, manifestatio gravis vitii. Tertia est, ut derisus graviter tristetur. His positis.

Dico primo, honor ablatus per contumeliam, vel derisionem, est restituendus. Probatur, quia peccat contrà Justitiam, qui alterius honorem injustè abstulit, ergo restitui debet honor ablatus nedùm ipsi dehonorato, sed etiam aliis, apud quos illius honor ablatus est: *Lessius, & Azorius ubi suprà.*

Restitutio autem honoris ablati multis modis fieri potest: primo scilicet, dando locum honorificum, adhibendo ad mensam, Secundo, petitione veniæ, Tertio, salutando, vel aliquid aliud faciendo, qua de re *DD. citati.*

### ARTICULUS VII.

*De Restitutione facienda ob famam ablatam.*

AD intelligentiam hujus articuli. Suppono primo, detractionem famæ esse quandam denigrationem famæ propriæ, vel alienæ, eamque dividi docent DD. in formalem, & materialem, formalis est, quæ fit animo auferendi famam: materialis, quæ absque tali intentione fit, *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 1.

Suppono secundo, detractionem famæ posse fieri octo modis, quatuor scilicet directis, & quatuor indirectis. Directi sunt, imponendo alteri crimen falsum, secundo, revelando crimen occultum licèt verum, tertio, augendo, & amplificando verum crimen, quarto, explicando factum honestum alterius in sinistram partem, undè versus.

*Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens.*

ALii quatuor modi indirecti, quibus fama detrahitur, sunt primo negando rectè facta, & bona alterius; secundò, diminuendo rectè facta, vel laudes alterius, tertio, reticendo bona alterius eo loco, & tempore, quo adstantes recipiunt reticentiam pro tacita vituperatione, quarto, laudando ità frigidè, ut cedat in vituperium laudati, undè versus.

*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse*

SUppono tertiò, detractionem famæ esse peccatum mortale ex suo genere, quia infert damnum notabile proximo in fama, cùm melius sit habere bonum nomen, quàm divitias multas, *Eccles.* 41. curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm multi thesauri magni, & pretiosi. His positis.

Dico primò, peccatum mortale est manifestare peccatum mortale alterius, lædendo graviter ejus famam, quia injustè infert damnum notabile alteri; quòd si non lædat graviter famam proximi, non erit peccatum mortale; undè non peccat mortaliter, qui dicit, militem commisisse duellum, retinere concubinam, &c. sicut neque peccat mortaliter, qui dicit adolescentem esse prodigum, vel amoribus deditum, &c.

Ampliatur conclusio etiam in eo, qui refert delictum alicujus defuncti; ut si quis revelaret adulterium fœminæ mortuæ, vel concubinam Clerici defuncti, &c. quia aufertur bona opinio, quam habet defunctus apud homines, in qua vivit, & talis detractio nocere potest consanguineis defuncti, *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 9. cum aliis communiter, & hoc casu tenetur ad famæ restitutionem, quam famam restituere tenetur familiæ, vel consanguineis defuncti, si in eorum præjudicium concerneret, *Molina verò disput.* 44. docet, melius esse restituere famam defuncto per exhibitionem suffragiorum, quòd si probabiliter crederetur damnatus, non esset ei restituenda fama.

Limitatur conclusio, quandò manifestarentur peccata venialia, quia tunc non est peccatum mortale detractionis. Idem dic, si manifestarentur vitia, quæ possunt esse mortalia, & venialia, puta quòd Titius sit superbus, sit avarus, &c. quia non censetur inferri notabilis infamia, nisi tamen per manifestationem talium delictorum contristaretur proximus notabiliter.

Limitatur secundò in manifestatione defectuum naturalium, quia non est peccatum mortale, & ideò dicens Titium esse ignarum, parvi judicii, gibbosum, Hermaphroditum, &c. non est peccatum mortale, sic nec dicere, aliquem habere morbum gallicum, est mortale peccatum, cum talis morbus nedùm ex peccato carnali, sed etiam ex frigiditate oriri possit, *Bonacina ubi suprà, quæst.* 4. *par.* 2. *num.* 9.

Dico secundò, revelare peccatum mortale, vel crimen alicujus uni, vel duobus amicis prudentibus, & taciturnis, qui id secretò retinebunt, non est peccatum mortale secundùm probabilem sententiam *Cajetani* 2. 2. *quæst.* 73. *ar.* 2. *dub.* 1. *Reginaldi lib.* 2. *num.* 75. & aliorum: secundùm opinionem verò probabiliorem *Salonii*, *Azorii*, *Bannes*, *Rebelii*, *Suarez*, & aliorum apud *Bonacinam par.* 3. *num.* 2. est peccatum mortale detractionis, quia est læsio famæ proximi in materia gravi; ego verò primam opinionem *Cajetani* teneo, quam etiam tenet *Grassius lib.* 2. *cap.* 137. *Tanderus in* 2. 2. *S. Thomæ disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 7. *nu.* 138. *Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par.* 8. *quæst.* 2. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3.

Probatur, quia non lædit famam notabiliter, cùm revelet occultum delictum, apud unum, vel duos, qui non sunt delictum revelaturi, ergò non peccat mortaliter, & sicut non est fama uno dicente, ita neque infamia, nisi pluribus dicatur; hanc opinionem probabilem etiam putat *Bonac. ubi suprà.*

Dico tertiò, referens alteri injuriam sibi factam ecretò ab aliquo, non peccat mortaliter, si id faciat animo capiendi consolationem à tali amico, secùs, si id faciat animo detrahendi sibi ipsi famam, *Bonacina ubi suprà num.* 3. *Lessius lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 12. *num.* 72. *Layman. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. & alii suprà citati, ob rationes, de quibus videas ipsos.

Dico quartò, licere pœnitenti manifestare complicem in confessione, immò id tenetur facere, quandò aliter explicare non potest peccatum, & currit præceptum de confessione, quòd si timet grave damnum ex parte complicis extrà confessionem, tunc debet confessionem omittere, si ei non est necessaria, quòd si necessaria sit potest hanc circumstantiam reticere, communiter DD. apud *Suarez* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 34. *sect.* 2. *Bonacina de contract. disp.* 2. *quæst.* 4. *par.* 4. *num.* 2.

Verùm contrariam sententiam probabilem etiam puto, immò probabiliorem, quòd nullo modo pœnitens teneatur explicare circumstantiam manifestativam complicis, etiamsi nullum sequatur damnum, præter infamiam apud confessarium, ità *Cajetanus in verb. confessio conditio* 3. *Armilla verb. circumstantia nu.* 11. *Navarr. in manuali cap.* 7. *nu.* 3. & 4. multi alii, quos adducit, & sequitur *Joannes de la Crux de pœnit. quæst.* 3. *dub.* 40. *concl.* 3. Ratio, quia præceptum non infamandi proximum, est arctius præcepto non integrandi confessionem; immò est gravis infamia, si confessarius nesciebat de complici similia peccata, *Diana de circumst. resol.* 49. ergo erit utraque sententia probabilis, jam quod suprà diximus, posse aliquem uni, vel duobus peccatum manifestare.

Dico quintò, non peccat mortaliter eum, qui narrat peccata alterius, audita ab alio, & expressè asserit, se nihil scire certò, sed solùm recensere, quæ audit, ità contrà *Sotum*, *Navarrum*, *Turrianum*, *Malderum*, *Sylvium*, & alios, quibus adde *Bonacinam de restitutione disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 5. *Layman. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. docent *Tannerus* 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 7. *num.* 339. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *dub.* 20. *Armilla in verb. restitutio num.* 4. *Sylvester in verb. detractio, quæst.* 4 & alii apud eos. Accedit *Faber de restitutione in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 53. *cap.* 1. *nu.* 29.

Probatur, quia hoc casu damnificatio famæ non tam oritur ex parte dicentis, quàm credentium, ergo non est peccatum mortale, consequentia patet, antecedens probatur, quia referens tale crimen, refert ipsum auditum sine nova asseveratione, vel confirmatione, ergò, etiamsi animadvertat aliquos ex audientibus temerè credituros, non est peccatum mortale, ut benè *DD. citati.*

Limitatur conclusio, quandò sic narrans aliquam addit majorem certitudinem, quàm sit, quæ ex communi relatione habetur, quia tunc peccat, & tenetur ad restitutionem, DD. *citati.*

Dico sextò, non esse peccatum mortale manifestare crimen alicujus publicum in eo loco, ubi non erat publicum, DD. communiter, quos sequitur *Filliuccius tract.* 22. *num.* 234. ratio est, quia ob delicti publicitatem amisit delinquens jus ad famam, licèt retinere videatur eam in loco, ubi non est delictum publicum, tamen eam retinet de facto, non de jure, nam de jure illam amisit, Idque intellige cum *Lessio lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. *n.* 77. etiamsi delictum sit effectum publicum vi tormentorum Judice non interrogante juridicè, ex quo reus confessus est.

Limitatur, quandò delinquens graviter ex manifestatione mærore afficeretur, quia tunc peccaret manifestans saltem contrà charitatem, *DD. citati.*

Addit etiam *Lessius ubi suprà num.* 82. non esse peccatum

peccatum, referre alicui delicta, ob quæ aliàs fuit infamatus, quamvis nunc sit bonæ famæ, quia jus ad famam pro eo tempore delinquens nunquàm acquisivit, ex eo verò, quòd nunc non sit infamis, sequitur, peccare illum mortaliter, si eum infamem vocet nunc, non ob delicta antè acta, sed nova, non publica, undè peccant historici referendo publica peccata aliquorum mortuorum, non referendo pœnitentiam, si verè pœnituerunt, *DD. citati.*

Dico septimo, non esse peccatum mortale aliquem infamatum in uno genere peccati, infamare in alio genere connexo, cum eo de quo est infamatus: esset tamen peccatum mortale, infamare eum in alio genere cum illo non connexo: ità communiter Theologi, quos sequitur *Lessius lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 14. *Filiuccius tract.* 40. *cap.* 4. *quæst.* 9. *num.* 105.

Prima pars probatur, quia si quis de publico adultero dixerit, quòd scripserit litteras amatorias, vel de lusore, quòd pejeraverit, vel de publico hæretico, quòd Imagines fregerit, &c. quia hæc omnia solent ordinari unum ad aliud; nulla est famæ violatio.

Limitatur, quandò quis de uno infamato in uno genere, dicit peccatum ejusdem generis, sed atrox; ideò, qui de infamato, eo, quòd furatus fuerit nummum aureum, dicat quòd furatus sit mille, peccat mortaliter, quia licèt sint ejusdem speciei hæc duo crimina, tamen secundum est atrox, ex quo graviter proximi fama offenditur.

Secunda pars, quòd scilicet infamare aliquem jam infamatum in uno genere ab alio peccato diverso, & non connexo cum primo, est communis apud *DD. citatos* contrà *Sylvestrum in verbo detractio. quæst.* 1. ad finem, dicentem, non esse peccatum mortale, infamatum in graviori genere peccati infamare in alio genere minoris peccati, ut si de notorio homicida vel fure dicat quis, fornicatum fuisse, & communis opinio Probatur, quia infamatus de aliquo crimine retinet bonam famam, & opinionem in alia materia, cùm fama non sit quid indivisibile, sed ex pluribus quasi partibus constet; quarum, una amitti potest, alia retenta.

Dico octavo, non peccare mortaliter eum, qui revelat crimen alterius alicui ad consulendum bono ejus, cui crimen revelatur, dummodò ad id talis revelatio necessaria sit, *Lessius dub.* 9. *&* 10. Idque ex eo, quia damnificatus non videtur habere jus retinendi famam cum damno alterius, ergò. Quare docet *Lessius*, detegendum esse Advocatum, vel Medicum, qui se jactat idoneum, cùm sit imperitus, eis scilicet, quibus damnum impendet.

Dico nono, se ipsum infamare non est peccatum mortale ex suo genere, nam unusquisque Dominus est suæ famæ, sicut bonorum, eo quòd eodem modo acquirantur, *Lessius ubi suprà dub.* 6. cum aliis communiter contrà *Cajetanum* 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *& in summa in verb. detractio*, & alios, quos sequitur *Turrianus* 2. 2. *disput.* 54. *dub.* 1. asserentes, non posse aliquem se ipsum infamare.

Limitatur conclusio, quandò infamando seipsum infamarentur filii, religio, consanguinei, &c. aut quandò illi necessaria est fama, puta si sit superior, vel Prælatus, *DD. citati.* Ideò qui dixerit, se esse hæreticum, vel commisisse crimen læsæ majestatis sinè ulla causa, peccat mortaliter, quia hæc delicta infamant filios: sic qui seipsum infamat cum periculo vitæ, puta dicendo, se violasse filiam Titii, peccat mortaliter, si timeat, mortem sibi ob hoc infligendam.

Dico decimo, imponere sibi aliquod crimen falsum ad evitanda tormenta, non esse peccatum mortale, etiamsi ex eo sequatur mors, secluso perjurio, ità *Toletus lib.* 5. *cap.* 66. *Lessius ubi sup.* & probatur, quia non tenetur cum tanto cruciatu vitam custodire: quòd si tormenta sint levia, est peccatum mortale, nam cum levi incommodo tenetur propriam vitam custodire.

Ampliatur, ut possit quis sibi falsum crimen imponere ad liberandum suum Patrem à morte, vel gravibus tormentis, idem dic ad liberandum amicum, licèt imponens exponat se periculo vitæ. Ratio est, quia licitum est pro parente, vel amico vitam exponere, & sicut ad vitandam propriam mortem id liceret, ità ad evitandam mortem amici, vel parentis, quæ propriæ æquivalet.

Intellige hoc primo, dummodò Judex non interroget Juridicè, nam Judice interrogante juridicè id fieri non potest, quia impediret per mendacium executionem dignæ mortis.

Intellige secundo, dummodò non apponat juramentum, *DD. citati.*

Dico undecimo, peccat mortaliter, qui audit detractorem, eumque movet ad detrahendum, puta ostendendo sibi gratam detractionem, vel eum absque justa causa de alterius defectibus interrogans, & tenetur ad restitutionem, *Lessius ubi suprà cap.* 11. *Filiuccius tract.* 40. *cap.* 4. *q.* 14.

Probatur, quia est causa injusta detractionis, ergò peccat graviùs, quàm ipse detrahens, ergò tenetur ad restitutionem, cùm sit contrà Justitiam.

Ampliatur, ut etiam peccet mortaliter, sed contrà charitatem tantùm, non contrà justitiam, quandò non incitat ad detrahendum, sed solùm delectatur de gravi detractione, *DD. ubi suprà.*

Ampliatur secundo, ut peccet mortaliter non corrigendo detractorem, quia facit contrà præceptum correctionis in re gravi, quòd si ex negligentia, aut verecundia non repellat detractionem, peccat solùm venialiter, nisi audiens sit superior, vel grave damnum videat futurum ei, cujus famam detrahit, *Tannerus in* 2. 2. *S. Thomæ disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 7. *num.* 151. *Reginaldus in praxi tom.* 2. *lib.* 24. *cap.* 4. *num.* 95. *Faber de restit. dist.* 15. *quæst.* 3. *disput.* 53. *cap.* 3. *num.* 127.

Limitatur verò conclusio primo, quandò qui audit, non potest commodè corrigere, quia tunc charitas non obligat, vel si non speretur fructus ex correctione.

Limitatur secundo, quandò sibi timet aliquod grave damnum corrigendo, ut si timeat injurias, aut verbera, aut audiens sit famulus, vel nullius auctoritatis: in quibus tamen casibus, qui non potest aliter corrigere, debet discedere, si commodè potest, vel sermonem ad alia transferre, aut vultum tristem ostendere, juxtà illud *Proverb.* 25. Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentis.

Et ideò benè advertit *Bonacina ubi suprà par.* 11. *num.* 8. *Rebellius de obligat. Justitiæ par.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 6. *num.* 8. *Malderus in* 2. 2. *S. Thomæ tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 15. privatas personas sæpiùs excusari à mortali non obstando detractioni, tùm quia sæpè non est spes fructûs: tùm quia audiens non debet in dubio præsumere loquentem malum, nisi habeat sufficientes conjecturas in contrarium, quòd si de hoc dubitet, debet credere, delictum justè narrari. Superiores verò non corrigentes subditos detractores, peccant mortaliter, communiter docent *DD. citati.*

Dico duodecimo, non tenetur ad restitutionem famæ ille, qui alium infamavit, quandò infamatus suis virtutibus, & actibus famam adeptus est, *Lessius ubi suprà dub.* 17. Sicut in simili non tenetur fur ad restitutionem, quandò Dominus rem ablatam recuperavit

ravit alia via, tenetur tamen ad damna, quæ ille ex hoc passus est, puta si ob hoc privatus esset beneficio, &c.

Ampliatur, ut non sit restituenda fama, quandò illi, quibus narrata est, obliti sunt, *Lessius ubi suprà num.* 18. *num.* 119. nam nullum infamatus patitur damnum, quia damnum illatum, per oblivionem censetur evanuisse: putat verò *Azorius par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 10. crimen alteri narratum per spatium 20. annorum existimari oblitum, & per consequens ab obligatione restituendi eximere: immò neque tenetur eos interrogare, an recordentur eorum, quæ ipsis olim narravit.

Dico decimo tertio, eum, qui revelavit crimen alicujus alicui, quem sciebat vel dubitabat aliis revelaturum, teneri restituere famam apud omnes, nam ejus detractio censetur causa efficax infamiæ apud omnes: secùs, si nesciebat, eum revelaturum, nam tunc damnum apud alios non censetur violatum per se, sed per accidens: *Lessius*, qui concordantes adducit, *ubi suprà dub.* 11. *num.* 111. Verùm aliqui in hac quæstione indistinctè dicunt, non esse restituendam famam, nisi apud auditores tantùm, *Villalobos in summa tom.* 1. *tract.* 11. *diff.* 37. *& alii.*

Dico decimo quarto, eum, qui alterum infamavit, verum crimen dicendo, sed occultum, famam restituere non teneri dicendo, se mentitum esse, aut falsum dixisse, ut putant *Lessius dub.* 20. *Navarr.* & alii apud ipsum: sed suavis modus restituendi famam hoc casu est, quem tradit *Sotus de Just. & jure lib.* 4. *quæst.* 9. *art.* 3. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. & alii communiter: modus autem est, ut non teneatur dicere, se perperàm locutum fuisse, vel injuriam fecisse, vel fuisse deceptum, vel se falsum dixisse; sed sat est laudare eum, quem priùs diffamaverat, nec ampliùs de illa re coram illis, apud quos eum diffamavit, loqui; quem modum commendat *Layman lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 7. *num.* 2.

Ampliatur conclusio, ut etiamsi quis falsum dixerit alterum infamando, non teneatur jurare, se falsum dixisse, ut contrà *Navarrum, Clavem Regiam, Molinam, Bonacinam, Salonium*, & alios apud *Bartholomæum à Sancto Fausto, in speculo confess. disp.* 21. *quæst.* 21. docet *Philippus Faber in* 4. *sentent. de restitutione disp.* 53. *cap.* 1. qui citat, *Alensem, S. Thomam*, aliosque antiquiores, undè hoc casu diffamans sat est, si se retractet coram eis, apud quos proximum diffamavit absque juramento absque ullis testibus. Quòd si primam sequi velis sententiam; nota non procedere, quandò esset infamans vir magnæ auctoritatis, ut docet *Sylvius in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 62. *art.* 2. *Villalobos in summa tom.* 2. *tract.* 11. *disput.* 37.

Adverte tamen, quòd qui alterum infamavit, falsum crimen dicendo, tenetur ad restitutionem etiam damnorum indè provenientium: qui verò infamavit, verum, sed occultum crimen dicendo, non integra damna restituere tenetur, sed ad arbitrium prudentis viri: *Sotus de justitia, & jure quæst.* 7. *art.* 3. & alii apud eum.

Dico decimo quinto, ob multas causas posse aliquem excusari à restitutione famæ: quarum

Prima est compensatio, quæ fieri potest in restitutione famæ servata æqualitate, undè si ego tibi, & tu mihi famam abstulisti, possum compensationis titulo famam ablatam non restituere, te nolente mihi famam restituere, si verò ego multa delicta de Caio dixerim, & ille minora de me, tunc ego teneor ad æqualitatem restituere; *Lessius lib.* 2. *de Just. & jure cap.* 11. *dub.* 25. *num.* 132.

Adverte primo, quòd si Titius Caium infamavit de uno tantùm crimine, quod est longè majus, quàm sit illud, de quo Caius Titium infamavit, tunc poterit Titius retinere famam Caii per modum pignoris, quoùsque ei fama sua restituatur.

Adverte secundo, quòd manifestans crimina alicujus, eumque infamando, non peccat mortaliter si id facit, quia ab illo infamatur, & ne ei præstetur fides, nam id facit ad sui defensionem, quæ unicuique jure naturali competit, *DD. citati*, sic poterit injuriatus injuriare injuriantem ob propriam defensionem juxtà illud *proverb.* 26. *Responde stulto juxtà stultitiam suam*: sic Christus Dominus cæsus ait, *Quid me cædis.*

Secunda causa, quæ excusat à restitutione famæ, est condonatio, seù remissio obligationis restituendi famam, quam remissionem facere non potest religiosus, quia est præjudicium Monasterii, vel uxor, quia adest præjudicium mariti, &c.

Tertia causa est, quandò infamia jam abiit in oblivionem, ut suprà dixi. Idem dic, quandò fama est recuperata bonis, ac virtuosis actibus, ut suprà.

Quarta causa est, quandò quis revelavit crimen occultum, quod posteà factum est alia ratione publicum, nam infamatus ex eo, quòd delictum publicum fuit effectum, amisit jus ad famam, immò etiamsi fuerit factum publicum injustè, *Sylvester in verb. detractio, quæst.* 4. *cum aliis.*

Quinta causa est, quandò detractio fuit inefficax, puta, quia audientes non crediderunt, vel quandò audientes jam noverant similia, &c.

Sexta causa est, quandò non potest famam restituere infamato sine periculo vitæ, ratio est, quia vita est bonum superioris ordinis, quàm sit fama: ergò non adest obligatio restituendi famam cum periculo vitæ, *Bannes* 2. 2. *quæst.* 62. *ar.* 6. *dub.* 9. *Navarrus cap.* 17. *num.* 56. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Idem dicunt, quàndo famæ restitutio fieri non potest absque notabili jactura famæ propriæ, quia non obligat justitia cum periculo damni notabiliter majoris, quàm sit damnum illatum: undè non tenetur vir Illustris restituere famam homini Plebeio, quandò id facere non potest, sine detrimento propriæ famæ, *Less. ubi suprà.*

Rogabis, an qui excusatur à restitutione famæ ob causas allatas, teneatur eam pecunia compensare?

Respondetur negativè: ità docent *Laym. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 7. *Filiuccius tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 10. *num.* 239. *Lessius lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 11. ratio, est, quia jam quòd fama restitui non potest, nec poterit pecunia compensari, quia esset dare aliquid inferioris ordinis, melius enim est habere bonum nomen, quàm divitias multas.

Verùm adest, in hac re opinio contraria, quam tenet *Villalobos in summa tom.* 2. *tract.* 11. *diff.* 39. *Sotus de Justit. & jure lib.* 4. *quæst.* 6. *ar.* 3. *ad* 4. *Aragonia in* 2. 2. *S. Thomæ, quæst.* 62. *art.* 2. post multos, quos citat: meritò poterit infamatus sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si is non poterit alia ratione satisfacere, aut noluerit, quod valdè notat *Tannerus in* 2. 2. *S. Thomæ disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 6. *Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par.* 1. *præcepto* 7. *art.* 2. *dubit.* 6. *conclus.* 3.

Adverte etiam primo, quòd si reus sit accusatus, & juridicè interrogatus de crimine vero, & illud neget, non tenetur ad famæ restitutionem, quod est valdè notandum, hujus opinionis fuit *Faber de restitut. in* 4. *sentent. dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 13. *cap.* 2. *num.* 56. *contrà Cajetanum* 2. 2. *quæst.* 68. *ar.* 2. *Azorium par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *q.* 8. *Sotum de Justit. & jure lib.* 4. *quæst.* 6. *ar.* 3. *ad* 4.

Adverte secundo, non adesse obligationem restituendi famam, quandò detractio est effecta verbis generalibus, putà dicendo, aliquem esse mendacem, ambi-

ambitiosum, nisi ratione dignitatis personæ, ut si hæc essent dicta de religioso gravi, vel de Prælato, *Filliuccius tom. 2. tract. 32. cap. 9. n. 229.* immò alii apud eum indistinctè tenent, & veriùs, detractionem, ut obliget ad restitutionem, debere esse de peccatis mortalibus.

Adverte tertiò, quòd vita alicujus Plebeii reputari potest inferioris ordinis fama alicujus nobilis, & ideò plebeius tenetur reparare nobilis famam cum periculo propriæ vitæ, secundùm *Sotum de justitia, & jure lib. 4. quæst. 6. artic. 3. ad quartum, Covarru. in regula peccatum, Rebell. de restitution. lib. 4. quæst. 13.*

Verùm in hac re contrarium docet *Cajetanus 2. 2. quæst. 62. artic. 6. Sylvester in verb. detractio q. 4.* & alii, quos citat *Tannerus in 2. 2. disput. 4. q. 6. dub. 6. n. 149.* nam bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento boni superioris ordinis: sed vita est bonum superioris ordinis, quàm fama, ergò, quod procedit etiam quandò infamia esset maxima, putà de hæresi, de crimine læsæ Majestatis &c.

Undè docent DD. quòd adultera etiam infimæ sortis, & nupta viro nobili, cui supponit filium alterius pro successione majoratûs, omissis filiis legitimis, non est opus, ut se prodat, etiamsi sciat profuturam; nec adultera tenetur id filio spurio revelare, nec filius tenetur credere. Verùm tenebitur adultera in tali casu, si potest, ex justitia satisfacere, aut conferendo bona libera filiis legitimis, aut consulendo spurium intrare religionem.

Adverte quartò, quòd si quis famam injustè ablatam neque directè, neque indirectè possit restituere, non tenetur antè Judicis sententiam pecunia illam compensare, vel eidem satisfacere, *Lessius l. 2. cap. 11. dub. 16.* & alii quos sequitur *Layman. lib. 3. tract. 3. sect. 5. par. 2. cap. 7. nu. 7. cum aliis.*

Rogabis, an teneatur hæres defuncti, restituere famam, quandò defunctus eam non restituit?

Respondetur negativè, quia obligatio restituendi famam, est obligatio personalis, sicut obligatio adimplendi votum injunctum, &c. de natura autem omnis obligationis personalis est, ut non transeat ad hæredes, ergo, legas *Salonium in 2. 2. S. Thom. quæst. 62. ar. 2. contr. 21. concl. 2.*

Limitatur, quandò damna nata essent ex infamia, quia ad ea resarcienda tenetur hæres, nam obligatio restituendi damna, est obligatio realis, & transit ad hæredes, & sic intelligas *textum in cap. in literis de raptoribus, & in cap. à nobis de sentent. excommunicationis*, ubi hæredes compelluntur ad satisfaciendum pro defuncto.

### ARTICULUS. VIII.

#### *De restitutione facienda ob ludum.*

AD intelligentiam hujus articuli.

Suppono primò, ludum esse contractum, quo ludentes res suas exponunt periculo ob spem accipiendi res alterius. DD. communiter, undè licèt unicuique lusori liceat à contractu ludi resilire, re adhuc integra, tamen quandò sors, vel alea jàm incœpta est, non licet à ludo, alioquin licito, resilire, *Azorius p. 3. lib. 11. c. 19. dub. 7.*

Suppono secundò, ludum esse ex suo genere licitum, posse tamen illicitum reddi pluribus de causis, ut si esset minor, vel religiosus, qui luderet, vel quandò irreverentia contrà Deum intervenit, vel quandò dolus, & alia prava adest circumstantia, tunc enim illicitus esset, sic ratione loci redditur illicitus, ut in Ecclesia, *cap. cùm decorem de vita, & honest.* ratione personæ, ut clericis illicitus est ludus, *cap. inter dilectos de excessib. Prælat. cap. clerici de vita, & honest. Clericorum*, qui autem ludi sint Clericis prohibiti, legas *Graffium 2. part. decis. lib. 3. cap. 9.*

Ut ergo ludus sit licitus, quatuor conditiones requiruntur.

Prima conditio est, ut ludens non utatur fraudibus, quia, si fraudibus utitur, alteri injuriam facit: ex quo.

Infertur primò, adhibentem fraudes non solitas adhiberi in ludo, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, secùs, quandò fraudes sunt consuetæ, ut si videat quis socium errantem in numerandis signis, &c. *Azorius* ubi suprà cum aliis. Sic qui se finxit minùs peritum in ludo, vel qui in primo, & in secundo jactu permittunt vinci, fraudes non consuetas committunt, sic tenetur restituere, qui ludit cum aliquo, qui notabiliter ignorat, & alter collusor ignorat, quòd sit tantæ scientiæ, quia adest dolus dans causam contractui, *Salas de ludo dub. 25.*

Infertur secundò, eum, qui auctionem ab altero factam acceptat, & hoc ex admonitione alicujus adstantis, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, si non decreverat acceptare antè admonitionem, in cujus defectum tenetur ille, qui admonit, utpotè acceptationis causa; quòd si antè admonitionem decreverat acceptare, tunc non tenetur restituere: quòd si antè admonitionem, erat dubius, an acceptaret, nunc solùm partem tenetur restituere, quia adhuc acceptaret, ergo non integrum tenetur restituere, legas *Bonac. disp. 2. q. 5. p. 2. nu. 8.*

Rogabis, an si quis vicit ludentem cum falsis chartis, teneatur ad restitutionem?

Respondetur, non teneri ad restitutionem; ità *S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad secundum. Sylvester in verb. ludus, quæst. 13. Tabiena verb. restitutio, qu. 17.* quia inæqualitas procedit ex culpa alterius ludentis, ergò non obstat, quin ejus collusor possit lucrari, qui impedimentum non apponit ex parte sua, ergò si tractus ad ludum lucretur à trahente, non tenetur ipse lucrum restituere, sicut si contrahens lucraretur, *Diana tract. 4. miscell. resol. 169.*

Secunda conditio in ludo requisita est, ut alter alterum ad ludum non compellat, sed voluntariè fiat.

Ex quo infertur, eum, qui traxit alterum ad ludum minis, & conviciis, & aliquid in tali ludo lucratus est, teneri ad restitutionem, quia adfuit injuria in tali contractu, *Salas de ludo*, qui concordantes adducit *dub. 6. & num. 5.* addit, attractum ad ludum non teneri ad restitutionem, si aliquid vicerit in tali ludo, quia ipse patitur injuriam. Alii verò apud DD. citatos probabiliùs asserunt, tales compellentes alios ad ludendum, non teneri ad restitutionem integræ pecuniæ acquisitæ, sed solùm ad satisfactionem injuriæ arbitrio prudentis, & hæc opinio practicatur à Confessariis, qui non solent obligare ad restitutionem eos, qui socios post pecuniam amissam cogunt ad persistendum in ludo, & ab aliis pecuniam anteà perditam, iterùm acquirunt.

Sed ingeniosè quæras, quid si in hoc ultimo casu socius cogens alium ad persistendum in ludo, lucretur non solùm partem, quam amiserat, sed majorem, an teneatur ad restitutionem?

Respondetur secundùm clavem Regiam *lib. 11. cap. 13.* & alios apud *Molfesium in summa tom. 2. tract. 12. cap. 21. num. 59.* teneri ad restitutionem, secundùm *Toletum verò lib. 5. cap. 27. nu. 7.* quem sequitur *Megala 2. 2. libr. 2. cap. 19. q. 3. nu. 16.* obligatur ad restituendam illam tantùm partem, quam suprà suam, quam perdiderat, lucratus est. Secundùm verò DD. magis benignos, nihil tenetur restituere, quia talis contractus ludi fuit validus, & justus, nam si non esset justus, utique attractus ludens teneretur ad restitutionem vincendo, ergò sicut, si coactus vincat,

potest

poteſt retinere lucrum, ità & cogens poterit retinere, erit tamen verum, poſſe attrahentem privari lucro per ſententiam, non ipſo facto. *Adrianus de ludo in principio*, *Garzia de contractibus part. 2. cap. 19.* probabiliter id docet, *Leſſius lib. 2. cap. 26. dub. 2. n. 9.* abſolutè id docet *Molina de juſtitia, & jure tract. 2. diſp. 516. num. 2. Diana tract. 3. miſcell. reſol. 25.*

Tertia conditio eſt, ut poſſit ludens diſponere de re, quam exponit, undè filius-familias in notabilem quantitatem ludere non poteſt, eo verò caſu, quo ludendo acquirit, ſibi, & non patri acquirit, quia ad eum ſpectat peccatum, & incommodum reſtitutionis, uſusfructus verò bonorum in ludo acquiſitorum, rigore juris attento, ad Patrem ſpectat, verùm regulariter præſumuntur parentes illud condonare: ex quo

Infertur primo, filium-familias vel alium non habentem facultatem ludendi, non poſſe retinere, quod acquiſivit, tùm quia adeſſe debet æqualis conditio contrahentium, tùm etiam, quia adeſt dolus dans cauſam contractui, eo quòd neſcit alius, illum non habere facultatem diſponendi, ſecùs, ſi notum ſit, eſſe filium-familias vel alium.

Verùm adverte, quòd minores per ludum vel alium contractum ſimilem, ſi aliquid perdiderunt, ſolvere non tenentur, ſed exceptione legis civilis ſe defendere poſſunt, dummodò ſe ſoluturos non juraſſent, qua lege civili attenta non tenentur ſolvere, legas *Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 6. diſp. 38. num. 20. Layman in Theologia morali lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 9.* & alios apud eos.

Sicut etiam, quandò pupillus vel minor creditori ſolvit, tunc in foro conſcientiæ rem illam retinere poteſt creditor, donec ab eo repetatur, per beneficium legis civilis talem repetitionem concedentis, *Layman ubi ſuprà num.* 11. qui alios adducit contrà *Covarr. in cap.* quamvis pactum *par. 2. §. 4. n. 120.* ſic etiam, quandò pupilli, & minores, vel eorum nomine tutor, & curator aliquam pecuniam indebitè ſolutam repetere velint, quam ob aliquam cauſam recuperare non poſſunt, poterunt recompenſationem facere, ſivè palam, ſivè occultam, *Layman* ubi ſuprà, & ideò Confeſſarius poterit minorem nolentem ſolvere, benè abſolvere, & creditorem nolentem reſtituere, abſolvere etiam, quæ omnia tollunt ſcrupulos infinitos, & nova ſunt.

Infertur ſecundo, filium-familiam habentem paratam pecuniam, quam, & non majorem perdere poterat, ſi cum illa majorem ſummam lucratus eſſet, non teneri ad reſtitutionem, ut contrà *Sotum, Aragoniam*, *Comitulum*, & alios docet *Sanchez in ſumma tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 86. Philiarchus de officio ſacerdotis tom. 2. par. 2. lib. 5. cap. 2. Reta par. 1. caſ. 61.* & alii apud eos; Quod à fortiori procedit, quandò colluſor ſciebat, illum eſſe filium-familias quia videtur cedere juri ſuo, *Bonacina de contractib. diſp. 2. quæſt. 3. par. 2. num. 19.* & ſic *Bannes in 2. 2. S. Thom. quæſt. 32. art. 7. concl. 3.* ait, pupillum, habentem tantùm viginti aureos, poſſe lucrifacere centum; immò mille ducatos.

Addunt ad hoc propoſitum communiter *DD.* quos ſequitur *Fauſt. in ſpeculo confeſſ. diſput 32. quæſt. 19. & 20. Salas de ludo dub. 9. num. 8.* poſſe filium-familias vigeſimam partem alimentorum, quæ annuè ſuppeditantur, alienare, & ludere; quod ampliant etiam in ea pecunia, quam ex ludo filius-familiam acquirit.

Infertur tertio, eum, qui pecuniam ludo acquiſivit ab uſurario, vel fure, poſſe ſibi retinere, ſi ejus rei dominium ſpectabat ad uſurarium, vel furem, ut ſi fur, vel uſurarius ludendo, vel negotiando, acquiſivit ſibi alias pecunias; *DD. citati.*

**Rogabis, an prohibitus ludere, ſi ludat continuatè cum quinque, v. g. committat quinque peccata mortalia?**

**Reſpondetur, non facere niſi unum peccatum, ità *Azorius par. 1. lib. 4. cap. 4. in fine*, quem citat,** & ſequitur *Sancius in ſelectis diſput. 6. num. 1.* ubi probat, quòd qui per totam noctem cum pluribus ludunt, ſemel tantùm luſiſſe videntur, quia, licèt illi actus ſint numero diſtincti, tamen in genere moris pro uno actu habentur, & ideò Confeſſarium exiſtentem in peccato mortali, & plures confeſſiones eodem tempore audientem, unicum peccatum facere, docuêre *Fagundez præcepto 20. lib. 3. cap. 5. num. 6. Rodriquez in ſumma tom. 2. cap. 34. num. 23.* & ideò meritò conſulere poteris eum, qui ex voto non poterat ludere, ſi per diem continuatè luſiſſet cum pluribus, nonniſi unicum feciſſet peccatum, *Diana tract. 4. miſcell. reſol. 45.*

Quarta conditio in ludo requiſita, eſt æqualitas conditionis, ut ſcilicet tantum poſſit perdi, quantum lucrari, & ideò

Infertur primo, regulariter non poſſe aliquem plus lucrari, quàm poterat perdere, ſicut, qui nihil poteſt perdere, lucrari non poteſt aliquid: undè ſi ludens tecum non poſſit lucrari, niſi decem, tu tantummodò decem ab eo lucrari poteris, *Salas de ludo dub. 13.* qui concordantes adducit, verùm ſi colluſor, cujus pecunia major eſt, ſciat inæqualitatem, & conſentiat, quod quaſi ſemper evenit, tunc licitum eſt ludum. Ideò, qui capitale majus, quod vulgo dicitur *Tutto il reſto*, in ſponſione aliqua expoſuerit, poterit, qui capitale minus habet acceptare ſponſionem, & lucrari illud ſine onere reſtitutionis; dummodò capitale majus habens, ſciat illum ſocium habere minus, ità docent doctus *Bonacina de contractib. diſp. 2. q. 3. par. 2. num. 19. Bartholomæus à Sancto Fauſto in ſpeculo Confeſſ. diſp. 32. q. 36. num. 3.* quod anteà docuerat *Azor. par. 3. lib. 5. cap. 25. quæſt. 7. Salas de ludo dub. 13. num. 3.*

Infertur ſecundo, poſſe aliquem ludere pecunia numerata cum alio ludente pecunia credita, quia ludens pecunia credita, videtur renunciare juri ſuo: verùm an ludens oppignerata fide, teneatur ſolvere in conſcientia id, quod perdidit, quæſtio eſt? & licèt affirmativè reſpondeant *Azorius par. 3. lib. 2. cap. 24. quæſt. 7. Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5.* & alii; tamen contrarium docent 18. DD. quos refert, & ſequitur *Salas de contract. dub. 20. Tannerus in 2. 2. S. Thomæ diſp. 4. q. 6. dub. 11. num. 308.* idque ea ratione, quia qui ludo perdidit, & ſolvit, habet actionem ad repetendum, ergo multò magis habebit exceptionem, antequàm ſolvat, quia inane eſt ſolvere, quod poſteà ſolvens jus repetendi habet.

Undè doctus confeſſarius poterit pœnitentem abſolvere, qui non vult ſolvere pecuniam credito amiſſam in ludo: quòd ſi ille, qui credito ludit, eam ſolvat, non tenetur recipiens ad reſtitutionem, quia leges non obligant ad reſtitutionem, ſi pecunia ſoluta fuerit, vel ſi id intendunt, in hoc non fuerunt uſu receptæ, ità *Salas de ludo ubi ſuprà num. 6.* qui refert alios oppoſitum ſentientes.

Verùm hoc totum intellige de ludo prohibito taxillorum &c. quia in ludis prohibitis ſolùm datur actio ad repetendum, *l. alearum. C. de relig. & ſumpt. funer.* ergo in eis ſolùm datur exceptio, & per conſequens, qui pecuniam amittit, non tenetur reſtituere, at in ludis non probitis, cùm non detur actio ad repetendum, neque habetur exceptio, ſed tenetur ſolvere.

Quòd ſi renunciaverint ludentes beneficio legis Civilis, concedentis repetitionem, tunc ſecundùm *Sotum, & Azorium ubi ſuprà*, tenetur ſolvere ille,

qui

qui perdit, sed secundùm *Rebellium lib.* 12. *quæst.* 2. *num.* 8. qui alios adducit, non tenetur solvere, quia renunciatio concernit contrà bonum Reipublicæ, & ideò invalida, legas *Bonac. ubi suprà p. ult.*

## TITULUS VII.

### DE USURIS.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de furtis: & quia usura est species furti, meritò ponitur hic titulus, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, usuram esse lucrum ex mutuo immediatè proveniens, vel ut alii dicunt, usura est, quicquid ultrà sortem mutuatam recipitur, *can. usura* 14. *quæst.* 3.

Dicitur ex mutuo, nam lucrum aliundè proveniens non dicitur propriè usura. Ideò vendens aliquid suprà justum pretium, non dicitur usuram committere sed aliud peccatum injustitiæ.

Dicitur immediatè, nam si lucrum non procedat ex vi pacti in mutuo facti, sed potiùs ex amicitia, vel gratitudine, tunc non est usura: ex quo.

Infertur primo, non licere mutuare pecuniam alteri, ut tempore fructuum colligendorum, illam restituat in vino, oleo, vel tritico, quia acquirit mutuatarius obligationem ex mutuo, quòd si des illam pecuniam, quasi anticipatam solutionem fructuum, quos alter tibi daturus erit, tunc actio licita, non usuraria est, & dicitur venditio potiùs, quàm mutuum, & sic possunt conciliari illæ duæ sententiæ, quarum altera damnat casum propositum, altera verò approbat.

Infertur secundo, eum, qui alteri mutuat, ut desinat nocere, vel ut reddat depositum, cùm non dicatur accipere aliquid ultrà sortem, non committere usuram, ut infrà.

Sciendum secundo est, usuram prohiberi jure divino, naturali, Ecclesiastico, sivè Canonico.

Prohiberi de jure divino probatur, *Psal.* 14. ibi, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram habitaturus est in Monte Sancto Dei, & Lucæ* 16. ibi, *Mutuum date nihil indè sperantes*, & aliis sexcentis locis, quos congerit *Azorius par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 2.

Prohiberi de jure naturali, probatur, quia est contrà jus naturæ, ut idem bis, seù duplici pretio vendatur, vel vendatur id, quod non est vendentis: sed is, qui usuras accipit, vendit idem duplici pretio, & id, quod non est suum, ergo peccat contrà Jus naturæ. Minor probatur, quia qui usuras accipit, vel eas accipit pro sorte, & sic pro eadem re duplex pretium accipit, nempè rem sorti æqualem, & usuras: vel pro usu sortis, & sic rem vendit, non suam; usus enim rei mutuatæ est mutuatarii.

Prohiberi de Jure Canonico, constat ex toto titulo Decretalium de usuris, & in toto titulo Sexti de usuris, & ex *Clem. de usuris*, quod Jus abrogat illud Jus civile, quod non quidem approbat usuras, ut aliqui dicunt, sed permittebat usuras, sicut permittit meretrices.

Dices primo, *Deuter.* 22. habetur, *Non fænerabeused fratri tuo ad usuras pecuniam, sed alieno, & cap.* 28. habetur fœnerabeus Gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies, ergo saltem ab Infidelibus licitum est accipere usuras, ergo non est prohibita de jure divino.

Respondetur, negando utramque consequentiam, nam ex his locis solùm colligitur, fuisse permissas usuras Hæbræis ad majus damnum evitandum, ne exhaurirentur fratres, ut exponit *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 2. vel concedunt usuras ergà Infideles, qui erant hostes Judæorum, à quibus sicuti vi poterant auferre eorum bona, sic etiam aliquo artificio: Gentiles enim res Hæbreorum retinebant injustè, & ideò ad faciendam compensationem permittebantur usuræ, qua de re agit *Filliuccius tract.* 34. *cap.* 1. *num.* 12. & ideò non erant propriè usuræ, sed debiti compensatio.

Dices secundò, per *text. in l.* 1. 2. *& alibi*, *C. de usuris*; datur actio exigendi usuras illis, qui per stipulationem convenerunt de usuris inter se, ergo si jure naturali prohibitæ essent, utique id non ignorarent Juris Consulti.

Respondetur, primo Jus Civile tantùm permisisse usuras ob bonum Reipublicæ.

Respondetur secundo, Jus Civile in hoc fuisse abrogatum per Jus Canonicum, à quo excommunicantur Judices, qui cogunt ad illarum solutionem, *Clem.* 1. *de usuris*, sicut etiam Summus Pontifex ad evitanda majora mala, permittere potest usuras, *Sotus de usuris dub.* 4. etsi contrarium putet *Corradus de contractib. q.* 26. *concl.* 2.

Sciendum est tertio, pluribus modis accipi hoc nomen usuræ: primo pro mentali, & est quandò quis mutuat animo accipiendi aliquid lucri ex mutuo, sed non paciscitur cum mutuatario de hoc, neque expressè, neque tacitè, secundo pro usura reali, & est, quandò quis mutuat cum pacto accipiendi lucrum ex mutuo, & hæc usura realis potest esse duplex, expressa, & tacita, expressa est, quandò mutuans expressè de lucro paciscitur: tacita, quandò quis mutuans alteri, dicit illi, tu scis consuetudinem meam in mutuando, nempè accipiendi ex mutuo lucrum, tertio apud Civilistas usura sumitur pro lucratoria, quæ sola est propter lucrum ex mutuo, punitoria, quæ est de pœna aliqua solvenda, si mutuatarius fuerit in mora, Protestatoria, quæ dicitur de solvenda re ex mutuo ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, ratione periculi, laboris, & expensæ, quæ possunt intervenire in mutuo.

Sciendum est quarto, usurarium mentalem, qui scilicet dat pecuniam mutuo sine ullo pacto lucri, sed ipsum intendens, non teneri ad restitutionem, quandò ei illud lucrum dat mutuatarius gratis, & liberaliter, non ex vi pacti, seù mutui, & ille eodem modo accipit.

Quòd si mutuarius det aliquid mutuanti suprà sortem, eo quòd cognoscit, vel ex signis, vel ex consuetudine mutuatoris, illum velle lucrum ex mutuo, tunc tenetur mutuans ad restitutionem, & illicitè accipit, quia mutuatarius dat tanquàm debitum ex mutuo, sed ex mutuo non potest esse debitum, ergo verè non dat, ergo accipiens restituere tenetur.

Quòd si mutuatarius det aliquid ratione mutui, verùm mutuator accipiens ea accipit bona fide, putans sibi dari gratis, & liberaliter, & tunc non tenetur ad restitutionem, nisi perspecta voluntate mutuatarii dantis illa intentione, nempè ex mutuo, & tunc tenetur restituere, nedùm rem, sed etiam fructus extantes, vel consumptos, si ex illis effectus sit locupletior, quòd si dubitetur, an sit data ratione mutui, an liberaliter, & gratis, præsumitur res data gratis, non ratione mutui, *Angelus*, *Navarrus*, & alii, quos citat, & sequitur *Filliucc. tract.* 34. *cap.* 50. *quæst.* 1. *num.* 92.

Quòd si tandem mutuatarius dat gratis, & liberaliter, putans, mutuatorem hoc modo accipere, sed verè ipse mutuator accipit ratione mutui, & tunc alii affirmant teneri ad restitutionem, alii verò negant teneri, ità docent *Scotus in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. Scotistæ cum eo, *Angelus in verb. restitutio. Sylvester in verb. usura* 6. *quæst.* 3. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 78. *art.*

*art.* 1. & alii communiter: ratio eſt, quia mutuatarius verè gratis & liberaliter donat, ergo mutuans id poſſidet non invito domino, & licèt mutuans id voluerit ratione mutui, tamen ex hoc non eſt facta injuria mutuatario.

*Explicatur, An creditor poſſit retinere fructus rei pignoratæ, ſine uſura?*

AD intelligentiam hujus quæſiti, quod ex noſtro textu in principio deſumitur.

Dico primo, non poſſe creditorem retinere ſibi fructus pignoris accepti ad ſecuritatem crediti, ſed deductis expenſis, debet eos redere debitori, aut computare in ſortem capitalis, niſi ſubſit juſta cauſa retinendi, *Azorius par.* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *caſ.* 8.

Probatur, tùm quia ſic habetur in *cap.* 1. *&* 2. *eodem tit. de uſuris*, ubi latè *Abbas*, tùm quia non poteſt accipi aliquid ultrà ſortem pro mutuo, tùm quia res domino fructificat, ſed pignus eſt debitoris, ergo, ſicut, ſi perderetur abſque negligentia creditoris, damnum eſſet debitoris, ità ſi fructificat, fructus ſunt reſtituendi debitori.

Juſta cauſa retinendi fructus ex parte creditoris, poſſet eſſe lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel in cuſtodiendo pignore factæ expenſæ, &c. quia ob has cauſas licitum erit in mutuo aliquid exigere, ergo poterunt retineri fructus.

Dices primo, Dominus, qui dedit in feudum (idem dic de emphyteuticario reſpectu domini directi) ſi accepit id ipſum feudum in pignus à feudatario, poteſt fructus accipere, nec eos reſtituere tenetur, *cap. conqueſtus de uſuris*, ergo ità dicendum eſt de eo, qui accipit rem in ſecuritatem ſui crediti.

Reſpondetur, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia contractus feudi, vel emphyteuſis habet hanc tacitam conditionem, ut ſi res tradita in feudum, vel in emphyteuſim tradatur domino directo in pignus, dominus directus poſſit ſibi fructus retinere, intervenientibus quibuſdam conditionibus, de quibus *Salonius* 2. 2. *quæſt.* 78. *contr.* 13. *Salas de uſuris dub.* 31. at verò pignus à mutuatario, non poteſt cum tali conditione accipi, quia hæc conditio contractui mutui repugnat, cùm omninò gratis celebrari debeat.

Dices ſecundò, non tenetur reſtituere fructus perceptos ex domo ſibi tradita in pignus pro dote, *cap. ſalubriter de uſuris*, ergo neque mutuator tenetur reſtituere fructus, quos percipit ex pignore ſibi tradito pro ſecuritate.

Reſpondeo, nego conſequentiam, nam genero ceſſat lucrum ob dilationem dotis, ergò meritò accreſcunt fructus, & tales fructus, vel cenſentur à ſocero donati, vel ſaltem traditi ad onera matrimonii ſuſtinenda, ſicut traditur dos: *Toletus* 5. *lib. cap.* 30. *Molina diſput.* 321. & ità docent communiter DD. quòd ſi fructus pignoris hoc caſu excedant onera matrimonii, nec ſunt reſtituendi, quia præſumuntur donati; ex quo

Sequitur, eſſe uſuram quandò gener accipit pecuniam in dotem à ſocero, & eandem eidem mutuo tradidit, cum pacto, ut ſibi rem aliquam frugiferam tradat in pignus, non computando fructus in ſortem, niſi fortè fructus accipiat ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, *DD. citati*. Idem dic ſi ſocero volente pecuniam reſtituere, gener nolit eam acceptare, ſed petat fundum frugiferum cum mentione non computandi fructus in ſortem, quia cenſetur ſocero mutuare pecuniam, cum pacto aliquod recipiendi ſuprà ſortem.

*Explicatur, an committatur uſura, quandò emuntur Chyrographa minori pretio?*

AD hujus quæſiti intelligentiam.

Suppono, credita omnia poſſe eſſe, aut certa, aut incerta, & periculoſa. Hoc poſito.

Dico primo, emere Chyrographa, ſeù credita immatura minori pretio non ſolùm à tertia perſona, ſed etiam ab ipſo debitore, preciſo lucro ceſſante, aut damno emergente, v. g. emere Jus ad centum aureos ſolvendos intrà annum 90. vel 96. non eſt uſura; ità docent *Cajetanus in verb. uſura*, *Armilla in verb. uſura, nu.* 5. *Emmanuel Sà in verb. debitum nu.* 20. *Navarr. cap.* 17. *num.* 331. *Faber. de reſtitutione quæſt.* 2. *diſput.* 97. *cap.* 4. *num.* 113. eam etiam docuit *Cardin. Bellarmin. relatus per Leſſium de juſtitia & jure, lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 8. *num.* 66. *Coſmus Philiarcus de officio Sacerdotis par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 13. *& alii apud eos.*

Eſt tamen hæc opinio contrà *Molinam*, *Medinam*, *Rebellium*, *Aragonium*, *Azorium*, *Sotum*, *Sylveſtrum*, multoſque alios. quos refert, & ſequitur *Bonac. de contractib. diſp.* 3. *q.* 3. *par.* 10. *nu.* 2. noſtra ſententia probabilis eſt.

Probatur, nam pecunia præſens magis extimatur, quàm futura, ſic Chyrographa, ſeù jura minùs extimantur, quàm pecunia præſens, ergo dicta Chyrographa minùs emi poſſunt, conſequentia patet, antecedens probatur, quia minùs eſt habere actionem ad rem, quàm ipſam rem, *l. minus, ff. de regulis juris*, ſed per Chyrographa habetur jus ad rem, & non res ipſa, ergo, &c.

Confirmatur, quia talis contractus non eſt mutuum, ſed emptio, & venditio, nam jus ad rem poteſt emi, ſicut emitur jus tranſeundi per aliquem agrum: ergo, &c.

Dices, jus ad centum ſunt ipſa centum, ſicut jus ad rem eſt ipſa res, ergo non eſt majoris valoris res, quàm jus ad rem.

Reſpondeo negando antecedens, verè enim jus ad centum, & ad rem diſtinguitur aliquo modo ab ipſa re, & per conſequens minùs valet jus ad rem, quàm res ipſa, *d. l. minus.*

Dico ſecundò, probabilius eſt, non eſſe contractum uſurarium, quandò emuntur liberantiæ expeditæ militibus, vel aliis à miniſtris regiis dimidio pretio, ac valeant, quandò difficilis eſt ſolutio, ità docet *Leſſius ubi ſuprà cap.* 12. *dub.* 9. *Salas ſibi contrarius de empt. dub.* 40. *Bonacina ubi ſuprà num.* 4. *contrà Malderum* 2. 2. *tract.* 50. *cap.* 7. *dub.* 5. *Molfeſium in ſumma tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 50. *nu.* 116. *Salas de uſuris dub.* 27. *nu.* 8.

Probatur, quia, ut benè docet *Bonacina*, cum aliis, juſtum pretium rei emptæ non eſt quanti res valet emptori, ſed quanti in ſe valet, aut quanti valet ipſi creditori, conſideratis certis circumſtantiis, ſed dicta Chyrographa non valent venditori in totum ratione difficultatis, & exiguæ ſpei, quam creditor habet illa recuperandi, ergo minoris emi licitè poſſunt.

Probatur ſecundò, quia hæc Chyrograha non habent pretium à lege taxatum, ergo illud aſſignandum eſt ex communi *DD.* extimatione: ergò ſi Princeps Turcarum debeat mihi mille aureos, & nulla ſpes adſit obtinendæ ſolutionis, poteſt quis hoc debitum à me emere centum, vel quinquaginta, etiamſi emptor facilè integram obtinebit ſolutionem, quia hoc ſuæ induſtriæ, & bonæ fortunæ tribuendum eſt, *Diana de contract. reſol.* 49. *&* 50.

Limitatur concluſio, quandò, qui emeret hæc Chyrographa, eſſet cauſa difficultatis, quia tunc non poterit creditum minoris emere, ſed peccat contrà juſtitiam,

justitiam, & tenetur ad restitutionem minùs emendo, nam tale creditum minùs valet ob ejus culpam, qui causa est difficultatis, ergo peccat contrà justitiam minùs emendo, *DD. ubi suprà.*

*Explicatur, utrùm Montes, qui dicuntur Pietatis, sint immunes ab omni genere usuræ?*

AD intelligentiam hujus tituli suppono, dari plures Montes pietatis, dicuntur verò aliqui Montes Pietatis, eo quòd sunt erecti ad succurrendum pauperum necessitatibus, eo quòd solent Principes, communitates, vel alii Pii viri assignare certam pecuniæ summam, quæ mutuatur pauperibus: quorum Montium conditiones sunt istæ: prima scilicet, ut mutuetur pecunia pauperibus, non divitibus, secunda conditio, ut mutuetur ad certum tempus, nempè ad annum, vel ad duos, tertia, ut mutuatarius ad securitatem Montium, ne exhauriantur, det pignus æquivalens pecuniæ, quæ mutuatur, quarta, ut mutuatarii solvant tria, vel duo pro singulis centenariis, quinta, ut si, præscripto tempore, non solvant sortem mutuatarii, vendantur pignora, quorum primo restituatur Monti pecunia mutuata, & solvitur stipiendum ministris Montium, & ex illo deducuntur aliæ etiam expensæ necessariæ ad conservationem ipsorum Montium, & quod remanet, mutuatariis solvitur. Hoc posito.

Dico primo, Montes Pietatis cum suprà dictis conditionibus non esse illicitos, & usurarios, sed justitiæ fautores, & Pietatis; ità *S. P. Leo X. determinavit in Concilio Lateranensi sess.* 10. ubi cupit erigi, eosque excommmunicat, qui contrarium dixerint, in Bulla, quæ incipit *Inter multiplices*, de qua Bulla meminit *Quaranta in verb. Montis Pietatis:* immò in *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 8. 9. *&* 11. inter loca, quæ debet Episcopus visitare, sunt Montes pietatis.

Probatur, quia si quæ esset ratio, quare isti Montes essent usurarii, ea esset, quæ ex quarta conditione sumitur, puta quòd mutuatarii solvant aliquid singulis annis, vel mensibus pro Conservatione Montis, &c. Sed hæc ratio nihil officit, ergo. Minor probatur, quia id, quod exigitur, non exigitur ob mutuum, vel dilationem solutionis, sed ob expensas necessarias, ad conservationem, & administrationem Montis, ergo non sunt usurarii: essent tamen usurarii, quandò id, quod reciperetur, Domino accresceret, vel ipsi Monti, non autem expensis in eo necessariis deserviret, legas *Azorium par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 1.

Ex quo collige primo, quòd si aliquid solvatur suprà id, quod deserviat pro expensis, à mutuatariis, debet eis restitui: quòd si sint mortui, vel ignorentur, debent pauperibus, vel pro loco dari & quia inter locos pios maximum locum obtinet Mons pietatis, ideò posset ipsi Monti id, quod superest, applicari, si verò aliquod superfluum solvatur ultrà expensas, tunc accipere Mons non potest, *DD. citati.*

Collige secundò, Civitatem, vel Universitatem compellere suos cives ad dandam ipsis pecuniam mutuo, ut ex illa cumulata aliqua summa possit mutuari suis civibus, & ad conservationem hujus pecuniæ exigere ab indigentibus mutuo aliquid suprà sortem, nedùm ratione expensarum, sed etiam aliquid aliud, putà quatuor, vel quinque pro centenario ratione damni emergentis, & lucri cessantis in ipsis civibus mutuantibus. *DD. ubi suprà*, quia hic Mons esset constitutus ad sublevandam Principis necessitatem, sicut ille pietatis ad pauperum sublevandas necessitates ordinatur.

Dico secundò, Montes, qui deputantur ad certos usus, puta Mons farinæ, vel carnium, liciti sunt, probatur ex eo, quia isti sunt veluti quidam census fundati in vectigalibus, tributis, vel aliis annuis reditibus, & vocantur Montes, quia sunt veluti acervus quidam pecuniarum, cùm enim Princeps certam pecuniarum summam ex vectigali vini, vel carnis exigere possit, potest hoc vendere, recipiendo ex gratia centum aureos pro singulis quinque, & sic potest recipere magnam pecuniam vendendo Jus illorum centum uni, vel pluribus.

Ut autem isti Montes justè exigantur. Primo requiritur, ut fundentur in veris annuis reditibus, non fictitiis, alioquin essent usurarii, secundò, ut non vendantur plura loca, quàm ferant reditus Montis, quia vendi non potest, quod non est, tertio, ut si Mons in totum, vel in parte pereat, pro rata, vel in totum pereant loca empta. nam destructo fundamento, destruitur id. quod in illo nitebatur; secùs, si pereat culpa domini Montis aut si Dominus Montis obligavit se etiam de casu fortuito, *Azor. par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 12. *& lib.* 10. *cap.* 23. *q.* 3.

Dico tertio, Montes alios esse vacabiles, alios verò non vacabiles, alios redimibiles, alios irredimibiles.

Mons vacabilis, dicitur, quandò morte emptoris revertitur portio empta ad Principem, qui iterùm eam vendere solet, & in hoc casu justum pretium pensionis emptæ potest esse etiam duodecim pro centenario ratione majoris periculi, quod pati potest emptor.

Mons non vacabilis est, quandò pensio, & locus emptus non vacat morte emptoris, sed ad hæredes transit; & hoc casu pensio emi potest ob rationem quinque vel sex pro centenario.

Mons redimibilis, est quandò Dominus Montis reservat sibi facultatem restituendi pecuniam acceptam, & redimendi censum, emptor verò pretium repetere non potest.

Mons non redimibilis est, quandò venditor non potest pecuniam ab emptore traditam restituere, & onus pensionis solvendæ extinguere, *Azor. ubi sup.* qui latè agit de hac re.

*In §. Multiplicibus autem.*

AGitur in hoc *§. cum sequentibus, de pœnis usurariorum.* Ad intelligentiam cujus rei.

Sciendum est primo, quòd usurarius notorius, & publicus, pluribus pœnis punitur, de quibus *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 235.

Primo enim, non admittitur ad Eucharistiam, donec publicè satisfecerit, *cap. quia in omnibus* 3. *de usuris, Emmanuel Sà in verb. usura.*

Secundò, non admittitur ad sepulturam Ecclesiasticam, *Clem.* 3. *de sepulturis, cap. quanquàm de usuris in* 6. *& dict. cap. quia in omnibus*, & sepelientes usurarios sunt excommunicati, nec possunt absolvi, donec satisfecerint ad Episcopi Arbitrium, saltem si sepeliant post sententiam declaratoriam criminis specialiter latam, *Salas de usuris, dub.* 47. *num.* 9. immò contrà sepelientem usurarium manifestum in loco sacro est pœna suspensionis ab officio, donec satisfecerit ad arbitrium Episcopi, dummodò denunciatus sit usurarius, *Bonacina de censuris disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 31. *num.* 6. *ex cap. quia in omnibus*, *de usuris.*

Rogabis, utrùm comitans cadaver excommunicati usurarii manifesti, vel interdicti, aut foveam ex- trucns

truens, aut mandans, vel consulens sepeliri, sit excommunicatus?

Respondetur probabiliùs negativè, nisi propriis manibus sepeliat. Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ, *cap. statutum de electione in 6. cap. pœna, de pœnis, cap. Odia. de regul. Juris in 6.* ergo excommunicatio lata contrà sepelientes usurarios, non afficit comitantes, mandantes, consulentes, aut canentes, vel portantes Crucem, aut foveam extruentes, *Cajetanus in verb. excommunicatio, Alterius de censuris tom. 2. disp. 9. cap. 4. Avila de censuris par. 2. cap. 6. disp. 10. dub. 6. contrà Suarez, disp. 12. sect. 4. Coninch. disp. 14. dub. 8. num. 68.* & alios, qui putant, comprehendi mandantem.

Tertio, non admittitur usurarius manifestus ad confessionem sacramentalem, nisi priùs satisfaciat, vel præstet cautionem idoneam creditoribus, vel ordinario loci, si creditores desint, *cap. quanquàm de usuris in 6.* quæ cautio debet esse pignoratitia, & fidejussoria, vel saltem juratoria, quandò alia præstari non potest.

Verùm, si usurarius non possit hæc omnia præstare, quia fortè reperitur in articulo mortis, tunc erit absolvendus, & obtenta ab ipso facultate, est admonendus Episcopus de promissione usurarii, ad hoc, ut, si usurarius convalescat, compellatur ad restitutionem, vel ipso mortuo, compellantur hæredes, *cap. tua. de usuris, cap. fin. de sepulturis, Filiucc. tract. 34. par. 2. num. 155.*

Quarto, usurarius efficitur infamis, *l. improbum, C. de quibus causis* infamia irrogetur, quam pœnam infamiæ non incurrit occultus usurarius, *text.* enim citatus loquitur de usurario manifesto, *Filiucc. ubi sup.* qui addit, hanc infamiam peracta pœnitentia tolli.

Quinto, usurarius non admittitur ad oblationes; *d. cap. quia in omnibus, de usuris,* & Clerici accipientes eorum oblationes suspenduntur: eleemosynas tamen poterunt recipere Clerici, dummodò non fiant inhabiles, & impotentes ad restituendum, & eleemosyna, ut plurimùm fit secretè, oblatio verò publicè, *Abbas in d. cap. quia in omnibus.*

Rogabis primo, quis dicatur usurarius manifestus?

Respondetur, eum dici, qui vel palàm tradit ad usuras, ut nulla tergiversatione possit celari, vel qui sententia Judicis condemnatus est de hoc crimine, vel qui hoc crimen confessus est in judicio, vel cujus crimen confessum est in judicio per duos testes idoneos, *argumento cap. cùm olim de verb. signif. Covarr. lib. 3. var. cap. 3.* ex quo

Infertur, non dici usurarium manifestum, qui confitetur suum crimen extrà judicium, vel qui est infamatus de hoc crimine, ut qui contrà se habet indicia usuræ. vel semiplenam probationem, *DD. citati.*

Rogabis secundo, quibus pœnis puniatur clericus usurarius?

Respondetur, suspendendum esse ab officio, & beneficio, *cap. præterea de usuris*: immò non desistens, est deponendus ab officio, & beneficio jam adepto *cap. 1. de usuris can. si quis. 47. distinct.* poterit tamen Episcopus cum tali clerico dispensare peracta pœnitentia ad beneficia tam obtinenda, quàm obtenta: DD. communiter, quos refert, & sequitur *Filiuccius ubi suprà.*

### *In §. Nullus.*

Conclusio hujus textûs est, neminem posse usurario manifesto locare domum aut conductas ædes habere, sed infrà tres menses expellantur, & contrarium faciens, si fuerit Episcopus, aut Episcopo superiori, suspensione punitur, si fuerit Collegium, sivè alia universitas, interdictum incurrit, *cap. usurarum. de usuris in 6.*

Ampliatur conclusio, ut neque possit concedere usum domûs alicui usurario extero ex titulo precarii aut alia de causa, nam in textu habetur, *vel alio quocumque titulo:* ut benè advertit ibi *glossa.*

Ampliatur conclusio secundo, etiam in eo, qui permittit usurarium manifestum in terris suis domum conducere, aut aliàs habitet, dummodò expellendi habeat auctoritatem, & jurisdictionem.

Ampliatur tertio, ut tempus trium mensium *in dicto textu* impositum, ab eo tempore incipiat, quo quis novit usurarium manifestum usuras exercere, *Bonacina tom. 3. disp. 2. quæst. 1. pun. 9. num. 70.*

Limitatur conclusio primo, in personis laicalibus, nam dicta excommunicatio est lata contrà ecclesiasticas personas, quæ domos usurariis locaverint, ut in *d. textu* apertè apparet, ergo non est ipso jure censura lata contrà laicos, *Bonacina ubi suprà num. 21.* undè laici erunt excommunicandi, ut in *d. textu* habetur,

Limitatur secundò conclusio, quandò quis domum locat usurario manifesto non alienigenæ, sed de eo loco, in quo locat, nam excommunicatio lata est contrà locantes domos advenis, ex eo forsitan, quia proclivior est homo ad fœnus exercendum inter extraneos, quàm inter suos, legas prædictum textum: oriundus verò dicitur, qui natus est in eo loco, vel saltem Pater ejus.

Limitatur conclusio tertio, quandò usurarius est oriundus de aliqua terra, & transfert se ad habitandum in alia terra, quæ est sub dominio ejusdem superioris, quia tunc non est excommunicatus superior, illum non expellens; nam talis fœnerator non videtur alienigena, *Bonacina* cum aliis ubi suprà.

Limitatur conclusio quarto, quandò quis usurarium domi reciperet titulo consanguinitatis, vel amicitiæ, quia hoc non videtur sub excommunicatione prohibitum: sicut ex hoc capite, etiam non prohibetur quis hæreticum recipere. *DD. ubi suprà.*

Limitatur ultimo, quandò domus locaretur ad alium finem, quàm ad usuras exercendas, quia in *textu* dicitur (*nemo illis ad fœnus exercendum*) in dubio verò locator præsumitur locasse ad usuram, quia præsumitur locum donasse ad eum usum, qui ab eo exerceri solet, cujus domus locata fuit, *glossa in d. cap. usurarum, in verb. ad fœnus, Romanus cons. 178. Alterius de interdicto disp. 12. cap. 1. col. 4.*

Dices: in *d. cap. 1. de usuris in 6. dicitur,* (*vel sub alio titulo quocumque concedere*) ergo etiamsi domus locetur, vel tradatur ad alium finem, quàm ad fœnus exercendum.

Respondetur, illa verba, *vel sub alio titulo quocumque,* apposita fuisse ad comprehendendos varios modos traditionis; nam domus non solùm potest tradi titulo locationis, verùm etiam pignoris, donationis, venditionis, permutationis, precarii, & hujusmodi, & sic quocumque titulo domus usurario tradatur, censura incurritur, modò tradatur ad finem exercendi usuras: *Alterius,* & alii *DD. sup. cit.*

### *In §. Testamenta.*

Conclusio hujus textûs est, testamentum usurarii manifesti non valere; annullatur enim ipso jure in *d. cap. quanquàm de usuris in 6.* immò, *si Bonacinæ credimus de contractib. disp. 3. quæst. 3. punct. finali, num. 1.* procedit nedùm respectu testamenti facti post usuras acceptas, verùm etiam respectu testamenti facti antè usuras acceptas.

Ampliatur conclusio, ut neque testamentum usurarii

rarii manifestè, valeat ad pias causas, *Abbas, & alii Canonistæ*, quos refert, & sequitur *Tiraquellus de pia causa privileg.* 79. *Thorus de pia causa privileg.* 120. Ratio est, quia Ecclesia, quæ est cultrix, & auctrix justitiæ, non debet ad aliquod lucrum contrà justitiam admitti, *cap.* 1. *§. sed diversæ de alienat. feud.*

Ampliatur conclusio secundo in donatione causa mortis: licèt enim multi teneant, posse usurarium manifestum facere donationem causa mortis, ut videre est apud *DD.* quos refert *Ripa in l.* 2. *ff. de leg.* 1. *Covarru. de testamentis in rubrica par.* 3. *num.* 3. tamen magis communis opinio est, neque valere donationem causa mortis ab usurario factam, ut tenent communiter DD. apud *Julium Clarum in §. donatio quæst.* 7. *Molinam de Justit. & jur. tract.* 2. *disp.* 137. Ratio est, quia si posset facere donationem causa mortis, utique facilè eluderetur dispositio *text. in dict. cap. quanquàm de usuris in* 6.

Ampliatur conclusio tertio, ut etiam ille, qui fuit usurarius manifestus, & desinit posteà exercere usuras, non possit facere testamentum, vel aliam ultimam voluntatem, quia hoc est magis consonum, & tutius Animæ: intellige, nisi usuras restituisset, quia tunc certi Juris est, quòd posset testamentum facere, *Julius Clarus ubi suprà, quæst.* 26.

Limitatur conclusio primo, in usurario, qui antè mortem non erat notorius usurarius, quamvis post mortem habeatur, ut notorius, & per sententiam damnetur de crimine usuræ; nam testamentum videtur confirmatum per mortem, antequàm usurarius esset notorius, & antequam adesset impedimentum, *Card. Tuschus tom.* 8. *conclus.* 342. *Filiuccius tract.* 34. *num.* 329. *Molina ubi suprà.*

Limitatur conclusio secundo, ut valeat testamentum Judæi usurarii manifesti, quia cùm sint Judæi extrà gremium Ecclesiæ, non comprehenduntur sub dispositione.

Limitatur tertio, ut valeat testamentum usurarii manifesti, quandò præstat cautionem de restituendis usuris, quia tunc valebit testamentum, *ut in dict. cap. quanquàm*: quæ cautio debet esse per pignora, vel fidejussores, ut advertit *glossa in dict. cap. quanquàm*, cujus opinio communiter approbatur teste *Covarruv. lib.* 3. *var. cap.* 3. quòd si pignora, vel fidejussores dare non poterit, debet hoc jurare, *glossa ubi suprà.*

Limitatur conclusio quarto, ut quandò usurarius fecit testamentum non præstita cautione juxtà formam *dict. cap. quanquàm*, si posteà eam præstiterit, reconvalescat testamentum, quod à principio erat invalidum, ità communiter Canonistæ, quos refert, & sequitur *Covarr. ubi suprà num* 9. *Surdus de alimentis tit.* 7. *cap.* 40. *num.* 2. immò adeò hoc verum est, ut sufficiat procuratorem relinquere, qui præstet cautionem, DD. multi, quos refert, & sequitur *Gratianus discept. for. tom.* 1. *cap.* 79. *nu.* 13.

Dices, testamentum filii-familias quod à principio est invalidum, non potest reconvalescere, cùm sui Juris efficitur, ex *l. quod ab initio, cum concordantibus, de regul. Juris*, ergo neque poterit hoc testamentum usurarii à principio invalidum reconvalescere.

Respondetur, magnam esse differentiam inter testamentum filii-familias & usurarii, nam testamentum filii-familias, furiosi, &c. est invalidum propter defectum testatoris, qui ad testandum inhabilis est: testamentum verò usurarii est invalidum ob defectum in testamento existentem; undè usurarius non est intestabilis, sed solùm prohibetur, ne in ejus testamento interveniant testes, ratione cujus defectûs dicitur, usurarium non posse facere testamentum: ità respondet communis præceptor *Bart. in l. si filio præterito in fin. ff. de injusto rupto*, major enim est defectus in persona testatoris, quàm in solemnitatibus necessariis in testamento, vel in persona hæredis, videas *Grat. tom.* 1. *discept. for. d. cap.* 79.

*In §. Nec quidquam, cum sequentib.*

Agitur hîc de obligatione, qua adstringuntur usurarii ad restitutionem faciendam. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, usurarium dominium rerum, quas ab usura accepit suprà sortem, non acquirere, quòusque id, quod accipit, potest à propriis rebus discerni, ità contrà *Navarrum*, *Armillam*, & alios dicentes acquirere dominium, docent *Azorius par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. *Lessius lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 18. & alii communiùs. Idque ex eo docent, quia ad transferendum dominium, non sat est nuda traditio; sed requiritur titulus, *l. nunquàm, ff. de acquiren. domin.* Sed in hoc casu licèt adsit traditio, non tamen adest justus titulus, & justa causa, ergò. Major, & consequentia patent, minor probatur, quia tradens usuras non habet causam justam, sed injustam tradendi, ergò licèt adsit traditio, non adest titulus, ex quo.

Infertur primo in praxi, quòd si res per usuram accepta, consistit in pondere, numero, & mensura, v. g. pecunia, oleum, frumentum, &c. & ista miscetur cum pecunia, vel oleo, vel frumento mutuantis, tunc dominium transfertur in mutuantem, quia hic est unus modus acquirendi dominia: habet tamen mutuatarius jus in re, ità, ut antè alios omnes ex illo acervo, sivè cumulo debeat ipsi satisfieri; immò credibile est, ut possit ex illo cumulo ità permixto accipere occultè, quantum de re sua novit in illo esse permixtum.

Infertur secundo, quòd si res illa per usuram accepta, extet eadem in specie, tenetur usurarius eam restituere mutuatario; undè, si crevit in pretio, ab ipso usurario etiam incrementum est restituendum mutuatario, nam incrementum cedit Domino, *DD. citati.*

Infertur tertio, usurarium teneri ad restituendos fructus, quos percepit ex re aliena, accepta per usuram, quia cùm non sit dominus rei, non acquirit dominium fructuum, si verò fructus sint industriales, ut sunt illi, qui ex pecunia usuraria percipiuntur, tunc non tenetur restituere, quia talis fructus est industrialis ejus pecuniæ, quam accepit pro usuris, pecunia enim ex se sterilis est. Idem dic de lucro, quod fecit ex oleo, vino, & aliis rebus, recipientibus functionem in genere suo, quas ipse usurarum loco accepit.

Adde, teneri usurarium restituere damna, quæ ipsi mutuatario accidunt, ut ex traditis suprà de restitutione apparet, causa enim injusta damni ad restitutionem tenetur, *DD. ubi suprà.*

Sciendum secundo est, quòd licèt usurarius fiat dominus pretii illarum rerum, quas per usuras accepit, & vendit, non tamen transfert dominium earum rerum in emptores, quia, cùm non sit dominus illarum, non potest dominium transferre in alium; *l. ex empto, ff. de action. empti*, putant verò alii, quos sequitur *Bonacina disp.* 3. *de contract. quæst.* 3. *pun.* 13. *in fine*, omnem contractum ab usurario factum, etiam rerum, quas per usuras accepit, validum esse. Quod tamen limitat *Molina disp.* 330. dicens, tunc procedere, quandò usurarius habet alia bona, quibus commodè possit satisfacere, quia tunc creditores non censentur inviti circà alienationes rerum suarum, & sic transfert usurarius dominium rerum suarum.

Rogabis, utrum bona usurarii remaneant obligata pro solvendis usuris?

Respondetur negativè: quia non adest hypotheca expressa, ut supponimus; neque tacita, quæ non habet locum nisi in casibus à jure expressis, ut in *tit. Codicis, quibus ex causis, pignus, vel hypotheca tacitè contrahatur*, inter quos casus hic non numeratur, ergò, ità docent *Covarr.* & alii apud *Azorium par. 3. lib. 5. cap. 13. contrà Medinam*, & alios citantes pro se *text. in cap. tua nos, de usuris, qui text. de hypotheca non loquitur.* Ampliatur, ut neque bona furis sint tacitè hypothecata, dummodò non sint res ipsæ alienæ in specie extantes, ut Juristæ dicunt, vel ut Theologi loquuntur, in Individuo, nam si res alienæ extent, Domino restituendæ sunt: *DD. citati.*

*Explicatur An omnes, qui ad usuras cooperantur, teneantur ad restitutionem?*

AD Intelligentiam hujus tituli.

Sciendum est primò, certum est primò, usurarium, quod mala fide, id est mente usuraria accepit, teneri ad restitutionem; quòd si accipiat aliquid bona fide, & mutuatarius donet in pretium mutui, tunc statim quòd id advertit, restituere teneatur, *cap. consuluisse de usuris.*

Sciendum est secundo, cooperantes ad usuras ex parte usurarii, teneri ad restitutionem, quia cooperantur efficaciter, & positivè damno alterius, & sic consulens, jubens, ut aliquis det aliquid cum usuris, tenetur in solidum cum usurario ad restitutionem, quamvis nihil ad ipsum de illis usuris pervenerit; ità *Navarrus cap. 17. nu. 263. Sotus lib. 6. quæst. 1. ar. 4. in fine.* Intellige, nisi suadens gratum fore hoc mutuatariis credat, quia tunc cùm mutuatarii tacitè consentiant, non tenetur ad restitutionem: sicut etiam non teneretur cooperans ad usuras, si solùm duxisset ad faciendum contractum, & post contractum consuluisset ad usuras acquirendas, quia tunc non tenetur ad restitutionem: *DD. citati.*

Secundò Principes, vel Judices, qui aliquo modo compellunt lege, vel statuto ad solutionem usurarum, tenentur ad restitutionem, immò excommunicantur, *Clem. unic de usuris*; si verò permittant solùm usuras ad evitanda majora incommoda, tunc non tenentur ad restitutionem, quia non sunt causa efficax usuræ: quòd si magnam pecuniam exigerent pro licentia fœnerandi ad usuras, tunc tenerentur ad restitutionem, quia essent causa majorum usurarum, *Angelus in verb. restitutio*, il. primo, *vers. usurarius num.* 8. *Navarrus ubi suprà, nu.* 275. *Sylvester in verb. usur. Sotus de Just. & jure lib. 6. quæst. 1. artic.* 4. Idem *de Judicibus*, qui non audiunt mutatarios volentes repetere usuras ab usurariis, quia videntur agere partes usurariorum. Idem dic de omnibus impedientibus repetitionem usuræ jam solutæ. *DD. ubi suprà* quos sequitur *Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 21. nu.* 179.

Tertiò, omnes Notarii conficientes instrumenta ex parte mutuantis, invito mutuatario tenentur ad restitutionem, licèt non exprimant titulum usuræ, sed sub alio nomine celebrent contractum; quòd si mutuatarius non sit invitus, tunc peccat quidem mortaliter Notarius contrà juramentum, quod præstat de non faciendis instrumentis illicitis, non tamen tenetur ad restitutionem, quia nulla adest injuria.

An verò Notarius, qui accedit ad faciendum instrumentum post factum contractum usurarium, peccet mortaliter, *quæstio est?* etenim negant alii, quia tale instrumentum est solùm testificatio contractûs jam facti, affirmant alii, quia instrumentum illud non est testificatio pura, sed est testificatio talis, cujus vi cogitur usurarius restituere usuras, qua de re legas *Navarrum, Angelum*, & alios ubi suprà mihi enim prima opinio placet, utpotè benignior.

Dices, ex Bulla Julii III. incipiente, *cùm sicut accepimus*, habetur, posse Notarios absque ullo scrupulo conficere instrumentum inter Judæos, & Christianos in omnibus contractibus celebratis inter Christianos, & Judæos, secundùm eorum capitula. Ergo non peccat mortaliter.

Respondetur, posse Notarium conficere instrumenta in contractibus licitis, & permissis, non verò usurariis, & illicitis, & sic intelligitur Summus Pontifex.

Quarto, famuli, qui ex speciali mandato Domini mutuum dant, & non concurrunt ad celebrationem contractuum, sed post celebrationem illorum deserviunt usurariis numerando pecuniam, referendo datum, & acceptum in libris rationum, recipiendo pignora, &c. non tenentur ad restitutionem, quia non sunt causa efficax usuræ.

Quinto, testes tenentur ad restitutionem, quandò interveniunt in contractu usurario, quia sine eis non fieret contractus, dummodò non intersint bona fide, aut consentientibus mutuatariis.

Sexto Proxenetæ, qui quærunt mutuatarios egentes pecuniis, eosque adducunt ad usurarios, non tenentur ad restitutionem, quia nullam inferunt injuriam mutuatariis, sed potiùs beneficium conferunt, cùm non sit in potestate ipsorum, ut usurarii dent pecuniam sine usuris, *Lessius lib. 20. c. 20. dub. 21. nu. 184. Sylvester in verb. usura, q. 7. contrà alios DD.*

Septimo, deponentes pecuniam apud usurarios; tunc tenentur ad restitutionem, quandò tradunt ad exercendam usuram aut eam consulunt, quia tunc exercent actionem injustam: quòd si tradas pecuniam usurario ob aliquam tuam commoditatem neque teneris ad restitutionem, neque peccas. si verò sine tuo commodo, tunc peccas quidem contra charitatem, dando illi occasionem fœnerandi, sed non teneris ad restitutionem, quia non facis contrà justitiam: undè, ut non pecces duo requiruntur; unum est quòd habeat usurarius alias pecunias, quibus possit fœnerari, secundum, quòd ob aliquam utilitatem deponas, nam si habet alias pecunias, non præbes occasionem, si verò non deponas ob tuam utilitatem; tunc non apparet, ex quo alio capite eam deposueris, & consequenter censetur deposita, ut causa fœnerandi, *S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 4. ad. ultimum*, ubi *Bannes*, & alii Expositores, *Sanch. in summa lib. 1. cap. 7. n. 36.*

Octavo, Tutores, Curatores, Administratores, &c. quandò usuras exercent insciis, & inconsultis iis, quorum bona administrant, tenentur in solidum restituere: ipsi verò, quorum bona administrant, tenentur prout ex usuris sunt ditiores effecti, quòd si exerceant usuras nomine pupillorum, tunc ipsi tenentur minùs principaliter, pupilli verò principaliter. *DD. ubi suprà.*

*In §. Nec is tantùm.*

COnclusio hujus textûs est, teneri etiam hæredes usurarii ad restitutionem faciendam, dummodò usurarius non restituit, sicut hæredes furis in defectu furis, *cap. tua nos, de usuris.*

Probatur conclusio, quia hæres repræsentat personam defuncti, & omnis obligatio realis defuncti ad eum transit, *l. hæredem*, ubi *DD. ff. de hæredib. institutn-*

*tituen.* sed obligatio solvendi usuras, est realis ergò &c.

Ampliatur, ut, si sint plures hæredes usurarii, singuli teneantur pro rata parte hæreditatis, dummodò aliquis non sit causa, cur alii non restituant, quia tunc ille in solidum tenetur, utpotè causa efficax damni, & ideò, si duo sint hæredes usurarii, & unus nolit, aut non possit restituere; alter non tenetur ad integram solutionem, sed solùm ad ratam hæreditatis, & sic intelligitur *textus in d. cap. tua nos, de usuris*, ut declarant *Covarr. lib. 3. var. cap. 3. Sotus de justit. & jur. quæst. 1. ar. 4. Lessius ubi suprà nu.* 175. & alii contrà glossam in *d. cap. tua nos.*

Ampliatur secundò, ut si aliquid acceptum ad usuram, perveniat ad hæredem: tunc si idem numero restitui debet, erit restituendum à quocumque retineatur, & ideò si extet domus, quæ restitui debeat, erit restituenda ab eo, ad quem pervenit, quia ipsius rei non habet usurarius dominium, *Lessius & alii ubi suprà.*

Limitatur primò conclusio, ut non teneantur hæredes, quandò nihil ad eos pervenit ex bonis usurarii, quia non sentit commodum usurarii.

Limitatur secundò, ut si noluerint restituere hæredes, non teneantur legatarii, aut donatarii ad restitutionem; dummodò usurarius reliquit hæredibus bona sufficientia ad satisfaciendum debitis, & legitimam, & quartam falcidiam: non enim succedunt legatarii, vel donatarii ad onera testatoris, *l. hæreditas. ff. ad regul. juris.*

Limitatur tertio, ut hæredes usurarii non teneantur ultrà vires hæreditarias ad satisfaciendum creditoribus usurarii, quòd si inventarium non fecerint, in foro externo tenebuntur ultrà vires hæreditarias, non in foro conscientiæ, *DD. ubi suprà.*

Rogabis: Titius erat mihi debitor mille aureorum, vivens assignat mihi pro solutione eas pecunias, quæ titulo usurario debentur, an possim illas acceptare?

Respondetur negativè, sed teneor ad restitutionem, si illas exegero, quia non habebat usurarius potestatem illas alienandi, ergo neque mihi dedit justam causam possidendi, ergo possunt à me pecuniæ illæ per creditores avocari.

Ampliatur, ut si tenear ego pecuniam, quam usurarius accepit usuræ nomine, restituere vero domino, quia non habebat potestatem eam mihi tradendi, intellige, si ego sciam pecuniam esse usurariam, & illum similiter usurarium, non esse eam, vel æquivalens restitutum.

*In §. Sed, & si quis*

Conclusio hujus textûs est, quòd si mutuatarius acceperit pecuniam ad usuras, & de eis nunquàm repetendis juraverit, tunc adhuc poterit Judex Ecclesiasticus cogere usurarios per censuras, ut juramentum relaxent. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est ex *Bart. in l. si quis pro eo nu.* 10. *ff. de fidejussorib.* quòd contractus à lege in odium creditoris prohibitus, aut alterius, cujus utilitatis causa fuit prohibitus; juramento non confirmatur, licèt ipsum juramentum servandum sit, ut probatur in *cap. debitores de Jurejuran. cap. 1. eod. tit. & cap. significante, de pignorib.* In quibus juribus habetur, quòd si quis usuras solvere promiserit creditori, & juraverit solvere, tenetur juramentum servare, licèt ex juramento Contractus minimè fuerit confirmatus: sicut etiam filius-familias mutuum accipiens, & jurans solvere, tenetur juramentum servare, licèt contractus sit invalidus, *l. 1. & toto tit. ff. & C. ad Maced. DD. in juribus allegatis, Bart. ubi suprà.* Cujus rei ratio difficillima est inter *DD.* undè eam non assignat *Covarru. in cap. quamvis pactum de pactis, par. 2. §. 3.* mihi verò ea videtur esse, quia juramentum facit valere actum, quantùm valere potest, *l. cùm Pater, §. filius matrem, ff. de leg. 2.*

Dices, quotiès principale non valet, nec valet accessorium, *cap. accessorium, de regul. Juris in 6.* sed principalis, scilicet contractus non valet in casu *cap. debitores*, ergo neque juramentum servandum est.

Respondetur, majorem propositionem tunc esse veram, quandò militat eadem ratio inter principale, & accessorium; at in casu nostro militat diversa ratio, nam in principali, obligatio est cum homine privato, obligatio verò juramenti est cum Deo, ergo nil mirum, si principali annullato, remaneat accessorium, *ex d. cap. debitores.*

Sciendum secundò est, quòd postquàm quis tale juramentum præstitit, potest tuta conscientia accedere ad Judicem Ecclesiasticum, ut compellat creditorem ad remittendum sibi juramentum, immò putant alii, posse accedere etiam ad laicum Judicem, quod verissimum est, ut legi potest apud *Graffium, & Covarru. ubi suprà, Filliuccium tract. 25. cap. 9. quæst. 11. Bonacina tom. 2. disp. 4. quæst. 1. pun. penul. num. 10. & num. 12.* quam absolutionem juramenti obtinebit ad finem agendi, & hæc absolutio facillimè præstari debet, *cap. si verò de jurejuran. Abbas in cap. ad aures, de his, quæ vi*, & alii apud *Covarru. ubi suprà:* qua absolutione obtenta manet debitor liber à contractu, nec tenetur quidquam solvere creditori.

Quòd si antè absolutionem obtentam solverit debitor, poterit pecuniam solutam repetere, nec ad hanc repetitionem opus est absolutione juramenti, nisi etiam juraverit debitor non repetere usuras etiam post earum solutionem, quia tunc ad repetitionem præmittenda est absolutio, *Covarr. ubi suprà, §. 3. num. 10.*

Adde quòd, si debitor juraverit non repetere usuras solutas, nec petere ab hoc juramento absolutionem, poterit nihilominùs absolutionem petere, quia juramentum, vel votum de non petenda absolutione, non valet, quotiès melius est, ac saluti Reipublicæ & privatorum convenit, eam peti, *Felinus in cap. Constitutus de rescriptis, & in cap. 2. de Sponsalib.*

Adde secundò, quòd si noluerit his uti remediis talis debitor, tunc poterit denunciare usurarium apud Judicem Ecclesiasticum, denunciatione Evangelica, de qua est *text. in cap. novit de Judiciis. & Bart. in extravaganti ad reprimendum*, quòd si juraverit non denunciare, tunc juramentum non obligat tanquàm illicitum, *S. Thomas in 3. sentent. 39. artic. 5. in fine Covarr. ubi suprà.*

Adverte tertiò, quòd si debitor sit effectus perjurus ex eo, quia cùm dies venisset, usura est solvenda & non solvit, jam præcisè solvere debet, & posteà repetere, & prætereà pœnitentiam aget commissi perjurii, DD. *in d. cap. quamvis pactum de pactis.*

Adverte quarto, quòd in hac materia, quam tractamus, Judex poterit ex officio nomine petentis procedere adversùs creditorem usurarium, & eum compellere: ut remittat juramentum debitori, & ei restituat usuras extortas, singularis *text. in cap. tuas de usuris*, ubi *Abbas, & alii, Felinus in d. cap. 1. de jurejurando.*

Rogabis, ad quem Judicem pertineat punire usurarium?

Respondeo distinguendo duos casus,

Primus est, quandò agitur an commissa sit usura,

quæ est quæstio facti, & hoc casu Judex laicus etiam potest cognoscere, latè *Maranta in disp.* 5. *Rodericus de annuis reditibus lib.* 3. *q.* 3. *num.* 222. cum multis aliis Jurisconsultis.

Secundus est casus, quandò agitur de quæstione Juris, scilicet an contractus sit usurarius necne, & hoc casu secundùm *Rodericum citatum*, & alios, quos adducit, etiam laicus cognoscere potest, secundùm alios.verò solùm Judex Ecclesiasticus cognoscere potest, ità *Salonius in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 78. *ar.* 3. *controv. ultima. Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 59. *quæst.* 2. *Clarus in §. fin. qu.* 37. *Marta jurisdict. par.* 2. *cap.* 7. *nu.* 11. *Diana de immun. tract.* 2. *resolut.* 77.

In Regno verò nostro crimen usuræ à Laicis commissum punitur per Judices laicos, & Ecclesiasticus non potest se intrommittere, *ut in pragm.* 3. *de Jurisdict. ad invicem non turb. ubi Rovitus num.* 3.

### *In §. Judæi quoque.*

COnclusio hujus textûs est, posse Judæos per Principes, & Potestates compelli ad usuras restituendas Christianis, si quas ab eis extorserint; idem dicitur in *cap. quanto, de usuris*, *cap. post miserabilem*, *eodem tit.*

Neque per hoc, quòd in hoc *textu* dicatur, graves, & immoderatas usuras exigi non posse per Judæos à Christianis, licet colligere, posse usuras moderatas: Nam non valet argumentum à contrario sensu, quandò Legum sequitur correctio, *DD. in l.* 1, *ff. de offic. ejus.* Hoc verbum (immoderatas) fuit appositum in hoc *textu* eo quòd legatur *in dict. cap. quanto*, ex quo sumitur.

Rogabis, quomodò Principes, & Judices Ecclesiastici possint Judæos usurarios punire, eosque compellere ad restitutionem?

Respondeo, posse quatenùs temporali potestate gaudent, eamque in sibi subditos exercere possunt, cùm subjiciantur Judæi Principi loci, in quo degunt, *Salas de usuris dub.* 47. *Conradus verò de contractibus, quæst.* 25. *Villagut. de usuris, quæst.* 11. & alii docent, Judices Ecclesiasticos posse Ecclesiastica auctoritate Judæos compellere, ad usuras restituendas, quia Christus absolutè dixit Petro: *Pasce oves meas*: Judæi autem, licèt non sint de ovili Christi, sunt tamen oves Christi per creationem. *Bonacina verò ubi suprà, quæst.* 4. *in fine* putat, & meliùs, non posse Ecclesiam auctoritate Ecclesiastica punire Judæos, quia auctoritatem Ecclesiasticam non exercet in non Baptizatos, juxtà illud Pauli: *De his, qui foris sunt, quid ad nos*?

### *In §. sunt tamen casus, cum sequenti.*

IN his Juribus concluditur, adesse aliquos casus, in quibus fructus rei pignoratæ non computantur in sortem, & non est usura. Ad quorum intelligentiam:

Supponitur regulariter, fructus rei pignoratæ computari in sortem, *l.* 1. 2. *&* 3. *C. de pignor. actione*, id, quod adeò verum est, ut etiamsi inter contrahentes actum sit, ut fructus non computentur in sortem, neque valeat pactum, *Cavalcanus decis.* 48. *&* 49. *Thesaurus*, qui concordantes adducit *decis.* 78. ubi recitat opiniones contrarias. Sunt tamen aliqui casus, in quibus fructus in sortem non computantur, quorum

Primus est, quandò pignus datur ad onera matrimonii sustinenda, *cap. salubriter, de usuris*, de quo suprà dixi. Id ipsum putant DD. de hærede mariti defuncti, qui uxorem relictam eo anno alit, quo dotem restituere non cogitur, quia fructus dotis computabit in sortem. Verùm contrarium docet *Abbas in dict. cap. Salubriter, de usuris. Azorius. par.* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *de pignore.*

Secundus casus est in re feudali, quæ posteà pignori datur domino directo, quia tunc illius fructus non computantur in sortem, *cap.* 1. *de feudis*, *cap. conquestus de usuris*, quia sub hac conditione censetur feudum datum, ut, si Domino pignoretur, fructus non computentur in sortem.

Tertius est casus, quandò res est in bonis illius, cui datur in pignus, ut si equus mihi furto sublatus, & alteri venditus, mihi posteà pignori detur ab emptore, pro pecunia, quam illi mutuavi, fructus equi non computantur in sortem, *cap.* 1. *de usuris*: ratio est, quia res domino fructificat, legas *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 1. *memb.* 1. *Capycium decis.* 95. *Megalam de pignorib. memb.* 1. 5. *par. num.* 16. *Dec. in cap. venerabilis de except. num.* 63.

### *In §. ille quoque cum finali.*

COnclusio hujus textûs est, quòd usurarius dicitur ille, qui accipit aliquid ultrà sortem, id ipsum docet *text. in cap. consuluit, de usuris.*

Ampliatur primò conclusio, ut sit usura, quandò quis mutuat alicui cum pacto, ut præstet munus à lingua, puta ut canat, Regem alloquatur, &c. vel ut præstet munus ab obsequio, aut à manu, DD. communiter cum *S. Thoma* 32. *quæst.* 78. *artic.* 2. *Azorius par.* 3. *lib.* 7.

Ampliatur secundò, ut usura committatur, quandò mutuans mutuaret aliquid cum pacto, ut ille, qui recipit mutuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum Beneficium; quia hoc casu esset usura secundùm plures, quos refert, & sequitur *Bonacina de contractibus disput.* 3. *quæst.* 3. *par.* 3 *n.* 4. qui etiam docent, esse usuram, & simoniam, hæc facere.

Verùm observa cum *Navarro de restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 2. *dub.* 6. quòd si deduceret quis in pactum collationem Beneficii statim faciendam, non esset usura, quia talis obligatio, cùm modico tempore duret, non est pretio extimabilis. Idem docet *Malderus* 2. 2. *tract.* 50. *cap.* 3. *dub.* 6. qui addit quòd si quis mutuum daret, non ut pretium Beneficii, sed ut hac ratione provocet amicitiam collatoris, aut ut gratiam præstet, nec usuram, nec simoniam committit. Idem docet *Lessius lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 9 *nu.* 64.

Rogabis primò, an sit usura mutuare alteri, cum pacto, ut emat res meas, vel ut vendat mihi res suas, vel ut remutuet mihi?

Respondetur contrà *Bonacinam* plures referentem, *ubi suprà nu.* 8. hunc contractum non esse usurarium, quia, ut benè *Reginaldus*, *Navarrus*, & alii, quos sequitur *Laym. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *nu.* 3. ità mutuans nullam extorquet mutui obligationem pretio extimabilem; neque tollitur libertas emendi, quia talis obligatio est ad statim emendum, ergo, sicut obligatio ad statim vendendum non est pretio extimabilis, & pro ea non potest pretium accipi. ità neque obligatio ad statim emendum, vel mutuandum, erit pretio extimabilis, ergò absurdum est dicere, usuram committi ab eo, qui dicit, mutuo tibi centum, ut mutues centum amphoras vini: vel si dicam alicui, si vis à me pecunias mutuo obtinere, oportet, te quoque mutuare frumentum: vel si dicam, volo tibi mutuo dare, sed oportet, te gratum esse ob beneficium, vel ad molendinum meum frumenta afferre, merces ex mea taberna justo emere pretio, ità tamen, ut in tuo arbitrio sit ea præstare, tamen si non præbes, mutuum non accipies, vel acceptum illicò repetatur. Et addit *Layman* cum aliis, hos contractus non esse usurarios, verùm oportet cautè hoc facere, nam potest adesse periculum usuræ mentalis.

Immò

Immò addit, *Salas de usuris dub. 9. num. 4. & dubit 10. num. 3. & dub. 13. num. 3.* cum pluribus quos refert; quòd quandò obligatio, v. g. ad emendum, remutuandum, &c. sine ulla incommoditate fieri potest à mutuatario, non est pretio extimabilis, & ideò, si deducatur in pactum à mutuante, non est usura, ideò si tibi mutuem, ut, cùm opus habeo, mihi remutues, aut justo pretio à me emas, vel in meo molendino molas, si sine incommodo id facere potes, non est usura: quæ doctrina singularis est, & eam desumpsit *Salas à Dominico Bannes, & Aragonio 2. 2. quæst. 78. art. 1. à Vega in summa tom. 2. cap. 131. cap. 76.*

Ex quo recedas à *Bonacina* nimis rigidè in hac materia loquente, qui putat ubi suprà *n. 9.* usuram committi, exempli gratia à Petro, si cùm debeat centum nummos solvendos post annum, solvit nunc anticipatè quinquaginta, cum pacto, ut creditor expectet per biennium alios quinquaginta, quia, inquit ipse, nihil aliud est hoc, quàm implicitè mutuare cum pacto, ut creditor remutuet in fine anni, recedas, inquam, quia benigniùs loquuntur *DD.* qui putant non esse usuram: tales sunt *Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 8. n. 59. Salas de usuris dub 9. num. 10. Malderus 2. 2. tract. 50. cap. 3. dub. 4.* Ratio est, quia se obligat ad expectandam solutionem, non se obligat ad mutuandum, sed statim mutuat, quia prorogat terminum solutionis, quod est mutuum implicitum, & ideò unum mutuum datur pro alio.

Rogabis secundo, an sit licitum mercatori, petenti mutuo centum, dicere, si velis, do 50. in nummis, & alia 50. in mercibus pro summo pretio?

Respondetur, ei licere sine ulla usura, dummodò non obliget mutuatarium ad merces recipiendas, sed solùm dicendo, quòd accipiat mutuatarius si velit aliquid in mercibus, etiamsi sciat mutuans, mutuatarium venditurum merces viliùs. Immò licèt non possit mutuatarius obligari ad vendendum easdem merces viliùs, tamen seclusa obligatione licet mutuanti, sicut & aliis emere illas vili pretio aliorum, quia idem est pretium justum respectu omnium emptorum: ità docet cum omnibus *Salas de usuris dub. 17. num. 1. Joannes de la Crux in directorio conscientiæ part. 1. præcepto 70. quæst. 5. dub. 1. conclusio. 1.*

Erit tamen usura mutuare Titio centum per duos annos, cum pacto, ut intrà illos duos annos non liceat mutuanti repetere ea centum, & pro hoc accipere aliquid, ut benè *Salas ubi suprà dub. 9. num. 12. communis DD. sententia apud Layman in Theologia morali lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 10. num. 8.* Ratio est, quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi antè aliquod tempus, est quid intrinsecum ratione mutui, alioquin mutuum non differret à precario. Verùm potes dicere, mutuum à precario differre, quia in mutuo transfertur dominium, non autem in precario, & si hoc diceres, benè diceres: undè ex hoc argumento, & aliis probabile puto cum *Ledesma in summa par. 2. tract 8. cap. 35. concl. 4. fol. 457.* hanc conventionem in mutuo non esse usurariam, quia quòd non possit peti mutuum ante tale, vel tale tempus, est certè pretio extimabile, nec naturæ mutui repugnat, legas *Dianam pag. 1. tract. 8. resol. 48.*

Ex quibus habes primo, non esse usuram palliatam, quandò quis non mutuat indigenti, sed ei vendit merces summo pretio, ut eas vendat cui voluerit, & statim emptor illas affert mercatoribus, qui easdem merces emunt pecunia numerata pretio medio vel infimo, dummodò duæ conditiones concurrant in hoc contractu, primo, ut servetur pretium justum, secundo, ut tollatur omne scandalum, ità post utrumque *Navarrum, Summam Coronam.* & alios docet *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130.* cùm enim aliis poterat eas merces emere, cur non poterit venditor? immò videtur cedere hoc in beneficium accipientis, qui alios quærere non cogitur, nec pretium proxenetis tradere. Non tamen poterit ad hoc illum cogere, neque pactum facere, ut benè *Bonacina de contractib. disp. 3. quæst. 3. num. 10.*

Habes secundo, non posse aliquem mutuare pecuniam, vel triticum cum pacto, ut sibi illud non restituat, nisi tunc temporis, quo plùs valebit: nam obligaret mutuatarium ad dandum lucrum suprà sortem, incrementum scilicet valoris tritici: ergo esset usura, ut docet *Summus Pontifex in c. Naviganti de usuris,* modò mutuatori non esset lucrum ex mutuo, si scilicet erat servaturus triticum, usque ad illud tempus, & in gratiam mutuatarii tradidit antè illud tempus. Non tamen esset usura aliquid recipere ex mutuo ob periculum in recuperanda sorte, sicuti ob periculum lucri potest aliquid exigere ex *d. cap. Naviganti,* ità *Bonacina ubi suprà num. 18. Filiuccius tom. 2. tract. 35. cap. 50. num. 112. Malderus in 2. 2. S. Thom. tract. 50. cap. 3. dub. 14.*

Neque obstat *textus in dicto cap. Naviganti de usuris,* nam ibi solùm determinat Summus Pontifex eos peccatum incurrere, qui ideò rem cariùs vendunt, quòd expectant tempus solutionis, nisi probabile sit tempore solutionis plùs, minùsvè valitura, & *textus* pro nobis facit, cùm permittat posse aliquid ultrà pretium exigi ob periculum amittendæ sortis, ex qua doctrina pendet decisio illius quæstionis.

An possit quis vendere torquem auream, vel aliud ultrà justum pretium, cum conditione, ut emptor illud solvat, cùm uxorem duxerit?

Respondetur enim ex eodem principio posito, valere, quia adest periculum ex parte venditoris, quia ob multa contingentia potest emptor non nubere, & sic pretium non solvere, ideò, si periculum verè adsit sine scandalo, & augmentum pretii sit periculo proportionatum, id fieri poterit, hanc quæstionem latè examinat *Marcellus Megala in 2. 2. lib. 2. cap. 6. quæst. 4. num. 139. & in cons. 70.*

Habes tertio, mutuantem centum, & putantem aliquid posse accipi ex mutuo, quod si scivisset se licitè non posse, alium justum contractum celebrasset, posse retinere illud lucrum, quod ex contractu justo percepisset, scilicet cambii, societatis, &c. ità contrà multos docet *Emmanuel Sà in verb. usura n. 8.* & alii, quos tacito nomine citat *Lessius de justitia, & jure lib. 2. cap. 20. dub. 12. & Sanctarellus in resolution. moralib. par. 1. quæst. 46. num. 11.*

Rogabis tertio, an possit pacisci mutuans cum mutuatario, ut statim sibi quinque reddantur pro singulis centenariis ratione lucri cessantis? Ut hoc intelligas.

Suppono, dupliciter posse fieri pactum de lucro cessante: primo scilicet indeterminatè, ut scilicet interesse, quod quomodocùmque posteà evenerit, mutuatarius teneatur, quantùm fieret, resarcire, secundo fieri potest pactum determinatè, scilicet à principio paciscendo de certo pretio, quod mutuatarius solvat pro lucro cessante, sivè majus, sivè minus, sivè nullum posteà lucrum cesset, quia tale pactum innititur verisimilitudini rationabiliter habitæ: ità docet *Petrus Navarrus de restitut. lib. 3. cap. 2. num. 303. Sotus de justit. & jur. quæst. 1. art. 3. Medina de acquisitis per usuram quæst. 3.* Hoc posito, Respondetur duos casus distinguendo.

Primus est, quandò mutuantur verè centum aurei ea lege, ut statim v. g. à mutuatario reddantur novem, ratione lucri cessantis ex 91, quæ ipse retinet, & hoc

hoc casu docet, & optimè *Leonardus Lessius de justit. & jure lib.* 3. *cap.* 20. *dub.* 11. *num.* 100. non esse usuram. Ratio est, quia hoc nihil est aliud, quàm mutuare 91. cum interesse, & alia 9. sine interesse, qui tamen statim sunt reddendi ad solvendum interesse proveniens ex 91. in quo contractu non magis gravatur mutuatarius, quàm si differretur solutio interesse.

Secundus est casus, in quo id fieri potest, si scilicet accipiatur statim illud lucrum cessans, non ex ipsa summa pecuniæ, sed in tanta v. g. quantitate olei, frumenti, vini, &c. ità *Azorius par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 50. *quæst.* 3. *Salas de usuris dub.* 19. *num.* 11. exceptis autem his duobus casibus, & modis, nullo alio pacto id fieri potest. *DD. citati.*

Rogabis quarto, an possit quis sumere mutuum ab usurario, quem scit mutuatarius non mutuaturum nisi sub usuris?

Respondetur distinguendo duos casus.

Primus est, quandò petit pecuniam quis ab usurario ad sublevandam necessitatem propriam, vel alienam, & hoc casu non est peccatum, & potest licitè peti; sicut potest usurarius licitè mutuum dare, ità etiam poterit quis licitè petere mutuum: ità contrà Rebellium, & alios docet *Bonacina cum aliis, de contractib. disp.* 3. *p.* 13.

Secundus est casus, quandò peteretur mutuum ab usurario non ad necessitatem sublevandam, sed ad convivia facienda, vel spectacula honesta secundùm conditionem statûs petentis; & hoc casu neque est peccatum: & licitè peti potest, *Bonacina ubi suprà* si verò petat ad vana, & inutilia, vel superfluas epulas, & alios ludos otiosos, negat *Bonacina* cum suis, licitè petere, sed peccat mortaliter, mihi verò placet contraria opinio, quam docet *Sanch. in summa lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. *Salas de usuris dub.* 48. *num.* 7. & alii, qui communiter docent, non peccare hoc casu mutuatarium mortaliter, sed solùm venialiter, *Diana par.* 1. *tract.* 8. *resol.* 31. sicut etiam nonnisi venialiter peccat, qui petit Sacramentum à ministro existente in peccato mortali, etiam absque necessitate, ut docet *Sanchez ubi suprà*, *Sotus in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 6. *Ledesma in* 4. *quæst.* 5. *art.* 6. *dub.* 12. *proposi.* 6. Ratio est, quia in nullo ex his casibus intenditur peccatum, sed permittitur, ergo non est nisi peccatum veniale.

Rogabis tertio, an sit usura dare mutuum alicui mense Martii centum modios frumenti, cum pacto ut tantumdem restituat mense Julii?

Respondetur distinguendo duos casus.

Primus est, quandò dubitatur æqualiter, an res mense Augusti, sit plùs, vel minùs valitura, & hoc casu fieri potest.

Secundus est casus, quandò certum est tempore solutionis frumenti plùs valere, & tunc est usura. *cap. est in Civitate. cap. Naviganti de usuris.*

Quòd si mutuans eam decrevisset vendere mense Augusti, quo plùs valebit, potest recipere augmentum ratione lucri cessantis, detracta extimatione periculi, & custodiæ usque ad illud tempus, & si mutuans nullum præfixit ad solvendum, neque est usura, quia poterit solutionem petere eo tempore, quo plùs valebit. *Bonacina ubi suprà.*

Ex quo infertur cum eodem *Bonacina ubi suprà quæst.* 2. *part.* 5. *num.* 17. posse aliquem scientem valorem pecuniæ de proximo diminuendum, mutuare cum pacto, ut eam sibi restituat juxtà valorem, quem dicta pecunia habebit tempore, quo restituendum est mutuum, quia utitur mutuans jure, suo & nihil accipit ultrà sortem, cùm accipiat tantum, quantum tradidit in mutuo, quod est considerandum secundùm rei valorem, & non secundùm rei quantitatem; sicut etiam possum rem meam vendere, quam prævideo perituram, nisi vendam; undè recedas ab *Azorio par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 9. contrarium docente.

Infertur secundo, emptorem rogatum à venditore ad emendum, posse emere rem valentem sexaginta per quadraginta, & etiam per 30. absque ullo peccato, quia plùs venditur res in officina mercatoris, quæsiti, & rogati, quàm cùm quis per se, vel per Proxenetas emptores quærit, & rogat, nam talis modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum: sic plùs venduntur merces initio nundinarum, quàm in fine; sic minùs venduntur res sub hasta, & publica voce præconis, quàm si à mercatoribus venderentur. *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 33. *Bartolomæus à Sancto Fausto in speculo confess. disp.* 6. *q.* 10. *n.* 19.

---

## *TITULUS VIII.*

### *De Adulteriis, & aliis conjunctionibus illicitis.*

QUia *Eccles.* 3. habetur, quòd amans periculum peribit in illo, ideò unumquemque bonum virum suæ saluti consulentem, pudet, luxuriæ delicta nedùm scribendo percurrere, sed etiam mente revolvere cogitando, verùm operæ pretium est, ut pudorem vincat necessitas, & verecundiam superet utilitas, quia utile est, ac necessarium confessariis nosse hujusmodi crimina, ut eorum pravitate perspecta, terrorem incutiant pœnitentibus, illisque remedia præbeant opportuna, meritò ergo ponitur hic titulus, qui ad præcedentes, tali ordine continuatur. Visum est suprà de usuris, verùm quia frequentiùs committitur etiam crimen adulterii, & alterius illiciti coitûs, meritò ponitur hic titulus de adulteriis, aliisque conjunctionibus illicitis, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd hîc declaratur latissimè sextum Decalogi præceptum: *Non mœchaberis*, de quo habetur, *Exod. cap.* 20. & agunt latè *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 115. *Summista in verb. luxuria, in verb. fornicatio, & in verb. libido*, in sexto, & nono præcepto Decalogi prohibetur nedùm adulterium, verùm etiam quælibet alia carnalis culpa extrà legitimum matrimonii usum, & omnes alii actus, qui ad impudicam libidinem allicere, & promovere possunt, ut tactus, amplexus, oscula, locutiones, ornatus lascivi, litteræ amatoriæ, &c, nec solùm actus exteriores, verùm etiam interior affectus inordinatus rei venereæ, eo ipso enim, quòd usus alienæ uxoris prohibetur, lumine naturæ cognoscitur, prohiberi etiam ipsius cupiditatem, quæ viam ad illum parat, undè *Matth.* 5. *habetur. Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Dices, jam quod in sexto præcepto Decalogi dicebatur: *non forniceris*, cur additum fuit nonum præceptum, *non concupisces*, si per sextum omnis actus venereus etiam externus prohibetur?

Respondetur, addi nonum præceptum; tùm contrà Judæos, qui falsò arbitrabantur, solum actum externum prohibitum esse, tùm ut clariùs appareat, nedùm concupiscentiam, sed omne desiderium, & affectum rei venereæ prohibitum esse.

Sciendum secundo est, omnia peccata prohibita in sexto, & nono Decalogi præcepto, esse contrà castitatem, quia per castitatem præcipitur abstinentia ab omni actu venereo, & luxurioso, est enim virtus

tus, qua homo ab omni corporis impudica libidine coercetur, quæ castitas triplex est, virginalis, vidualis, & conjugalis, virginalis reperitur in eo, qui nunquàm carnalem copulam habuit, aut veneream aliquam delectationem interiùs, vel exteriùs voluntariè admisit, ideò fœmina, quæ delectationem morosam carnalem habuit, non habet virginitatem, & castitatem virtuosam, quamvis naturalem habeat. Castitas vidualis est illa, qua quis contracto matrimonio, eoque jam dissoluto abstinet se ab omni re venerea, sic etiam castitas, qua quis violata semel virginitate, refugit à rebus venereis, vidualis dicitur. Castitas verò conjugalis dicitur illa, qua quis contracto matrimonio, continet se ab omni re venera illicita.

Sciendum est tertio, statum virginitatis præstantiorem esse statu matrimonii, magisque meritorium, *Corint. enim cap. 7.* dicitur *de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem* do, sed consilium est de re magis Deo grata, ergo, & alibi idem *Paulus* docet, *Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium;* & licèt in aliquo casu sit necessarium propter bonum commune, non per hoc sequitur indistinctè, & secundùm se meliorem esse statum matrimonii statu virginitatis, *Trident. sess. 24. can. 10.* ea verò ratione probatur, esse statum cœlibatûs meliorem, quia præbet majorem facilitatem Deo serviendi.

Sciendum est quarto, omnia peccata prohibita his præceptis, esse ex suo genere mortalia, quia notabiliter adversantur rectæ rationi, undè in actibus venereis non datur parvitas materiæ, ut contrà *Sanchez de matrimonio lib. 9. disp. 46. Villalobos in summa tom. 2. tract. 40. dub. 9. num. 8. Sancium in selectis, disp. 11. num. 22.* docet *Basilius Ponius de matrimonio lib. 10. cap. 16. §. 2. num 8. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 109.* & est decretum inter Patres Societatis Jesu, factum à Claudio Aquaviva ejusdem Religionis Generali, qui decrevit, omnes Theologos Societatis debere hanc sententiam docere, & *Sanchez in summa tom. 1. lib. 5. cap. 6. num. 12.* retractat se de contraria sententia, & docet, non dari parvitatem materiæ in rebus venereis: Probatur verò, tùm quia nulla datur tam exigua fornicatio, quæ non sit peccatum mortale, sed delectatio sortitur morem actûs: ergo omnis delectatio morosa est peccatum mortale in rebus venereis, tùm quia omnis delectatio morosa secundùm *Galenum*, est inchoatio quædam pollutionis, sed inchoatio actûs pollutionis est peccatum mortale, ergo quæcumque ejus delectatio est mortalis, ergo non datur in materia venerea parvitas materiæ. *Diana parte 5. tract. 5. & par. 4. tract. 4. resolution. 136. & tract. 5. resol. 5. & par. 3. tract. 5. resol. 1. Baldellus lib. 3. disput. 14. num. 3. Diana in addit. ad summam in principio de parvitate materia.*

Sciendùm est quinto, metum seù minas, vel timorem infamiæ non excusare à peccato mortali, in hac materia, quia ad hoc peccatum sufficit voluntarium mixtum, & consensus coactus, quòd si esset vis absoluta, tunc excusaret à peccato, quia tollit voluntarium: Ideò fœmina, quæ per vim à viro violatur sine ullo consensu, vel cooperatione, vel delectatione voluntaria ipsius, non peccat, nec meritum virginitatis amittit, etiamsi delectationem in parte sensitiva sentiat, quia talis delectatio non est voluntaria, sed naturalis: quòd si animo consentiat, vel alio modo cooperet, puta accommodandò se ad turpem actum, tollendo scilicet vestes, aut tibias solvendo, tunc quia respectu talis actûs non dicitur per vim oppressa, aut omninò invita, ideò peccat mortaliter, sicut neque mortaliter peccat qui pro defensione suæ pudicitiæ occideret invasorem, quandò pudicitia fugiendo, aut vociferando, vel aliquo modo defendi non potest, quàm occidendo, quia cùm licitum sit occidere invasorem facultatum, & honoris, erit etiam licitum occidere invasorem pudicitiæ, & castitatis, quæ præstantius bonum est. Potest tamen invasus condonare vitam invasori patiendo violationem sui, quandò non est periculum consensûs, teste enim *Diva Lucia*, non coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis.

*Super principium textûs.*

Agitur hîc de Adulterio, quid scilicet sit, & quomodò puniatur. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd adulterium est accessus ad alienum Thorum, seù violatio alieni Thori, *cap. lex, §. adulterium 36. dist. cap. nemo 32. quæst. 4.* semper enim dicitur adulterium, quandò unus eorum, qui adulterium committit, est conjugatus, quod adulteriùm gravissimum est peccatum, *Deuteronom. enim 27.* dicitur, *Maledictus qui dormierit cum uxore proximi sui*, eo verò casu, quo uxor consentiret, adhuc maritus adulterium committit accedens ad aliam, quia adhuc violatur vinculum matrimonii, quod indissolubile est, & cui obligationi non potest mulier cedere, est etiam gravius peccatum, quandò uterque est conjugatus, quia violatur duplex Thorus, & duobus fit injuria: fœmina autem, quæ duobus viris conjugatis rem habet, graviter peccat, quàm si vir conjugatus rem habeat cum duabus fœminis solutis: tùm quia impeditur generatio ex admixtione seminis: tùm quia licèt sequatur generatio, tamen incertum est, cuinam partus sit assignandus, marito, an adultero, quod non est in viro conjugato, rem habente cum solutis. Tandem adverte, quòd si matrimonium sit ratum tantùm, & non consummatum, & conjux rem habeat cum alio, dicitur adulterium, quia matrimonium ratum est, habens obligationem vinculi indissolubilis: quandò verò est uterque conjugatus, tunc adulterium est duplex.

Sciendum est secundo, quòd adulterium multis pœnis punitur.

Prima est, nam uxor adultera dotem amittit, quæ marito adjudicatur post sententiam Judicis *cap. plerùmque de donat. inter vir. & uxor.* Immò per Constitutionem Regni nostri, quæ incipit *si maritus*, licitum est marito uxorem deprehensam in adulterio occidere, quo casu lucraretur dotem, ut in terminis docet *Baldus, Novellus de dote in l. si ab hostibus, §. fin. ff. solut. matr. ubi Barb. num. 40. vers. infertur secundò. Franchus decis.* 184. ubi decisum refert, mulieri agenti ad dotem recuperandam posse opponi adulterium commissum, videas etiam decisionem ejusdem Præsidis 679. licèt autem dotem amittat, non tamen amittit paraphernalia: dotem verò non amittit ob solos amplexus, vel oscula impudica secundùm communem sententiam *in rubrica, C. de edendo.*

Observa tamen, quòd licèt adultera ipso jure privetur dote ob adulterium, ut docent communiter DD. quos refert, & non sequitur *Layman in Theologia morali lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 7.* tamen, si legitimè accusata de adulterio, falsis se tueatur testibus, vel vicissim de viro adulterium falsis allegationibus ostendat, & ideò absolvatur, obligabitur solùm in foro conscientiæ ad expensas litis viro solvendas, non autem ad dotem reddendam. Idem dic si à sententia juxta adversus illam lata appellet, & si iniquè,

quia

quia appellatio suspendit sententiam, ratio autem hujus rei est, quia pœna criminis non debetur antè sententiam saltem declaratoriam criminis, ut docent communiter *Bannes*, *Aragonius*, *Salonius*, *& alii in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 62. *contr.* 2. *art.* 3. *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *nu.* 22. *Azorius par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 5. sic is, cujus bona ob crimen justè sunt confiscanda: si hoc fraude, aut mendaciis impediat, non tenetur ad restitutionem, sic Judex, qui negligens fuit in proferenda sententia, & reum non condemnavit, non tenetur ad pœnam pecuniariam fisco solvendam, vel parti læsæ. Idem dic de Procuratore fiscali qui non accusat: Idem dic de testibus, qui falso testimonio impediunt, ne sententia sequatur, & pœna fisco applicetur, nam neque ad restitutionem talis pœnæ tenetur, sic impediens, ne delinquens veniat ad manus justitiæ, etsi fraude faciat, restituere non tenetur, *Sanctarellus de hæresi cap.* 1. *dub.* 1. *nu.* 10. *Gutierez canonic. quæst. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 13.

Secunda pœna, qua punitur adulterium, est quia ob adulterium fieri potest divortium, non quidem quoad vinculum, sed quoad thorum, & habitationem, tam in fœmina, quam in viro, *cap. gaudemus*, *cap. ex literis de divortiis*. *& Matth.* 5. *dicitur*. *si quis dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Ratio autem est, quia tenentur conjuges inter se servare fidem ex natura contractûs matrimonii, ergo, si unus eorum adulterando, fidem non servat, nec alter innocens tenetur eam servare. frangenti enim fidem fides frangitur *l. cùm venerit*, *ff. pro socio*, *cap. pervenit de jurejurando*, sed fides data in matrimonio, violatur per fornicationem ergo, minor probatur, quia conjuges faciunt matrimonium, ut per illud fiant duo in carne una, *Genes. cap.* 20. ergo ille, qui fornicatur, carnem suam dividit. De hac autem materia divortii infrà redibit sermo, cùm de divortiis.

An verò ob adulterium occultum possit quis secluso scandalo uxorem in foro conscientiæ dimittere quæstio est? & licèt neget, id fieri posse, *Basilius Pontius de matrimonio lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 6. tamen affirmativa sententia verior est, quòd scilicet, quandò adulterium est occultum, ut probari ab innocente marito non possit ipse maritus non expectato Ecclesiæ judicio, in foro conscientiæ possit uxorem dimittere, seù fugere in partes longinquas, secluso tamen aliorum scandalo: ità *Sanchez de matrimonio lib.* 10. *disp.* 11. *Abbas in c. fori de adulteriis*, *Villalobos in summa tom.* 1. *tract.* 15. *difficult.* 3. *n.* 4. Ratio est, quia vir in foro conscientiæ, sublato scandalo, sibi jus dicere potest, cùm defectus probationis non sit ex culpa sua.

Hoc tamen intellige in foro conscientiæ; nam in foro externo talis separatio non permittitur, nisi adulterium sit notorium, *cap. significasti*, *& cap. porrò de divortiis*. Quòd si uterque conjux sit adulterii reus, neuter potest ab altero divertere, quia compensatur mutua injuria, ut in d. *cap. significasti de divortiis habetur*, & impertinenter se habet, quisnam priùs commiserit adulterium, vel quòd unus altero sæpiùs, aut quòd unius sit publicum, alterum verò occultum, nam uterque verè violavit fidem matrimonii, at divortium soli innocenti conceditur, *Coninch. de sacramentis disput.* 35. *dub.* 2. *conclus.* 3. *nu.* 12. Quòd si innocens post factum divortium commisit adulterium, tenetur alterum conjugem emendatum, iterùm ad thorum admittere, & ad alterius instantiam compelli potest ad id à Judice. *Connich. ubi sup.*

Et tamen adverte, quòd quandò Judex Ecclesiasticus declarat, faciendum esse divortium, adhuc hoc non obstante, potest innocens, quamdiù non mutat statum, revocare ad se adulteram nocentem, si velit ipse innocens, & sic non potest dictus nocens, invito, aut inconsulto innocenti, ad religionem transire, vel sacris ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere: sic *Basilius Pontius de matrimonio lib.* 9. *cap.* 19. *nu.* 3. casu verò, quòd prædictus nocens se omninò emendasset, & petiisset reconciliationem, quam innocens negasset, tunc posset religionem, aut ordines suscipere, quia innocens tali casu est irrationabiliter invitus, *Coninch. ubi suprà dub.* 50. *conclus.* 4. *nu.* 26.

Tertia pœna, qua punitur adulterium, si spectetur *Lex Mosaica Deuteron. cap.* 22. era pœna mortis naturalis; Genus autem mortis erat lapidatio. Idem habetur *Levitic.* 20. & ideò Judæi mulierem in adulterio deprehensam antè Christum Dominum statuerunt, dicentes: *Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, in Lege autem Moyses mandavit, hujusmodi lapidare, tu autem quid dicis?*

Quòd si loquamur de Jure Canonico, tunc adulterium vel fit à clerico, vel à laico: si à clerico, tunc per decennium debet clericus ab ingressu Ecclesiæ se abstinere; laicus verò per septennium, *can. hoc ipsum.* 33. *quæst.* 2. in foro verò judiciali laicus excommunicatur, clericus verò deponitur, *cap. intelleximus, de adulteriis*

Si verò de Jure civili loquamur, tunc punitur pœna mortis, *l. quamvis. C. ad legem Juliam de adulteriis*, & in Regno Franciæ consuetudo est, ut mulieri adulteræ capillos, & vestes antè, & retrò scindant in ejus ignominiam, & sic eam per totam Villam, seù Civitatem ducunt, *Boerius decis.* 297. In Regno verò Cataloniæ immoratur in domo ipsius viri in domuncula habente 12. palmos de longitudine, & sex de latitudine & dantur quotidiè 18. unciæ panis, & aquæ, ità testatur *Ludovicus à Peguera decis.* 92. In Regno Aragonum, mulier adultera morte punitur. *Monterius decis.* 15. *nu* 45. in Regno verò nostro, ex *Constitutione*, quæ incipit *Legum asperitate*, masculus adulter pœna mortis punitur, fœminæ verò adulteræ truncatur nasus, si maritus voluerit, quòd si noluerit, tunc publicè fustigatur, & in Monasterium detruditur, *Isernia*, *& Afflict. in d. constitut. Grammaticus dec.* 31. & addit *Afflict. in præcitata Constitutione*, quòd si quis committat adulterium cum aliqua muliere, quæ minùs honestè vivevet, & esset cognita à pluribus, tunc licèt mulier maritata non excusaretur à pœna adulterii, tamen adulter non potest puniri de adulterio, quia vilitas illius mulieris excusat adulterum à pœna mortis.

Quarta pœna adulterii est, quia marito licitum est uxorem in adulterio deprehensam occidere, attento Jure Regni nostri per Constitutionem incipientem *si maritus*, qua Constitutione permittitur marito uno eodemque tempore occidere adulterum, & adulteram in actu adulterii deprehensos, & licèt dicat *Trivisanus dec. Venetiarum* 32. *par.* 2. non licere viro ducere secum plures socios ad occidendum adulteros in adulterio deprehensos, tamen contrarium servatur apud nos de consuetudine.

An verò maritus tuta conscientia possit uxorem adulteram in adulterio deprehensam interficere, quæstio est? Affirmant enim, id fieri tuta conscientia, *Antonius Gomes. Castillus*, *Azevedo*, & alii, quorum sententiam probabilem putat *Lessius lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 5. *num.* 16. *& Basilius Pontius de matrimon. lib.* 9. *cap.* 15. *nu.* 20. quia id maritus facit tanquàm minister Legis, cùm ità disponatur in *l. Graccus*, *C. ad Legem. Jul. de adulter.* ergo non peccat mortaliter: verùm

verùm contraria sententia sequenda est, non licere in conscientia id facere, ut docent 46. DD. quos citat, & sequitur *Barbosa in collect. tom. 4. causa 33. quaest. 2. cap. inter haec*, si enim contraria sententia esset vera, daretur occasio occidendi impunè quemlibet, fingendo, quòd cum uxore voluerit habere commercium, & exponeremur manifesto periculo animae sic interfectorum, qui capi possunt, & per Judices puniri.

Ex quo infertur, notabiliter cum *Avila de censuris par. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 3. concl. 2. Megala de censuris lib. 7. cap. 2. quaest. 5. num. 82. Turriano de censuris lib. 9. disp. 63. dub. 4.* adulterum accedentem ad uxorem alterius, ità imprudenter, ut probabiliter exponat illam periculo mortis, non esse irregularem, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali proveniente ex opere illicito, non sufficit quaelibet causa, sed necessariò requiritur, ut alterum ex his interveniat, vel ut opus illud per se sit aptum ad inferendum homicidium, vel ut sit causa immediata illius: sed adulterium nec per se est aptum ad inferendum homicidium, nec est causa immediata illius, ergo adulter non erit irregularis, quidquid contrà alii dixerint.

Nec est irregularis adulter, si maritum sibi invadentem ratione necessariae defensionis occidat, ut benè *Avila ubi suprà concl. 1. Sayrus de censuris lib. 6. cap. 17. num. 18. Lessius lib. 2. cap. 9. nu. 15. Hurtadus de irregular. disp. 2. diffic. 10. num. 30.* quia *in Clemen. si furiosus, de homicidio*, absolutè, & nulla adhibita distinctione habetur, quòd qui se invadentem occidit pro defensione propriae vitae cum moderamine inculpatae tutelae, non est irregularis: ergo ità cùm in casu nostro id fiat ad evitandum periculum mortis, non est irregularitas. Hinc docet *Sayrus*, eum qui accessit ad bellum injustum, & posteà, ut propriam vitam defenderet, occidit militem contrà se venientem, non fieri irregularem, sic irregularis non fit qui alterum ad pugnam provocat opprobriis, & posteà ut se defendat cum moderamine inculpatae tutelae socium occidit. Sic irregularis non fit qui furatur, & posteà volendo desistere à furando, occidit dominum bonorum volentem eum occidere, sic tandem irregularis non efficitur, qui reum volens eripere à ministris Justitiae, vel impedire ne capiatur ab eis, posteà, ut se defendat à dictis ministris volentibus illum occidere, occidit aliquem. Videas *Sayrum*, & non pigebit, legas etiam *Portellium in dubiis regularibus, in verb. Homicidium.* Hoc totum intellige, dummodò fiat cum moderamine inculpatae tutelae, alias poenas adulterii legas apud *Menochium de arbitr. Judic. centur. 3. casu 419.*

Rogabis primo, quibus poenis afficiantur Judaei cum Christianis coeuntes?

Respondetur, poena mortis, quandò Christianus Judaeam, vel Judaeus Christianam sub matrimonii velamine carnaliter cognoscit, *l. ne quis Christianus, C. de Judais*, quòd si eorum unus in matrimonio sit conjunctus, etiam poena mortis punitur, *cap. 1. §. qui coierit 23. quaest. 5. c. nos. §. bis* ità *2. quaest. 7.* quòd si Judaeus meretricem Christianam cognoverit, poena arbitraria punitur, videas *Menochium de arbitr. Judic. centur. 3. casu 200.*

Rogabis secundò, quisnam sit Judex competens in causa adulterii?

Respondetur distinguendo duos casus.

Primus est, si agatur de imponenda poena, quae ad Ecclesiasticum Judicem pertinet, puta excommunicationis secundùm terminos *textûs in cap. intelleximus de adulteriis*, & tunc Judex Ecclesiasticus est Judex competens, & sic procedit constitutio Regni nostri, quae incipit *Majestati nostrae*; Idem dic, si ageretur de separatione *Thori, Julius Clarus in §. fin. q. 37.*

Secundus est casus, quandò ageretur de imponenda poena mortis pro adulterio vel pro imponenda corporali secundùm consuetudines locorum, & tunc Judex laicus est competens; sic docet *Isernia, & Afflictus in dict. constitut. Francus decis. 240. nu. 50. Tappia lib. 5. Juris Regni sub titulo de Civili Audientia.* Poena verò detrusionis in monasterium mulieri imposita secundùm Jus Canonicum ab utroque Judice imponi potest, *Covarru. de sponsalib. cap. 7. 2. par. relationis num. 2.* legas *Francum dec. 312. Farinaceum in praxi criminali par. 3. quaest. 89. & par. 5. quaest. 141. Barbosam de potestate Episcopi, par. 3. alleg. 84.* qui communiter docent, quòd causa divortii ob adulterium solùm à Judice Ecclesiastico cognosci potest, causa verò dotis à solo Judice laico cognoscitur, legas *Barbosam, cùm casus occurrerit.*

Rogabis tertio, an si de crimine adulterii fuerit quis à Judice Ecclesiastico punitus, possit etiam à seculari castigari?

Respondetur secundùm *Tappiam ubi suprà*, quòd si poena imposita ab uno foro, sit talis, quae ab utroque foro imponi poterat, & non potest punitus ab uno, puniri ab alio: haec autem poena esset poena detrusionis adulterae in monasterio, nam si per Ecclesiasticum fuerit in monasterio detrusa per aliquod tempus, non potest à saeculari iterùm per aliud tempus detrudi, in aliis verò poenis ab utroque Judice puniri poterit, quilibet enim de sua poena cognoscit, *Canonistae in cap. cùm sit generale de foro competenti*, verùm novissimè *P. Antonius Diana de immunit. Eccles. tract. 2. resol. 107.* docet, quòd punitus ab uno foro, non potest ab alio puniri, legas ipsum, & non pigebit. In nostro verò S. C. cùm accidisset casus, quòd quis fecerat delictum mixti fori, ut sacrilegium, &c. à Judice Ecclesiastico puniri potest; etiamsi fuerit priùs punitus à Judice laico, ut sic pluriès decisum in S. C. refert *Ursillus ad Afflictum in dec. 389. num. 50.*

*Explicatur, ad quid teneatur Adultera, & Adulter, qui filium ex adulterio susceperunt?*

Respondetur primò, Adulterum, qui filium ex adulterio susceptum, suum esse credit indubitanter, teneri in solidum cum matre, ad restitutionem damnorum, quae patitur verus maritus, & filii legitimi, vel haeredes, & sic tenetur adulter ad restitutionem alimentorum, quae fecit maritus adulterae in educanda prole spuria saltem post tertium nativitatis annum, quia usque ad tertium annum de jure communi spectat ad matrem alere filium, *l. nec filium, C. de patria potestate.* Ratio autem, quare teneatur, ea est, quia adulter est causa damni, quod patitur Pater, & alii filii legitimi, & naturales. Quòd si dubitet adulter filium illum esse suum, non tenetur ad restitutionem, quia in dubio proles ex matrimonio suscepta praesumitur, etiamsi mater cum juramento dicat esse filium adulteri, & proles suscepta videatur habere Imaginem adulteri, quia haec sunt signa fallacia *Riccius dec. 226. Mascardus de probat. concl. 738.* ex quo.

Infertur primo, non teneri adulterum ad restitutionem damnorum, quandò probabiliter credit prolem non esse suam, quamvis probabiliter etiam credat suam esse, quia sequi potest opinionem probabilem, dicentem non esse suam.

Infertur secundò, adulterum mortuo marito adulterae, teneri ad restitutionem faciendam illis, quos maritus adulterae instituisset haeredes, deficiente filio spurio: illi verò, quos maritus adulterae instituisset haeredes, sunt descendentes, putà filii sui, vel ascendentes, puta pater, & mater sua, avus, vel avia, sunt etiam collaterales, putà fratres, &c. hos

hos enim instituisset verisimiliter maritus adulteræ; quibus omnibus deficientibus, non tenetur adulter ad restitutionem, quia probabile, & verisimile est his deficientibus maritum suam uxorem adulteram instituisse, *Bonacina de matrimon. quæst. 4. punct. 6. num. 9.*

Infertur tertiò, quòd si duo carnaliter cognoverunt aliquam solutam, ex qua suscepta est proles, utrumque teneri ad restitutionem, si dubitetur cujusnam sit proles suscepta, quia uterque fuit causa damni, ità *Rebellius lib. 3. quæst. 10.*

Infertur quarto, adulterum teneri ad restitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hospitali in alenda prole spuria, modò adulter non laboret egestate: ratio est, quia domus hospitalis instituta est ad alendos pauperes, vel filios pauperum, sed adulter non est pauper, ut suppono, ergò non potest frui emolumento domûs hopitalis. *Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 6. nu. 70.* qui de communi testatur. Immò docet idem *Lessius* teneri etiam adulterum alimenta restituere pro tribus primis annis, quibus fuit in hospitali, quia licèt mater pro illis primis tribus annis teneatur alimenta filio præstare, tamen id intelligitur, quandò id commodè fieri potest: ergò cùm pro primis tribus annis non potuisset mater alimenta præstare filio, quia eum exposuit ob periculum infamiæ, vel mortis vitandæ, sequitur, teneri adulterum ea præstare, legas *Molinam tom. 4. tract. 3. disp. 103.*

Infertur quintò, adulterum, qui filium suscepit ex adulterio, illumque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, teneri etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, vel damno dotis, quam pater putativus tradidit puellæ spuriæ, credens eam esse propriam filiam, quia adulter non minùs, quàm adultera, est causa talis damni, ità docent communiter DD. quos sequitur *Bonacina ubi suprà num. 13.* Non desunt tamen *DD.* putantes oppositum, undè *Henriquez de matrimon. cap. 21. num. 3. Sotus de justit. & jure lib. 4. quæst. 7. art. 1. Bartholomæus à Sancto Fausto in speculo confess. disput. 23. quæst. 8. num. 8.* docent probabiliter, ad id non teneri adulterum: tùm quia horum damnorum sola adultera est causa, quia ipsa supponit filium adulterinum, tanquàm legitimum, adulter verò non supponit, sed tacendo permittit, ut supponatur; tùm quia si adultera procuret abortum, non diceretur adulter causa homicidii, quia ipse suppeditavit prolem, nisi suasisset, vel adjuvasset; ergò, ità in casu nostro non censebitur causa suppositionis, cùm neutrum consuluerit, ergo mater tenebitur ad restitutionem, non adulter; est ergò prima sententia probabilior, secunda verò probabilis, quæ tamen opinio probabilis etiam docet, ut teneatur adulter præbere alimenta à tertio ætatis anno, & deinceps, quamdiù parens tenetur filium alere, etiamsi non fuerit causa suppositionis.

Infertur sextò, adulterum non teneri ad aliquam restitutionem, si ex adulterio filius non est natus, ut contrà *Rebellium*, docent *Lessius ubi sup. Filiuccius tract. 32. cap. 8. quæst. 10. nu. 222.* & alii, quia restitutio debetur ex injuria facta cum damno pretio æstimabili, sed si filius non nascatur, licèt adsit injuria, non tamen adest damnum, pretio estimabile, ergò.

Infertur septimo, Adulteram etiam infimæ sortis, & nuptam viro nobili, cui supponit filium alterius pro successione feudi, omissis filiis legitimis, non teneri se prodere, licèt sciat, se profuturam, nec teneri adulteram hoc revelare filio spurio, quia bona inferioris ordinis sunt postponenda, & non præferenda bonis superioris ordinis, sed vita, & fama sunt bona superioris ordinis, quàm aurum, & divitiæ: ergò. Tenebitur tamen mulier adultera hoc casu aliis modis damnum filiis compensare puta relinquendo eis bona sua, si quæ habet, vel consulere filio spurio, ut religionem incapacem bonorum ingrediatur, si ad id filius sit aptus.

Infertur octavo, filium, cui mater dixerit, ipsum esse spurium, non teneri credere, quia alleganti propriam turpitudinem cum alterius detrimento, nulla debetur fides: *Glossa in cap. officii de pœnit. & remiss.* & favor matrimonii semper prævalet, *l. miles, §. defuncta, ff. de adulteriis, Riccius decision. 266.* quòd si mater probet, quòd eo tempore, quo filius conceptus est, maritus erat absens, vel quod toto tempore fuit impotens, tunc tenetur filius ei credere, nec potest se immiscere hæreditati paternæ, quia est moraliter certus, eam sibi non deberi, quòd si mater erat cum viro habitans tempore conceptionis filii, & deindè cum juramento asserat, ipsum esse filium spurium, non tenetur filius ei credere, etsi id asserat in articulo mortis, *DD. citati.*

Infertur ultimo, confessarium non debere compellere adulteram in articulo mortis, ut suum detegat adulterium, tùm quia filius non tenetur illi credere, tùm quia fieri potest, ut occidatur mulier cum libera sit ab infirmitate; nec debet confessarius consulere, ut detegatur post mortem adulterium, quia periculum est, ut proles adulterina, vel ipse confessarius occidatur.

*In §. eadem.*

Agitur hîc de Incestu, ejusque pœnis, Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd incestus est congressus cum persona cognata intrà gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium; nomine verò cognationis, intelligimus etiam legalem: ideò si quis habet rem cum filia, quam adoptavit, dicitur incestum commisisse. Idem dic de eo, qui habet rem cum filia, quam suscepit in Baptismo, *Bonacina de matrimonio quæst. 4. par 16. numer. 2.*

Sciendum est secundò, incestum esse gravissimum peccatum mortale, ut patet ex *Levit 18. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat*, & eo gravius est hoc peccatum, quo persona, cum qua copula habetur, est magis conjuncta: ideò gravior est incestus in primo gradu, quam in secundo, undè meritò in nostra Diœcesi Neapolitana est casus reservatus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex parte masculi solùm coeuntis, ad quam tamen reservationem incurrendam requiritur actus completus, puta ut seminis emissio fit intrà vas secuta, quia lex puniens delictum requirit ipsum completum, & consummatum in sua specie, ut in simili docet *Suar. de peccato nefando, tom. 1. de censuris, disp. 31. sect. 4. n. 21.*

Sciendum est tertio, incestus esse ejusdem speciei inter se, sivè sint in gradibus affinitatis, sivè in gradibus cognationis, quia solùm differunt secundùm magis, & minus, nec ulla adesse potest sufficiens ratio ostendens, diversitatem specificam inter hos gradus, ergò non differunt specie, sicut etiam alibi diximus, non teneri pœnitentem explicare gradum incestûs in confessione, quia est circumstantia aggravans, quæ non est necesse, ut explicetur in confessione, ut benè *Nugnus in addit. ad 3. p. tom. 2. qu. 9. art 2. dub. 3. Megala p. 1. lib. 5. cap. 11. n. 6.*

Sciendum est quarto, confessarium cognoscentem carnaliter pœnitentem, non committere incestum, quia Sacramentum confessionis non inducit cognationem spiritualem, & *text. in cap. omnes 30. quæst. 1.* intelligitur de incestu metaphorico, non verò. Quòd si confessarius sit proprius Parochus, à quo receptus sit Baptismus, esset incestus, *DD citati*, & puta

& putat *Bonacina ubi suprà num.* 10. Parochum habentem copulam cum sua parochiana, committere speciale peccatum, etiamsi eam non baptizaverit, nam peccat contra proprium officium, eo quòd illi specialiter incumbat cura procurandæ salutis suorum parochianorum, & teneatur ex officio oves sibi subjectas bonis moribus imbuere.

Sciendum est quinto, quòd si quis rem habet cum consanguinea uxoris suæ in tertio, & quarto gradu, licèt committat incestum, non tamen impeditur à petitione debiti ab uxore, ut contrà *Paulum Comitolum lib. 1. responsorum moralium, quæst.* 138. docet *Navarrus*, quem refert, & sequitur *Basilius Pontius lib. 7. cap.* 33. Ratio est, quia hæc impedimenta sunt de jure Ecclesiastico, sed nullum jus Ecclesiasticum statuit, incestum in tali casu à petitione debiti impedire, ergo, & addit etiam *Pontius*, quòd si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittens semen post extractum à vase naturali membrum, quamvis postmodùm casu illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas; sed in hoc meliùs videtur dicere *Lucas Floronus de casibus reservatis par. 2. casu 6. n.* 18. qua de re alibi dicemus.

Sciendum est sextò, pro confessariis sæcularibus, qui non habent privilegium regularibus concessum, ut possint dispensare ad petendum debitum, multùm utile, quòd si quis scienter accessit ad consanguineam uxoris suæ, sed ignorabat prohibitionem, & pœnam juris, stante dicta ignorantia non eget dispensatione ad petendum debitum, ità docet *Sanchez lib. 9. disput. 32. num. 49. 3. tom. Pontius de matrim. lib. 10. cap. 6. num.* 10. *Portellius ad dubia regularia in verbo ignorantia, num.* 29. cum multis, quia requiritur scientia illius prohibitionis. Quòd si conjux habeat scientiam, quòd incestus sit prohibitus, sed ignoret, quòd sit prohibitus sub pœna privationis debiti, & tunc etiam docent *Portellius ubi suprà*, & *Sanchez num.* 20. non egere dispensatione: licet contrarium doceat *Pontius num.* 12. quæ *Pontii* opinio probabilior est, quia aliud est ignorare, actum esse prohibitum, sed ignorare sub qua pœna, ut in secundo casu: opinio tamen *Portellii, & Sanchez*, est valdè benigna, & plausibilis atque in multis aliis casibus applicabilis: ideò docet *Portellius, ubi suprà nu.* 21. ad incurrendam excommunicationem non sufficere, quòd sciam, opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed ut sciam de pœna: idque prohiberi sub excommunicatione: ità de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate, & similibus dicendum est, quæ ad hoc, ut incurrantur, non opus est nescire opus prohibitum, sed requiritur, ut sciam esse prohibitum sub pœna suspensionis, irregularitatis, &c. legas ultrà *Portellium*, *Avilam de censuris par. 2. cap. 59. disput. 5. dub. 7. Sayrum de censuris lib. 1. cap. 18. num. 38. Coninchium de Sacramentis disput. 18. dub. 4. num. 31. Duardum in Bulla Cœnæ lib. 1. cap. 2. quæst. 5. numer.* 27.

Si verò curiosè quæras, an ignorantia vincibilis juris, vel facti, excuset ab incursione censurarum, & aliorum pœnarum?

Respondeo affirmativè, ut docet *Portellius ubi suprà num. 25. Sanchez lib. 9. disp. 32. num.* 31. quòd si sit ignorantia crassa; puta quandò nulla, vel modica adhibita fuit diligentia, non excusabit à pœna, ut videtur colligi ex *cap. 2. de constit. in 6, Barb. in collect. tom. 3. lib. 1. Sexti Decretalis titul. 2. cap. 2. num.* 8.

Et signanter nota, quòd si lex pœnam imponit præsumptioni aliquid facere, quia præsumptio importat dolum, & temeritatem, ideò si quis ignorantia crassa, & culpabili aliquid faciat, non facit contrà legem, & pœnam non meretur. *Pontius lib. 10. cap. 6. Sanchez ubi suprà*, quidquid oppositum dicat *Toler. lib. 1. cap.* 48.

Et plus addit *Bonacina de censuris disp. 1. qu. 8. pun. 8. num.* 11. quòd scilicet id etiam procedit, quandò quis operatur cum ignorantia affectata, si scilicet dicatur in censura, si quis scienter fecerit, vel præsumpserit facere, quæ omnia nota diligenter, quia liberabis multos ab incursione censurarum.

Sciendum est septimo, quòd incestus de Jure canonico, tam in clerico, quàm in laico, punitur hoc modo, ut scilicet per septennium se abstineat ab ingressu Ecclesiæ, *can.* hoc ipsum 33. *quæst.* 2. Verùm hodiè omnes pœnæ pœnitentiales sunt arbitrariæ, & remittuntur in arbitrium Confessarii, *Joannes Andreas, in cap. ut mensura de emptione, & vendit.*

In foro verò exteriori si committens incestum, est Clericus, est deponendus, regulariter enim docent *Canonistæ*, quòd præter simplicem fornicationem pro omni alio coitu Clericus est deponendus, ut docent in *cap. at si clerici, §. de adulteriis, de judiciis.* Si verò committens incestum, sit laicus, & illud committat in forma matrimonii, puta, quia duxit in uxorem consanguineam & tunc si id facit scienter, est ipso jure excommunicatus, *Trident. sess. 24. cap.* 5. Si verò ignoranter, non punitur. *Antonius Faber in suo Cod. de incestis nuptiis, decis.* 8. Si verò fuit commissus non in forma matrimonii, & tunc talis incestus est cum adulterio junctus, punitur pœna mortis, de jure Civili, *l. si adulterium, ff. ad legem Jul. de adulteriis, Faber de incestis nuptiis decis.* 5.

Si verò incestus non sit conjunctus cum adulterio, tunc si committitur inter ascendentes, & descendentes, punitur pœna mortis, *Boerius decis.* 318. *Faber loco citat. decis.* 5. Si verò committatur inter transversales, & tunc pœna punitur arbitraria, multa cumulat *Menochius de arbitr. Judic. casu* 502. & ideò cùm sit arbitraria, secundùm varios casus majoris vel minoris conjunctionis punitur, undè in *Senatu Pedamontano*, incestuosus fuit damnatus ad remigandum in perpetuum, *Thesaurus decis.* 100. ubi *Gaspar* ejus filius addit, in eodem Senatu fuisse furca suspensum quendam, qui filiam annorum novem pluriès cognoverat. Addit etiam *Antonius Faber ubi suprà decis. 1. & 7.* in Senatu Sabaudiæ pœnam incestùs fuisse interdùm confiscationem omnium bonorum: & hìc Neapoli, cùm casus accidisset, quòd quidam rem habuit cum duabus sororibus virginibus, quæ erant eidem sorores consobrinæ, Magna Curia illum condemnavit ad mortem; sed appellatione habita ad S. C. fuit deportatus, ex dispositione *textûs in l. si quis viduam, ff. de quæstionibus*, & mulieres fuerunt detrusæ in monasteria, qua de re *Francus decis.* 378. Materiam incestûs, quoad ejus pœnas, latè examinat *Farinac. magnus criminalista in titulo de delictis carnis quæst.* 149. stuprum etiam cum incestu adjunctum pœna mortis non puniri, ultrà prædictam decisionem, legas *Thorum in compend. decisionum in verb. pœna, & Ricc. in collect.* 151. *Julium Clarum in §. adulterium, & in §. incestus, ubi Bajurd. in additionib.*

Sciendum est ultimo, quòd filius Clerici simplicis non dicitur incestuosus, nec filius Clerici existentis in sacris, Clericus, enim rem habens cum muliere, simplicem fornicationem committere dicitur, ut est communis opinio *DD.* prout refert *Caccialupus in repetit. Authen. si qua Illustris, C. ad orphiciani, Francus decis.* 27. Nati verò ex militibus Hierosolymitanis incestuosi dicuntur, *Francus* sic decisum referens in S. C. in *decis.* 28. idque determinatum fuit simili exemplo Monachorum, quorum filii similiter incestuosi dicuntur, quia Monachi expresè profitentur solemniter castitatem, quæ omnia docet *textus in can. virginibus* 27. *quæst.* 1. & ideò filii istorum incestuosorum ad hæreditatem Avi non admittuntur, legas *Francum ubi*

*suprà*, & latè *Novarius in praxi electionis, & variationis fori, quæst.* 17. *sect.* 1. qui addit, quòd prædicti æquites quidquid acquirunt, religioni acquirunt quoad proprietatem, sibi verò quoad usumfructum vita durante.

Dices, filii clericorum etiam in sacris non dicuntur incestuosi, ergo nec filii monachorum, vel talium equitum.

Respondeo, nego consequentiam, quia clerici nullo modo expresse vovent castitatem, quamvis teneantur ad continentiam ex præcepto Ecclesiæ, ut notant, DD. *in Clem. ad nostrum. de hæreticis*: at religiosi expresse ad castitatem se obligant, & ideò eorum filii meritò incestuosi dicuntur, ut benè advertit *Riccius in addit. ad prædictam decis.* 28.

*De nefando sodomiæ vitio.*

AD intelligentiam hujus tituli sciendum primò est, quòd sodomia est Coitus inter personas ejusdem sexûs, ità *Caietanus* 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 2. ubi etiam cæteri *S. Thomæ* discipuli, & ideò, quandò masculus cognoscit fœminam extrà vas naturale, non propriè committit sodomiam, sed est peccatum distinctæ speciei, ut contrà *Menoch.* & alios dicemus infrà. In sodomia enim propriè accepta requiritur, ut peccetur contrà sexum, & debitum instrumentum, at masculus præposterè congrediens cum fœmina, dicitur servare sexum, licèt non servet debitum vas, ergo, &c.

Hoc tamen peccatum, ità est detestabile apud Deum, ut propter hoc distulerit per multum tempus incarnari, ut docent *Divi Augustinus* & *Hieronymus*, relati per *Vivium* in *Sylva commun. opinion. opin.* 126. *num.* 17. & in nocte nativitatis suæ sanctissimæ extincti extiterunt omnes, qui huic vitio operam dabant, quorum unus fuit Virgilius, quem fertur hoc morbo laborasse, ut ait *Petrus Gaballus in resolut. criminalibus, casu* 16. *nu.* 32. & *Vivius loco cit.* in qua etiam nocte quinque Civitates fuerunt etiam combustæ, duæ propter proprium delictum, & tres propter vicinitatem, ut in *cap. Clerici de excessib. Prælatorum*, & in loco ubi fuerunt istæ Civitates, hodiè est mare mortuum, & aqua illa non est natabilis, neque potabilis, & ferrum ibi natat, & palea mergitur; nascuntur etiam poma pulcherrima exteriùs, sed intùs plena cinere, *Glossa in cap. sed continuò de pœnit.* 1. *dist.* & postquàm diabolus aliquem ad hoc delictum committendum induxit, aufugit.

Sciendum est secundò, tale crimen puniri pluribus pœnis, de quibus *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 286. per totum, & quidem.

Prima pœna est, quia in hoc delicto, tam agens, quàm patiens pœna mortis punitur, & comburitur de jure Divino. *Genes. cap.* 19. ubi legimus, Deum Sodomam & Gomorram igne consumpsisse, quia peccatum eorum aggravatum erat nimis, *Genes. cap.* 18. *Exodi* 22. *Levitici* 20. & *ad Romanos* 1. *De Jure etiam civili*, ut benè *Menochius*, punitur tale crimen, immò, & de jure naturali, ut in *Authent.* ut non luxurietur contrà naturam, repugnat enim naturæ, quæ masculum, & fœminam simul coire voluit, ut indè sibi similes procrearent: De jure Regni etiam pœna mortis punitur, ut in *Pragmatica* 1. & 2. *sub titulo de sodomia*; de jure canonico privatur omnibus bonis, & beneficiis, & in perpetuum in carceribus emancipatur, *d. cap. clerici.*

Secunda pœna est, quia efficiuntur infames tales delinquentes, *l. cùm vir. C. ad legem Juliam de adulteriis.*

Tertia pœna est, quia efficiuntur intestabiles; immò testamentum ab eis priùs conditum, redditur nullum, *Menoch. loco cit. nu.* 21. & ratio esse potest, quia commisso crimine, ipso jure bona applicantur fisco, ut ait *Glossa in §.* 1. *Authen. de incestis nuptiis, & in cap. cùm secundùm de hæret. in* 6. *Jul. Clar. in §. sodomia, vers. item sodomita; Menoch. ubi sup. nu.* 19.

Quarta pœna est, quia separatur Thorus matrimonialis, præsertim, si vir de eo vitio uxorem tentaverit, *cap. omnes* 32. *quæst.* 7. in foro verò externo mulieri dicenti, se esse sollicitatam de tali vitio à marito, non est credendum, tùm ne detur occasio fœminis accusandi viros, & impediendi vitam conjugalem, tùm quia nullus est idoneus testis in causa propria. *l. nullus, ff. de testibus*: & sic decisum in *Rota Romana*, testatur *Farin. decis.* 178. & *Riccius decis.* 273. quod tamen procedit, dummodò præter fœminæ assertionem non extent alia indicia, quibus Judex inducatur ad credendum assertioni mulieris, quia tunc non creditur mulieri præcisè, *Ricc. ubi sup.*

Quinta pœna est, quia privantur defensione Advocatorum, qui eis assignari minimè possunt, *Baldus in Authen. sed novo jure. C. de servis fugitivis, Menoch. ubi sup.*

Sexta pœna est, quia per hoc crimen clericus incurrit in depositionem, privatur omni Ecclesiastico Beneficio, & dignitate Ecclesiastica, ut in Bulla Pii V. de qua meminit *Navarrus cap.* 27. *nu.* 249. ubi tamen.

Nota primo, quòd si clericus rem habeat cum aliqua fœmina in vase præpostero, non incidit in prædictas bullas, ut docet *Barbos. in collect. tom.* 2. *lib.* 50. *tit.* 31 *cap.* 4. *nu.* 10. *Azorius par.* 3. *cap.* 19. *quæst.* 3. ratio est, quia sodomia est peccatum contrà sexum, & debitum instrumentum, sed quandò aliquis præposterè mulierem cognoscit, licèt non servet debitum vas, servat tamen sexum, ergo non committit propriè sodomiam, ità *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. *cum Azorio, ubi suprà*, & *Bonac. de matrim. quæst.* 4. *punct.* 11. *propos.* 1. *contrà Episcopum Riccium in praxi par.* 3. *resolut.* 60. & *par.* 1. *resol.* 302. cum aliis, quos refert, & sequitur.

Et ideò in nostra sententia benè sequitur, quòd si casus sodomiæ sit reservatus, ut est in nostra Diœcesi, non incidit quis in casum reservatum, si habeat rem cum muliere in vase præpostero, *Bonacina ubi suprà, num.* 30. *Summa Corona par.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. *Jacobus de Graffiis tom.* 2. *lib.* 50. *cons.* 3. cum aliis, est ergò solùm reservatus, quandò masculus abutitur masculo, vel quandò fœminæ sese supergrediuntur, & medio aliquo instrumento, vel sine instrumento recipiunt semen intrà vas præposterum, nam hæc est propriè sodomia completa, quæ sufficit ad divortium, ut docet *Sanch. lib.* 10. *disp.* 4.

Nota secundò, quòd si aliquis sacerdos absolvit pœnitentem, qui rem habuerat cum fœmina in vase præpostero, tenens nostram sententiam, hanc non esse veram sodomiam, neque includi in casu reservato sodomiæ, posito in tabella nostri Archiepiscopi, validè absolvit, licèt pœnitens non sit confessus, nisi illud peccatum solùm; ratio est, quia quoties sunt duæ opiniones circà jurisdictionem sacerdotis ad audiendas confessiones, quarum opinionum una probabilis dicat, sacerdotem habere jurisdictionem, alia probabilior dicat, non habere, licitum est sacerdoti relinquere probabiliorem, & sequi probabilem. *Coninch. de Sacramentis disp.* 8. *dub.* 3. *concl.* 6. & *dub.* 6. *nu.* 46. *Lessius de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *nu.* 68.

Dices, licèt possit in aliis sequi quis opinionem probabilem, relicta probabiliori, tamen hoc non licet in administrandis Sacramentis, sed talis sacerdos tenet opinionem probabilem omissa probabiliori, ergo, & ideò docent *Sancius in selectis disput.* 44. *nu.* 19. *Filiuc. tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *nu.* 139. hunc talem sacerdotem debuisse sequi opinionem probabiliorem, alioquin non faceret Sacramentum, sed in casu nostro sequutus fuit opinionem probabilem omissa probabiliori, ergò.

Respondetur

Respondetur, quòd tunc quis debet sequi opinionem probabiliorem, & non sufficit sequi opinionem probabilem, quandò sumus in materia, vel forma Sacramenti, quia tunc esset periculum irritandi Sacramentum: at quandò sumus in materia jurisdictionis confessarii, licèt illa opinio, quæ ei neget, sit vera, & opinio, quæ ei concedit, sit falsa à parte rei, tamen in tali casu jurisdictio suppletur, & confertur ab Ecclesia sicut supplet, quandò est error communis, & titulus coloratus.

Nota tertiò, quòd in pœnas suprà dictæ Bullæ non incidit clericus, si non emisit semen intrà vas, ità *Azorius par. 3. cap. 19. Riccius in praxi tom. 3. resol. 62. num. 2. & par. 1. resolut. 392. Quaranta in summa Bullarii, in verb. sodomia, Suarez de censuris. disput. 31. sect. 4. n. 21.* Ratio est, quia, quandò lex prohibet aliquod delictum, intelligitur de delicto consummato, sed quandò semen intrà vas non immittitur, non dicitur sodomia consummata, ergo: major patet ex *textu in cap. autem de pœniten. 5. distin. & ex l. 1. §. si hæc verba, ff. quod quisque juris.* Minor probatur ex communi DD. sententia, qui asserunt non esse perfectè sodomiam, quandò masculus habet rem cum masculo, si non emittat semen intrà vas, ut latè *Sanchez de matrimon. tom. 3. lib. 10. disput. 4. num. 13.* Ex quo rectè deducitur, ad incurriendum casum reservatum sodomiæ, necessarium esse, ut semen effundatur intra vas, si enim aliter, non erit propriè sodomia, & per consequens, nec casus reservatus, ità *Bonacina de matrimonio quæst. 4. part. 11. num. 2. Graffius tom. 1. lib. 5. cons. 3. num. 20. de adulteriis,* sicut nec erit casus reservatus, si membrum ponatur per multum spatium temporis intrà vas incipiendo, & prosequendo actum sodomiticum, sed semen non effundatur, ut docet *Molses. in summa tom. 1. tract. 7. cap. 20. casu 9. num. 109.*

Nota quartò, quòd in pœnas suprà dictæ Bullæ quæstio est inter DD. an incidant clerici, tàm agentes, quàm patientes vitam sodomiticam? & licèt *Riccius p. 3. resol. 57.* cum multis quos refert, id affirmet, ex ea ratione, quia in correlativis, quod disponitur in uno, disponitur etiam in alio, undè putat *Bonac. de matr. quæst. 4. par. 11. n. 2.* cum aliis, in casum reservatum sodomiæ incurrere, tàm clericum agentem, quàm patientem. Verùm putarem ego, patientes non posse dici propriè sodomitas, sed molles, juxtà illud *Pauli 1. Corinth. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt,* ubi *Glossa* sic exponit, quam sequitur *S. Thomas par. 2. quæst. 138 artic. 1. ad primum, Cajetanus in summa in verb. milites,* quia molles dupliciter dicuntur, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia peragunt in se pollutionem voluntariam. Accedit, quia ex diversitate vocabuli, ex diversitate pœnæ, ex gravitate sceleris est magna differentia inter agentem, & patientem, nam majus peccatum est agentis, quàm patientis, *S. Antoninus in summa par. 3. tit. 17. c. 17. §. 14.* & in foro judiciali major pœna imponitur agenti, quàm patienti. Undè *Jacob de Graffiis de casibus reservatis, lib. 1. cap. 11. n. 7.* putavit, quòd reservatio casûs sodomiæ ad agentem, & non ad patientem extenditur, quod quidem satis probabile est.

Et ideò nota singulariter, quia nullibi aliàs invenies, cum *P. Alphonso de Leone de officio confessarii part. 1. recollect. 9. num. 216. cum seq.* quòd non tenetur quis in confessione exprimere, an in peccato sodomiæ fuerit agens, vel patiens, tùm quia tale peccatum est ejusdem speciei, neque per hoc, quòd graviùs puniatur agens, quàm patiens, censetur diversæ speciei, quia plus, & minus non mutant rem in specie. Ideò si quis verecundiam haberet confitendi se in actu sodomitico fuisse patientem, sufficit ut dicat, totiès sodomiam exercui.

Et etiam notat idem *Doctor. num 124.* copulam sodomiticam inter cognatos mutare speciem, quandò illi invicem sunt tales in linea rectâ: in linea verò transversali esse solùm circumstantiam, & sic non confitendam secundùm nostram sententiam, de qua diximus, cùm de Pœnitentia. Quòd verò casus sodomiticus inter masculos in primo, & secundo gradu non habeat malitiam incestûs in confessione explicandam patet, quia per copulam sodomiticam nulla contrahitur affinitas, ergo neque incestus committitur, & quia incestus tàm in primo, quàm in secundo, tertio, & quarto gradu non differunt specie, ut alibi diximus, cùm de circumstantiis, ubi ex *Coninch. de Sacramentis disp. 7. dub. 3. num. 13.* diximus non teneri aliquem, qui rem habuit cum matre, vel cum filia, aut sorore, vel nepte, explicare hanc circumstantiam incestûs cum tali, vel tali persona, sed sufficit, si dicat se commisisse incestum, nam diversitas graduum est tantùm circumstantia aggravans, quam non tenetur quis confiteri.

Et adverte etiam, quòd impuberes commiscentes se cum consanguineis, vel affines, non sunt inclusi in casu reservato incestûs, ut docet *Graffius de casibus reservatis lib. 1. cap. 13. num. 9.* ratio est, quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœna ordinaria, ità & in animæ judicio, undè pueri antè 14. annum incubi, & muliebria patientes, sub casu reservato sodomiæ non comprehenduntur. *Paludan. in cap. dist. 34. quæst. 2. art. 1. Graff. tom. 1. consiliorum lib. 5. cons. 3. num. 13. Bellochius de casib. reservatis par. 2. q. 1. num. 203. & q. 17. num. 66.*

Nota quinto, quòd clericus committens crimen sodomiticum semel, bis, aut ter, non incurrit pœnas suprà dictæ Bullæ. *Azorius par. 3. lib. 3. cap. 19. Ricc. par. 3. resol. 58. Genuens. in praxi cap. 97.* & alii, quia Bulla tales pœnas inflixit in clericos exercentes sodomiam, sed ille dicitur exercere, qui pluriès id facit, ergo. Hinc dicit *Genuensis in praxi c. 18. num. 15.* non esse denunciandam mulierem, quæ semel maleficium fecit, aut superstitionem, nisi saperet hæresim manifestam, & simplicitas, aut alia justa causa eam non excusaret.

Nota sexto, quòd clericus committens crimen bestialitatis, non incidit in pœnas suprà dictæ Bullæ, ità *Barb. in collect. to. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. num. 11. Garzia de beneficiis tom. 2. p. 11. cap. 10. §. 2. num. 205.* ratio est, quia bestialitas non est propriè sodomia, contrà quam edita fuit hæc Bulla, & lex pœnalis non est extendenda ad casum non expressum, etiamsi in illo inveniatur eadem ratio, maximè in foro conscientiæ, ut benè *Sanchez de matrimon. tom. 3. lib. 10. disput. 4.* & ideò recedas à *Riccio in praxi par. 3. resolut. 58.* contrarium dicente; quod etiam dixerunt addentes ad *Quarantam in summa Bullarii in verbo sodomia.*

Nota septimo, quòd crimen sodomiæ exercentes non sunt irregulares, nisi tale crimen sit publicum, vel notorium: cæterùm, si sit occultum, nullo modo adest irregularitas; ità contrà multos *DD.* quos citat & sequitur *Petrus Genedus in collect. par. 2. collect. 130.* docet *Barb. in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. num. 50. & Garsias de beneficiis tom. 2. punct. 11. num. 15.* Ratio est, quia nullum crimen quantùmvis enorme inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium, hoc enim licèt occultissimum, irregularitatem inducit, ut habetur in *cap. ex tenore de tempor. ordin. & in cap. fin. eod. tit.* Irregularitas verò non inducitur, nisi expresè in jure habeatur, *cap. is, qui: de sentent. excommun.*

Ex quibus omnibus in praxi nota, cùm eris confessarius, quòd, si clerici non exercent sodomiam, erunt sine dubio absolvendi, si verò exercent, tunc erunt absol-

absolvendi, dummodò per confessarium, vel alium virum secretum procuretur ipsis nova provisio beneficii. Verùm tu sine ullo scrupulo, absque nova provisione eos absolvere poteris. Ratio est, quia non obligatur confessor in foro conscientiæ ad talem pœnam ferendam, latam per dictam Bullam, nisi præcedat sententia Judicis declaratoria, *Salas de legibus disp. 15. sect. 2. Suarez de legibus lib. 5. cap. 5.* Item, quia dicta Bulla in foro interiori conscientiæ non fuit usu recepta, sed solùm in foro exteriori, ut docet *Quaranta in summa Bullarii in verb. sodomia*, *Suarez de censuris disp. 31. sect. 4. nu. 22.* nisi post sententiam condemnatoriam Judicis, *Bonacina loco citato, num. 2. Avila de censuris par. 7. disp. 4. dub. 7. conclus. 7.* meritò Clerico sodomitæ, si sit contritus, absolutionem dare poterit confessarius, etiam retento officio, & beneficio, ac dignitate, *Diana tract. 3. miscell. in fin.*

*De Bestialitate.*

Bestialitas est carnalis conjunctio cum re alterius speciei, v. g. cum Bruto vel cum Dæmone, sivè fiat cum Dæmone comparente in forma fœminæ, quo casu dicitur cum Dæmone succubo, sivè fiat cum Dæmone comparente in forma hominis, vel bruti, quo casu dicitur cum Dæmone incubo: ut explicat *Philiarcus de offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 8.* quæ quidem Bestialitas gravissimum est peccatum, & morte punitur in foro externo, nedùm ipse homo, sed etiam bestia, *Levit. cap. 20. Julius Clarus in §. fornicatio vers. cum animali bruto*; quandò verò hoc peccatum cum dæmone committitur, habet ultrà malitiam bestialitatis, aliam malitiam superstitionis, quatenùs includit societatem cum dæmone, & si semen accipiatur à Dæmone, & ponatur in vas naturale mulieris, putat *Bonacina de matrimon. quæst. 4. punct. 12. num. 31.* committi aliqualem fornicationem, & si copula habetur cum dæmone sub specie viri soluti, vel conjugatæ feminæ, adest etiam qualitas culpæ pro qualitate personæ, ad quam dirigitur affectus.

Adverte tamen primo, quòd Bestialitas est diversæ speciei à sodomia, & sic non sufficit confiteri se commisisse sodomiam; & ideò benè contrà *Rodriquez & Quarantam*, docet *Bonacina ubi sup.* reservata sodomia, non censeri reservatam Bestialitatem.

Adverte secundò, quòd hoc peccatum variat speciem, sicut pollutio, secundùm personam, quam tunc intendit, & desiderat talis, *Cajetanus 2. 2. quæst. 154. art. 11. ad 3. Sayrus lib. 8. Clavis Regiæ cap. 10. nu. 19.*

Adverte tertio, quòd sivè effundatur semen intrà vas, sivè extrà vas belluæ, semper peccatum est ejusdem speciei, quia ita est seminare intrà, sicut extrà vas bestiæ, & ideò docet *P. Grassius lib. de quinque casibus cap. 11. nu. 19.* utrumque comprehendi in casu reservato de coeunte cum bestiis, *Gambarupta de casibus reservatis, cùm de simonia in fine nu. 7.* Quòd si reservetur simpliciter bestialitas, tunc venit tantùm emissio seminis intrà vas, sicut suprà diximus de sodomia.

Adverte quartò, quòd licèt reservata Bestialitate, censeatur reservatus etiam concubitus cum Dæmone, tamen non est ejusdem speciei, & ideò explicandum est in confessione, quia sunt duo peccata diversæ speciei, scilicet, coitus cum re alterius speciei, & superstitio, ad quam spectat societas cum Dæmone, *Cajetanus 2. 2. quæst. 154. art. 11. Bonacina de matrimon. quæst. 4. disput. 4. par. 12. num. 2. Filiuccius tract. 30. nu. 162.* In quo etiam casu debet exprimi, an Dæmon comparuerit in forma hirci, ut in eo casu, quem refert *Martinus del Rio lib. 2. disquisit. magicarum, qu. 15.* vel hominis, vel Juvenis, & an coierit in vase naturali, vel contrà naturam, & an fuerit Dæmon incubus, vel succubus, quia licèt hæc omnia non sint diversæ speciei ratione actûs, sunt tamen ratione effectûs, ut benè *Filiucc. tract. 30. nu. 162.*

Adverte quinto, Confessarios non debere absolvere pœnitentes, qui hoc peccatum bestialitatis confitentur, nisi alienent, vel interficiant dictas bestias, cum quibus rem habuerunt, *Grassius par. 1. lib. 2. decision. cap. 89. Alphonsus de Leone de offic. confessarii, recoll. 9. nu. 24.*

Adverte ultimo, etiam conjunctionem naturalem factam modo indebito, esse peccaminosam, quotiès ex ea impeditur generatio: ratio est, quia frustratur finis copulæ, & seminis, semen enim à natura est introductum ad generationem, quòd si generatio non impediatur, nunquàm erit peccatum mortale. Ideò vir, qui propter pinguedinem non potest congredi cum femina, nisi retrò accedat, aut quandò femina est gravida, & non potest cognosci carnaliter, in vase naturali loquendo, nisi accedat retrò, non peccat mortaliter maritus, si finis matrimonii non impediatur, præposterè scilicet habendo rem, sed in vase naturali, sicut neque est peccatum, quandò masculus succumbit feminæ & femina supergreditur, vel si habet rem quis cum alia sedendo, vel stando; dummodò enim talis coitus non impediat finem matrimonii, & seminis, qui est productio prolis, nunquàm enim est peccatum mortale. *Bonac. ubi sup.*

*De fornicatione simplici, & concubinatu.*

Ad intelligentiam hujus rubricæ. Sciendum primo est, quòd fornicatio est simplex concubitus soluti, cum soluta, id est eorum, qui sunt liberi à conjugio, voto, ab ordine sacro, à religione, & cognatione, & similibus, quæ quidem fornicatio est peccatum mortale, prohibetur enim de jure divino, *Azor. 3. p. lib. 3. cap. 4. Less. lib. 4. cap. 3. n. 47.* tùm quia sic habetur ad *Galat. 5.* tùm quia repugnat rationi naturali, & est contrà bonam educationem prolis.

Dices, Deus Oseæ Prophetæ dixit, *Sume tibi uxorem fornicationis*, ut filios de fornicatione susciperet: ergo fornicatio non est peccatum, consequentia patet, quia, si esset peccatum, utique Deus non præcepisset.

Respondetur, Deum præcepisse *Oseæ* uxorem fornicariam, quæ scilicet anteà fuerat fornicaria, ad hoc, ut de impudica fieret pudica. Respondet secundò *Nicolaus de Lyra*, eam uxorem fornicariam dici, eo quòd esset mulier gentilis, quæ appellabatur fornicaria ob fornicationem spiritualem id est propter Idololatriam. Tertiò Respondet *S. Thomas in 4. dist. 33. quæst. 2. num. 10.* hoc argumento non sequi, nisi fornicationem fieri posse licitam dispensatione divina, sicut ex justa causa potest Princeps permittere meretrices in aliquo loco Civitatis, *S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2.* & etiam permitti potest, meretrices habere patronos, qui eas defendant ab earum lenonibus, & curent, ne contagioso morbo inficiantur quia hæc est actio ex sua natura licita.

Sciendum secundò est, fornicationem de jure divino puniri pœna æterna, *cap. nubendi 27. quæst. 1. cap. meretrices 32. quæst. 4.* in foro conscientiæ est imposita pœnitentia 7. annorum, & minor etiam pro arbitrio Sacerdotis, *cap. hoc ipsum 33. quæst. 1. Can. Lex illa 37. quæst. 1.* de jure Canonico in foro contentioso pœna fornicationis adversùs Clericos, est suspensionis ab officiis, *Glossa in cap. Maximianus, in verb. removeantur 81. dist.* verùm regulariter pœna est arbitraria, *Menoch. de arbitr. Judic. casu 289.*

Sciendum est tertio, quòd si quis optaret, fornicationem licitam esse, non peccaret mortaliter secundùm *Vasquez 1. 2. q. 116. cap. 2.* maximè quandò moveretur ad optandum id ex eo, quòd videret ob sui fragilitatem sæpiùs incidere in peccatum, verùm contrarium docet *Sanchez tom. 1. summæ lib. 1. cap. 2. nu. 23. Molfes. in sum. tom. 1. tract. 8. c. 81. nu. 49.* quia non potest postponi bonum totius naturæ.

Quòd

Quòd si quis haberet consensum conditionalem circà actum prohibitum, non esset peccatum mortale, quandò actus solùm est prohibitus de jure positivo, secùs, si actus, circà quem versatur consensus, esset prohibitus de jure naturali, ideò, si quis diceret, comederem carnes die Quadragesimæ; nisi Ecclesia prohibuisset, careret culpa, *Layman in Theologia morali lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 10.*

Alii verò, ut *Valentia tom. 2. disput. 6. quæst. 4. part. 4. Sayrus in clavi regia lib. 7. num. 28. Salas in part. 2. tract. 13. disput. 16. sect. 7.* docent, quòd quotiès conditio omnem malitiam, & deformitatem ab actu aufert, excusat à peccato; secùs verò, si non auferat, & ideò non peccaret, si quis diceret, occiderem inimicum, si mihi liceret, vel malum non esset, peccaret verò, si diceret, occiderem inimicum si supplicium, vel infamiam non timerem: rationes legas apud *DD.*

Sciendum quarto est, concubinatum esse frequentem, & consuetam fornicationem cum eadem persona, undè ad concubinatum non sufficit unus, vel duplex actus fornicarius, sed requiritur consuetudo, qua aliqui ità simul cohabitant, ac si essent simul conjugati, *Riccius decis. 361.* Antiquitùs verò in Sacra Scriptura erant multæ concubinæ, quæ tamen non erant veræ concubinæ, sed veræ uxores; quæ tamen non admittebantur ad domesticam familiæ gubernationem, *Azorius par. 3. lib. 3. cap. 50.* permittebatur enim Hebræis duas uxores ducere, unam solemni ritu, aliam absque ritu solemni, quod hodiè non est permissum.

Rogabis, utrum confessarius possit absolvere pœnitentem, antequàm dimittat concubinam, quam domi retinet?

Ad intelligentiam hujus quæsiti, suppono, quòd pœnitens, ut absolvi possit, debet regulariter loquendo relinquere occasionem proximam: dicitur verò occasio proxima duobus concurrentibus: primò, quandò scilicet talis occasio semper inducit homines similis conditionis ad tale peccatum, vel saltem per experientiam cognoscatur, solere talem hominem semper inducere ad tale peccatum, quandò verò non solet inducere ad peccatum, non dicitur occasio proxima, etiamsi fortè sæpiùs aliàs induxerit. Secundo requiritur, ut talis occasio sit voluntaria: nam occasio non est culpabilis, nisi sit voluntaria, cùm nullum sit peccatum, nisi sit voluntarium. Ideò, si moraliter vitari non potest occasio, non dicitur voluntaria, vel quandò gravis causa urget exponendi se tali periculo, hoc enim casu non dicitur occasio proxima. Hoc posito.

Dico primo, pœnitens regulariter non est absolvendus, antequàm concubinam dimittat, vel antequàm relinquat proximam occasionem peccandi, quam tenetur evitare statim, quòd potest relinquere, quia quamdiù persistit cum concubina, vel in occasione proxima, non censetur habere sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata in futurum, *Coninch. qui de communi testatur de pœnit. disp. 7. dub. 17. num. 134.* Addidit etiam *Lopez in instructione confessariorum cap. 25.* Infernum propter non extirpationem occasionum os suum dilatasse sine termino; sæpiùs enim ob occasiones non extirpatas, in peccatis suis inveterascunt homines, & in scandalum populorum vivunt, quos tandem Infernus devorabit.

Dixi regulariter, quia potest in quibusdam casibus absolvi, occasione proxima non relicta, puta si concubina dimitti non potest sine gravi infamia, vel scandalo, in quo requiritur magna confessarii prudentia, ideò non absolvas pœnitentem, qui domi concubinam retinet, seù ancillam, cum qua peccare solet, nisi concubinam dimittat, quia existit in occasione peccandi; quòd si rarò, ut ter, vel quater in anno peccaverit cum illa, repentina fortè libidine correptus, sed modò sperat ampliùs non cadere, erit absolvendus: absolvendus verò est concubinarius, qui in articulo mortis existens, non potest tunc concubinam arcere, sed habet firmum propositum illam ejiciendi quamprimùm poterit; filius verò familias, qui de domo patris non expellit ancillam, cum qua peccare solet, absolvi debet, dummodò habeat firmum propositum non peccandi ampliùs in futurum, & non ampliùs solus cum sola versandi; quia hæc occasio respectu filii-familias non dicitur voluntaria, cùm ille non sit sui juris, *Bonacina ubi suprà parte quinta num. 13.*

Concubinarii, qui dicunt, se servare castitatem, &c. & stare veluti fratres, & sorores, an sint absolvendi? affirmant aliqui, de quibus *Diana par. 5. tract. resol. 177.* negant alii, de quibus *Maranta 2. par. consiliorum.* Quandò concubina sit expellenda, *Diana par. 5. tract. 14. resol. 108. & 109.* Concubina an possit confiteri cum confessario concubinario, *Diana par. 5. tract. 14. resol. 100.*

Adverte tamen in praxi, cùm eris confessarius, quòd non debes denegare absolutionem Adolescenti qui sæpiùs in mollitiem incidit ex carnis fragilitate, nam talis occasio non censetur voluntaria, cùm adolescens non possit illam expellere, sed ei dabis salutares pœnitentias, & aliquandò differes absolutionem, ut pœnitens cum proposito majori proponat evitare talia peccata, *Coninch. disp. 8. dub. 17. n. 134.* Denegabis verò ei absolutionem, quandò potest occasionem mollitiei expellere, & non expellit; ut quandò ex aspectu alicujus fœminæ, cum qua versatur, solet in turpem cogitationem consentire; aut in voluntariam pollutionem incidere, quia censetur in occasione proxima voluntaria, & sic deneganda absolutio; *DD. ubi suprà.*

Sic absolves etiam fornicatorem, qui modò cum una, modò cum alia fornicatur, dummodò firmo, & constanti proposito determinat in posterum non peccare; dummodò nullam retineat domi: sic absolves eum artificem, qui semper se accusat de mendaciis commissis in arte, quam exercet, & quam non potest absque notabili incommodo sui, vel familiæ deserere, modò eliciat dolorem de peccatis cum proposito non ampliùs peccandi; dummodò habeat rationabilem causam non dimittendi illam artem; quòd si quis credat, illam artem exercere non posse sine furto mortali, tunc tenetur illam artem deserere, *Megala par. 1. lib. 4. cap. 6. num. 6.*

Adverte secundo, posse aliquem absolvi, etiamsi non relinquat occasionem proximam concurrentibus quatuor conditionibus, Prima est dolor de peccatis præteritis. Secunda, firmum propositum non peccandi in futurum: Tertia, credulitas, qua credat se cum Dei auxilio non peccaturum, quandò se invenerit in ea occasione. Quarta, est rationabilis causa non separandi se ab ea occasione.

Dico secundo, non relinquens occasionem remotam, licèt ex ea nascatur proxima, non peccat mortaliter, quandò rationabilis est causa, ut remota occasio non derelinquatur; *DD. ubi suprà.* Ex quo

Infertur primo, adolescentes versantes in emptionibus, & venditionibus cum mulieribus, cum quibus solent tactus, delectationes, vel alios actus impudicos habere, non teneri desinere tale exercitium vendendi, & emendi; sed benè tenentur non vendere talibus personis, *Reginaldus de prudentia confessarii cap. 8. num. 2.*

Infertur secundo, famulos, vel ancillas, qui occasione famulatûs, vel inter se, vel cum aliis Domini cognatis conversando, soliti sunt peccare, non debere abstinere à famulando, sed solùm non famulari in tali domo.

Infertur tertio, eum, qui bibendo certam vini quantitatem, fuit solitus inebriari, non teneri abstinere à vino, sed à tali quantitate,

Infertur quarto, quòd si medicus Chyrurgus, dùm medetur pudenda fœminarum, expertus est, se in pollutionem consentire (idem dic de Clystero) non tenetur à tali actu recedere, dummodò determinet non consentire, *Megala ubi suprà*: *de Leone par. 1. recoll. 20. num. 73. Joannes de la Crux in direct. conscien. par. 1. præcepto 6. art. 8. dub. 9. conclus. 2.* sicut si quis accederet ad Infideles gratia illos convertendi cum periculo peccandi, sic tenetur Pater alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre neque alia via possunt victum quærere, etsi periculum sit lapsûs cum concubina: sicut etiam docet *Pontius de matrimon. in appendice cap. 6.* quòd ex magna aliqua Ecclesiæ causa, puta, vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli ejus statûs, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & consiliariis hæreticis tenentur oppressi, non peccant mortaliter: ratio est, quia exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamvis peccatum sit: non tamen est ex his peccatis, quæ quavis circumstantia posita, vel detracta, suam deformitatem retinent, sed eorum malitia dependet ab illa circumstantia, ergo expositio periculi non erit peccatum, quandò ex magna fiat, & urgenti causa, quia tunc non est amare periculum, sed amare illud ingens bonum, ad quod sine periculo perveniri non potest. Quòd verò exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua urgenti, non sit peccatum, constat ex his, quæ *S. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 9.* in corpore, & ex aliis, de quibus *Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 3.* sic docet *Cajetanus in summa in verb. periculum.* Ire ad locum, sivè societatem, ubi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasiones, commoditates, aut aliquid simile, etiam sine urgenti necessitate non esse peccatum mortale, quia restat in suo libertatis arbitrio peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi: sic ille, sic *Emmanuel Sà in verbo absolutio num. 12.* docet, absolvi posse qui ex rationabili causa non vult omittere occasionem, modò proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquotiès sit relapsus; tunc ergo erit peccatum mortale offerre se periculo peccandi, quandò fit sine causa urgenti, vel necessitate non obligante, non verò si talis adsit causa. *Pontius ubi suprà.* Sic docet *Vasquez in opuscul. de restitut. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 33.* posse hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutem, quamvis probaliter putet, ex eo futuram seminis effusionem.

Infertur quinto, Aulicum, qui de more Curiæ Regiæ blandè loquitur cum quadam nobili mensæ assistenti, ex quo peccat peccato pollutionis, sumendo occasionem ex eo, non teneri recedere ab Aula: idem dic de confessario, qui audiendo confessionem aliquarum mulierum sæpè expertus est incidisse in pollutionem, vel delectationem, quia hic licèt non teneatur officium confessarii relinquere, tenetur tamen tales mulieres non confiteri, juxtà illud Evangelii. *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* idem dic de pœnitente, idem de experiente, quandò confitetur alicui confessario, *DD. ubi suprà.*

Infertur sexto, ducentes choreas, qui vulgò (*mastri di ballo*) appellantur, qui in tactù solent peccare desiderio, vel delectatione, non teneri relinquere officium *DD. citati.*

Dico tertio: concubinarii sæculares possunt ab ordinariis locorum puniri post trinam admonitionem *Tridentini sess. 24. cap. 8.* ubi subdit, mulieres concubinarias, sivè solutas, sivè conjugatas posse extrà oppidum, vel diœcesim ejici, si ter admoniti noluerint obedire, *Riccius decis. 378.* contrà presbyteros verò notoriè concubinarios est lata pœna suspensionis, non ipso facto incurrenda, sed per sententiam *Trident. sess. 24. cap. 10.*

### In §. Quid si quis stuprum.

Agitur in hoc §. de stupro. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd stuprum est concubitus viri cum virgine fœmina, quo virginalis carnis integritas violatur. Solum enim stuprum committitur, cùm virginale claustrum violatur, *Menochius de arbitr. judic. cas. 288.* habet etiam stuprum malitiam specie distinctam à fornicatione, necessariò explicandam in confessione, dummodò puella non consenserit, quia quandò consenserit, se violari, etiamsi parentes, vel tutores ejus sint inviti, stuprum non est, *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 14. num. 50.* quia in stupro non reperitur specialis malitia, nisi adsit specialis injuria, sed quandò copula habetur cum puella consentiente, non adest specialis injuria, scienti enim, & consentienti, non fit injuria, ergo in stupro non reperitur specialis malitia, quandò puella consentit, secùs, si puella sit invita, ideò delectatio in virgine de aliquo adolescente, non habet specialem malitiam, ità ut puella dicere teneatur in confessione, se, cùm esset virgo, delectationem morosam de adolescente suscepisse, etiamsi puella se polluat, concepto adolescente in mente, quia per talem pollutionem non perdit virginitatem, & sic non tenetur exprimere circumstantiam virginitatis; sic delectatio circà adolescentem virginem, non habet specialem malitiam stupri suprà alias delectationes, modò adolescens non habeat voluntatem inferendi violentiam virgini, ideò sufficit dicere in confessione, se habuisse voluntatem circà fœminam solutam, *Bonacina par. 7. num. 2.*

Sciendum secundo, est puellam corruptam per copulam, vel alia ratione, posse velari, quandò corrupta est per actus interiores, ut per delectationes venereas aut per voluntariam pollutionem, quia adhuc est virgo virginitate naturali. Quòd si per copulam corrupta sit, velari non potest, nisi esset violata per vim, *Lessius lib. 4. cap. 4. num. 115.* & ideò puella, carnaliter cognita, tenetur postquàm fuit velata, abstinere se ab officiis, quæ conferuntur Virginibus consecratis, si commodè potest absque scandalo, quia illa officia sunt instituta pro fœminis virginibus, & non corruptis, ergo puella debet se ab illis abstinere, excusando se aliquo titulo, si potest, verùm non tenetur prodere suum delictum cum periculo infamiæ, aut scandali, quia Ecclesia non obligat cum tanto incommodo. Verùm poterit hoc casu adhiberi dispensatio, quam solus Summus Pontifex dare potest, ut docent *Rodriquez*, & alii apud *Bonacinam*; secundùm alios verò potest Episcopus dispensationem concedere: quòd si in aliquibus locis usu receptum sit, ut dispensatio non petatur, quia forsan tam corruptæ, quàm virgines retineant officia absque dispensatione, tunc non opus erit ea, sic disponente consuetudine.

Sciendum est tertio, stupratorem non teneri ad restitutionem, quandò fœmina per vim, vel fraudem deflorata fuit, & æque benè nupsit, ac si non fuisset deflorata, eo quòd stuprum fuerit occultum. Ratio est, quia non est passa ullum detrimentum, quòd si puella condonavit stupratori obligationem restituendi, ad nihilum tenetur stuprator, quia puella potest cedere juri suo; ipsi enim facienda est restitutio, & non parentibus, nec tenetur restituere stuprator

prator, quandò puella moritur antequàm nubat, quia nullum ob id patitur damnum. Quòd si stuprator extorsit copulam à puella precibus importunis, vel muneribus, aut suasionibus, vel blanditiis assiduis, dummodò non adsit metus vel dolus, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia tales preces non auferunt voluntarium, licèt enim puella non consentiret, nisi positis precibus, vel muneribus, non tamen indè sequitur, ipsam non consentire voluntariè, sicut voluntariè ille consentit, qui muneribus alieni confert aliquod officium; nec tenetur deflorator aliquid restituere Patri puellæ, sub cujus cura est ipsa puella, quæ deflorata fuit consentiens, & non invita, quia obligatio restituendi non oritur ex sola injuria, sed ex injuria cum damno alterius, sed stuprator licèt intulerit injuriam Patri puellæ defloratæ, non tamen intulit damnum, cùm damnum sit illatum puellæ, cujus virginale claustrum fuit violatum, *Guttierez de matrimon. cap. 86. nu. 20.*

Sciendum est quarto, stuprum puniri variis pœnis. Prima est de lege antiqua divina imposita, *Genes. cap. 8.* contrà stuprum à vidua commissum, quæ pœna erat pœna ignis.

Secunda pœna est contrà stuprantem, si fuerit Clericus, ut in foro conscientiæ ei imponatur pœnitentia decem annorum, cum jejuniis, & pœnitentiis, de quibus est *text. in cap. presbyter 83. dist.* laico verò indicitur pœnitentia 7. annorum, *cap. devotam 27. quæst. 1. cap. hoc ipsum 33. quæst. 2.* In foro verò contentioso contrà Clericos indicta est pœna depositionis, *Abbas in cap. & si Clerici nu. 20. de judiciis, & in cap. 2. de adulteriis*, verùm interdùm de hoc jure Pontificio est pœna arbitraria, *Menochius de arbitr. judicum cent. 3. cas. 288.*

Tertia pœna est, quia stuprans virginem honestam, eam ducere debet in uxorem, vel dotem ei constituere: *cap. 1. & 2. de adulteriis*, quod etiam dispositum videtur *Exodi cap. 21.* quæ quidem dos constitui debet secundùm Judicis arbitrium, *Menoch. ubi suprà.*

Quarta est pœna contrà vassallum, qui uxorem domini constupraverit, ut feudo privetur, *Menochius ubi suprà num. 23.* sicut servus, qui propriam dominam constupraverit, comburitur, domina verò morte punitur, *l. 1. C. de muliere, quæ propriis servis se immiscuit*, ubi DD. multas alias pœnas legere poteris apud *Menochium loco citato.*

*In §. Major Legum severitas.*

Agitur hîc de raptu, ejusque pœnis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd raptus dicitur propriè, quandò persona aliqua invita, vel ejus parentibus resistentibus, seù illis, sub quorum cura est, abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum, *cap. Lex illa 36. quæst. 1. Julius Clarus in §. raptus.* Impropriè verò sumptus, raptus est violentia feminæ facta, etiamsi non abducatur causa explendæ libidinis, ex quo.

Infertur, requiri ad raptum motionem de loco ad locum, *cap. de raptoribus 36. quæst. 1.* & sic si in domo Patris, vel in agro fiat, non dicitur raptus, nisi extrà domum, vel extrà agrum abducatur, etiamsi causa commodioris coitûs de una camera ad aliam, vel ad paucos passus abducatur, non dicitur raptus, *Julius Clarus ubi suprà*, secundò requiritur in raptu vis, quia si femina sponte consentiat, vel etiam precibus discedit cum amatore, nescientibus parentibus, non est propriè raptus, sed potiùs fuga voluntaria, nulli enim vis infertur, secùs, quandò parentes sciunt, & renuunt, *DD. citati.*

Sciendum secundò est, raptum puniri pluribus pœnis, quarum, prima est de Jure civili, quia homo liber morte punitur: servus comburitur etiam, *l. unica, C. de raptu virginum.* Ille verò, qui rapit mulierem inhonestæ vitæ & quæ meretricatur, punitur pœna extraordinaria arbitrio Judicis, *Menochius de arbitr. Judic. casu 291.* alias pœnas de jure civili impositas legas apud eundem *Menochium ubi suprà.*

* Secunda pœna de Jure Canonico, & præsertim *Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat.* est, quòd tàm raptor, quàm omnes ei auxilium præbentes, sunt ipso jure excommunicati, & perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces. Verum tamen est, hanc excommunicationem non esse reservatam de jure communi, cùm in Tridentino non fiat mentio reservationis, quæ quidem infamia, & incapacitas dignitatum non incurritur ipso facto antè sententiam Judicis, sed si ex post facto sequatur sententia, ut benè *Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 13.* & tollitur tam infamia, quàm incapacitas ad dignitates statim, quòd celebratur matrimonium inter raptorem, & raptam, ut benè docet *Henriquez lib. 2. de matrimonio cap. ultimo*, licèt contrarium putet *Bonacina ubi suprà num. 9.*

Tertia pœna est, ut teneatur raptor decenter dotare raptam, sivè eam rapuerit ad matrimonium, sivè non, & talis dos debet à Judice suo arbitrio taxari, ut habetur ubi suprà.

Quarta pœna est, ut sit invalidum matrimonium celebratum inter raptorem & raptam, dùm rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat, & nota etiam, quòd raptor dicitur ille, qui puellam, cum qua contraxit matrimonium nondùm consummatum, abducit invitam per vim, quandò ipsa vult uti spatio duorum mensium, sibi concesso à Jure antè consummationem matrimonii, quia abducit invitam per vim ad explendam libidinem, & facit illi injuriam, cùm sponsa habeat jus denegandi debitum intrà bimestre, ut interim deliberare possit de statu eligendo: *Bonac.* ità docet ubi suprà *n. 13. Less. tamen lib. 4. c. 3. nu. 70. & Filiuc. tract. 30. n. 113.* tenet contrarium, quod verius mihi videtur, & conforme textui *in cap. fin. de raptoribus*, & in nostro §. ut benè *Lancellottus* declarat.

*De pollutione, seù mollitie.*

Ad intelligentiam hujus rubricæ sciendum est, pollutionem voluntariam esse peccatum mortale, quia est contrà ordinem naturæ, & contrà naturam generationis, quòd si pollutio sit contrà, vel præter voluntatem, nòn est peccatum mortale, cùm nullum sit peccatum, nisi voluntarium, *DD.* ubi suprà, ex quo

Sequitur primo, pollutionem non esse peccatum mortale in semi expergefacto, quia non est sufficienter voluntaria defectu pleni judicii, & advertentiæ, ideò pollutio, quæ sequitur ex ebrietate, vel ex comestione ciborum calidorum, vel ex aspectu, vel ex locutione cum femina, modò non sit intentio pollutionis, vel periculum consensûs non est peccatum; sicut neque est peccatum pollutio, quæ oritur ex agitatione itineris, vel cursu equi, modò equitans non se componat ad eum finem, ut se polluat, vel non subeat periculum consensûs in pollutionem, DD. ubi suprà, sicut excusatur à peccato mortali pollutio, quæ sequitur ex pollutione corporis supini, quandò scilicet cognoscit, ex tali modo jacendi secuturam in somnis pollutionem, sicut excusatur à peccato mortali pollutio, quæ sequitur ex tactu licito, vel ex amplexu juxtà patriæ consuetudinem, sicut excusatur à peccato pollutio proveniens ex lotione partium

tium pudendarum feminæ, facta ab ipsa ad purgandum fœtorem, quia talis causa est ex sua natura licita, & fit ex magna necessitate, & ideò pollutio indè sequens censetur præter intentionem sequi. idem docet *Sanchez de matrimonio tom. 3. lib. 9 disput. 45. num.* 9. de eo, qui sentit magnum pruritum in partibus verendis. qui potest illas refricare, ut pruritum sedet; dummodò non intendat pollutionem, *Sanchez ubi suprà, Bonacina quæst. 4. par.* 10. *num.* 8. & sic licèt pollutio indè sequatur. tamen non est peccatum mortale, nisi adsit consensus circà pollutionem. Ideò nec peccaret femina, quæ ob semen corruptum patitur accidentia venenosa, si conetur se fricando, vel adhibendo medicamenta ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati, etiamsi indè sequatur veri seminis emissio, nam illa emissio sequitur per accidens ad expulsionem seminis corrupti, quod est sanitati noxium, modò non sit periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & modò constet, semen illud corruptum esse; idem docet *Villalobos in summa tom. 2. tract. 40. diffic.* 16. *nu.* 4. *Sancius in selectis disput.* 21. *num.* 30.

Verùm ego ab hac sententia omninò recedo, pront benè fecit *Sanchez, qui in summa tom. 2. lib. 5. cap. 6. num.* 12. mutavit sententiam, & docuit non licere juvare naturam confricationibus ad expellendam qualitatem morbidam, in quam semen jam corruptum transiit, quod ipsum docet *Rebellius par. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 2. Joannes Salas par. 2. tom. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 15. num.* 90. Id tamen credo licere, si fiat medicamentis, non tamen, confricationibus, *Filiuccius tom. 2. tract. 30. cap. 8. num.* 150.

An verò mulier peccet mortaliter mingendo statim post copulam ad emittendum semen, quæstio est? & affirmativè respondet *Sanchez tom. 3. de matrimonio lib. 9. disput. 30. num. 3. Bonacina de matrimonio q. 4. par. 10. nu.* 10. Ratio est, quia facit contrà ordinem naturæ, & ordinationem, ad quam semen ordinatur, scilicet ad prolem procreandam: quæ opinio probabilior est. Adest tamen alia opinio probabilis, quam docuit *Bellochius in praxi de casibus reservatis par. 2. quæst. 4. n.* 165. Ratio, qua movetur *Bellochius* ad dicendum, quòd non peccet. ea est, quia non impeditur prolis generatio, quia ut benè *Sylvester in verb. debitum. num.* 6. matrix mulieris habet vim attractivam, & retentivam seminis, undè frustrà post coitum mulier mingit, ut illud foras emittat. Hoc nota pro meretricibus, quæ id faciunt, ut filios non procreent.

Sequitur secundò, non esse licitum desiderare pollutionem, vel de illa jam sequuta gaudere ex effectu libidinis, vel propter delectationem ipsius, quia hoc esset consentire directè in pollutionem, quod est peccatum. Ità docent *Bonacina ubi suprà*, & alii, quos refert, & sequitur *Sylvius in 2. 2. S. Thomæ q.* 154. *art. 5. conclus.* 5. alii verò docent probabiliter, desiderare pollutionem in somnis non esse peccatum mortale: ità tenent 22. *DD.* quos citat, & sequitur *Sanchez in summa to. 1. lib. 1. cap. 2. nu.* 18. *Sancius in selectis disput. 21. nu. 35. Filiuccius to. 2. tract. 30. cap. 8. nu.* 10. *Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par. 1. cap. 6. art. 8. dub. 10. conclus. 2. Layman in Theologia morali lib. 3. sect. 4. num.* 17. Ratio est, quia sola pollutio via naturali consequens, non est peccatum mortale, nec habet malitiam objectivam mortalem, sed eam habet certo solùm modo, nempè via naturali, causatam & potest ob finem honestum desiderari effectus aliquis per causas naturales eveniens, & de eveniente gaudere.

Ille verò, qui pollutionem habet in somnis, si deindè excitetur, putat *Toletus 5. cap.* 13. quòd teneatur reprimere pollutionem, quia est in vigilia. Mihi verò placet opinio, quòd non teneatur reprimere; ità *Emmanuel Sà in ver. luxuria num. 10. Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par. 1. præcept. 6. art. 8. dub. 10. conclus. 2. Filiuccius tom. 2. tract. 30. cap. 8. nu. 147. Fagundez de præceptis præcept. 3. lib. 3. cap. 6. nu.* 11. quia dicta pollutio incepit in somnis sine peccato, & involuntariè, effusio verò illius in vigilia est effectus naturalis illius causæ inculpabilis.

Adverte tamen, quòd gaudere de suprà dicta pollutione in somnis cœpta, non ob delectationem carnalem, sed ob sanitatem, & illam optare, non est peccatum, neque veniale. *Sanchez in summa to. 1. cap. 2. num. 18. Sancius in selectis disput. 21. nu.* 35. contrà alios, quos ipsi referunt.

Sequitur tertio, comedentem cibos calidos, & accumbentem in lecto, si per hoc incidat in pollutionem, non teneri aliter decumbere, etiamsi sine aliquo sui damno à suprà dictis abstinere possit, ut contrà *Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 6. num.* 13. docet *Sancius in selectis disput. 21. nu.* 12. Ratio est, quia non tenetur aliquis vitare causam per accidens influentem in pollutionem, dùm non adest periculum consensûs. Idem docet *Sancius*, quandò confessarius ex devotione solùm audiens confessiones expertus esset pollui, non tamen consentire, nullo enim modo peccabit confessiones audiendo, quia audire confessiones est causa per accidens pollutionis; ergò non tenetur illas vitare ob solam pollutionem, quæ voluntaria illi non est, nec in se, cùm illa sit per accidens, sicut nec peccat femina, vel vir, quæ ob suppositionem unius femoris in aliud, motum sensualem sentiunt, non tenentur talem situm mutare, dùm determinati sunt non consentire, neque sit periculum consensûs, quia non tenentur vitare actus per accidens influentes in pollutionem: sicut nec peccat mulier, quæ in choreis publicis scit, se tangi ab aliquo intentione mala, si tactus sunt ex suo genere liciti, *Filiuccius tom. 2. tract. 30. nu.* 198.

Sequitur quarto, pollutionem diversificari specie ob circumstantiam feminæ, vel ejus objecti, quod desideratur in actu pollutionis, undè si quis se polluendo habeat delectationem morosam, vel desiderium alicujus personæ solutæ, vel conjugatæ, vel obstrictæ voto, præter malitiam pollutionis, adest culpa juxtà qualitatem personæ, quæ desideratur, quæ circumstantia personæ in confessione aperienda est, quòd si quis se polluat inter crura alterius, mammillas, brachia, manus, & ore, non tenetur illam corporis partem exprimere, quia se habent materialiter, *DD. ubi suprà.*

Sequitur quinto, quòd si vir conjugatus semine intrà vas emisso illud extrahat, manente femina valdè irritata libidine, quæ posteà tactibus se excitando, seminat, non peccat mortaliter, *Sanchez 3. to. lib. 9. disp. 17. nu. 12. Bonacina de matrimonio quæst. 4. par. 6. nu.* 15. & alii apud eos, ratio, quia illa provocatio est perfectio actûs conjugalis, ejusque consummatio, ergò non est illicita, & peccaminosa.

*De osculis, tactu, turpiloquio, & aspectu.*

AD intelligentiam hujus Rubricæ sciendum est, quòd oscula, & amplexus, quandò fiunt secundùm consuetudinem loci, non sunt peccatum mortale; ratio, quia sunt signa benevolentiæ, pacis, & debiti obsequii: nec delectatio ex ipsis sequens, est peccaminosa; quòd si fiant cum periculo consentiendi in motus sensualitatis indè consurgentes, sunt peccatum mortale: item peccatum mortale

mortale est osculum, vel amplexus, quandò fit causa delectationis carnalis, seù animo fruendi delectatione venerea, *Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 46.* quotiès ergò quis deosculans aliquam sentit in se delectationem quandam, cum quadam commotione carnis, aut spirituum vitalium, incitantium ad pollutionem, totiès peccat mortaliter, quia hanc delectationem natura instituit, ut medium ad generationem, sed copula non est licita inter non conjugatos, ergo neque illa delectatio sensualis, sic peccat mortaliter, qui tangit immediatè alterius viri, vel fœminæ pudenda, quia id de se valdè provocat luxuriam, & commovet sensualitatem; idem dic de eo, qui immediatè tangit verenda propria, est enim peccatum mortale; quòd si tales tactus fiant ex levitate animi, non erunt peccaminosi: sic non peccat mortaliter, qui tangit verenda, non intendendo majorem delectationem, quàm sit illa, quæ provenit ex tactu mediato: illi verò tactus, qui ex se notabiliter commovent sensualitatem, sunt peccata mortalia; ut si vir tangat crura, vel ubera fœminæ: tactus verò, qui leviter commovent sensualitatem, à mortali excusantur, ut si vir tangat digitum, vel manum fœminæ: ità *D D.* communiter, quos sequitur *Jacobus Granadus in 1. 2. Sancti Thomæ controver. 6. tract. 4. disp. 6. num. 5. & 6.* &c. ideò excusantur à peccato mortali, qui joci causa inter natandum arripiunt inter se pudenda, vel leviter tangunt nates, quia deficit in tali casu animus libidinosus, nec tanta versatur indecentia, & inhonestas, ac inter personas diversi sexûs, & efficiuntur hæc omnia ex levitate animi, *Sanchez lib. 9. disp. 46. num. 12. Filiuccius tom. 2. tract. 30. cap. 9. num. 200.* docet, se non facilè damnare eum, qui simplici tantùm tactu secretiores alterius partes in transitu tangeret: eo verò casu, quo quis fœminæ inhonestas partes tangeret sine ullà delectatione, quod difficile est, non esset peccatum, *Sylvius 2. 2. quæst. 154. art. 4. conclus. 3.* In his tamen materiis cautè procedendum est: & sic omnia suprà dicta fuge, & devita, quia non datur in his materiis levitas, ut suprà diximus.

Sciendum secundo est, tactus, & oscula in conjugatis non esse peccaminosos, etiamsi adsit delectatio, absque intentione copulæ conjugalis, modò non adsit periculum pollutionis extrà vas, & sic neque sunt peccaminosa verba obscœna, & aspectus inter conjuges, secluso periculo pollutionis, desiderio, aut delectatione alterius sponsæ, *Sanchez ubi suprà num. 47. Bonacina par. 9. num. 6. Villalobos tom. 1. tract. 13. diff. 42.*

Quòd si conjuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam voluptatem, esset peccatum mortale secundùm *Paludanum, Sylvestrum*, & alios apud *Rodriquez in summa tom. 1. cap. 12. conclus. 11.* quorum sententia si esset vera, omnes ferè conjugati essent in statu damnationis, tu igitur benignus dicas, scilicet non esse peccatum mortale citrà periculum pollutionis quoscumque tactus, & oscula, verba impudica, & aspectus partium verendarum inter conjugatos, *Filliuccius tom. 2. tract. 30. cap. 10. num. 195.*

Quòd si quis ex conjugibus delectetur de aliquo objecto libidinoso, secundùm aliquos non tenetur explicare circumstantiam conjugii, quia non præstatur fides in matrimonio conjugi non collocandi mentem in aliam, *Diana par. 5. tract. 1. resol. 99. per totam*, qui est omninò videndus in hoc, quòd delectatio de occisione hominis, quatenùs est utilis non est peccaminosa, neque delectatio, qua filius, delectatur de morte Patris, quia ei succedit, neque delectatio, qua Beneficiatus delectatur de morte pensionarii, legas *Dianam*, quia multa.

Adverte tamen singulariter, quòd si aliquis sine interruptione morali, multotiès osculetur pudenda alicujus fœminæ, vel pueri (*ignoscite pudicæ aures*) sufficit, ut in confessione dicat: osculatus sum solutam, vel puerum, nec opus est dicere, quòd talis tactus, vel osculum fuit in partibus pudendis: quia hæc est solùm circumstantia aggravans, quæ secundùm nostram sententiam, de qua diximus, cùm de Pœnitentia, non est confitenda: ità in terminis *P. Diana par. 3. tract. 4. resol. 225. in fine.* Qui verò in die sæpiùs tetigit carnaliter verenda sua, undè posteà nocte pollutionem patitur, non tenetur confiteri pollutionem in somnis secutam, *Sancius in selectis disput 21. num. 17. Diana par. 5. tract. 1. miscell. resolut. 4.*

Quod verò dicimus de conjugibus, dic de sponsis de futuro, qui si post contracta sponsalia absque periculo pollutionis per multos dies, causa delectationis se osculentur, & tangant, non peccant mortaliter, quia sicut copula cohonestatur à matrimonio, ità sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium, debent cohonestare hos tactus, & oscula, quæ sunt quædam inchoatio, ad ipsam copulam, *Bonacina ubi suprà par. 9. num. 6. Sanchez tom. 3. lib. 9. disp. 47. Molfesius in summa tom. 3. tract. 4. cap. 15. nu. 4. & 5. R. P. Diana tract. 3. miscell. resol. 6.* & addit *Sanchez num. 5.* dicta oscula, & amplexus esse licita, etiamsi pollutio prævisa sequatur, dummodò id faciant necessitate compulsi, & sine periculo consensûs in pollutionem, quod accidere potest, quandò inurbani, & austeri haberentur, nisi ità se invicem oscularentur, & amplexarentur.

Sciendum est tertio, quòd si vidua delectetur de copula præterita, vel sponsa de futuro delectetur de copula futura, peccant mortaliter, ità *Bonacina de matrimonio, quæst. 4 p. 8. num. 3. Laym. lib. 1. tract. 3. cap. 2. num. 14. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 15. nu. 120.* & alii communiter contrà alios *D D.* putantes oppositum. Ratio est, quia sicut actus externus venereus respectu sponsæ, aut viduæ, non est licitus, ita neque est licita delectatio, quæ de illo actu capietur non constante matrimonio, *Diana tract. 5. miscell. resol. 2.*

Sciendum est quarto, quòd si conjux in absentia Conjugis habeat delectationem de actu conjugii præterito, & etiam futuro, ac si actu præsens esset, sine tamen periculo pollutionis, non peccat mortaliter; ratio est, quia delectatio sumit malitiam ex objecto, sed objectum hujus delectationis est licitum, ergo licita est delectatio. Idque verum est, etiamsi ex tali delectatione procederet aliqua commotio in partibus pudendis, absque periculo tamen pollutionis, ità *Bonacina par. 8. num. 12. Sanchez lib. 9. disp. 44. num. 3.* & alii apud ipsos.

Dices, Vidua, quæ se delectat de copula præterita, vel sponsa, quæ se delectat de copula futura, peccat mortaliter, ergo ità in conjugatis.

Respondeo, nego consequentiam, & disparitas est, quia copula in vidua, est ei illicita, & sic delectatio circà eam etiam est illicita, idem dic de sponsa, at verò in conjugatis copula est licita, & sic delectatio circà eam erit etiam licita.

Sciendum est quinto, quòd si maritus intrà vas naturale fœminæ digitum quasi membrum virile immittat, non peccat mortaliter. Ratio est, quia talis actus non est medium improportionatum, nec alterius ordinis luxuriæ: idem dic de eo, qui imponit membrum virile in ore uxoris, si absit periculum pollutionis, *Sanchez. lib. 9. disp. 17. num. 5.* quandò verò conjux se ipsum tangit libidinis causa, peccat mortaliter, quia talis tactus nec fit cum conjuge, nec ad finem conjugii refertur, & re verà non sunt conjugales, nam fiunt à conjugato, ac si conjugatus non

non esset, sed solutus; ut benè *Salas p. 2, tom. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 20. nu.* 148. *Diana tract. 3. miscell. resol.* 37.

Sciendum est sexto, aspectum fœminæ, vel aliarum personarum ob curiositatem pulchritudinis, non esse peccatum mortale, etiamsi fiat propter delectationem, quæ sensu capitur, dummodò non adsit periculum turpis, & venereæ delectationis, vel alterius luxuriæ: Quòd si quis aspiciat pudenda fœminæ, vel è contrà fœmina pudenda viri, tunc peccat mortaliter, nisi id faciat ob curiositatem, & brevi tempore, ut non sit periculum magnæ commotionis in corpore, prout nec peccat mortaliter, qui absque periculo inspicit pudenda natantis hominis, quia talis aspectus non videtur ad libidinem provocare. *DD. citati*, ex quo

Infertur, quòd si quis confricaret membra pudenda brutorum sine ulla delectatione, solùm ex curiositate inspiciendi semen solum, non peccat mortaliter, quia non per hoc excitatur tàm vehemens delectatio, & solùm ex curiositate fit, & quamvis id faciens intendat, ut brutum semen expellat ex curiositate illud videndi, non tamen est peccatum mortale; quia non est mortale impedire bruti generationem, aut efficere, ut abortiat, sicut nec ipsum necare; ità docet *Sanchez tom. 3. lib. 9. disp. 46. nu.* 15. Mihi tamen verior videtur opposita sententia, quam docet *Bonacina de matrimonio quæst. 4. part. 9. num. 15. & Joannes Salas in 1. 2. to. tract. 13. disp. 6. sect. 20. n.* 148. quòd id sit peccatum mortale, quia adest magnum periculum pollutionis, vel alicujus inordinati affectûs, & frustrà conatur ille, ut sic brutum semen expellat, quia naturale est in solo coitu semen effundere, sicut etiam peccat mortaliter ille, qui videt concubitum viri cum fœmina nam hic aspectus est impudicus, & provocat ad libidinem. & ad res venereas quòd si non adsit talis delectatio, non esset peccatum mortale, *DD. cit.*

Sciendum est septimo, turpiloquium esse peccatum mortale, quandò fit animo capiendi delectationem de rebus narratis, & objecti imaginatione: quòd si tale turpiloquium fiat propter delectationem, quæ ex narratione præcisè sumitur, non est peccatum mortale, sed solùm veniale, cùm talis delectatio remotè solùm disponat ad turpia, & sic non videtur mortalis, nisi adsit alia circumstantia, puta scandalum proximi adstantis. *DD. cit.*

An verò interesse Comœdiis sit peccatum mortale, quæstio est? nam esse peccatum mortale docuit *Comitolus in responsis moralibus lib. 5. quæst.* 21. Ego verò dico, quòd si audiantur ob solam vanam curiositatem absque probabili periculo lapsûs, etiamsi res turpes repræsentarentur, & modus repræsentandi sit turpis, non esset peccatum mortale: *Bonacina ubi suprà p. 9. num. 22. Paulus Squillante de obligat. Cleric. par. 2. num.* 45. quia delectatio sistit in repræsentatione, & non procedit ad rem repræsentatam, & non adest periculum consensûs in actus ipsos, ergo non est peccatum mortale, quòd si aliundè tenderet delectatio esset peccatum mortale, & hoc dic tam de laicis, quàm de Clericis, quia non peccant mortaliter Clerici cessante scandalo, si sunt præsentes Comediis.

Dices, obstat *textus in cap. Clerici, il secondo de vita, & honestate Cleric.* ubi dicitur, Clericos Comœdiis interesse non posse: ergo peccant mortaliter Clerici, si sint præsentes Comœdiis.

Respondeo primò, *textum* illum loqui solùm de honestate, non verò de præcepto, ità *Innocentius in dict. cap. Clerici.*

Respondeo secundò, ex *Cajetano in summa. in verb. Clericorum peccata, textum* illum non obligare sub mortali peccato cessante scandalo, & contemptu.

Respondetur tertio textum illum contraria consuetudine abrogatum esse. *DD. ubi sup.*

Sciendum est octavo, quòd si quis in modo extraordinario coëundi cum uxore, aliquam seminis quantitatem emitit extrà vas, timens, ne filios procreet, non peccat mortaliter, dummodò aliquam seminis quantitatem intrà vas emittat: quia, ut docent Medici, non retinetur in matrice tota seminis quantitas, & ità docet *Basilius Pontius de matrimonio lib. 10. cap. 11. nu.* 3. quòd si vir, ne filios procreet, totum semen in fine copulæ extrà vas effundit, peccat mortaliter; si verò id solùm faciat vir, & fœmina non consentiat, potest petere, & reddere debitum marito, etiamsi ille in fine copulæ semen extrà vas effundat: ratio est, quia quotiès peto actum ab aliquo, quem ille potest benè, vel malè præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati; alter enim sua malitia malè facit, cùm possit rectè efficere, sed ità est in casu nostro, ergò, *Pontius ubi suprà*, quod ipsum docet *Diana tract. 1. miscell. resol.* 64.

Sciendum est nono, quòd si mulier confabulando cum viro, sibi in matrimonium conjungendo, dicat illi verba, non quidem turpia, sed affectuosa, & amatoria, ex quibus verbis posteà in distillationem, & pollutionem incurrit, sine ulla tamen delectatione, & periculo alicujus consensûs, non peccat mortaliter; quia pollutio licèt prævisa, dummodò non sit intenta ex causa mortaliter peccaminosa, non est peccatum mortale; sed illa verba, ex quibus provenit pollutio, de qua loquimur, sunt solùm peccata venialia, ergo. Major patet, quia talis pollutio non est in se volita, sed in causa, in qua prævidetur, ergo eatenùs est mala, quatenùs causa est mala; quòd verò illa verba mala sint venialiter, probatur, quia dicere hæc verba, *Bonum meum, anima mea, cor meum, &c.* non est aliud nisi conciliare vanum amorem, ergo secluso scandalo, & periculo proprio, vel alieno, talia verba dicere, non est peccatum mortale, ergo pollutio ex his verbis nata, non est peccaminosa, licèt prævisa sit, dummodò non sit intenta. *Henriquez in summa lib. 11. cap. 16. Lessius de Just. & jure lib. 4. cap. 3. dub. 14. Bonacina, quæst. 4 par. 10. nu.* 9. debet tamen confessarius consulere pœnitenti, ut ab his sermonibus se abstineat, non tamen est absolutio deneganda.

Sciendum est decimo, fœminam ornantem se ipsam secundùm consuetudinem patriæ, etiamsi sciat ex hoc lascivè amari ab aliquo, non peccare mortaliter se ornando, vel de domo exeundo, quia se ornans utitur jure suo: ità *Azorius par. 2. lib. 12 cap. 18. quæst.* 11. & sic de domo exiens non peccat, quia non tenetur se privare sua libertate egrediendi domo, standi ad ostium domûs, discurrendi per Civitatem, quia licèt sic faciens, det occasionem amasio ad concupiscendum, tamen talis occasio potiùs provenit ex malitia amasii, & ideò est occasio ab ipso accepta, & non a muliere data, quæ jure suo, & libertate sua utitur. *Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 17. Bonacina de legibus disp. 2. q. 4. p. 2. §. unico n. 27. & de matrim. q. 4. p. 9. n.* 17. nec peccat mortaliter mulier utendo alienis capillis, nisi hoc faciat intentione incitandi alios ad libidinem, *DD. cit.*

*De delectatione morosa circà rem veneream.*

Delectatio morosa sic dicitur non à mora temporis, eo quia aliquis in ea immoretur, sed à mora rationis, quia homo posita advertentia malitiæ actûs, adhuc delectationem admittit, illique consentit ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, delectationem de re turpi & mala, esse malam juxtà motivum ipsius delectationis, ratio est, quia motivum est malum, ergo ipsa, utpotè à motivo specificata, erit mala, & sic delectatio de fornicatione, tactibus, vel osculis peccaminosa est, *DD. ubi suprà.*

Sciendum

Sciendum secundo est, delectationem morosam sumere malitiam ab opere externo, circà quod versatur, & sic sunt delectationes venereæ ejusdem speciei cum opere externo, id est habent eandem malitiam, quam habet opus externum; ità docent *Cajetanus, Azorius*, & alii apud *Bonac. qu. 4. de matr. par* 8. *num.* 19. ideò in confessione exprimi debet circumstantia personæ, circà quam fuit delectatio, quia delectatio de uxore alterius habet malitiam adulterii, contrà castitatem, & contrà justitiam, delectatio de consanguinea habet malitiam incestûs, & sic de aliis: non desunt tamen multi *DD.* qui docent, delectationem de rebus venereis non esse ejusdem speciei cum opere externo, sed esse illius tantùm speciei, cujus est motivum. Vndè secundùm hos *DD.* delectatio, quam quis sumit de uxore aliena, vel consanguinea, vel virgine, Deo dicata, ex solo affectu libidinis habet solùm malitiam simplicis fornicationis, quia delectatio sumit speciem à motivo, sed motivum delectationis est solus affectus venereus, qui opponitur castitati, ergo illa delectatio habet solam malitiam fornicarionis contrà castitatem, ita docent *Vasquez* & alii, quos sequitur *Bonacina ubi suprà quæst.* 4. *part.* 8. *num.* 18. *Filiuccius to.* 2. *tract.* 21. *cap.* 8. *nu.* 301.

Excipit tamen *Bonacina* duos casus, quorum primus est, quandò sumus in conjugatis, qui non solum corpus, verùm etiam internum affectum videntur conjugi obligasse, ideò conjugatus habens delectationem veneream, peccat nedùm contrà castitatem, verùm etiam contrà fidem in matrimonio datam, Secundus casus est, quandò quis habet votum absolutum castitatis, quia tale votum utpotè comprehendens omnes internos affectus, sequitur talem obstrictum eo voto castitatis peccare contrà religionem, & castitatem, si delectetur de aliqua re turpi. Quòd si quis voverit castitatem solùm in opere, id est, qui emisit votum castitatis, abstinendi solùm ab opere externo, non peccat contrà religionem, sed solùm contrà castitatem, quandò interiùs delectatur, quandò verò efficaciter vult opus externum, peccat etiam peccato sacrilegii, quia voluntas efficax desumit malitiam ab opere externo.

Sciendum est tertiò, quòd si in cogitationibus venereis voluntas nec positivè consentiat, nec etiam positivè dissentiat, sed tantùm permissivè se habet, non est peccatum mortale, quia in motibus sensualitatis ad hoc, ut sit peccatum mortale, requiritur positiva complacentia, quia non adest consensus interpretativus, cùm non teneatur illam cogitationem expellere, quandò non est periculum formalis expressi consensûs, communiter DD. quos refert, & sequitur *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. *& Joannes Salas par.* 2. *tom.* 2. *disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 25. Ratio à priori hujus rei ea est, quia nemo peccat mortaliter, nisi transgrediatur aliquod præceptum, obligans ad mortale, sed hoc non fit in tali casu, ergo. Minor probatur, quia tota obligatio, quæ potest esse in tali casu, oritur ex illo præcepto negativo (*Non concupisces*) sed hoc præceptum non obligat ad expellendam concupiscentiam, sed solùm ad non consentiendum, ergò sufficit non consentire, & solùm negativè se habere.

Dices; licèt in tali casu non adsit consensus formalis, adest tamen consensus interpretativus, qui formali æquivalet: sed consensus formalis in delectationibus venereis est peccatum mortale, ergo etiam erit consensus interpretativus. Minor, & consequentia patent, major probatur, quia consensus alius est expressus, seù directus, cùm scilicet voluntas directè tendit in objectum. alius est interpretativus, seù indirectus, qui contingit primo, quandò aliquid voluntariè fit quod causa est motus sensualitatis, ut legere curiosè, loqui jocosè immoderanter aspicere, &c. Secundo contingit consensus interpretativus, quandò voluntas negativè se habet non impediendo, vel non reprimendo motus, quos potest reprimere, sed ità est in casu nostro, ergo, & hoc argumento victi *Vasquez Valentia, Beccanus*, & alii apud *Bonacinam ubi sup. par.* 7. dixerunt, in hoc casu adesse peccatum mortale.

Respondetur ergo secundùm nos, quòd tunc consensus interpretativus, & formalis æquiparantur, quandò est æqualis obligatio in aliquo non permittendi, & non procurandi; at in casu nostro est obligatio non procurandi; sed non adest obligatio non permittendi, sed solùm est obligatio non consentiendi in turpes cogitationes, & sic potest consensus formalis esse peccatum mortale, & consensus interpretativus solùm veniale. Legas *Salas ubi suprà n.* 33.

*De peccatis contingentibus in coitu mariti, & uxoris.*

Quia non solùm peccari potest in coitu inter personas prohibitas, sed etiam inter personas permissas, ideò, ut ordinatè procedamus.

Sciendum est primò, conjuges debere sibi constituere finem honestum v. g. procreationem filiorum, fugam incontinentiæ, & similia, alioquin peccant pro ratione mali finis, quem sibi constituunt. Undè putant *Sanchez de matrimonio tom.* 3. *lib.* 9. *disput.* 3. *& Bonacina de matrimonio quæst.* 4. *par.* 6. *num.* 7. peccare venialiter conjuges utentes copulà causa voluptatis, tu verò probabiliter dicas, non esse peccatum veniale cognoscere uxorem causa voluptatis, ità docet *Joannes Sancius in selectis disput.* 23. *nu.* 25. *& Basilius Pontius de matrimonio lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. *&* 7. sicut neque peccatum veniale est contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel divitias: ità contrà *Sanchez lib.* 2. *dispu.* 29. *quæst.* 3. *nu.* 11. docet *Pontius ubi suprà num.* 13. *cum Soto in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 3. *Majore in* 4. *distin.* 26. *q.* 3. *concl.* 1. *&* 2.

Sciendum est secundo, in aliquibus casibus tactus, & oscula licita esse inter conjugatos, etiam cum periculo pollutionis: primò si pollutio accidat patienti, quia licet petens non possit petere oscula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamsi polluatur, quia non dat operam rei illicitæ, & hoc est præter intentionem ejus, secundo neque est peccatum, quandò petens intendit copulam, & dùm jam intendit per oscula eam excitare, polluitur ob rationem suprà dictam, quia dat operam rei licitæ. Tertiò non est peccatum, quandò oscula, & tactus fierent ad excitandum amorem, vel eum conservandum, & præter intentionem sequeretur pollutio, *Sanchez tom.* 4. *lib.* 9. *disput.* 45. *num.* 35. *Filiuccius to.* 1. *tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 9. *nu.* 356. *Michael Zanardus in direct. conscientiæ par.* 1. *de Sacramento matrimonii cap.* 22. *quæst.* 17.

Sciendum est tertio, non licere ullo modo marito incipere copulam in vase præpostero uxoris ad excitandam libidinem, sed coitum deindè consummare in vase naturali: ità contra *Navarrum de pœnit. & remiss. conf.* 7. *Angelum in verb. debitum nu.* 25. *Grassium tom.* 1. *lib.* 5. *de adulterio conf.* 3. *n.* 11. & alios docent *Bonacina ubi suprà num.* 11. *&* 12. *Sanchez lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 4. Ratio est, quia utitur vase indebito, & illegitimo, à quo natura ipsa abhorret, & possunt conjuges alia via minùs turpi se præparare ad copulam, & ideò advertat confessarius præcipere talibus conjugatis, ut à tali actu desistant, quia canones expressè sentiunt, Propter attentationem hujus

hujus criminis posse uxorem petere divortium, *cap. omnes 32. quæst. 2. Riccius decis. 237. Bonacina ubi suprà.* Id ipsum docet *Pontius de matrimonio lib. 10. nu. 50.* immò neque licebit marito perfricare pudenda circà vas præposterum uxoris, licèt virile membrum in superficie tantùm ponatur, ut contrà *Sanchez lib. 9. disputat. 17. num. 50.* docet *Pontius* ubi suprà, quia hoc asserere, est mera turpitudo, & habenas laxare libidini.

Sciendum est quartò, maritum accedentem ad uxorem, tempore quo patitur menstrua singulis mensibus, non peccare mortaliter, neque venialiter, præsertim quandò adesset periculum incontinentiæ, *Sanchez ubi suprà disp. 21.* esset verò veniale peccatum, quandò non est periculum incontinentiæ, quia videtur quædam inhonestas, & turpitudo naturalis accedere tempore menstruorum ad uxorem, quæ tunc temporis est inepta ad retinendum semen. *Bonacina par. 6. num. 9. Pontius ubi suprà num. 36. & 9.* Quòd si fluxus menstruorum sit naturalis, & continuus, nullo modo peccat, quia alioquin rarò posset uti jure suo. *DD. citati.* Ex quo tenetur uxor tempore menstrui naturalis marito petenti debitum, illud reddere, *Sanchez ubi suprà disput. 21. num. 8.* Nec peccat venialiter maritus accedens ad uxorem tempore, quo est gravida, etiamsi absit periculum incontinentiæ, *Sanchez, & alii apud Coninchium de sacramentis disput. 34. dub. 9. conclus. 4. Villalobos in summa tom. 1. tract. 13. dist. 41. num. 9. contrà Pontium ubi suprà cap. 14. num. 7.* Quòd si adesset periculum abortûs, tunc est peccatum mortale accedere ad uxorem gravidam, quia repugnat rectæ rationi, ut velit quis delectationem capere cum gravi damno alterius. *DD. citati.* Dicitur verò adesse periculum abortûs primo, quandò maritus accederet ad uxorem, dùm formatur fœtus, vel proximè antè partum, quia eo tempore periculum est, ut partus suffocetur ob seminis abundantiam, & utroque casu maritus accedens ad uxorem, si est causa abortûs, fit irregularis, quandò constat de animatione fœtûs, putà si accedat infrà 40. dies; partus enim infrà 40. dies formatur. *DD. citati.*

Sciendum est quinto, cessante periculo incontinentiæ, etiamsi proles multiplicetur, non esse peccatum mortale debitum non reddere uxori: vel è contrà, quia non est novum, in omnibus debitis excusare magnam incommoditatem solvendi; vel etiam difficultatem: ità *Emmanuel Sà in verb. debitum, nu. 18. Sanchez lib. 9. disput. 25. contrà Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 1. nu. 16.* omnes tamen consentiunt, valere pactum factum inter conjuges se continendi à coitu conjugali, ne proles multiplicetur, secluso periculo incontinentiæ, *DD. cit.*

Sciendum est sexto, conjugem peccare mortaliter regulariter non reddendo debitum alteri conjugi, quia ad hoc obligatur ex justitia: tenetur autem maritus uxori reddere, nedùm quandò expresè petit, sed etiam quandò tacitè petit, ut accidit quandò cognoscit maritus uxorem habere voluntatem petendi, & non peteret propter verecundiam: uxor tamen non tenetur regulariter reddere, nisi maritus expresè petat, quia non ità pudet virum petere, sicut pudet fœminam, *DD. cit.*

Excusatur verò conjux multis de causis, ut non teneatur reddere debitum, v. g. si febri laboraret, vel si peteretur statim post prandium, vel si alter esset leprosus, aut morbo gallico laboraret, quia conjux sanus non tenetur debitum reddere cum tali incommodo; sic non peccat mortaliter negans debitum uxor viro petenti in ebrietate, vel furore, quia non peteret humano modo, nec peccat petendo debitum ab uxore lactante prolem, quia proles non solet ex hoc pati damnum notabile. Quòd si uxor adverteret ubera exsiccari reddendo debitum conjugi petenti, non teneretur illud reddere, si essent pauperes, & non possent alteri filium tradere lactandum, quòd si maritus laboraret dolore capitis absque febri, vel dente molari, peccat debitum non reddendo, quia est leve detrimentum, quod pateretur, *Bonacina pun. 1. nu. 4.*

Sciendum est septimo, utrumque conjugem posse petere, & reddere debitum, quandò post matrimonium, bona fide contractum, oritur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii, *cap. Inquisitioni, de sententia excommunicationis:* quòd si dubitetur de validitate matrimonii, tunc debitum nemo petere potest ab uxore, nisi adhibita sufficienti diligentia ad assequendam veritatem, *cap. Dominus, §. 2. de secundis nuptiis, cap. Inquisitioni, §. fin. de sententia excommunicat.* quia ageret contrà conscientiam petendo debitum antè debitam diligentiam adhibitam, ad cognoscendam rei veritatem. Si verò conjux mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimente, tunc non potest petere debitum, nisi posteà cognoscat nullum adesse impedimentum, quia nullum jus petendi acquisivit per matrimonium, cùm possessio, mala fide incœpta, non tribuat jus petendi debitum, *Sanchez lib. 2. disp. 42.* Quòd si à principio bona fide contraxit, & posteà incipit opinari matrimonium esse invalidum, non potest petere debitum, nisi adhibeat debitam diligentiam, *DD. ubi sup.* ex quo

Infertur, conjugem scientem matrimonium esse invalidum ob impedimentum dirimens, non posse reddere debitum conjugi ignoranti impedimentum, seù invaliditatem matrimonii, etiamsi per excommunicationem compellatur ab Ecclesia, & etiamsi sequantur gravissima damna, & vitæ periculum: ità colligitur ex *cap. inquisitioni de sententia excomm.* quia si posset reddere, sequeretur, fornicationem aliquandò licere, quod est falsum, & erroneum, ergo &c.

Rogabis, quodnam possit adhiberi remedium, quandò matrimonium ob aliquod impedimentum est invalidum?

Respondeo cum *Sanchez lib. 9. disp. 39.* quatuor adhiberi posse remedia, primum est, ut petat conjux conscius impedimenti dispensationem, quandò impedimentum est dispensabile, vel ut religionem ingrediatur: Secundum remedium est, ut fugiat in locum ubi cessat scandalum, tertium remedium est, ut petat divortium, si adest causa petendi, putà sævitia, adulterium, &c. quartum remedium, ut habitent conjuges inter se, ut frater, & soror, si non adsit periculum peccati carnalis, &c.

## *TITULUS IX.*

### DE CRIMINE FALSI.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de pluribus delictis, ut de simonia, furtis, usuris, & adulteriis: remanebat videre de aliis: ideò ponitur titulus hic de crimine falsi. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd falsitas in genere, est mutatio veritatis dolosè facta; ità *Azor. in summa in tit. C. ad legem Cornel. de falsis:* quotiès enim in falsitate non intervenit dolus, cessat pœna falsitatis; Ego tamen ità definirem; falsitas est mutatio veritatis in alterius præjudicium facta, quia ubi falsitas præjudicium non affert, non est punibilis: qua de re *Farinaccus de falsitate, quæst. 150. num. 3.*

Sciendum secundo est, quòd falsum pluribus modis sumitur, scilicet largissimè, largè, & strictè, falsum largissimè sumptum est omne id, quod non est verum, sivè dolosè, sivè sine dolo: falsum largè acceptum est mutatio veritatis cum dolo facta ut suprà: falsum strict

ftrictè fumptum dicitur illud folùm, quod incidit in aliquod caput legis *Corneliæ de falsis*, & ideò, quandò ftatutum punit falfitatem, intelligitur de falfitate ftrictè accepta. *Bart. in l. quid sit falsum ff. ad leg. Cornel. de falsis, Farinac. ubi suprà nu. 7.*

Sciendum eft tertio, quòd falfum committi poteft principaliter quatuor modis nempè fcriptura, dicto, facto, & ufu: fcriptura putà, falfificando litteras, feù fcripturas: dicto, putà falfum dicendo, tertio committitur falfum facto, putà per rei depravationem, ut cùm quis cudit falfam monetam, quarto committitur falfum ufu, ut cùm quis falfo diplomate utitur, vel fi pro doctore, vel milite fe gefferit, eùm talis non fit, *Miffincerius in §. item lex Cornelia de falsis instit. de publicis Judic. nu. 6.* An qui mutat fcripturam in aliqua re, quæ tamen innititur veritati, fit falfarius? *Diana par. 5. tract. 2. resolution. 40.*

Sciendum eft quarto, quòd pœna falfi, licèt olim in homine nobili effet pœna deportationis cum publicatione bonorum, in perfona vili damnatio in metallum, in fervo ultimum fupplicium, *l. 1. §. fin.* & ibi *DD. ff. ad legem Cornel. de falsis:* tamen hodiè eft pœna arbitraria: *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. casu 306. Farinaceus ubi sup. q. 150. par. 2.* & fic Judex pro fuo arbitrio etiam pœnam mortis poterit pro falfitate imponere, quandò falfitas eft magna, *l. ubi falsi in fine, C. ad legem Cornel. de falsis*, ibi. *Supplicio capitali si id exigit magnitudo Commissi, & falsum committens in causa, illam perdit:* quod pluribus ampliat, & limitat *Farinaceus l. cit.* tenetur etiam falfum committens ad damna, & intereffe refarcienda ei, contrà quem commifit falfitatem, *l. qui nomine, ff. ad leg. Cornel. de falsis ubi glossa*, & ideò in crimine falfi agi poteft criminaliter ad pœnam, & civiliter ad intereffe, & damna, *l. de fide ubi glossa, & DD. C. ad legem Cornel. de falsis, Farinaceus ubi sup. num. 50.*

Sciendum eft quinto, quòd falfitatem fabricans puniri debet etiam quòd falfitate ufus non fit, quandò tamen ipfe falfitatem commifit: idem dic de eo, qui fabricat falfas litteras Apoftolicas, qui etiam punitur, licèt illis ufus non fuerit: fic pœna falfi punitur, qui mutat, corrumpit, vel alio modo deftruit figillum alienum, putà quia ipfe eo utitur, vel fi contrà fecerit manum alicujus, quia adhuc pœna falfi punitur; fic fabricans pondera, ut menfuras falfas, illifque utitur: fic pœna falfi punitur, qui allegat leges falfas, vel revocatas conftitutiones, vel ftatuta, vel etiam condita à non habente auctoritatem, *l. fin. ff. ad l. Cornel. de falsis, l. 1. §. falsi, C. de Justin. Codic. confirm.* Legas *Farinaceum ubi suprà.*

*Super principium textus.*

Agitur hìc qua pœna puniatur falfificans litteras Apoftolicas. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eft primo, quòd falfificans litteras Summi Pontificis, omnibus beneficiis ipfo jure privatur, degradatur, & traditur Curiæ fæculari puniendus pœnis legalibus, quibus laici puniuntur *cap. ad falsariorum, extrà de crimine falsi, & cap. in memoriam 19. distin.* verùm quandò adeffet fpes correctionis, non eft clericus falfarius tradendus Curiæ fæculari, fed benè detrudendus ab Epifcopo in carcere perpetuo, vel alio modo puniri. *Canonistæ in cap. novimus, §. fin. extrà de ver. signif. Farinaceus ubi suprà quæst. 151. parte 1. per totam.*

Ampliatur, ut falfificans litteras Papæ ipfo jure excommunicationem incurrat, *gloss. in cap. licèt. in verbo tenuem, extrà de crimine falsi, & est text. in cap. ad falsariorum eodem titulo de crimine falsi, Farinaceus ubi suprà num. 7.* quæ excommunicatio locum habet etiam in fautoribus, & defenforibus falfariorum, ut *in d. cap. ad falsariorum*, & etiam eft excommunicatus, qui per alios mandat, falfificari litteras Apoftolicas, ut *in d. cap. ad falsariorum ibi*, vel per fe, vel per alios.

Ampliatur fecundo, ut licèt *textus in d. c. ad falsariorum* videatur loqui per verbum *exercere*, propter quod videtur requiri iteratio delicti, tamen in hac materia etiam prò una falfitate pœna locum habet: *Farinaceus ubi suprà nu. 31.* qui fic docet practicari.

Ampliatur tertio, ut excommunicentur in Bulla Cœnæ falfificantes litteras Apoftolicas, ut patet in dicta Bulla, & apud ejus gloffatores, quales funt *Duardus lib. 2. can. 6. quæst. 1. Bonacina tom. 3. disput. 1. quæst. 7. parte 1.* nomine verò litterarum Apoftolicarum, veniunt illæ, quæ Summi Pontificis nomine expediuntur, fivè fint brevia, fivè bullæ, quæ differunt inter fe, nam bullæ plumbeo figillo fignantur, brevia verò cera rubea, annulo pifcatoris, & ideò ille, qui litteras facræ Congregationis Cardinalium, aut Pœnitentiariæ, vel Epifcopi, aut Nuntii, aut Legati à Latere, aut Datarii violat, nullo pacto eft excommunicatus, *Duardus, & Bonacina ubi suprà.*

Si verò quæras, quid veniat nomine falfificationis? Refpondetur venire additionem, mutationem, vel detractionem factam in litteris Apoftolicis, & mutatio contingit primo aliquid addendo, vel fcribendo, aut fubfcribendo, fecundo radendo, fecando, aut lavando, tertio figillum verum falfis litteris apponendo. *DD. ubi suprà.*

*In §. Mitiùs.*

Conclufio hujus *textûs* eft, quòd ille, qui utitur falfis litteris Apoftolicis, mitiùs punitur, quàm illas fabricans, nam fi clericus eft, officiis, & beneficiis privatur, fi laicus, excommunicatur. Idem dicit *glossa in d. cap. ad falsariorum, extrà de crimine falsi, ubi DD.*

Ampliatur primo, ut talis pœna poffit effe pœna mortis naturalis. *DD.* communiter apud *Farinaceum ubi suprà q. 151. n. 67.* laici verò tamdiù excommunicationi fubjecti remanere poffunt, donec competenter fatisfaciant. *DD. citati*, nec utens falfis litteris Apoftolicis poteft dicere, quòd id ex ignorantia fecerit, quia in eo non præfumitur ignorantia, eùm debebat diligenter inquirere, & examinare numquid litteræ effent falfæ, & non faciendo talem diligentiam, dicitur effe in ignorantia craffa fupina, & affectata, immò in dolo: *DD. ubi suprà.*

Limitatur conclufio in clerico, qui non per hoc, quòd utatur falfis litteris Apoftolicis fcienter, degradatur, nec ipfo jure beneficio privatur, fed per fententiam officio, & beneficio privandus eft, *d. cap. ad falsariorum, Farinaceus num. 86.*

Limita fecundo, ut utentes falfis litteris Apoftolicis, non ligentur pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ, quia in dicta bulla nulla fit mentio de utentibus, *Bonacina ubi suprà num. 7.* ficut nec in prædicta Bulla Cœnæ comprehenduntur confulentes, aut mandantes falfificationem, quia non eft facienda extenfio ultrà propriam verborum fignificationem ligantur tamen fautores excommunicatione, de qua in *d. cap. ad falsariorum, extrà de crimine falsi*, quæ nulli refervata eft.

Limitatur tertio in eo, qui falfificat litteras, quas Summus Pontifex tanquàm perfona privata fcribit, quia hic non ligatur excommunicatione; ut fi amico fcribat, ut ad fe invifendum accedat, quia iftæ non dicuntur propriè loquendo litteræ Apoftolicæ; & in pœnis mitior interpretatio facienda eft: *Duardus ubi suprà quæst. 16. Bonacina num. 10.*

Rogabis, qua pœna puniatur producens fcripturam, feù teftes falfos?

Respondetur, quòd hic talis punitur mitiori pœna, quàm ille, qui tale instrumentum fabricat, quæ mitior pœna erit exilium ad tempus, & sic arbitraria, *Franciscus Marcus decis.* 798. *par.* 2. *Menochius lib.* 2. *cas.* 315. *Farinaceus ubi suprà quæst.* 159. *nu.* 20. & ultrà pœnam criminalem producens falsum instrumentum, amittit causam, *DD. ubi suprà.* Ille verò, qui producit falsos testes, seù articulos, pœna falsi punitur, etiam quòd illis posteà non utatur, dummodò scienter producat, *Farinaceus d. q.* 159. *p.* 2.

## *TITULUS X.*

### De Homicidio.

IN hoc titulo agitur de alio crimine scilicet homicidii, ubi de quinto præcepto Decalogi latè agitur. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd homicidium est illicita hominis ad mortem cæsio.

Dicitur illicita, quia multotiès licitè occiditur homo.

Dicitur ad mortem, quia etiam homicidium committitur quandò homo est lethaliter percussus, ità ut ex illa percussione homo moriatur, licèt non statim, sed ex intervallo, *l. ità vulneratus*, §. 1. *ff. ad legem Aquiliam*; & ideò statutum loquens de homicida, comprehendit lethaliter vulnerantem, *Baldus in l.* 1. *C. de Nundinis, Isernia in const. Regni*, quæ incipit *terminum vitæ.* Verum tamen est, quòd licèt dispositio loquens de homicidio, locum habeat in lethaliter vulnerante, tamen antè obitum vulnerati non potest propriè, ut homicida, in Regnò nostro puniri, quia attentatum non habetur pro completo in Regno, *DD. omnes de Regno in dict. constitutione*, incipiente *terminum vitæ*; & ideò licèt de Jure communi disponatur in materia homicidii puniri affectum non secuto effectu, *l.* 1. *in principio, l.* 5. *l. Divus, ff. ad legem Cornel. de sicar. l. is, qui cum telo, C. eodem*; tamen hoc jus, ut nimis durum hodie generali consuetudine abolitum esse testatur *Speculator in tit. de accusatore*, §. 1. *num.* 7. *Bald. & Cynus in d. l. is, qui cum telo.*

Sciendum secundò est, homicidium dupliciter committi, primo scilicet spiritualiter, secundo corporaliter, ut docet *Hostiensis in summa de homicidio num.* 2. Homicida spiritualis dicitur detractor fratrum, eosque odio habens, *can. homicidiorum de pœnit.* 1. *dist.* Item omnis iniquitas, oppressio, & injustitia est spirituale homicidium, *can. omnis eadem dist.* & qui mala persuadet fratri, illum spiritualiter dicitur interficere, *can. Noli, eadem dist.*

Homicidium corporale duplex est, simplex, & deliberatum. Simplex homicidium potest quatuor modis committi, primo necessitate, secundo casu, tertio culpa, quarto dolo, ut cùm quis est ita coarctatus, ut non possit aliter evadere vitæ periculum, nisi aggressorem occidat, *l. scientiam*, §. *qui cùm aliter, ff. ad legem Aquiliam*, *qua de re infrà.*

Casuale homicidium dicitur, quod sine aliqua culpa committitur ab eo, qui putat aliud rectè facere, *l. respiciendum*, §. *delinquunt, ff. de pœnis*: ideò Summus Pontifex homicidium casuale, commissum ab eo, qui dabat operam rei licitæ, non punit, Sacerdos enim cùm pulsaret campanas, ut populus conveniret ad divina, cadit tintinnabulum, & percussit quendam puerum qui decessit: decidit Summus Pontifex in *cap. Joannes de homicidio*, posse Sacerdotem illum exequi officium sacerdotale; secùs, si opus non esset competens Clericis, *cap. continebatur de homicidio.*

Homicidium culpatum est illud, quod committitur absque animo occidendi, licèt homicidæ culpa assignati possit & hoc homicidium punitur pœna leviori, & extraordinaria, *Abbas in cap. significasti, & in cap. dilecti de homicidio, Grammaticus decis.* 98. *Jason, & DD. in l.* 1. *ff. de legibus.*

Homicidium dolosum dicitur; quandò quis animo occidendi aliquem occidit, verùm sine aliqua præambula deliberatione, sed solùm in rixa, furore, & iracundia, *l. si in rixa. ff. ad legem Cornel. de sicariis.*

Homicidium deliberatum est illud, quod committitur ab eo, qui causam præbuit homicidii, vel ab eo, qui appensatè occidit, vel si in aliquo loco absconditus inimicum transeuntem ex improviso occidit, vel quandò quis colore amicitiæ aliquem occidit, DD. communiter citati; & latè *Farinac. de homicid. quæst.* 119.

Sciendum est tertio, licitum esse occidere animalia in hominum usum, sicut & plantas secare in usum hominum, aut animalium; ità contrà Manichæos constat ex *Genesi cap.* 9. ibi, *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, & Genes. cap.* 1. *ecce dedi vobis herbam afferentem semen super terram, & universa ligna fructifera, ut sint vobis in escam*, legas *Aragonium de Justit. & jure, quæst.* 64. *art.* 1. *Filiuccium tract.* 29. *cap.* 1. *quæst.* 2. *nu.* 2. sicut etiam licitum est publica auctoritate occidere malefactores, *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 2. sicut etiam licitum est homini privato interficere bannitos, contrà quos lata est sententia capitis, quia hoc fit publica auctoritate Justitiæ, cujus quilibet est minister respectu bannitorum, ut delinquentes retrahantur à delictis, *Azorius* 3. *par. lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 2. *Menochius de arbitr. judicum lib.* 1. *quæst.* 90. *num.* 4. sicut etiam licitum est bannitis se ipsos occidere propter propositum sibi premium à Principe, vel ob promissam sibi libertatem, quia hoc fit publica auctoritate & expedit communi bono, *Riccius decis.* 489.

An verò liceat occidere bannitum sine peccato extrà territorium bannientis, quæstio est? affirmant aliqui, esse peccatum mortale, negant alii, qua de re *Dian. p.* 5. *tract.* 4. *de homicidio, resol.* 24. qui etiam refert, licere alicui occidere grassatorem publicè grassantem per vias, & plateas, *Dian. sup.* Per insidias etiam licere in conscientia bannitum occidere docet *Diana* post alios, contrà alios, quos allegat *Diana par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 25. *per tot.*

Sciendum est quarto, homicidium de Jure divino puniri pœna mortis, quandò dolo, & insidiis committebatur, *Genes. cap.* 9. *Deuteron.* 4. *&* 19. *Levitici* 80. *num.* 35. *Exodi* 21. ibi, *moriendo morietur, & vers.* 14. ibi, *tolles eum, ut moriatur.* De Jure verò Canonico non est imposita pœna mortis, quia Jus Canonicum pro nullo crimine quantùmvis gravissimo imposuit pœnam mortis naturalis, *Innocentius in cap. cùm oporteat de accusat. Canonistæ* communiter in *cap. cùm non ab homine de judiciis*, Clericus tamen homicida efficitur irregularis, & suspenditur ab officio, & beneficio, *cap.* 2. *& toto tit. extrà de homicidio*: quòd si sit incorrigibilis, quia fortè commisit homicidium cum aliqua qualitate aggravante veluti assassinii, tunc à suo ordine degradatus, tradi debet Curiæ sæculari puniendus: de qua degradatione, adest *tex. in cap. degradatio de pœnis in* 6. *& diximus alibi.*

De Jure Civili, pœna mortis punitur: *Julius Clarus in* §. *homicidium nu.* 18. Jure verò Regni confirmata est hæc eadem pœna mortis naturalis, ut in Constitutione Regni *terminum vitæ*, ubi habetur nobiles pro homicidio decapitari, Ignobiles furca suspendi nulla

nulla servata bonorum confiscatione, *Afflictus, & alii in d. Constitutione*, & latè *Reg. Tappia de homicidiis tit. 6. de pragm. Juris Regni, tom. 5.*

*Super principium textûs.*

Agitur hîc de Assassinio, quod est omnium homicidiorum atrocissimum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd assassinium quantùm ad nomen de Jure Civili fuit incognitum, licèt non sit postea de Jure Canonico, *cap. pro humani de homicidio in 6.* Jus enim civile, mandantes pecunia homines occidi, conductores vocavit, mandatarios verò, & sicarios, latores, *l. non solùm, §. si mandato, ff. de injuriis*; Nomine ergo Assassini intelligimus eum, qui pecunia, aut alio pretio mediante prævio mandato homines occidunt, qui nihil tale ab eis præcogitabant: ità *Canonistæ in dict. cap. 1. de homicidio in 6. Menochius de arbitr. Judic. lib. 2. centur. 4. casu 360. Julius Clarus in §. Assassinium in principio, Farinaceus in appendice cap. 8. num. 119.*

Ex quo patet, non dici assassinum, qui sine prævia pretii promissione aliquem interficit, ut alteri rem gratam faciat: quia hîc non dicitur aliquem incautum occidere accepto, vel promisso pretio. *Mascardus de probat. tom. 1. conclus. 138. Menochius, & Farinaceus ubi suprà*

Patet secundo, non dici assassinum illum, qui rem parvæ quantitatis accepit, vel par caligarum, vel quid simile, quia hic non videtur pretio conductus, cùm parum pro nihil reputetur, & res illa parva non videatur pretium, & ideò tales delinquentes non dicuntur assassini; nec assassinus ille dicitur, qui alterum occidit præviis solùm verbis urbanitatis, seù prævia solùm promissione vaga, & jactatoria, ut si mandans homicidium, dicat mandatorio se nunquàm defuturum in illius necessitatibus. *Farinac ubi suprà.*

Patet tertio, illum non dici Assassinum, qui nullo accepto pretio, vel promisso, alterum necat, spe alicujus præmii à mandatore obtinendi, *DD. citati*, sicut nec est assassinus miles, qui occidit hostem, tùm quia non accipit mandatum ad occidendum hostem, cum quo bellum gereret; tùm quia non dicitur occidere incautum, occidendo adversarios.

Patet quarto, eum non dici Assassinum, qui Adversarium, cum quo inimicitias gerebat, occidit, sociis pecunia conductis, quia non occidit incautum, *Farinaceus, & alii ubi suprà.* Idem dic de eo, qui communem inimicum occiderit, etiamsi ab altero pecuniam ad hoc acceperit, quia non occidit incautum, & qui pecuniam dedit, potiùs dicitur instigator, quàm assassinus, *DD. ubi suprà.*

Patet quinto, non dici assassinum eum, qui alium occidit spe succedendi in bona occisi, aut vincendæ litis, quia occidit absque prævia pecuniæ promissione, vel absque alterius mandato, *DD. citati.*

Patet sexto, eum non dici assassinum, qui alium occidit accepta pecunia pro expensis in itinere faciendis, quia non dicitur accipere pretium pro homicidio, *Farinac. de homicidio, qu. 123. num. 158. & in appendice, cap. 8. num. 127.*

Sciendum secundo est, quòd pœnæ, quibus punitur assassinium, multæ sunt.

Prima autem & præcipua, est pœna mortis naturalis, & aliqui voluerunt, assassinum ad caudam equi trahendum, antequàm furca suspendatur: quod pietati, & religioni Christianæ parùm conveniens est. In praxi verò morti traditur cum qualitate, puta trahitur per terram, & in furcis laqueo suspenditur, nec tibi mirum videatur, ait *Farinaceus*, quòd in hoc crimine non simplex pœna mortis infligatur, sed qualificata, quia hoc operatur interventus pecuniæ, quæ regulariter facit delictum atrocius, & pœnam auget.

Secunda pœna assassini est, quòd assassinus incurrat excommunicationem, ut in *cap. pro humani. §. Sacri, de homicidio in 6. & ibi Glossa in verbo excommunicationis*, quæ etiam docet, quòd ex quo in isto casu Papa non reservavit sibi absolutionem, ideò ordinarius poterit eum absolvere, *Farinac. de homicid. qu. 123. inspect. 1. num. 11.*

Tertia pœna est, quòd Assassinus, si sit clericus, deponitur etiam ab ordine, ut in *d. cap. pro humani. §. Sacri. de homicidio, in 6.*

Quarta pœna est, quòd assassinus privatur omni honore, dignitate, officio, & beneficio, ut ait *textus in d. cap. pro humani*: ad quas tamen pœnas incurrendas, licèt non requiratur sententia Judicis condemnatoria, cùm ipso facto incurrantur per dictum textum: requiritur tamen sententia Judicis declaratoria, non quidem, ut pœna incurratur, sed quòd delictum sit probatum, & quòd de eo in actis constet, *Farinaceus loco cit. num. 17.* ad quem recurras in hac materia prædicta *quæst. citata*, per plures inspectiones, à quo omnia accepit *Ricc. in hoc. §. ipso non cit.*

An verò pœna mortis, & assassinii puniatur ille, qui non occidit, sed pervenit ad actum proximum; quæstio est; vel si quis accepto mandato de occidendo, solùm vulneraverit?

Et respondetur, quòd multi dixerunt, non esse hunc talem puniendum pœna mortis. DD. multi, quos refert, & sequitur *Grammaticus decis. 34. num. 15.* qui ait millies, ità fuisse judicatum per M. C. Vicariæ, contrarium tamen opinionem magis communiter DD. docuerunt in *d. cap. 1. de homicidio in 6.* ibi quanquàm indè mors secuta non fuerit, & ideò apud nos ad omnem difficultatem tollendam emanata fuit Regia Pragmatica anno 1573. qua expresè disponitur, quòd si quis solveret, aut promitteret pecuniam, aut aliam rem Mœvio, ut Titium interficeret, & Mœvius mandatarius accepto mandato procederet ad actum proximum contrà Titium, & illum solùm vulneraret, & non occideret, tunc etiam non sequuta morte, tam mandans, quàm mandatarius incurrunt pœnam ultimi supplicii, & mortis naturalis, ut in *Pragmatica 1. nostri Regni in tit. de assassinis*: dicitur autem perventum ad actum proximum, quandò pervenit mandatarius ad insultum, vel vulnus, ut ex dicta *Pragm. colligitur.*

*In §. Quòd si quis.*

Agitur in hoc textu de homicidio facto pro defensione suorum bonorum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, nullo modo licere homini privato interficere legitimum Principem, qui solùm est Tyrannus regimine, & administratione, quòd, si Tyrannus absque ullo titulo usurpat Imperium, poterit occidi ab homine privato, concurrentibus his conditionibus, quarum prima est, ut non pateat recursus ad superiorem. Secunda conditio est, ut constet, esse Tyrannum titulo Imperii. Tertia, ut constet de voluntate saltem præsumpta Reipublicæ cupientis ejus mortem. Quarta, ut non timeantur majora mala ab eis successoribus, his enim concurrentibus non dicitur Rex, sed hostis Reipublicæ, ergo occidi poterit.

Nota primo, licitum esse homini privato occidere Regem tyrannicè dominantem, idque gladio, veneno, proditione, insidiis, vel alio quovis modo, dummodò verè is tyrannicè dominetur, ut ex *Filiuccio tenet Diana part. 5. tract. 4. de homicidio*, apud quem videas latè disputantem.

Addit etiam *resol. 22.* Judicem secundùm allegata, & probata non posse reum occidere innocentem, quem scit, ex privata scientia esse innocentem.

Quærit *Diana resol.* 22. an liceat occidere innocentem ad postulationem inimici, qui minatur Urbi excidium, nisi talis interimatur? & respondet, quòd talis innocens tenetur id facere pro salute patriæ, & ad id posse cogi per Rempublicam, & Principem. Immò, si contumaciter resistat, occidi potest ab ipsa Republica, quia non est ampliùs innocens, sed nocens.

Sciendum secundo est, non licere clerico aliquem occidere, nedùm privata, sed neque publica auctoritate, quia clericis prohibitum est jure humano se immiscere in causa sanguinis, mortis, vel mutilationis, *cap. sententiam sanguinis, ne clerici, vel monachi.* Posset verò Summus Pontifex dispensare, ut clerici sententiam sanguinis ferant, absque peccato, & irregularitate, quia hoc prohibetur solùm de jure positivo. Appellatione verò clericorum veniunt etiam constituti in minoribus, & initiati prima tonsura: Verùm nota, quòd clerici in sacris ferentes sententiam sanguinis, peccant mortaliter; clerici verò in minoribus solùm peccant venialiter, quia non videtur gravis indecentia respectu istorum, ferre sententiam sanguinis, cùm eis permittitur ad statum laicalem reverti.

Illæ verò personæ Ecclesiasticæ, quæ habent jurisdictionem temporalem ratione dignitatis, vel ratione bonorum patrimonialium, possunt absque alio privilegio, constituere Judices sæculares in causa sanguinis, quia hoc non est illis prohibitum, sed solùm prohibetur causas sanguinis per se ipsos exercere, ergo poterunt constituere Judices, qui causas sanguinis agant, & possunt eis præcipere, ut justitiam faciant, non solùm in casu generali, sed etiam in casu particulari, *Sanctus Thomas* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. *ad tertium. Bonacina de restitutione disput.* 2. *quæst. ultima, sect.* 1. *punct.* 4. *num.* 4.

Sciendum est tertio, non posse aliquem de directo occidere innocentem: *Exodi num.* 23. ubi dicitur *Insontem, & justum non occides,* nullum enim habet dominium vitæ alterius, ergo non potest eam alteri tollere, nisi ad defensionem vitæ propriæ: in aliquibus verò casibus licitum est Reipublicæ, tradere innocentem ad se liberandum alicui Tyranno, qui eum petit ad necandum & non vult desistere ab obsidione, nisi ei tradatur aliquis innocens: nam eo casu tenetur innocens mortem subire pro patria, & ultrò se offerre tyranno, ergo Respublica poterit cooperari, absque peccato ad id, quod tenetur innocens, secundo etiam licitum est subvertere in bello justo mœnia, vel turrim, in qua multi innocentes opprimantur, quandò hoc est necessarium ad victoriam, quia non intenditur mors innocentium, sed procuratur victoria permissa morte innocentium, *D D. citati.*

Sciendum est quarto, posse aliquem occidere invasorem cum moderatione inculpatæ tutelæ ad defensionem vitæ, & membrorum suorum; & ideò potest quis occidere furiosum, amentem, vel ebrium, vel dormientem, qui eum invadit, cùm aliter evadere non potest, sicut occidi possunt satellites cum moderamine inculpatæ tutelæ, quandò injustè conantur interficere innocentem, vel illum capere, ut injustè occidatur, modò eis constet eum esse innocentem. Nec Titius tenetur ad restitutionem damni, aut ad tradendum animal suum, quandò, cùm invasus fuisset ab animali Sempronii, illud occidit, *l.* 1. *§. cùm Arietes, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

Undè ex *Sancto Antonino, Sylvestro, Abbate, Soccino*, & aliis docet *Diana par.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 1. quòd si Sacerdos sit invasus super altare, potest se defendere, & si cum moderamine justo talem invasorem occiderit, Missam perficere licitum erit, quia talis sacerdos sic occidens, non peccat. Dicitur verò aggressus occidisse cum moderamine inculpatæ tutelæ, quandò aggressus videt, vel probabiliter timet, sibi posse inferri mortem, nisi aggressorem interficiat, & nihil ei occurreret, neque facilè, si voluisset, potuit occurrere; tali enim casu cum moderamine inculpatæ tutelæ dicendum est id fecisse, & id non solùm procedit, ut quis se defendat à morte, sed etiam à vulnere & à quacumque alia gravi injuria, *Diana ubi suprà*, Immò est licitum invasorem occidere, etiamsi invasus fuerit in culpa, ut aggrederetur ipsum, *Dian. par.* 5. *tract.* 3 *resol.* 3.

An verò liceat occidere invasorem, & possit quis se tueri, occidendo eum, cum periculo mortis alicujus innocentis, *Diana par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 34.

Adverte tamen, quòd non tenetur aliquis invasorem occidere ob defensionem vitæ propriæ, quia potest quis exponere vitam propriam pro vita temporali proximi, ergo non tenetur quis occidere invasorem pro defendenda vita sua, quia non posset exponere vitam propriam pro vita temporali proximi, & sæpiùs laudabile est occidi, quàm occidere, ut constat exemplo Christi Domini, & Sanctorum ejus, qui cùm possent defendere se, mortem potiùs voluerunt: si tamen invasus sit utilis Reipublicæ, teneatur occidere invasorem, *Diana resol.* 14.

Adverte secundo, quòd quandò invasor est valdè utilis Reipublicæ, tunc non poterit occidi, alii putant etiam quòd esset utilis, posset occidi, *Diana par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 2. Secundo, quandò ex morte invasoris sequeretur maximum damnum familiæ, uxori, & filiis, tunc enim non licitum est, ut invasor occidat invadentem. Tertio, quandò invasor putat se esse in peccato mortali, & timet damnationem, si tunc temporis occidatur, quilibet enim magis tenetur diligere salutem animæ suæ, quàm proximi. D D. apud *Lessium lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 42.

Adverte tertio, licitum esse, intendere mortem adversarii ad defendendam vitam propriam, quandò mors adversarii intenditur, ut medium necessarium defensionis. Ratio est, quia licitum est nobis intendere medium necessarium ad defensionem vitæ nostræ; sed medium necessarium est mors, ergo, &c. *Filliuc. tract.* 29. *c.* 3. *q.* 1. *num.* 37. An liceat occidere invasorem, quandò possunt bona recuperari auctoritate Judicis quæstio est? Dico, quòd sic. *Dian. par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 45.

Adverte quarto, nemini licere prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequàm incœperit ille aggressionis actum, quia non fuit illata vis; quòd si actum moraliter incœperit, nec est alia spes evadendi, tunc potest licitè occidi, ex quo docent DD. licere uxori maritum occidere, qui jam collocavit pugionem sub cervicali ad ejus necem, aut paravit venenum, vel quid simile, modò non sit alia spes evadendi ab ejus manibus; quòd si quis paravit alteri venenum, poterit ei ab illo porrigi, si non sit alia via evadendi. Sic potest maledica, quæ assiduè nocet artibus diabolicis, verberibus cogi ad desistendum, quandò non adest alia spes evadendi, *DD. cit. Diana par.* 5. *tract.* 3 *resolut.* 5. ubi latissimè probat, quòd si quis nondùm aggrediatur homicidium, illud tamen aggredi decrevit, posset occidi, undè si Petrus statuat Paulum occidere per sicarium, vel famulum, licebit, si non habeat spem evadendi, prævenire, & Petrum occidere, latè *Diana par.* 6. *tract.* 4. *resol.* 6. *per totam.* Et licitum erit occidere falsum testem euntem ad testificandum falsum contrà me, ubi agitur de pœna mortis. Idem dic de accusatore, si falsis testibus, vel criminationibus, erit mortem causaturus. Idem dic, si erit accusaturus me de crimine vero, sed occulto, ex cujus occasione mihi creatur periculum mortis, quandò tamen ille non habebat jus ad me accusandum. Immò non solùm id licitum est, quandò quis accusat alium ad mortem, sed etiam, ut amittat bona temporalia, quia positis quibus-

dam

quibusdam circumstantiis licitum est pro defensione rerum temporalium, occidere invasorem, *Diana dict. par. 5. tract. 4. resol. 7.*

Rogabis primo, an liceat alicui occidere invasorem facultatum, honoris, & pudicitiæ?

Respondeo affirmativè tam laicis, quàm Clericis licere occidere tales invasores, modò aliter res suas salvare non possint, & modò sint magni momenti, quia sicut licet vim vi repellere contrà eos, qui propriam vitam persequuntur, & invadunt, ità licebit etiam repellere eum, qui res nostras persequitur, sine quibus vita manuteneri non potest: & hoc colligitur ex *cap. dilecto de sententia excommunicationis*, quòd si res sit parvi momenti, vel aliter recuperabilis, tunc invasorem occidere non licebit: diceretur verò parvi momenti, habito respectu ad personam, *Bonac. tom. 2. de restitut. quæst. ultima, sect. 1. pun. 10. num. 1.*

Nec obstat *text. in cap. interfecisti, de homicidio* ubi occidens alium ad defensionem rerum suarum temporalium, punitur.

Respondetur enim, quòd ille In eo *text.* excesserat moderamen inculpatæ tutelæ, quod non est in casu nostro, quia diximus posse occidere, quandò aliter salvare eas non potest quis, legas *Dianam par. 5. tract. 4. resol. 9.* & sic viro honorato licebit occidere invasorem, qui fustem vel alapam conatur ei inferre, *Diana par. 5. tract. 4. resolut. 4. & resol. 11.* In foro externo, qui solùm verbis minatur alteri mortem, licebit occidere, licèt peccet secundùm probabiliorem opinionem hic talis, *Diana par. 5. tract. 4. resol. 10. vide resol. 11. 12. & 13.* Quandò invasus occidit invasorem, potest intendere positivè mortem ejus, ut medium ad sui defensionem, *Diana par. 5. tract. 4. res. 16. & resol. 15.* ait, quòd miles, qui certò scit bellum esse injustum, poterit ad se defendendum occidere militem contrarii exercitûs, à quo invaditur.

Ex quo benè ego possum furem, qui mihi equum surripuerit, occidere, dùm fugit, si ipse præmonitus de morte recusat rem acceptam dimittere, quia quòusque fur fugit, non censeor privatus possessione, & aggressio censetur adhuc durare saltem respectu rei: sed quamdiù ego sum in possessione possum cum moderamine inculpatæ tutelæ res meas defendere: ergo, *DD. ubi suprà.* Non tamen poterit quis occidere furem qui se recepit in tutum, & rem quietè incœpit possidere, quia non censetur vim inferre, sed jam illatam intulit, & dicitur tantùm committere injustitiam, ob quam, absque publica auctoritate non licet aliquem occidere: licebit tamen Domino ingredi domum furis, & rem suam per vim contrà furem resistentem recuperare, modò eadem res in individuo extet apud furem, ut idem pallium, eadem vestis, &c. quia hæc non videtur propriè agressio, sed defensio rei propriæ; quandiù enim fur rem meam retinet, videtur mihi facere injuriam, & res meas invadere: secùs si eadem res non extet apud furem, sed Dominus læsus, vult eam compensare in alia. Contrarium hujus putat *Diana par. 5. tract. 4. resol. 47.* ubi ait posse occidi, & auferri etiam in quiete existens, *Diana par. 5. tract. 4. resol. 17.* ubi latè probat, licere occidere pro defendendis propriis bonis; immò etiam Clericis: immò sagitta licitum est furem occidere, quandò aufugit, quia invasio rei adhuc durat, quòusque in tutum se recipiat; Immò etiamsi tu impedias rem à me custodiri, licèt possit recusari res, pro cujus valore, ut possit quis occidi, oportet, ut non sit minima, & ideò pro uno, vel duobus aureis non posset, nisi tamen res furata, licèt tanti valeat, tamen in se plus existimatur ratione affectionis, latè *Diana par. 5. tract. 4. resol. 19.* Immò licitum est mihi occidere invasorem proximi, etiam quòd ille consentiat in sui occisionem tanquàm mandatarius Domini, quia unicuique mandavit Dominus de proximo suo, legas *Dianam par. 5. tract. 4. resol. 19.* An liceat occidere obsides, quandò inimici nolunt fidem servare? negat *Bonacina* cum aliis, affirmant alii, legas *Dian. p. 5. tract. 4. resolut. 35. per tot.*

Ampliatur hæc doctrina, ut in omnibus casibus, in quibus licitum est alium occidere pro defensione honoris, pudicitiæ vel bonorum nostrorum, liceat etiam eum occidere pro defensione vitæ, & bonorum proximi, modò ad id necessaria sit, *Julius Clarus in §. homicidium in vers. præterea, Filliucius tract. 29. c. 3. quæst. 9.* quia possumus suscipere partem innocentis: & cooperari bono ipsius, undè possum tueri pudicitiam alicujus cum morte invasoris, sicut possum meam tueri, & conservare, undè si invasus in pudicitia sit mihi sanguine conjunctus, possum invasorem offendere, etiam quòd invasus in pudicitia nolit defendi, nam ipsius injuria redundat in me, ergo possum servato moderamine infamiam illam avertere; ideò poterit pater servare pudicitiam filiæ, & maritus pudicitiam uxoris, cum morte invasoris, licèt filia, vel uxor nolit defendi, *DD. citati.*

Ampliatur secundo, ut teneatur quis proximum in his casibus defendere sub peccato mortali contrà charitatem, quia tenetur unusquisque ex charitate proximum diligere, & suscipere causam innocentis, non tamen tenemur vitam nostram exponere pro tuitione bonorum proximi externorum.

*De restitutione propter homicidium.*

Ut hanc rubricam perfectè intelligas.

Dico primo, quòd provocantes se ad pugnam, vel duellum non tenentur ad aliquam restitutionem, si se occidant, quia censentur cedere juri suo, *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 21. Diana par. 5. tract. 4. resolut. 5. Filiuccius tract. 32. cap. 8. quæst. 6. num. 232.* sicut nec tenetur ad restitutionem provocatus ad pugnam, si occiderit provocantem, etiamsi modum excesserit, & moderamen: Ille verò, qui occidit invasorem excedendo moderamen, tenetur ad aliquam restitutionem, quia facit injuriam alteri, non tamen tenetur ad omnem restitutionem, quia cùm prior illum invadit, videtur ex parte juri suo cedere; ergo non tenetur invasus ad restitutionem omnium damnorum, qui verò occidit invasorem cum moderamine, ad nullam tenetur restitutionem, *DD. citati.*

Pœnitentia salutaris, quæ est homini, homicidium committenti, imponenda, est resarcire damna occiso, pro ejus salute orare, sacrificium facere, ut dicatur, & si ei suppetunt facultates, ut eleemosynam singulis hebdomadis facere curet, & alia, de quibus *Diana par. 3. tract. 4. resol. 43.*

Si quis occidat invasorem cum moderamine inculpatæ tutulæ, ad nullam tenetur restitutionem, sivè is sit invasor honoris, sivè bonorum, sivè alterius rei, pro qua licitum est alium occidere: immò etiamsi quis alium occidat sine moderamine inculpatæ tutulæ, adhuc non tenetur ad restitutionem, nisi pro excessu, *Diana p. 5. tract. 4. resol. 44.* Ex homicidio casuali commisso non adest obligatio restituendi, nisi adsit culpa lata, nam levissima, & levis excusat, *Dian. p. 5. tract. 4. resol. 46.*

Adulter occidens maritum invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur ad restitutionem, post *Lessium Diana p. 5. tract. 4. resol. 47.*

Invasus, quandò potest fugere, & occidit aggressorem, non tenetur ad restitutionem, *Dian. par. 5. tract. 4. res. 48.* neque Clericus occidens invasorem potens aufugere, tenetur ad restitutionem, quia licèt tales

 Clerici

clerici peccent contrà charitatem, non tamen peccant contrà justitiam, *Diana p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 49.

Si quis advertit, ex suo homicidio sequutum damnum tertii, dummodò non id intendat, non tenetur ad restitutionem, *Diana* post *Lessium par.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 51. sic si quis venas aquarum per prædium suum intercipiat, ex quo damnum vicino sequatur, quia aqua non transit, non tenetur ad restitutionem, legas *Dianam* post *Lessium* multa dicentem.

Si mancipium occidat, aliquem absque culpa domini, dominus non tenetur ad restitutionem. *Diana* post *Lessium dict. par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 52.

Homicida, vel mutilator tenetur restituere impensas, & alia, de quibus *Diana par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 53. pro cicatrice, vel deformitate non est facienda restitutio; neque pro vita hominis liberi, quia non recipit æstimationem, sed pro vita servi, vel animalis, utpotè recipientis æstimationem, fieri debet restitutio, *Dian. p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 54.

Homicida non tenetur ex justitia pro occiso dicere Missas, &c. quia non tenetur restituere ex bonis diversi generis, *Diana par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 55.

Dico secundo, Homicida tenetur ad restitutionem damni emergentis ipsi occiso, & etiam lucri cessantis, scilicet non solùm tenetur ad expensas, quas fecit in curatione morbi, sed etiam illius lucri, quod acquisitus esset, si non fuisset vulneratus, communiter DD. quos refert, & sequitur *Bonacina ubi suprà sect.* 2. *par.* 1. *num.* 6. quia fuit causa efficax damni, & cessationis lucri justi, non tamen tenetur restituere totum lucrum, sed solùm, quantùm valebat spes lucri eo tempore, quo occidit, quia lucrum erat in spe, quod minùs valet, ac lucrum in re: sicut fructus terræ minùs in flore, quam in segete valent, & ideò deducuntur expensæ, quas fecisset occisor in acquirendo tali lucro, & solùm restitui debet quantùm valet spes illa lucri ad arbitrium boni viri; in praxi tamen fieri solet compositio cum parte, cui facienda est restitutio, quia difficile est ad unguem definire tale lucrum.

Declaratur conclusio primo, ut spes lucri futuri non sit æstimanda ex ætate sexaginta annorum, ad quam quis pervenire posset, sed juxtà judicium probi viri attenta sanitate, præsenti ætate, & similibus, & *text. in l. computationi, ff. ad legem falcidiam*, qui videtur dicere, attendendam esse ætatem 60. annorum, loquitur in alimentis pro foro externo, *DD. ubi suprà.*

Declaratur secundo conclusio, ut etiamsi occidatur vir nobilis, sit facienda ex æquitate aliqua restitutio, pro expensis verò funeris nulla est facienda restitutio, quia etiamsi morte naturali mortuus esset, adhuc fierent, & ex hoc nulla illata est injuria.

Declaratur tertio, ut occidens injustè aliquem, teneatur ad restitutionem, etiamsi alius illum injustè etiam occidisset, quia sicut alter, qui injustè occidisset, teneretur. ità ipse: ille verò, qui interfecit eum, qui paulò post erat occidendus justè, non tenetur ad restitutionem, quia nihil erat lucraturus talis occisus. *Filliucc. tract.* 32. *num.* 204.

Declaratur quarto, ut teneantur ad talem restitutionem hæredes occisoris, si supersint bona, ex quibus fieri possit restitutio. quia obligatio restituendi, cùm sit realis, transit ad hæredes, non tamen tenetur homicida ad restitutionem, quandò læsus, vel ejus hæredes remittunt omne damnum, & debitum.

Dico tertio. committens homicidium casuale, non tenetur ad restitutionem, quia tale homicidium non est voluntarium, & propriè tale, ergo non obligat ad restituendum: undè qui alteri inflixit vulnus leve, vel grave, sed non lethale, nihil restituere tenetur, si ex negligentia Medici mortuus sit, quia est casualis vulnerati mors. *DD. citati;* qui verò alium vulneraret in eo loco, ubi non adsunt Medici, censetur mortem intendisse, & idcò restituere tenetur.

Declaratur, ut ebrius occidens aliquem, dùm est in ebrietate, teneatur ad restitutionem; quandò ebrietas est culpabilis, secùs si inculpabilis, & involuntaria: intellige de ebrietate culpabili, in qua prævisum fuit homicidium; nam etiamsi esset culpabilis, sed homicidium non prævisum esset, adhuc non teneretur ad restitutionem.

Declaratur secundo, ut occidens Caium, putans esse Titium, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem, *l. cùm qui nocentem*, §. *si injuria, ff. de injuriis*, & hæc actio est actio injusta contrà Caium, ergo: sicut, qui percutit Caium Clericum, quem putat Titium clericum, est excommunicatus, DD. apud *Bonac. d. sect.* 2. *p.* 2. *in fin.*

***Explicatur, quibus sit facienda restitutio post mortem occisi.***

UT hanc rubricam perfectè intelligas, sciendum est, hæredes alios esse necessarios, alios verò voluntarios. Necessarii, qui non possunt in totum privari hæreditate, ut sunt filii, uxor, parentes, &c. voluntarii verò dicuntur illi, qui privari possunt hæreditate, licèt succedant ab intestato, ut fratres, & alii. Hoc posito.

Dico primo, hæredibus necessariis facienda est restitutio ab occidente, non verò aliis; undè filiis, vel uxori ab occidente est facienda restitutio, quandò isti sunt aliquo emolumento privati: *Lessius lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. quia tales hæredes cum persona occisi censentur una, & eadem, ergo: ex quo non est facienda restitutio fratribus, quia non dicuntur propriè læsi in re propria: erunt tamen fratri restituendæ expensæ factæ in curatione vulneris alterius fratris, *Filiucc. tract.* 32. *cap.* 8. *quæst.* 50. *num.* 208. Nec tenetur occidens ad restituendum aliquid creditoribus occisi, quia nullam exercuit actionem injustam contrà creditores, etiamsi homicida haberet animum nocendi creditoribus, quia obligatio restituendi non ex pravo animo oritur, sed ex injusta actione externa: Ità *Ioan. Valerus in diff. utriusque fori in verbo restitutio diff.* 8. qui addit cum *Soto lib.* 4. *de justitia. & jure, q.* 6. *art.* 3. *ad tertium.* nec fratribus in tali casu deberi aliquid in foro conscientiæ, quicquid in foro judiciali.

Declaratur primo, conclusio, ut nullam teneatur homicida facere restitutionem illis, qui probabiliter sperabant beneficium ab occiso, vel eis, qui ex necessitate alebantur ab occiso, quia non est obligatio restituendi alteri, nisi ob injustitiam illatam, sed hîc nulla est illata injustitia, ergo, & sic neque tenetur homicida ad restitutionem damnorum factorum creditoribus. *Salonius* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controv.* 8. *Lessius lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26. neque tenetur ad restitutionem faciendam familiaribus, vel clientibus, si damnum aliquod ex morte occisi illis provenit, nam occisus suprà dictis ad nihil tenebatur ex justitia sed ex liberalitate operabatur, *Lessius & Salonius locis citatis.* Quandò verò maritus aliquem in adulterio deprehensum occidit, non tenetur in conscientia restituere damna, ex morte occisi secuta, donec à Judice causa cognoscatur, utrùm in pœnam delicti, atque injuriæ compensationem restitutio ipsi remittenda sit, nec ne. *Molin. tract.* 3. *disp.* 81. *num.* 56. *Diana p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 54.

Nec tenetur ad restitutionem quis, qui provocatus ad pugnam accessit, & alium vulneravit, quia volentes, & consentientes ad pugnam descenderunt, ergo nec occiso, nec ejus hæredibus tenetur quis, *Lessius d. lib.* 9. *dub.* 21. *Diana ubi sup. resol* 53. *in fine.*

Declaratur secundo, ut non teneatur occidens ad restitutionem damnorum factorum ei, cui homicidium imputatur, quàpropter, si ego occido Caium occultè,

sed

sed homicidium imputatur Titio, & quòd Titius habetur, ut inimicus ab omnibus, si interim Titius capiatur à satellitibus, & patiatur damna, & convictus per falsos testes moriatur, ego ad nihil teneor restituere; nam illa actio homicidii non est causa, sed occasio illorum damnorum directè provenit ex falsa accusatoris actione, vel testium; ità docet *Azorius par. 3. lib. 5. cap. 3. quæst. 10. Filiucc. tract. 20. cap. 50. quæst. 1.* licèt peccet hoc casu ille talis homicida contrà charitatem prævidens tale damnum, Caio secuturum; sivè ergò prævideri, sivè intenderit tale damnum, non peccat contrà justitiam, est tamen hæc opinio contrà *Turrianum, Molinam* & alios; verùm in praxi receptior: tenetur tamen ille qui occidit, compensare cum eo, cui imputatur homicidium, ea, quæ coactus fuit tradere hæredibus occisi pro damno illius proveniente ex homicidio, *DD. citati.*

*In §. Alia ratio est, cum sequenti.*

Conclusio hujus textûs est, quòd pater, vel mater, qui reperitur oppressisse proprios filios, graviter puniri debet; & quidem pœna mortis, quæ est pœna parricidii, *l. 1. ff. & C. de parricidiis, l. si quis necandi*, ubi DD. *C. ad legem Cornel. de sicariis*, sic practicari testatur *Julius Clarus in §. parricidium in fin.* præsertim, quandò mater proprium infantem suffocat, vel alio modo occidit.

Ampliatur conclusio, ut de jure Canonico sint puniendi parentes, qui filios occidunt pœnitentia trium annorum, quorum unus sit in pane, & aqua, *cap. fin. ubi DD. de his, qui filios occiderunt*. intellige, quandò ignoratur, an parentes eorum interfectores fuerint, quia si id certò sciretur, tunc puniri debent perpetua pœnitentia, *cap. 1. eodem titulo*: solet etiam ab ordinariis locorum imponi excommunicatio latæ sententiæ contrà feminas tenentes filios parvulos in lecto, qua de re *Navar. cap. 15. n. 13. & cap. 27. nu. 236. Sylvester in verbo homicidium nu. 15.*

Ampliatur conclusio secundo, ut parentes peccent mortaliter exponendo filios hospitali, nisi habeant justam causam exponendi, ut si pater existat in gravi necessitate, periculo vitæ, vel infamiæ, quia videtur filios deserere, & derelinquere contrà naturalem, & paternam pietatem, & injuriosum est in hospitali ali, & sustentari. DD. communiter apud *Layman l. 3. tract. 3. p. 3. cap. 14.* ultrà verò peccatum mortale, amittunt jus patriæ potestatis patres filios exponentes in hospitali, vel alibi, *cap. 1. ubi DD. de infantibus expositis.*

Limitatur conclusio primo, quandò mater peperit intrà quatuor menses animatum quidem, sed non vitalem, & nesciretur prægnans, suffocavit infantem, quia tunc puniretur minori pœna, quàm pœna mortis. Sic decisum in *Senatu Pedamontano*, docet *Thesaurus dec. 12. nu. 3.*

Limitatur secundo, si mulier interrogata ignorans, & sine dolo reperta fuerit ut in celebri casu, quem refert *Osasch. tex. Pedamontana 60.* quædam enim pepererat infantem, repertus fuit partus formatus, sed jam mortuus in latrina, mulier examinata semper negavit, se fuisse prægnantem, & cùm ea nocte, qua peperit sentiret ventrem tumefieri & dolore angeretur latrinam accessit, cogitans, se emissuram fecem ventris, & cùm ibi esset, ait sentire quoddam exire per vulvam, volens, retraxit nates, opponens os vulvæ ori latrinæ, & tunc subdit mulier, magnum quid exire, & in latrinam cadere: fuit tamen mulier prædicta bis torta, & semper idem dicebat: disputarunt illi Senatores, quomodò punienda? Quatuor dixerunt ultimo supplicio; alii, & meliùs dicebant contrarium, quia non erat probatum dolosum parricidium, nisi violentis præsumptionibus, quo casu pœna mitigatur, *cap. 3. loco ubi Abbas de præsumpt.* fuit tamen mulier prædicta fustigata, ac bannita.

Limitatur tertio, quandò intervenit minor ætas mulieris, vel suasio alterius, quia tunc non punitur pœna mortis, sic consuluit *Dec. cons. 535. Menoch. lib. 2. de arbitr. judic. casu. 357. Osasch. d. dec. 60.*

Limitatur quarto, quandò mulier interrogata, respondit, se peperisse mortuum, & illum sepelivisse, quia tunc licèt non possit confessio prædicta qualificata acceptari, neque valeat quoad pœnam omninò evitandam, nisi adsint aliæ conjecturæ, ut latè *Gabriel lib. 7. commun. conclus. concl. 19.* & in simili docet *Gomesius lib. 3. var. cap. 3. num. 26.* de eo, qui alium dixit occidisse, sed ad sui defensionem, tamen in *Senatu Pedamontano*, cùm mulier allegasset infantem natum mortuum, & per Præfectum condemnata esset ad mortem; fuit per Ducem Philibertum condemnata, ut fustigaretur, & banniretur per quinquennium, *Thesaur. d. decis. 13. num. 7.* Regulariter tamen adverte, quòd semper præsumuntur mortui nati tales pueri, quia mulierculæ prædictæ ne gravidæ appareant, multa solent agere in perniciem uteri, pugnis, vel verberibus ventrem afficiendo, ut abortum faciant.

*In §. his quoque.*

Agitur hîc de pœna abortûs. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quòd ille, qui partum in utero conceptum provocaverit aboriri, variis pœnis puniri solet, & quidem si fœtus sit animatus, pœna homicidii punitur id faciens. Si verò non animatus, tunc occidens eum, punitur pœna arbitraria à Judice, *Menoch. d. casu 357.* quòd si mulier prægnans pugno, vel ictu ab aliquo percussa fuerit, tunc etiamsi fœtus sit animatus, pœna exilii temporalis arbitrio Judicis puniendus erit, *Albericus de statutis, par. 3. quæst. 59. Boss. in praxi crim. de homicid. nu. 50. Thesaur. decis. 12. num. 2.* quandò autem maritus, vel alius ventrem ad hunc finem percussisset, ut fieret abortus, certè pœna mortis punitur, *Gaspar. Thesaur. in addit. ad ejus genitorem, d. decis. 12. lit. B.* undè recedas à *Julio Claro in §. fin. quæst. 68. vers. abortum dicente*, quòd si inter duos rixantes mulier existens percussa fuerit ab uno illorum, pœna mortis sit puniendus: veriùs enim est arbitraria puniri pœna.

Quandò verò, quis voluntariè dedit causam abortioni ministrando poculum, aut aliter se habendo, tunc si fœtus est animatus, pœna mortis punitur, si verò inanimatus, minimè. *Gloss. in l. Divus ff. de variis, & extraordinariis criminibus. Gloss. in cap. Moyses 32. quæst. 2. cap. sicut de homicid. cap. consuluisti 2. quæst. 5.* quod expressè videtur decidi etiam ex *cap. quòd verò, & d. cap. Moyses 32. quæst. 2. & in cap. sicut citato*; in praxi tamen ob maximam æquitatem, quæ servatur in decisionibus causarum; talis, qui faceret abortum etiam animatum, punitur pœna fustigationis, exilii, vel detrusionis in Monasterium, *Francus. decis. 592. Thesaur. decis. 12. per totam*, putant verò aliqui animari fœtum masculum in 30. die, feminam verò in 40. ità *Hypprocr. de natura pueri in princ. Galen. lib. de semine, cap. 9. Aristoteles 7. de historia animalium, cap. 3.* qui docent in 30. vel 40. apparere hominem mole formicæ majusculæ, & omnia membra discreta, & genitalia, & hæc est minima moles, sub qua formari potest homo.

Ego verò puto, incertum esse diem, in quo anima advenit, quia tota ratio per adversarios, quare in 30. ea est, quia tunc est perfecta articulatio & dispositio ad animam, ergo cùm in 35. die sit perfectior, tunc infunditur anima, quòd si dicant, non opus esse tanta perfectione, ego replico, nec opus esse perfectione diei

diei trigesimi, sed sufficere eam, quam habet in 25. die, vel 27. gratis ergo id asseritur, & solus Deus, qui infundit animam, tutò scit diem, in praxi tamen ne recedas à prima sententia: legas *Farinac. de homicidio, qu. 122. p. 6.* ubi refert multas sententias in hac re.

Ampliatur, ut etiam puniatur pœna arbitraria mulier, vel alius, qui poculum ad abortiendum daret non ad causandum malum, sed ut mulier sanitatem consequatur, sicut nec pœna mortis punitur mater, quæ filiam habens prægnantem, poculum ei dedit abortionis causa, causa servandæ pudicitiæ, & infamiæ evitandæ, *Thesaurus dict. decis.* 12.

Nec obstat, *text. in l. Cicero, ff. de pœnis*, ubi mulier abortum faciens sui fœtûs, punitur pœna mortis, quia ibi adest gravitas delicti; mulier enim illa pecuniam à substituto acceperat, ut id faceret, quo casu cùm delictum sit gravius, gravior pœna fuit. *Menoch. & Thesaur. ubi sup.*

Ampliatur ultimo loco, ut puniatur faciens, vel procurans abortum pœna excommunicationis, *cap. si aliquis extrà de homicidio*, Bulla Sixti V. 23. in ordine, quæ in ea parte, in qua volebat, absolutionem esse reservatam Summo Pontifici, fuit reformata à Gregorio XIV. quam Bullam latè interpretatur *P. Jacobus de Graffiis lib. 4. decis. 63. per totam.*

*In §. finali.*

Agitur hìc quomodò puniantur illi, qui sibi mortem inferunt. Ad ejus intelligentiam,

Sciendum est primo, non posse aliquem seipsum occidere directè. *S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 4.* quia nullus homo est Dominus vitæ, & membrorum suorum, *l. liber homo, ff. ad legem Aquiliam*, undè peccat mortaliter, qui alium occidit volentem, & consentientem, quia talis voluntas concedi minimè debet nec potest. Deo verò permittente, sub cujus dominio vita nostra continetur, potest quis cooperari ad propriam mortem immediatè, & directè, ut de Samsone probat *S. Doctor loc. cit. Filiuccius tract. 29. num. 63.* sicut posset etiam ob rationabilem causam indirectè, per accidens, & mediatè cooperari quis ad mortem propriam pro amico.

Pro Amico, an liceat propriam exponere vitam quæstio est? Et opinio affirmativa est probabilior, latè *Diana par. 5. tract. 4. resol. 28.* plures referens opiniones, non tamen pro honore amici, vel bonis defendendis id licitum est, *Diana resol. 29.* Excusari potest quis ab homicidio sui ipsius ratione ignorantiæ invincibilis; contrà *Cajetanum* docet communis, de qua *Diana par. 5. tract. 4. resolut. 30.*

Si pro patria, pro Religione, & similibus, quis habet rationabilem causam exponendi vitam periculo; eadem ratione posset filius relinquere patri tabulam in naufragio, ut Pater evadat, etiamsi ipse non habeat aliam spem evadendi: an possit tabula ab uno occupata alteri concedi, & putat, quòd sic *Diana par. 5. tract. 4. resolut. 42. per totam*: sicut posset quis dare amico in extrema necessitate existenti, quæ sunt ad vitam sibi necessaria: sic potest damnatus ad pereundum fame respuere cibum sibi oblatum: sic potest quis inservire infectis peste cum manifesto vitæ periculo, DD. *cit.* quia cooperari indirectè ad mortem potest quis, *Diana par. 5. tract. 4. resol. 31. & 41. per totam.*

Ampliatur, ut possint milites de communi consensu pulverem ponere in tormentaria pila, qua navis incendatur, vel se præcipites dare in mare, etiam cum aperto vitæ periculo, ne navis veniat cum ipsis in manus Infidelium, sicut potest, quis in bello justo turrim, & mænia suffodere cum certa notitia nedùm aliorum, sed suæ oppressionis, quia intenderetur hoc casu directè non mors propria, sed evitatio crudelis mortis, quam milites reciperent ab inimicis, si in eorum manus pervenerint, quandò certò scitur esse occisuros, secùs, si adest spes, quòd essent conservandi in vita, latè *Diana part. 5. tract. 4. de homicidio resolut. 26.* sicut non peccat, qui se præcipitaret de alta turri, ut evitet incendium, sic licet alicui objicere se telo venienti ad vitam Principis conservandam, quia exponeretur vita periculo ob commune bonum: sic non peccant, qui sua corporis agilitate ambulant super funem, aut sumunt venenum, adhibito statim remedio, quia purgatur periculum per applicationem sufficientis remedii, *Filiuccius tract. 29. cap. 6. num. 109. Bonacina disp. 2. de restit. quæst. ultima, sect. 1. punct. 5. num. 8.* An licitum sit sumere venenum, ut quis experiatur virtutem theriacæ? *Diana par. 5. tract. 4. resol. 38.* Damnatus, ut veneno pereat, potest illum haurire, legas *Dianam par. tract. 4. resol. 59. qui resolut. 49.* quærit an possit reus, dùm carnifex ponit funem ad collum, se ex schala præcipitem dare, & negat *P. Diana.*

Ampliatur secundo, ut non teneatur aliquis vitam propriam redimere aliquo immenso pretio, etiamsi sit damnatus ad mortem; sicut nec tenetur vitam exquisitissimis cibis conservare, aut relicta patria, transferre se ad eum locum, ubi aer est salubrior, quia hoc non est seipsum occidere, sed omittere actiones ad vitæ conservationem, ad quas non est credibile, Deum obligasse hominem cum tanto incommodo, sicut etiam detentus in carcere posset non fugere, etiamsi sciat se morte plectendum, nisi fugiat, DD. *cit.* peccat verò mortaliter ille, qui per immoderatas abstinentias, vel alias afflictiones suam vitam abbreviaret, secùs, si moderatam ageret abstinentiam, quia in hoc casu non mortem intendit, licitum enim est seipsum vigiliis, abstinentiis, &c. vitam abbreviare, *Diana par. 5. tract. 4. resol. 33. per totam.* Et ideò excusantur à mortali illi, qui adhibent nivem ad tollendum vini calorem, etiamsi deindè prævideant fore, ut citiùs pereant, quia hæc videtur levis, & indirecta cooperatio ad mortem, *DD. ubi sup. Diana p. 5. tract. 4. resol. 27.*

Sciendum est secundo, non licere alicui seipsum occidere, ut transeat ad vitam feliciorem, quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona. *S. Thomas* & allii citati: ideò femina non potest seipsam occidere, ut ab alio non violetur, quia violatio non imputaretur illi ad peccatum, nisi adsit consensus, neque per hoc amittitur virtutis castitatis pretium, vel laureola, quia potiùs diceretur pati, quàm agere, vel peccare: secùs dic de viro, qui ob metum, fornicationem committit: hic enim, cùm activè concurrat ad actum, non excusatur à peccato. *Reginaldus tom. 2. lib. 21. cap. 4. nu. 43.*

Sciendum est tertio, non posse Judicem, qui alios condemnat ad mortem ob commissa delicta, condemnare seipsum, dùm commisit grave delictum morte dignum, quia non habet Judex respectu sui publicam potestatem, sed eam habet Respublica, *S. Thomas 2. 2. q. 64. ar. 5.*

Sciendum est quarto, dupliciter peccare qui seipsum occidit, primo, quia facit contrà charitatem, qua dicitur *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Secundò contrà justitiam, nam facit Deo injuriam, qui habet altissimum dominium suprà vitam hominum; facit etiam injuriam Reipublicæ, quæ jus habet, ut sui homines vitam servent, ergo, DD. *citati.*

Sciendum est quinto, licitum esse homini amputare sibi membrum, vel membri partem, quandò illius amputatio ad salutem corporis est necessaria, & ideò licitum est secare sibi membrum, quod cancer infecit, aut quod vipera momordit, quandò non est aliud remedium procurandæ sanitatis, sicut licitum est sibi membrum amputare, jubente Judice, vel tyranno alioquin minante mortem, quia exponeretur periculo pars, ut servetur totum, *Toletus lib. 5. cap. 6.* contrà alios, sicut potest etiam ille, qui

qui catena ferrea detinetur in carcere, ut à feris voretur, vel igne comburatur, membrum sibi amputare, ut totam vitam sibi servet, sicut potest quis in bello loco plumbeæ glandis sibi dentes excutere ad vitæ defensionem, quod fuisse factum à quodam milite in India, docet *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 9. num. 20. & sequentibus*, latè *Diana par. 5. tract. 4. resol. 32.* ubi habes illam quæstionem, an possint Charthusiani in articulo mortis vesci carnibus, si habeant alios cibos, & responsio est posse, licèt non teneri. Potest etiam quis sine peccato, quandò reperitur in loco, ubi igne comburetur, per fenestram desilire, quandò nulla adest via evadendi, licèt prævideat ex eo saltu sibi crus vel brachium perfringendum.

Sciendum est ultimo, nemini licere ad sanitatem spiritualem consequendam, vel carnis tentationes evitandas, membrum, vel ejus partem mutilare. *S. Thom. 2. 2. qu. 65. art. 1. ad 3.* quia membri amputatio non est necessarium remedium ad salutem animæ; licet tamen membrum affligere, vel sanguinem eruere per afflictionem quantum sufficit ad superandam tentationem, modò non adsit periculum amissionis alicujus membri, aut vitæ.

Dices primo, *Matth. 4.* dicitur, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice illum abs te.* ergo poterit membrum amputari ad sanitatem spiritualem.

Respondetur, illum locum intelligi de abscissione spirituali, videlicet de remotione occasionum.

Dices secundo, *Matth. 16.* dicitur, *Sunt, qui se castraverunt propter Regnum Cælorum.* ergo.

Respondetur, quòd id non intelligitur de reali sectione, sed de illis, qui perpetuam voverunt castitatem, ità *S. Augustin. de Virginib. cap. 24.*

Dices tertio, *Origenes*, ut Deo meliùs inserviret, sibi virilia amputavit, & quidam *Marcus Anachoreta*, ne sacris initiaretur, sibi pollicem amputavit in signum dementiæ, ergo potest fieri mutilatio ob salutem spiritualem.

Respondetur, hos omnes fuisse excusatos vel ob ignorantiam, vel ob divinam inspirationem, vel tandem dici potest, id malè fecisse: posse tamen aliquem partem linguæ expuere in faciem meretricis sollicitantis ad libidinem, quandò non suppetit alia ratio se defendendi, ut testatur *S. Hieronym. in vita Pauli* de quodam juvene.

---

## *TITULUS XI.*

### De Injuriis, et Damno dato.

Quia inter delicta, quæ homines lædunt, de quibus suprà, enumerantur etiam injuria, & damnum: meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd injuria potest dupliciter sumi: primo in genere, secundo in specie. In genere sumitur pro omni eo, quod non jure fit, undè à legibus longè debet esse injuria, nam undè jura nascuntur, non debet in dies injuriarum occasio nasci, *l. non debet. C. undè vi*, ex quo.

Notant primo *DD.* Principis concessiones sine alterius præjudicio explicandas esse *l. cùm filius, ff. de milit. testam*, Ideò, si Princeps concedat aliquod, quod pertinet ad injuriam alterius, intelligitur illud concessisse propter importunitatem partis; non de voluntate Principis: ità *Romanus cons. 436. cum cons. 576.*

Notant secundo, injuriam in genere comprehendere contumeliam, quæ est injuria absque timore illata. & dicitur à contemnendo, *l. 1. de injuriis.* Comprehendit etiam convicium, quod est injuria à pluribus illata vocibus, vel aliis instrumentis: *l. 1. §. si convicium, ff. eod. & in Regno nostro adest pragmatica. 1. sub titulo de injuriis*, in qua punitur ille, qui cum tympanis, & cornibus Gambellariam faciebat, in qua inhonesta, & turpia verba mulieri transeunti ad secundas nuptias objiciebat, quibus injuriis tædio affecta mulier, & secundus maritus pecunia cogebantur se redimere à talibus hominibus; pœna verò, qua puniuntur, est unciarum centum applicandarum pro medietate mulieri nubenti, & pro alia Curiæ.

Si verò injuria sumatur in specie, tunc accipitur primo, pro damno dato, secundo, pro contumelia, qua quis liberi hominis corpus in dignitatem seu famam lædit.

Sciendum secundo est, quòd injuria pluribus modis fieri potest, primo scilicet re, secundo verbis, tertio scripto.

Re fit injuria, cùm quis pugno, aut fustibus cæsus, aut verberatus est, ità ut re fieri dicatur injuria, quotiès manus inferuntur, *d. l. 1. §. 1. ff. hoc titulo.*

Ex quo infertur primo, quòd si quis aliquem alapa percusserit, re injuria facta censetur, *Grammatic. decis. 34.* Idem, si baculo. *Grammatic. voto 15.*

Infertur secundo, quòd si quis alteri petriatam fecerit, vel macriatam, pœna mortis punitur, tanquàm injuriam re faciens, ut in *Pragmatic. 2. Regni nostri sub. titulo de injuriis*: quæ tamen pœna respectu petriatæ factæ alicui extrà civitatem hanc Neapolis non est alterata: respectu vero petriatæ factæ alicui in civitate hac. & suis casalibus à lest pœna triremium per decennium, ut in finalibus verbis ejusdem pragmaticæ: macriatam verò faciens punitur in toto Regno pœna mortis, ut in *2. par. d. pragm.*

Infertur tertio, actione injuriarum esse eum conveniendum, qui alicui fecit cornua, aut qui appendit muliebria, vel pudenda virilia in domo alicujus, *Thesaur. dec. 219. Caballus resol. criminalium cas. 71.*

Infertur quarto, quòd si quis de nocte vagatur per vias, ubi manet honesta mulier, ibi canendo, & musicam faciendo, injuriam illi inferre dicitur, *l. item apud Labeonem, §. meminisse, ff. de injuriis.*

Infertur quintò, Natatores ostendentes pudenda, & inhonesta dicentes in mare Mergellini, & Pausilippi, puniendos esse pœna quatuor ictuum funis, si fuerint ignobiles, nobiles verò pœna arbitraria puniendos esse statuit *Pragm. 3. sub titulo de injuriis*, in quam pœnam incidunt etiam Nautæ, qui eos duxerint.

Infertur sexto, Vindemiatores, & musti vectores non debere inhonesta proferre tempore vindemiæ, nec eisdem proferri in hac Civitate, & suburbiis sub pœna decem unciarum, & quatuor ictuum funis, & alia pœna arbitraria *Pragm. 4. sub tit. de injuriis.*

Secundo, fit injuria verbis, cùm scilicet quis verba contumeliosa alicui dicit, ut in *d. l. 1.* vndè injuriarum actione punitur, qui dixerit alicui, tu es bonus homo, & communiter intelligitur, quòd ipsum appellet Cornutum, *Caravita super ritu M. C. V. 311.* Sic, si dixerit mulieri, tu es una bona mulier, vel qui dicit alteri, doleo quòd fuisti verberibus affectus; sic servatur Salerni, ubi aliqui sub specie pietatis injuriant alios dicendo, talis est persona satis prudens, sed doleo, quòd ei successit illud sinistrum, quòd ejus uxor fuit inventa cum tali, ità *Carav. ubi sup.*

Infertur primò, eum, qui dixerit alicui mulieri. *Sozza, malfatta, incendiosa, puttana, che ti hò tratto treberedi dal corpo*, debere puniri actione injuriarum, *Bart. cons. 108.*

Infertur secundo, quòd si quis alicui provocanti cum verbis injuriosis dixerit, tu mentiris, adhuc actione injuriarum puniendus erit, quia dicere, tu mentiris, nihil aliud est, quàm dicere, tu scienter dicis falsum; quod proprium est calumniatoris; undè repellit illatam injuriam, & novam infert: sic fuisse decisum in

in S. C. docet *Grammaticus decis.* 18. verùm *Julius Clarus in §. injuria, nu.* 15. refert contrarium decisum in hoc eodem casu.

Rogabis primo, an qui infert injuriam dicendo verum, puniatur?

Respondetur, quòd aut delictum, quod publicatur est tale, ut expediat Reipublicæ illud scire, ut si dixerit, tu es homicida, fur, &c. & tunc non punitur, *l. eum, qui nocentem*, ubi DD. *ff. eod.* aut dixit tu es cæcus, tu es mancus, &c. & tunc non obstante, quòd dixerit verum, puniri debet, quia defectus alterius detegere injuriosum est, *l. 2. C. quandò, & quibus 4. par. debeatur lib.* 10. & observa quòd oportet, ut tale delictum, quod interest Reipublicæ, probetur, nam si non probetur, tunc utique tenebitur, *Julius Clarus loc. cit. nu.* 16.

Rogabis secundò quid si injurians dicat se pœnitere, & quid si juravit dicens, id fecisse calore iracundiæ, numquid erit excusandus?

Respondetur, adhùc esse puniendum, nam pœnitentia in delictis commissis post ipsa perpetrata non excusat; observa tamen, quòd dicens verba injuriosa alicui, poterit per pœnitentiam revocare, & extinguere actionem injuriarum, poterit verò revocari, usque ad litis contestationem, non verò post, quia tunc quæsitum est jus irrevocabiliter injuriam passo ad hæredes transmissibile, per *l. injuriarum actio, ff. eodem*, usque verò ad litis contestationem poterit benè per pœnitentiam revocari, & eo modo satisfieri injuriam passo, DD. *citati*.

Tertio modo fit injuria scripto, ut cùm quis famosum libellum facit, quo casu pœna mortis punitur, *l. unicâ, C. de famosis libellis. Julius Clarus in §. fin. quæst.* 68. *n.* 26. sic decisum docet *Francus decis.* 533. sicut etiam maledicens Principi in scriptis, puniri debet pœna mortis naturalis. Ideò in hac civitate miles quidam, qui famosum libellum contrà Viceregem fecerat, punitus fuit pœna mortis, *Muscatellus in praxi criminali, in tit. si quis Imperatori maledixerit num.* 21. *Surgens de Neapoli illustrata cap.* 22. Non ignoro tamen, *Julium Clarum in d. §. fin. quæst.* 68. dicere, se nunquàm vidisse ob libellum famosum aliquem decapitari; sed semper pœna extraordinaria puniri, puta fustigationis, ictuum funis, & ad summum pœna triremium.

Rogabis, quid veniat nomine libelli famosi? Respondetur venire signum, seù scripturam, quæ alicujus infamiam continet nondùm anteà publicam, ut publica fiat, & in notitiam aliorum veniat statim, aut paulatim DD. communiter apud *Filiucc. tract.* 40. *c.* 3. *q.* 8. *nu.* 79. qui communiter docent, libellum famosum dici publicam scripturam, vel deductam in publicum.

Ex quo sequitur primo, litteras privatas, quas mittit quis ad privatum, exprimendo occultum vitium alicujus, non esse libellum famosum, sed detractionem ac si voce facta fuisset, nam talis scriptura non est facta, ut fiat publica.

Sequitur secundo, scripturam, in qua exprimitur vitium alterius publicum, non habere rationem libelli famosi, ut ex definitione patet.

Sequitur tertio, illum censeri auctorem libelli infamatorii, ejusque pœnis subjici, qui apponit aliquod signum, quo alter infamatur, ut si aliquod depingat ad indicandam alterius infamiam, aut si cornua ad januam exponat ad indicandum aliquem habere conjugem adulteram; ità *Julius Clarus* & alii apud *Grassium lib.* 1. *de casib. reservatis cap.* 19. *nu.* 21.

Sequitur quarto, graviter peccare eum, qui conficit, vel alio modo ad libellum famosum faciendum concurrit, *can. qui in alterius quæst.* 11. ubi videtur excommunicari, sed excommunicatio supponit peccatum mortale, ergo, immò tenetur ad restitutionem famæ, quia violat justitiam commutativam, ex cujus violatione oritur obligatio restituendi, communiter DD. *suprà citat.* tenetur verò hanc famam restituere, prout fuit causa infamiæ, undè si publicè per libellos infamavit, publicè tenetur famam restituere, quia restitutio facienda est ad æqualitatem: sed non fit ad æqualitatem, nisi publicè fiat, ergò publicè facienda est judicio prudentis, & docti confessarii, ut voce præconis, vel concionatoris, vel scriptura publica, *Navarrus lib.* 2. *c.* 4. *n.* 44.

Sequitur quinto, hunc conficientem libellum famosum esse excommunicandum, *dict. can. qui in alterius*; immò Alexander IV. in Bulla, quæ incipit *Ex alto*, ait, excommunicatum esse ipso facto, & à Summo Pontifice esse absolvendum, eum, qui libellum famosum contrà statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum fecerit, quod privilegium extenditur etiam contrà alios facientes libellos contrà alias religiones; nam cùm dicta excommunicatio sit lata in favorem, & privilegium religiosorum Prædicatorum, sequitur eos, quibus dictorum privilegia communicata sunt, non posse libellis infamari, & consequenter, qui eos infamat, punitur pœna excommunicationis, DD. communiter, quos refert, & sequitur *Bonacina de contractibus, disputat.* 2. *quæst.* 4. *par.* 9. *nu.* 9.

Nec obstat, quòd in materia pœnali non sit facienda extensio, nam hæc extensio continetur in privilegiis eorum, quibus communicata sunt: ego tamen ob eandem rationem non improbabilem puto oppositam sententiam.

Rogabis secundò, an sit excommunicatus conficiens libellum contrà aliquem religiosum?

Respondetur negativè, quia excommunicatio prædicta est lata contrà infamantes Ordinem, sed qui aliquos religiosos infamat, ordinem, nisi indirectè, non infamat: ergo, nam actus à fine principali specificatur, *l. si quis nec causam, ff. si certum petatur, cap. cum voluntate de sentent. excommunic.* DD. *ubi suprà*.

Sciendum est tertio, quòd injuria consideratur major, vel minor, secundùm qualitatem personæ, cui fit, gravitatem vel levitatem ipsius, & ratione loci, ubi fit, *l. Prætor* 7. *§. atrocem, l. vulneris* 8. *l. sed, & quæst.* 9. *ff. eod. tit.*

Sciendum est quarto, quòd pro omni injuria, quam patitur quis, potest agere civiliter, & criminaliter, scilicet in judicio extraordinario, *l. injuriarum* 7. *l. ultima, C. eodem*, vel civiliter Judicio Prætorio, nec una actio aliam tollit quia per civilem actionem agitur ad consequendum interesse proprium, per criminalem verò agitur ad publicam vindictam, *l. unica, C. quandò civilis actio criminali præjudicet*, ubi *DD. Thesaurus decis. Pedamont.* 18. *Lancellotus de attentatis par.* 2. *capit.* 4.

Sciendum est quinto, posse injuriam remitti non solùm expressè, purà si per pactum, vel transactionem remittatur, & præsertim juramento vallatum, *l. non solùm, §. injuriarum actio, ff de injuriis.* immò etiam per pecuniam potest quis injuriam remittere, & posteà agere in judicio, & petere pecuniam sibi promissam, *Covarru. lib.* 2. *variar. resol. cap.* 10. quo casu talis accipiens pecuniam pro ratione injuriæ, infamis efficitur, *Innocentius in cap. olim num.* 3. *de jurejurando*; quòd si aliqua pars offensa per calumniam recusat facere remissionem injuriæ, petendo maximam pecuniarum quantitatem pro interesse, poterit Judex ipse hoc interesse moderare etiam invita parte, *Thesaur. decis.* 21. *Rovitus in comment. ad Pragmat.* 8. *de composit. num.* 4. undè cùm eris Advocatus poteris consulere parti, petenti remissionem ab eo, qui eam facere recusat ei, si petas, quam volueris, pecuniam, qua petita, etiamsi in maxima quantitate. Judex habebit arbitrium eam arbitrandi etiam parte invita.

Secundo

Secundo potest remitti injuria tacitè, puta per signa, conjecturas, dissimulationes, vel familiaritatem & conversationem cum injuriante, ut latè *Caravita in ritu* 135. undè per invicem salutationem potest tolli injuria, *Julius Clarus, §. injuria num.* 11. *Caravita in ritu* 275.

Sciendum est ultimo, quòd damnum potest accipi dupliciter, primo largè & significat omnem diminutionem patrimonii, *l.* 3. *ff. de damno infecto.* & sic etiam furtum, & rapinam comprehendit; Secundo accipitur strictè, & tunc significat corruptionem, & deteriorationem rei, & in hac significatione differt à rapina, & furto, quia hæc fiunt cum rei amotione, undè tunc datur actio furti, vel vi bonorum raptorum, quandò res mihi aufertur, quandò verò rem destruis, vel animal occidis, habet locum actio legis Aquiliæ.

Dividitur verò damnum, quòd aliud sit factum, aliud infectum: factum est, de quo suprà, infectum est, quod nondùm illatum est sed timetur, puta si vicini mei domûs minetur ruinam, ut in *tit. ff. de damno infecto.*

Ex quo adverte, quòd faciens damnum alicui, tenetur ad id resarciendum tam de jure divino, ex præcepto non *Furaberis*, sub quo *S. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 4. ait contineri damnum illatum, quàm de jure canonico, ut in *tit. extrà de injuriis, & de jure Civili, ut in tit. institut. de lege Aquilia.*

---

## TITULUS XII.

### De Ecclesiasticis Censuris.

Visum est suprà de delictis pertinentibus ad Judicium Ecclesiasticum, nunc videndum est de pœnis, quibus solet Ecclesia punire talia delicta, verùm quia inter pœnas maxima est censura, meritò ponitur hic titulus; Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd censura est pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem: quam censuram, & pœnam posse ab Ecclesia infligi certi juris est *Matth. enim* 18. dicitur *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* quæ verba intelliguntur, utpotè generalia, de omni censura, *Bellarmin. de Summo Pontifice. cap.* 15. *Suarez de censuris disput.* 1. *sect.* 2. *Alterius de censuris lib.* 1. *disput.* 1. *cap.* 1. *Avila de censuris par.* 1. *disp.* 2.

Dicitur in definitione (pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesia) tùm quia est pœna animæ, tùm ut ostendatur causa efficiens censuræ, quæ est Ecclesia.

Dicitur (privans hominem baptizatum) quia subjectum capax censuræ non est infidelis, sed fidelis.

Dicitur (usu aliquorum spiritualium) quia non privat omnibus bonis spiritualibus, cùm non tollat virtutes infusas, neque privet actibus virtutum.

Dicitur (ad salutem) quia finis Ecclesiæ per censuras est intendere resipiscentiam à contumacia, & abstinentiam à peccatis, in quorum pœnas injungit censuras, undè peccatum mortale non est censura, quia est malum culpæ, non pœna Ecclesiastica. An ad valorem censuræ requiratur comminatio Ecclesiæ comminantis sub censura? *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 55.

Sciendum secundo est, quòd censura dicitur à censione sententiæ, seù correctione ipsius censoris, ut docet *Navarr. in manuali cap.* 27. quidquid antiquitùs acciperetur pro ipsa censoris dignitate.

Sciendum est tertio, quòd censura triplex est prima dicitur excommunicatio, secunda suspensio, tertia interdictum, *Avila ubi suprà dub.* 3. *cap. quærenti de verb. signific. ubi glossa, & DD. summistæ in verb. censura*: Ratio est, quia aut constringuntur censuris, tam laici, quàm clerici, & est excommunicatio: aut soli Clerici afficiuntur censura, & erit suspensio, aut afficiuntur censuris loca, & erit interdictum, licèt nedùm loca sed etiam personæ possint subjici interdicto, ut infrà dicemus.

Dices: etiam per cessationem à divinis, per irregularitatem, degradationem, & depositionem privatur homo baptizatus usu aliquorum spiritualium, ergo vltrà excommunicationem, suspensionem, & interdictum sunt aliæ censuræ.

Respondetur, nego consequentiam, quia cessatio à divinis non est censura; nam non est pœna privans hominem, sed simplex quædam prohibitio, tùm quia censura fertur in pœnam delinquentis, at verò cessatio à divinis non magis respicit nocentem, quàm innocentem; nec irregularitas est censura, cùm non sit principaliter instituta ad corrigendos fideles; nec depositio est irregularitas, quia depositio, & degradatio censetur vinculum indissolubile; at verò censura est dissolubile vinculum, DD. *cit.*

Dividitur etiam censura, quòd alia sit ab homine, alia à lege. Ab homine dicitur illa, quæ fertur à superiore, aliquid præcipiente contrà inobedientes. An verò præcepta aliqua, & mandata Episcoporum sub pœna excommunicationis obligent ad peccatum mortale, quæstio est? & dicas negativè *Dian. par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 21. censura verò lata à lege dicitur, quæ fertur à legislatore, cum intentione ferendi censuras, seù legem condendi: & quidem censura lata ab homine, mortuo latore, cessat, censura verò data à jure semper existit, *c. fin. de offic. deleg.*

Dividitur tandem censura, quòd alia sit latæ sententiæ, alia ferendæ, censura latæ sententiæ, dicitur quæ ipso facto incurritur, absque alia Judicis sententia: censura sententiæ ferendæ dicitur illa, quæ solùm est comminatoria, nec ipso facto incurritur antè Judicis sententiam.

Cognoscitur verò censura latæ sententiæ, primo quandò apponitur in censura *Ipso facto, ipso jure, latæ sententiæ.* Secundo, quandò in censura ponuntur hæc verba, *Confestim, illicò, statim, ex tunc, omninò, porrsùs, incontinenti, protinùs*, &c. Tertiò cognoscitur, quandò in censura adest verbum præsentis, vel præteriti temporis, v. g. quandò dicitur, qui hoc, vel illud fecerit excommunicatur, suspenditur, vel est excommunicatus, vel suspensus, aut noverit se excommunicatum, vel suspensum, vel noverit, se excommunicari, vel suspendi, aut excommunico, vel suspendo, aut declaro, vel definio, judico, volo hunc esse excommunicatum, vel suspensum, vel si dicatur, sit anathema. Idem enim est, ac dicere sit excommunicatus. *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *dispur.* 12. *num.* 2. Quandò ergo censura fertur per verbum futuri temporis, putà qui hoc fecerit suspendetur, excommunicetur, vel suspendatur, tunc excommunicatio non latæ, sed ferendæ sententiæ dicitur, quia continet præceptum alteri impositum ad ferendam sententiam excommunicationis, quòd si dubitetur, an censura sit latæ, an verò ferendæ sententiæ, tunc potiùs judicanda est ferendæ, quàm latæ, quia odia in dubio sunt restringenda, & accipienda in mitiorem partem, DD. apud *Bonac. ubi suprà, nu.* 6.

Sciendum est quarto, quòd ad hoc, ut possit quis censuras ferre. Primo requiritur, ut sit homo viator, id est vivens in hoc Mundo, quia homo extrà viam, jurisdictionis non est capax. Secundò requiritur, ut habeat usum rationis, undè ebrius, furiosus, vel alio modo rationis usu destitutus, censuras ferre non potest, *cap. scriscitatus de rescriptis, cap. indecorum de ætate, & qualitate*; an verò pueri antè annos pubertatis incidant in excommunicationem quæstio est? Respondetur negativè, undè vi monitorii non tenentur revelare, *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 46. Secundo Episcopi non possunt Inquisitores excommuni-

care, vel aliis censuris ligare, neque è contrà. *Diana parte quinta, tract. 4. resolut.* 51. Tertio, requiritur, ut sit baptizatus, infidelis enim non est capax Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quartò requiritur, ut non sit laicus, quia censura ferri debet ab eo, qui Jurisdictionem habet Ecclesiasticam, *cap. decernimus de Judic. cap. Ecclesia de constit. S.Thomas in 4. distin.19. quæst. 1. art. 2.* Quinto requiritur, ut ferens censuras non sit impeditus, quoàd usum Jurisdictionis, ideò Judex excommunicatus vitandus, vel quandò fuit interposita legitima apellatio, censuras ferre non potest, si tamen sit occultus, potest ferre excommunicationem, *Diana par. 5. tract. 4. resolut. 50. & fol.* 135. Sexto requiritur, ut non feratur in causa propria, in qua ipse actoris, & Judicis personam sustineat, quia nullus esse potest actor & Judex, *cap.4. quæst.4. cap. inter quarelas 23. quæst. 4.* Potest tamen quis per modum defensionis censuram ferre in eum, qui sibi infert violentiam, quia tunc licitum est uti suis armis, ad vim, atque injuriam propulsandam, secundùm quod dicitur vim vi repellere licere, *Abbas in cap. cùm venissent de Judiciis, cap 1. de officio delegati, Suarez de censuris disput. 2. sect. 4. num. 7. Diana par. 5. tract. 9. resolut.* 52. An potestas ferendi censuras possit consuetudine, vel præscriptione acquiri quæstio est? Et Respondeo affirmativè, *Dian. cap. 5. tract. 9. resol. 42. per totam.*

Ex quibus infertur primo, feminam non posse ferre censuras, de Jure verò & potestate absoluta Summus Pontifex poterit permittere ipsis censuras ferre, quia non est contrà jus divinum, vel naturale, Summum Pontificem posse hanc facultatem concedere feminis, licèt ergo de jure ordinario non possint, cùm Claves Regni non fuerint feminis datæ, neque Beatissimæ Virgini, *cap. nova de pænit. & remiss. cap. monialibus de sentent. excommunicat.* Quòd si interdùm legitur, aliquas Abbatissas suspendisse, quia suspensio illa non erat censura, sed quædam prohibitio, ob cujus violationem non fuisset contracta irregularitas, *Bonac. disp. 1. de censur. quæst.1. p.2.* neque Abbatissa potest præcipere aliquid sub pœna excommucationis, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 16.* per totam.

Infertur secundo, potestatem inferendi censuras residere de jure ordinario in Summo Pontifice, secundò in Episcopis, vel Archiepiscopis, & Patriarchis respectu suorum subditorum, quia tales persone habent jurisdictionem in foro exteriori ad continendos subditos in officio, eandem potestatem habet legatus à latere Summi Pontificis, *cap. legatus de officio legati, in 6.* An verò Episcopus possit excommunicare subditum existentem in alieno territorio, quandò censura est annexa præcepto generali, vel speciali? *Diana part. 5. tract. 9. resolut.* 32. An etiam possit citare Episcopus suum subditum existentem in aliena Diœcesi quæstio est? Respondeo negativè. *Diana p. 5. tract. 9. resol.* 34. An etiam existens extrà Diœcesim possit excommunicare suum subditum si res sit adeò manifesta, ut non requirat cognitionem causæ? *Diana par. 3. tract. 9. resol.* 35. an ratione delicti possit Episcopus excommunicare non suum subditum? *Diana par. 5. tract. 9. resol. 36.* Eandem potestatem habet Vicarius Papæ, vel Episcopi, DD. *in cap. licèt de offic. Vicarii.* Eandem habet capitulum sede vacante, & Vicarius Episcopi Sede vacante. Priores Provinciales, & Guardiani religiosorum, ut colligit *Suarez de censuris tom. 3. disp. 2. sect. 2. ex cap. cùm in Ecclesiis de majorit. & obedientia,* eandem habent Cardinales respectivè ad Ecclesias, in quibus habent jurisdictionem in foro externo, Parochus verò non poterit ferre censuras, cùm solùm Episcopis sit concessum *Trid. sess. 25. cap. 3.* Si Episcopus publicet excommunicationem contrà scientes furem, & quis post latam sententiam veniat Neapolim non tenetur dicere, & revelare, licèt hic contrahat domicilium, *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 36.

Sciendum est quinto, censuram non incurri sine aliquo peccato antecedenti, quia cùm sit pœna, supponit culpam; & quidem non culpam alienam, sed propriam, *cap. si habes 24. quæst. 3.* Ideò non potest excommunicatio, utpotè gravissima pœna inferri in communitatem; suspensio verò potest ob peccatum alterius ferri, ideò in communitatem ferri potest ob delictum alicujus ex illa communitate, *cap. si sententia de excommunic. in 6.* sic interdictum ferri potest ob peccatum alterius, *cap. si sententia, cit. Avil. p. 5. disp. 3. dub. 1. Suyrus lib. 1. cap. 9. nu.* 29.

Intellige, ut tale peccatum debeat esse exterius, cùm non habeat Ecclesia potestatem super internis, nisi indirectè; *cap. erubescat, cap. sicut tuis de simonia,* & hac de causa possunt excommunicari, qui non recitant officium cum attentione, qui non confitentur cum dolore, qui ex contemptu omittunt jejunare, &c. quia sic punitur actus internus per ordinem ad externum, quem informat, legas *Dianam par. 5. tract. 4. resol. 58. & 59.*

Intellige secundo, ut peccatum, ob quod fertur gravis censura, debeat esse peccatum mortale, *Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 32. ex cap. 1. de sententia excommunicationis in 6.* Ideò non valet gravis suspensio privans scilicet aliquem à beneficio, & officio, lata ad longum tempus pro levi culpa, nec interdictum alicui Provinciæ indictum valet pro peccato veniali, valeret verò suspensio ad breve tempus imposita pro peccato veniali, & validum esset interdictum ad aliquem usum particularem, & ad breve tempus impositum pro peccato veniali, quia pœna debet commensurari delicto, DD. *citati.* Quòd si plures simul faciant damnum notabile, & unusquisque in particulari leve, si feratur excommunicatio contrà omnes, valida est, licèt unusquisque leve damnum fecerit, *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 54.

Intellige tertio, ut pro peccato mortali externo tunc ferenda sit censura, quandò peccatum alia ratione corrigi, vel impediri non potest. *Trident. sess. 2. cap. 3. de reformat.* valeret tamen censura, si indistinctè ferretur pro peccato mortali.

Intellige quarto, ut tale peccatum, & actus exterior debeat esse consummatus, non enim sufficit solùm inchoatio: ideò projiciens sagittam in Clericum, eumque non attingens, non est excommunicatus: sic mandans, vel consulens non incurrit excommunicationem effectu non secuto, sicut etiam non ligatur censura Caius, quandò diceretur, ut occidens aliquem sit excommunicatus, si Caius vulneraverit solùm aliquem, verùm ille vulneratus, ex sua culpa posteà mortuus est, quia Caius non dedit causam per se sufficientem ad effectum prohibitum sub censura. *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 56.

Intellige quinto, quòd censura non potest inferri pro peccato præterito: ideò non potest quis excommunicari, si die præterita Missam non audivit, cùm tamen non esset impositum præceptum Missæ audiendæ sub pœna excommunicationis: poterit verò pro non auditione Missæ imponi privatio officii, dignitatis, vel accedendi ad Eucharistiam pro tanto tempore. Verùm hæc pœna non est propriè censura, censura enim propriè est medicinalis, instituta ad contumaciam tollendam: hæc autem pœna imposita dicitur per modum medicinæ vindicativæ, ideò si Clericus ob delictum commissum, privetur officio, vel beneficio, talis privatio non dicitur censura, licèt privetur divinis officiis.

Sciendum est sexto, causam materialem remotam censuræ, seù subjectum censuræ, debere primo esse hominem viatorem, si enim quis mortuus est, non incidit

incidit in censuras. Secundo, ut homo sit baptizatus. Tertio, ut sit adultus, id est doli capax; sicut insani perpetui ligari non possunt censuris. Quartò, requiritur, ut sit homo determinatus. Ideò totum collegium, vel univerfitas excommunicari non potest, *dict. cap. 1. de sententia excommunicationis in 6. Diana par. 5. tract. 9. resolut. 37. per totam.* Depositio verò, vel interdictum ferri potest in totum capitulum, vel civitatem, *cap. si sententia de sententia excommunic. in 6. cap. ne sede vacante, eodem titulo*, & ratio disparitatis est, quia suspensio, & interdictum non sunt pœnæ ità graves, sicut excommunicatio, cùm non privent hominem internis animæ bonis id est suffragiis, & auxiliis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, & sic non est absurdum aliquandò innocentes ligari suspensione, & interdicto, *D D. ubi suprà.*

Dices, infertur interdùm excommunicatio contrà Universitatem, ergo non requiritur, ut sit homo determinatus.

Respondetur, distinguo antecedens, fertur contrà Universitatem absolutè, nego antecedens, fertur in singulos delinquentes Universitatis, concedo antecedens: quandò enim fertur suspensio contrà Capitulum, vel Collegium, afficit omnes non distributivè, sed collectivè, quandò verò interdicitur populus, singuli illius populi censentur interdicti, quia effectus interdicti est auditio divinorum, & Sacramentorum perceptio, quæ non convenit populo ut sic, sed singularibus personis, quæ per interdictum prohibentur, *d. cap. si sententia*, effectus verò suspensionis competere potest Capitulo, vel Univesitati, impediendo usum officii, & privando fructibus beneficii competentibus Universitati, seù Capitulo.

Quinto requiritur, ut adsit distinctio inter excommunicatum, & excommunicantem, excommunicans debet esse superior respectu excommunicati, non enim potest quis excommunicare seipsum. vel superiorem à se. Neque obstat *textus in cap. faciliùs de pœnit. 1. dist.* ubi dicitur, faciliùs Deum placabunt, qui seipsos excommunicabunt, quia verbum illud *excommunico*, accipitur pro verbo *redarguo*, & *removeo*, & sensus est, Deum faciliùs placandum, si delinquens seipsum redarguerit.

Sciendum est septimo, ligatum una censura esse capacem non solùm alterius diversæ, sed etiam alterius ejusdem rationis, sic colligitur ex *cap. cùm pro causa de senten. excommunic. & cap. Egritudam 3. quæst. 4. ex cap. ita quorumdam de Judæis.* Et ratio est, quia ligatus censura potest adhuc transgredi legem continentem censuram: ideò qui semel percussit clericum, si iterùm percutiat, iterùm incidit in excommunicationem.

Dices, per unam excommunicationem privatur quis omnibus bonis spiritualibus, ergo ad quid additur nova, ergo est superflua.

Respondetur, nego consequentiam, quia per primam excommunicationem dicitur homo privatus sub uno titulo, per secundam privatur sub alio titulo; sicut peccator, qui plura commisit mortalia per unumquodque fuit gratia privatus: sic Christus Dominus per primum actum, quem fecit, meruit infinitam gratiam, sed per alios eandem gratiam sub aliis titulis.

Sciendum est octavo, censuras multiplicari ad multiplicitatem actuum factorum contrà præceptum, quia tunc multiplicantur transgressiones; ideò qui successivè percutit clericum, unicam incurrit excommunicationem, quòd si intercedat interruptio notabilis, & posteà iterùm continuetur percussio, erunt plures excommunicationes: sic ille, qui successivè plures clericos percutit, tot incurrit excommunicationes, quot sunt clerici, qui verò unico actu plures occiderit clericos, unicam incurrit excommunicationem, nam est unum tantùm numero peccatum, sicut qui blasphemiam projecerit in 12. Apostolos, unum solùm peccatum committit, licèt posteà blasphemiam sine interruptione repetat, *Bonacina loco cit. punct. 5. num. 7. Diana par. 5. tract. 9. resolut. 59. & 60.*

Sciendum nono, censuram latam contrà aliquid facientem non comprehendere mandantem. vel consulentem nisi exprimantur mandantes, vel consulentes. *Avila part. 2. cap. 2. disput. 3. dub. 2.* quia censura non ligat ultrà intentionem superioris, ergo quandò dicit *facientes*, non extenditur ad alios, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 58.* qui *resolut. 58.* ait, quòd mandans, vel consulens, si mandatum, vel consilium revocet, non incurrit excommunicationem, licèt delictum hoc non obstante committatur.

Sciendum est decimo, censuram debere fieri in scriptis, *d. cap. 1. de sententia excommunic. in 6.* nisi essent Episcopi, qui censuram ferrent, vel nisi hoc facerent, ex urgenti causa, vel bona fide, sicut etiam eximuntur Prælati religionum, qui solo verbo censuras possunt ferre. Non tamen scriptura requiritur in censura de forma substantiali ipsius, quasi quòd sine ipsa non valeat, sed solùm de forma accidentali, ut ex *d. cap. 1. de sententia excommunicationis colligit, Suarez de censuris disput. 3. sect. 13. & Bonacina disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 3. Diana par. 5. tract. 9. resolut. 73. Sperellus decis. 39. Barb. in collect. tom. 4. num. 11. cap. 1. num. 7. Menoch. cas. 543.* Dixi obiter in materia de legibus primo folio.

Sciendum est undecimo, ad incurrendam censuram requiri monitionem, *cap. sacro de sententia excommunic. cap. reprehensibilis de appellat. cap. statutum de sententia excommunic. in 6.* in primo enim textu id dicitur de excommunicatione, in secundo fit sermo de suspensione, in tertio tandem de interdicto. Ratio est, quia censura ferri solet tantùm in contumaces contrà Ecclesiam, vel contrà superiorem, sed non potest dari contumacia, nisi supponatur monitio, ergo, & ultrà monitionem requiritur citatio, argumento textûs *in cap. inter quatuor de major. & obedient. Abbas in cap. pervenit de appellat.* & monitio triplex fieri debet, nisi adsit justa causa, *c. omnes decima 16. quæst. 7. cap. constitutionem de sententia excommunicationis in 6.* & pro singulis monitionibus duo saltem dies constituendi sunt, *dict. cap. constitutionem. Bonacina ubi suprà par. 9.* & addit *Abbas in dicto c. sacro*, quòd quandò fiunt tales monitiones requiritur, ut adsint idoneæ personæ, quæ id testificentur, si opus fuerit, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 18. 19. & 20.* An censura lata sub forma disjunctiva v.g. præcipio hoc sub pœna excommunicationis. vel suspensionis, habeat effectum, *Diana par. 5. tract. 9. resolut. 63.*

An possit ferri sub conditione de futuro, quæstio est? Respondetur affirmativè. *Diana par. 5. tract. 9. resol. 63.*

Sciendum est duodecimo, censuram esse invalidam, quandò fertur sine justa causa, nam dicitur injusta materialiter, ideò excommunicatus, qui injustè fuit talis, non tenetur in foro conscientiæ, quantùm est ex vi excommunicationis, abstinere se ab hominum consortio, aut se gerere tanquàm excommunicatum, modò non adsit scandalum, & non præsumatur contemptor censuræ; nec indiget absolutione in foro conscientiæ: ità *Avila de censuris par. 2. cap. 6. disput. 1. in titulo de effect. excommunicationis, dub. 3.* qui multos citat: tùm quia, ut benè *Sanctus Thomas 2. 2. q. 70. art. 5.* injustum judicium tale non est, cùm judicium sit justi determinatio; tùm quia

quia non præsumitur, Ecclesiam Piam Matrem suos filios innocentes tam acerba pœna punire velle, tenetur verò hic talis publicè se gerere pro excommunicato in foro exteriori: ideò, si publicè se ingerat divinis, peccat mortaliter, & si in publico celebraret, esset in foro exteriori irregularis, non verò in interiori.

Sciendum est decimo tertio, quòd in ferenda censura, est primo consideranda circumstantia loci, undè non potest ab Episcopo inferri in alieno territorio, *cap. Episcopum* 11. *quæst.* 3. cùm jurisdictio contentiosa nequeat extrà proprium exerceri territorium absque ordinarii licentia, neque exerceri potest in loco exempto, *cap. fin. de constitut. in 6. cap. luminoso* 18. *quæst.* 2. *cap. novit de officio delegati.* Quandò verò excommunicatio fertur per statutum contrà aliquem, qui est in aliena Diœcesi, valet, si actus perficiatur in Diœcesi propria Episcopi excommunicantis; si v. g. Episcopus excommunicet eum, qui non residet in Diœcesi, licèt existat excommunicatus extrà Diœcesim, est validè excommunicatus; quia effectus non residendi completur in propria Diœcesi. DD. apud *Syrum lib.* 1. *cap.* 7. sic est excommunicatus ille, qui transfert triticum extrà territorium, si sit lata excommunicatio contrà transferentes triticum, quia delictum fit in territorio, idem dic de eo qui accedit ad monasteria exempta, si Episcopus excommunicaverit accedentes, quia accessus fit in territorio, secùs, si excommunicatio contrà loquentes lata sit, quia locutio non fit in territorio, sed in loco exempto, *Bonacina ubi suprà punct.* 11.

Ex quo collige, stupratorem virginis non incurrere censuram latam contrà stupratores ab Episcopo nostro, si extraxerit virginem ad stuprum committendum in alieno territorio, sicut si quis projicit sagittam in aliquem existentem extrà Ecclesiam, & ipse sit in Ecclesia, non incidit in excommunicationem latam contrà occidentem in Ecclesia, quia actus est perfectus extrà Ecclesiam, licèt inchoatus in Ecclesia, *Suarez de censuris disp.* 5. *sect.* 4. qui verò vulnerat aliquem in Ecclesia, incidit in censuram latam contrà vulnerantem aliquem in Ecclesia, licèt vulneratus non moriatur in Ecclesia, sed in domo, vel alibi, *Suarez disp.* 5. *sect.* 4. *& alii ubi suprà*, *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 33. *&* 36.

Sciendum est decimo quarto, finem censuræ esse salutem, & emendationem populi, juxtà illud *Pauli* 1. *Corint. cap.* 1. ibi, *ut resurgat à peccato & salvus fiat in die Domini.* Hinc est quòd non debet Prælatus ferre excommunicationem, quandò certò scit non profuturam delinquenti, puta quia delinquens non est obtemperaturus ejus præcepto, *cap.* 1. *de sentent. excommunicat. in 6. cap. notandum* 24. *quæst.* 3. *cap. multi* 2. *quæst.* 1. nisi tamen inferatur ad terrorem aliorum, qui ejus exemplo à crimine abstinebunt, quia tunc excommunicatio proderit aliis, eritque illis medicinalis. *Abbas in cap. ab excommunicatione, nu.* 20. *de rescriptis.*

Sciendum est decimo quinto, Ignorantiam probabilem excusare à censuris, *cap.* 2. *de constitut. in 6.* undè ignorans, delictum esse prohibitum ab Ecclesia sub censura, non incurrit censuram. quia non dicitur contumax contrà Ecclesiam, cùm habeat Ignorantiam Juris Ecclesiastici, tùm quia non adest contemptus, nec contumacia, DD. *ubi sup.* Sic occidens Clericum, quem ignorabat esse Clericum, sed putabat feram, excusatur à censura ratione ignorantiæ facti, *cap. si verò il. secondo de sententia excommunicationis*, *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 17. à censura excusat etiam metus, vel impotentia faciendi, quod præceptum est sub censura; cùm ad impossibile nemo teneatur. *l. impossibilium. ff. de regul. juris*; & ideò excommunicatio lata contrà non restituentes, non comprehendit eos, qui ob impotentiam non restituunt, sicut neque censuris ligatur, qui præceptum adimplere non potest sine gravi incommodo, quia censetur moraliter impotens. Dubius verò an censuram incurrerit, sub conditione debet absolutionem petere, *Dian. p.* 5. *tract.* 9. *res.* 44.

Sciendum est decimo sexto, quòd censura lata ab homine per sententiam generalem, vel particularem, potest ab eodem auferri, vel per ejus successorem *cap. per tuas*, *cap. sacro de sentent. excommunicationis.* Immò datur casus, in quo legatus à Papa delegatione expleta potest intrà annum absolvere excommunicatum à se, volentem tamen ei obedire: elapso vero anno non potest illum absolvere, *Suarez disput.* 7. *sect.* 2. *Alterius lib.* 4. *cap.* 2.

Undè benè sequitur, posse Prælatum superiorem, putà Episcopum, absolvere à censuris latis à suo inferiore; undè posset Episcopus absolvere aliquem à censura lata per suum Archidiaconum, si illi competebat facultas excommunicandi, sic potest etiam Capitulum Sede vacante absolvere ab omnibus censuris Episcopalibus, cùm succedat in ejus jurisdictionem, *cap.* 1. *de major. & obedien. in 6.* Idem dic de Episcopo successore. Sic summus Pœnitentiarius potest absolvere à casibus Summo Pontifici reservatis, secundùm quod poterat etiam absolvere Summo Pontifice vivente, *Clement. ne Romani de elect.* non enim privilegium extinguitur morte concedentis. Cardinalium verò Collegium justa existente causa absolvit eos, quos potuit Summus Pontifex absolvere, *argumento textûs in cap. unico de schismaticis in 6.*

Sequitur etiam non cessare censuram per obitum ejus, à quo lata fuit: *cap. si Episcopus* 11. *quæst.* 3. *cap. pastoralis*, *cap. prætereà de officio ordinarii*: sicut neque cessat morte ejus, qui censura adstrictus est, *cap. à nobis*, *cap. sacris de sententia excommun.*

Sciendum est decimo septimo, quòd à censuris non reservatis, latis per legem communem generalem, potest omnis approbatus confessarius absolvere, quandò verò est lata contrà particularem aliquam personam, tunc ab eo auferenda est, qui eam tulit, vel ab ejus successore: quandò verò censura est reservata, tunc quis ab eo potest absolvi, qui eam tulit, *cap. nuper ubi DD. de sentent. excommunicat.*

Quandò verò quis à Summo Pontifice facultatem obtineret absolvendi à censuris, intelligeretur etiam à reservatis, quia alioquin inutile esset privilegium, non tamen in generali concessione, veniunt casus in Bulla Cœnæ reservati, quia hos non esset verisimiliter Summus Pontifex concessurus, si specialiter peterentur, *cap. in generali de regul. juris in 6. Garsia de beneficiis par.* 11. *c.* 10. *n.* 109. nec potest aliquis, qui habet tempore Jubilei, vel extrà, facultatem absolvendi à Summo Pontifice ab omnibus censuris, & casibus reservatis, absolvere à casibus, & censuris latis per Episcopum, *Farinaceus de hæresi, quæst.* 92. *nu.* 63. quia quandò Summus Pontifex condit aliquam legem non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum, nisi exprimat. *cap.* 1. *ubi DD. de constitut. in 6.* & Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit *sacra Congregatio* decrevit, ne ullus absolvat à casibus reservatis Episcopo sub prætextu cujuscumque privilegii, legas *Bonacinam tom.* 1. *disput.* 1. *de censuris*, *q.* 3. *pun.* 2. An verò excommunicatus ab uno Episcopo possit ab illo absolvi, etiamsi mutaverit domicilium, vel an sit absolvendus ab Episcopo, cui tunc subditus est? *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 8. & an si quis, dùm versabatur in alieno Episcopatu, rediens ad patriam possit absolvi à proprio Episcopo? *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 9.

Sciendum est decimo octavo, posse Episcopos absolvere ab omnibus censuris latis, nedùm ab ipsis, vel eorum successoribus, sed etiam à Summo Pontifice per

seipsos,

se ipsos, vel eorum Vicarios adhoc specialiter deputatos: quam etiam potestatem habet capitulum sede vacante. *DD. ubi suprà* qui ità docent, declarasse Sacram Congregationem; & patet ex *Trid, sess.* 24. *cap.* 6. quam tamen absolutionem debent Episcopi in propria Diœcesi impendere, ut ex eodem *Trid. colligitur*: non tamen denegatur Episcopo facultas absolvendi suum subditum à censuris, existentem extrà propriam Diœcesim, nam *Trid. ubi suprà* non requirit absolutionem Sacramentalem, quæ fieri debet præsenti; & absolutio à censuris potest absenti fieri, nec requirit *Trident.* præsentiam subditi, vel ut subditus existat in Diœcesi, *Bonacina loco cit. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 1.

Intellige tamen hoc primo, quandò delicta sunt occulta, id est non publica nec notoria, nec famosa, quia non potest alioquin Episcopus absolutionem impendere. Dicuntur verò publica delicta, quandò sciuntur in majori parte viciniæ, vel Collegii, vel Parochiæ, vel Monasterii: undè delictum notum tribus, vel quatuor, non dicitur notorium, & poterit ab Episcopo dispensari, *Barb.* qui latè loquitur de hac re, *de potestate Episcopi parte* 2. *allegat.* 39.

Intellige secundo, quòd id procedit, quandò delicta non sunt deducta ad forum contentiosum, quia tunc etiamsi uno teste probentur, Episcopus dispensare non poterit. *Trident. & DD. locis citatis*, qui etiam addunt, posse Episcopum dispensare, quandò reus fuit accusatus de delicto, verùm non fuit de eo convictus, sed se purgavit delinquens, & se defendit falsis testibus, *Bonacina, & alii ubi suprà*, quia hoc casu habetur crimen, ac si non fuisset deductum in forum contentiosum. Quandò verò quis fecerit delictum, quod est publicum in uno loco, si deindè se transtulit ad alium locum, ubi non est tale sed occultum, tunc poterit absolvi, si fiat illius Episcopi subditus, *Sanchez & Avila*, quos non benè impugnat *Bonac. loc. cit. num.* 3. Episcopus excommunicans omnes accedentes ad monasteria monialium, an liget excommunicatione accedentes ad monasteria monialium regularibus subjecta? *Diana p.* 5. *tract.* 9. *res.* 71.

Sciendum est decimo nono, non posse Archiepiscopum absolvere à censuris latis à Suffraganeis, vel à Sede Apostolica, subditos suorum Suffraganeorum, quia non habet in ipsos jurisdictionem. *DD. citati.*

Limita hoc primo, quandò Episcopus Suffraganeus malitiosè, aut negligenter differt absolutionem. Secundo, quandò visitat Archiepiscopus diœcesim, quia tunc ratione officii habet jurisdictionem ordinariam ad absolvendum. Tertio, quandò fuit appellatum apud Archiepiscopum, & cognitum fuit de appellatione, & vocatæ fuerunt partes, ut patet ex *cap. venerabilibus*, §. 1. *de sentent. excommunic. in* 6. quia per appellationem acquirit jurisdictionem, *Suar. de censuris t.* 5. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 32.

Sciendum est vigesimo, laicum, vel Clericum non sacerdotem non posse absolvere aliquem à censuris in articulo mortis, quia ad absolvendum aliquem à censuris, requiritur jurisdictio ecclesiastica, quam laicus non habet, ergo: ità docent *Layman in Theologia morali lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 6. *Coninch. de Sacramentis disp.* 14. *dub.* 16. *n.* 236. *Suarez de censuris disputat.* 7. *sect.* 6. *Garzia de Beneficiis tom.* 2. *par.* 11. *cap.* 6. *num.* 353. Alii verò probabile putant, posse laicum in articulo mortis absolvere à censuris, & excommunicatione: ità *DD. citati*, & sequitur *Valerus in differentiis utriusque fori in verbo absolutio differ.* 13. *Sancius in selectis disput.* 44. & alii apud eos, & addit *Valerus*, quòd effectus hujus absolutionis erit, nam hæredes absoluti non tenentur adire Papam, nec excommunicantem pro absolutione petenda & poterunt sepelire defunctum in loco Sacro, & pro eo facere Missas celebrare, quæ opinio licèt sit probabilis, tamen opposita est probabilior, ut benè *Valerus loc. cit. & Diana par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 133. quia *Trident. sess.* 14. *cap.* 7. hanc facultatem solis sacerdotibus concedit, & idem docet *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 7.

Erit ergo in articulo mortis idoneus minister quilibet sacerdos, quamvis degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, quandò non patet aditus ad superiorem, cui censuræ, & casus sunt reservati *d. sess.* 14. *cap.* 7. qui verò non est approbatus confessarius, & incœpit in articulo mortis confessionem audire alicujus, si superveniat deindè superior, vel alius sacerdos approbatus, poterit confessionem audire, & absolutionem omnibus impendere, quia res, cùm non sit integra, eo quòd incœpit audire peccata, perpetuata est jurisdictio, *argumento tex. in cap. relatum de officio delegati.* Quandò verò simplex sacerdos semel absolvit, & posteà venit confessarius approbatus, & pœnitens recordatur aliquorum peccatorum oblitorum, confessio horum oblitorum facienda est confessario approbato, quia hæc censetur nova confessio, & respectu ejus res dicitur integra. *Doctores citati.*

Adverte etiam, quòd si simplex sacerdos incœperit confessionem alicujus in articulo mortis existentis audire, & ille sit adstrictus aliqua censura reservata, si superveniat superior confessarius, tenetur simplex sacerdos petere ab illo facultatem absolvendi, vel ab eo petere priùs absolutionem à censura, idque patet ex eo, quia tenetur simplex sacerdos eo casu, quo pœnitens est adstrictus aliqua censura, & in articulo mortis, imponere ei, ut si mortis evaserit periculum, se præsentet legitimo superiori quamprimùm commodè poterit, ergo cùm possit pœnitens se præsentare superiori, tunc id facere debet, vel saltem per confessarium petere absolutionem censurarum, quam si negaverit superior confessarius, dicens, se velle audire totam confessionem, potest ille primus confessarius prosequi confessionem inchoatam, & conferre beneficium absolutionis: quia censetur pœnitens satisfecisse suo muneri. *Bonacina loc. cit. par.* 3. *num.* 3.

Sciendum est, vigesimo primo, absolvi posse à censuris aliquem etiam invitum positivè vel ignarum, sublata contumacia, ob quam ligabatur censura; nam sicut potest censura ferri in invitum, ità potest etiam ab invito auferri, *Avila par.* 2. *cap.* 7. *dub.* 20. qui concordantes adducit: manente tamen contumacia id fieri non potest, nisi periculum adsit, ut fiat pejor, & deterior. *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 10.

Intellige primo, ut etiam absens possit à censuris absolvi, sicut etiam absens ligari poterit: sicut aliàs dixi, quòd potest confessarius, qui ignoranter absolvit aliquem à peccatis habentibus annexam censuram, à qua ipse non poterat absolvere eundem, quem absolvit, habita priùs facultate, absolvere absentem, quæ absolutio statim suum operabitur effectum, si simpliciter, & non sub conditione data sit. *DD. cit.*

Intellige secundo, ut non sit necessaria in absolutione censuræ certa, & determinata, aliqua verborum forma, sed quæcumque verba ore prolata sufficiunt, vel in scriptis expressa, & exarata, quibus sufficienter exprimatur, & ideò hæc verba sufficiunt (*Te absolvo*) & per eadem verba, quibus impenditur absolutio à peccatis, potest etiam impendi absolutio censurarum, & eadem verba pro utraque sufficiunt absolutione, quia iisdem verbis potest superior uti ad eundem effectum, veluti dicat: ego te absolvo, intendens absolvere à peccatis, & à censuris, & licèt utraque absolutio sit simul tempore, tamen

tamen absolutio censurarum est prior natura. Est tamen certior absolvendi modus, si dicat Confessarius, te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis. *Diana par. 5. tract. 9. resol. 23.*

Intellige tertio, ut possit Summus Pontifex absolvere aliquem à censuris solo nutu, si declaraverit se velle solo nutu absolvere, *Clem. unica de senten. excommun.* Alii verò Prælati, & Episcopi non possunt variare formam Juris communis, quæ est, ut absolutio detur per verba, vel scripturam, *glossa in d. Clem. ultim. & constat ex cap. si aliquandò de sentent. excommunic. Sanchez de matrimon. lib. 8. q. 24. n. 24.*

Sciendum est vigesimo secundo, posse unam censuram auferri alia remanente, quia non est inter censuras necessaria connexio, ergo, sicut potest una ferri antè aliam, ità etiam poterit auferri, *S. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 18. art. 5. Coninch. disp. 14. dub. 16. num. 121.* Ideò qui petit absolutionem ab una censura, non remanet ab omnibus absolutus, quandò superior generalem impendit absolutionem, quia absolutio accommodari debet petitioni: sed petitio est limitata, ergo etiam absolutio.

Intellige primo, ut possit absolvi quis à censuris etiam extrà confessionem Sacramentalem, sicut potest etiam extrà confessionem ligari, quandò verò quis habet facultatem delegatam, est attendenda delegatio an scilicet in confessione, an extrà.

Intellige secundo, ut habens facultatem absolvendi in foro conscientiæ à censuris, possit suos subditos absolvere extrà confessionem, undè Parochus non adhuc initiatus ordine sacerdotali poterit ex concessione absolvere subditum à censuris in foro conscientiæ, licèt non possit sacramentaliter absolvere à peccatis, *DD. citati.*

Sciendum est ultimo, quòd antequàm detur absolutio censuræ, debet præcedere petitio pœnitentis de honestate, quia sic delinquens indicat se paratum ad obediendum: *cap. per has de sentent. excommunic.* secundo debet etiam præcedere satisfactio partis, vel debita cautio de ea præstanda, si adsit detrimentum alterius cum censura, quòd si dicatur, non absolvi aliquem nisi satisfacta parte, non important hæc verba conditionem, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 1.* & quid si non possit fieri satisfactio, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 11. & 12.* An, ut absolvatur excommunicatus, sufficiat dare fidejussoriam cautionem, si possit dare pignoratitiam, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 39. & resol. 68.* quòd si absolvatur quis ab aliquo enormi delicto contento in Bulla Cœnæ, vel simili, debet præstare juramentum ampliùs tale delictum non committendi *cap. ex tenore de sententia excommunicationis*, tertio requiritur in absolutione, quæ impenditur in foro externo, ut si sit masculus absolvendus, regulariter humeris virga, vel fune cedatur, dum dicitur psalmus, *miserere mei Deus*, finito posteà psalmo, & versic. Kyrieleison Pater noster, & aliis versic. dicit absolvens hanc orationem.

Oremus, Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absolvat per Christum Dominum nostrum.

Deinde dicit authoritate, qua fungor, absolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi ob hanc vel illam causam, restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium in nomine Patris, &c. verùm hæ ceremoniæ non sunt de essentia absolutionis, *DD. in cap. à nobis de sententia excommunicationis.*

Quandò verò absolvitur pœnitens in foro conscientiæ, non est opus has observare ceremonias, sed sufficit adhibere solùm verba consueta, quibus censuris ligati absolvi possunt, *DD. cit.*

Post verò absolutionem, si delictum erat publicum, & censura denunciata, publicatur absolutio, ne fideles scandalizentur.

Quid faciendum sit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit signa contritionis, sed non fuit absolutus? *Diana par. 5. tract. 9. resol. 24.* An excommunicatus, si Sacramentum Pœnitentiæ recipiat, validè absolvatur, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 53.*

---

## *TITULUS XIII.*

### De Sententia Excommunicationis.

Visum est suprà de censuris, verùm quia inter eas major est excommunicatio, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd excommunicatio dicitur sententia, tùm quia Judex benè sentire debet, quandò eam profert: undè fieri debet maxima cum prudentia, ut ait *Sylvester in verb. sententia*; tùm quia excommunicatio requirit sententiam, vel decisivam, vel declarativam.

Sciendum secundo est, quòd excommunicatio significat extrà communionem positio, nam homo per excommunicationem separatur à communione fidelium, & à participatione Sacramentorum præsertim Eucharistiæ, quæ per antonomasiam communio nuncupatur, solet etiam excommunicatio nuncupari anathema, à verbo græco (Ana) quod significat sursùm, & (thema) quod est positio, sumpta similitudine ab antiquis, qui capta in bello appendebant separata, & sejuncta à cæteris.

Sciendum est tertio, excommunicationem definiri, ut sit censura Ecclesiastica, quâ homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus, videlicet consortio fidelium; participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragiis: ità DD. communiter, quos refert, & sequitur *Suarez de censuris disp. 7. sect. 1.*

Dicitur excommunicatio (censura) loco generis; quia omnis excommunicatio est censura, dicitur (quâ homo privatur bonis communibus) quia per hoc differt excommunicatio ab aliis censuris, dicitur (quâ homo baptizatus) quia subjectum excommunicationis est homo baptizatus, infidelis enim nondùm baptizatus, non est subjectum excommunicationis, cùm non sit subditus Ecclesiæ: dicitur (à consortio fidelium) quia effectus excommunicationis majoris consistit in privatione consortii fidelium, participationis Sacramentorum, & communium suffragiorum Ecclesiæ. Excommunicatio lata per vim, & metum valida est, licèt peccet mortaliter excommunicans, idem dic de absolutione, *Diana p. 5. tract. 9. resol. 69. per totam.*

### *Super principium textûs.*

Agitur hìc de prima divisione excommunicationum, quòd scilicet alia sit major, alia minor, excommunicatio major dicitur, per quam quis non solùm excluditur à receptione Sacramentorum, verùm etiam à communione fidelium: nam ab omni actu legitimo separat, ac dividit, quæ alio vocabulo anathema appellatur, *cap. ad mensam, §. aliquandò 11. quæst. 3. cap. Egeldrudam 3. quæst. 4. cap. cùm non ab homine, cap. intelleximus de Judiciis*, non per hoc tamen negatur excommunicato, quin in judicio se ipsum defendere valeat, *dict. c. intelleximus*: undè an peccet mortaliter communicans cum nominatim excommunicato quæstio est? legas *Dianam par. 5. tr. 9. resol. 2.* communicans cum excommunicato in re

re parva nihil est, quia excusat parvitas materiæ, *Diana par. 5. tract. 5. resol. 21.*

Minor excommunicatio dicitur, non per respectum ad majorem, quæ simpliciter appellatur excommunicatio major, verùm secundùm quid, tùm quia major excommunicatio privat pluribus bonis, quàm privet minor, tùm quia major incurritur ob peccatum mortale, minor verò etiam ob veniale.

Ex quo infertur, quòd quandò fertur aliqua excommunicatio absque restrictione majoris, vel minoris, sermo est de majori, quæ simpliciter, & absolutè dicitur talis; verba enim simpliciter, & absolutè prolata simpliciter accipiuntur, & intelliguntur, *l. non aliter, ff. de leg. 3. Coninch. disp. 14. dub. 1. nu. 50.* Inter alias verò differentias inter unam, & aliam excommunicationem ea est, quòd excommunicatio minor ferri non solet ab homine, sed à jure, licèt ferri etiam possit ab homine, excommunicatio verò major non tantùm à jure sed etiam ab homine fertur, DD. quos sequitur *Avila par. 2. c. 1. dub. unic.* excommunicatus minori excommunicatione ministrando Sacramenta non peccat nisi venialiter, *Diana par. 5. tract. 9. resolut. 45.* Judex laicus sententiam proferens in excommunicatione existens, est invalida, & omnis actus Jurisdictionis non tenet secundùm probabiliorem sententiam, licèt alii putent oppositum, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 108. & 109.* & an excommunicatus toleratus possit esse actor in judicio, legas *Dianam par. 5. tract. 9. resol. 110. & 111.* an excommunicatus possit esse tabellio, & ejus acta sint valida, *Diana par. 5. tract. 9. res. 112.* & an possit esse testis, *resolution. 113.* & an procurator 114. *&* an tutor, *resolution. 115.*

Infertur etiam ex hoc, diversos producere effectus has duas excommunicationes, & quidem major excommunicatio privat hominem communibus suffragiis Ecclesiæ, *cap. à nobis de sententia excommunicationis*, dicuntur verò suffragia communia, quæ à Clericis quatenùs ministris Ecclesiæ offeruntur pro fidelibus, ut sacrificium Missæ, orationes Canonicæ, publicæ supplicationes, in quibus Clerici orant nomine Ecclesiæ, ideò peccat mortaliter, qui excommunicatione majori excommunicato hæc suffragia applicat, cùm Ecclesia illum privet talibus suffragiis: in uno tamen casu licitùm est pro hæreticis orare, ut in feria *6.* Parasceves, quo die id fit specialiter ab Ecclesia, ad Imitationem Christi, qui tempore suæ Passionis oravit pro inimicis, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 3.*

Intellige hoc, ut procedat in quolibet excommunicato, quamvis tolerato, & non vitando, *dict. cap. à nobis*, quia Ecclesia omnes excommunicatos excludit à talibus suffragiis; non tamen est improbabilis eorum opinio, qui docent posse aliquem orare pro excommunicatis toleratis, neque peccare mortaliter, cùm possimus cum eis communicare, quòusque fuerint denunciati, qua de re *Coninch. disp. 14. dub. 6. num. 40.* sequitur *Diana par. 5. tract. 9. resol. 74.* licèt contrarium putet *Bonacina disp. 2. quæst. 2. par. 1. §. 1.* dicens, cum excommunicatis toleratis posse nos participare participatione externa, puta in audienda Missa, in recitando divino officio, & similibus, non verò in aliis actibus internis, & an liceat offerre suffragia Ecclesiæ pro excommunicato non tolerato, si per contritionem justificetur antè obtentam absolutionem? *Diana par. 5. tract. 9. resolut. 75.* Et an pro excommunicato jam per contritionem justificato liceat applicare sacrificium Missæ antè obtentam absolutionem, *Diana par. 4. tract. 9. resol. 76.* An liceat privatas orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 77.* Excommunicatus non solùm publicus, sed neque occultus potest Sacramenta recipere, sed in aliquibus casibus id potest, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 81. & resol. 82.* & an possit excommunicatus conferre Sacramenta, *Diana d. par. 5. tract. 9. resol. 83.*

Dicitur verò excommunicatus non toleratus & vitandus, ille, qui est nominatim denunciatus excommunicatus, puta si dicat Parochus, Petrus est excommunicatus, vel si dicatur per Pontificem, vel Episcopum, excommunico Titium cum fautoribus suis, Titius erit vitandus, & non fautores, quia fautores non sunt nominatim denunciati. Denunciatio verò fieri debet tempore Majoris Missæ in Ecclesia, vel alio loco publico, juxtà morem loci, & regionis, & requiritur ut fiat à legitimo Judice, nec appellaverit à sententia Excommunicatus, quia pendente appellatione non est vitandus. *DD. cit.*

Dicitur secundo, excommunicatus vitandus, publicus Clerici percussor, quandò tamen percussio nulla tergiversatione celari potest, qui dicitur percussor Clerici notorius notorietate facti, ad differentiam publici Clerici percussoris notorii notorietate Juris, quæ accidit, quandò quis confessus est in Judicio, se Clericum percussisse; quapropter, si quis in publica platea hujus civitatis Clericum percusserit, non esset vitandus, quia, ut quis dicatur publicus Clerici percussor, ad hoc ut eum teneamur evitare, necesse est, ut talis percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo juris remedio niti, sed in hoc, & similibus casibus poterit percussor Clerici dicere, se fuisse ebrium, vel id fecisse in sui defensionem, vel ignorasse, excommunicationem percussioni esse annexam, vel alia tergiversatione celari; allegando in judicio rumoris falsitatem, ideò quandiù non constat per Judicis sententiam, illum juris remedio non posse excusari, nunquàm dicitur notorius Clerici percussor, ità *Covarr. in cap. Alma mater par. 1. §. 2. num. 7. de senten. excommun. Fagundez de præceptis lib. 2. cap. 50. num. 12.* Ideò rarò contingit Clerici percussionem adeò esse notoriam notorietate facti, ut non possit aliquo juris remedio excusari, antè *Fagundez* hoc dixit *Sayrus lib. 2. de censur. cap. 11. n. 18.* quod valdè nota, quia rarum, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 61.*

Ut autem factum dicatur notorium, diversæ fuerunt *DD.* opiniones, prima est, notitiam quinque hominum non efficere notorium factum, sed ad minus septem requiri testes: ità *Mascard. de probation. tom. 2. conclus. 1101. nu. 18. Marius Antonius Maceratensis variar. resol. 163. resol. 11.* alii verò communiter id remittunt arbitrio prudentis viri, qui id arbitrabitur ex variis circumstantiis loci, & temporis qualitate, undè percutiens clericum coràm decem, vel duodecim, non esset notorius clerici percussor in magna Civitate, secùs in parvo Oppido, vicinia, vel collegio, *Avila de censuris par. 2. c. 6. disp. 2. dub. 4.* ideò non teneor evitare eum, qui percussit clericum coram duobus, vel tribus, quia factum, licèt notum sit, non tamen est notorium. Neque confessarius tenetur eum evitare, quem ex sola confessione sacramentali novit, esse denunciatum excommunicatum, quia hic non dicitur scire, illum esse excommunicatum, cùm humano modo ignoret, & sciat solùm loco Dei. *DD. citati.*

An verò excommunicatus, qui jam resipuit à delicto, privetur communibus suffragiis Ecclesiæ, si est contritus, sed nondùm absolutus, quæstio est? Negant *Navarrus, Sayrus, Avila, Valentia* apud *Bonacinam disput. 2. q. 2. par. 1. §. 2.* qui putant, posse Missam secretò applicari pro excommunicato jam contrito, quamvis illicitum sit nominatim pro eo publicè orare, cùm non sit credibile, dicunt ipsi, Piam Matrem Ecclesiam velle à suis suffragiis

eum excludere, quem Deus recipit in suam amicitiam per contritionem, quæ opinio est probabilis.

Verùm probabilior est opinio contraria privari scilicet communibus Ecclesiæ suffragiis, quamvis sit contritus, dummodò tamen non sit absolutus, ità *Sotus*, *Suarez*, & alii, quos refert, & sequitur *Bonacina ubi suprà.* Ratio est, quia excommunicatus contritus adhuc remanet excommunicatus donec absolvatur, & excommunicatio suum habet effectum, donec auferatur, ergo excommunicatus licèt contritus privatur effectibus, & suffragiis communibus Ecclesiæ, si nondùm obtinuit absolutionem.

Ad argumentum verò pro parte contraria Respondetur, solùm probari Ecclesiam posse non excludere excommunicatum contritum à communibus suffragiis, sed non probatur de facto non excludere, immò potiùs constat, eum velle Ecclesiam excludere, ut in *dicto cap. à nobis de sentent. excommunic.* ubi nulla fit distinctio excommunicati contriti, & non contriti, ergo requiritur absolutio, ut fiat capax suffragiorum.

Definitur verò minor excommunicatio, ut sit censura Ecclesiastica, separans fidelem excommunicatum à passiva Sacramentorum participatione *cap. si celebrata de clerico excommunicato ministrante*, & hæc contrahitur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando affecto majori excommunicatione, *cap. excommunicatos*, *cap. cùm excommunicatos* 11. *quæst.* 3. *cap. nuper*, *cap. cùm desideres de sentent. excommunic.* immò contrahitur etiam participando cum mortuo, putà si quis lavet cadaver excommunicati vitandi, vel comitetur ad sepulturam, aut vestiat, & similia. *Abb. in c. de sacris*, *de sepulturis*, *gloss. in cap. ad hæc de privilegiis.* quia cui non communicamus vivo, nec communicare debemus mortuo. *d cap. sacris cit.*

Parit autem hæc excommunicatio duos effectus, primus est privare directè passiva Sacramentorum participatione, *d. cap. si celebret*, undè excommunicatus minori excommunicatione peccat mortaliter recipiendo Sacramentum Eucharistiæ, contrahendo Matrimonium, &c. *dict. c. ultimo de clerico excommunicato ministrante*. quia violat minorem excommunicationem in re gravi, cùm receptio Sacramentorum sit materia gravis, *Coninch. disput.* 14. *dub.* 17. *num.* 261. & peccat etiam mortaliter ille, qui ministrat ei Sacramenta, nisi excusetur ratione ignorantiæ, ratione scandali, vel alterius mali evitandi, quia verò excommunicatio minor non privat activa Sacramentorum participatione, indè est, quòd non peccat excommunicatus minori excommunicatione administrando Sacramenta, sicut peccat suscipiendo, quandò verò in *d. cap. si celebret*, dicitur, celebrantem peccare conferendo sibi Sacramenta, id intelligitur quatenùs recipit, non quatenùs confert Sacramenta.

Absolutio autem hujus excommunicationis est ferenda à proprio sacerdote; appellatur verò proprius sacerdos, qui habet jurisdictionem ordinariam suprà excommunicatum, ut est Summus Pontifex in totò Orbe, Episcopus in sua diœcesi, & Parochus in sua Parochia, *cap. super de sentent. excommunic.* ideò simplex sacerdos, vel Parochus alterius Parochiæ non poterit absolvere à minori excommunicatione, quia non est proprius sacerdos. Immò etiam Parochus non sacerdos poterit ab hac excommunicatione minori absolvere, cùm talis absolutio sit actus jurisdictionis, non ordinis, & sacerdos approbatus ad audiendas confessiones, absolvere poterit à minori excommunicatione, quia dici potest proprius sacerdos per delegatam jurisdictionem. Immò probabile est, posse simplicem sacerdotem à minori excommunicatione absolvere pœnitentem non habentem peccatum mortale, quia habens peccata solùm venialia, potest se subjicere sacerdoti simplici, & ab eo obtinere absolutionem, ergo etiam potest obtinere absolutionem minoris excommunicationis, quæ præmitti debet absolutioni venialium, cùm minor excommunicatio privet excommunicatum passiva Sacramentorum administratione; alii tamen oppositum docent; qua de re *Bonacina disput.* 2. *quæst.* 3. *propos.* 3. *num.* 16. Qui possit absolvere ab excommunicatione lata generaliter ab homine. *Diana p.* 5 *tract.* 9. *resol.* 4. *& resol.* 5. & qui possit absolvere ab excommunicatione majori lata à Jure, & reservata. *Dian. p* 5. *tract.* 9. *resol.* 6. An absolutio ab excommunicatione valeat, si generaliter dicatur, absolvo te, non addendo ab excommunicatione, vel suspensione; *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 31.

*In §. Rursùs.*

Conclusio hujus textûs, est quòd excommunicatio alia lata est à Jure, alia verò ab homine, lata à Jure dicitur excommunicatio Canonis, quæ scilicet in aliquo Canone reperitur, vel Ecclesiastica lege statuitur, ut in Decretalibus in 6. in Clementinis, & Conciliis, alia excommunicatio dicitur ferendæ sententiæ; seù Judicis, & est illa, quæ fertur à Judice Ecclesiastico, *cap.* 2. *de constitut. in* 6. *Clement.* 2. *de hæreticis*, est autem maxima differentia inter unam, & aliam excommunicationem, quia excommunicatio lata ab homine expirat cum latore, vel quandò ab officio removetur, ideò mandata Episcopi, & Visitatorum in Diœcesi expirant cum Episcopo, vel quandò removetur ab Episcopatu. Ille verò, qui excommunicationem incurrerat, antequàm periret Episcopus, manet excommunicatus, donec absolvatur, ex quo dixit *Navarrus cap.* 27. *num.* 40. excommunicationes Bullæ Cœnæ expirare mortuò Papa, quod Pius V. & Gregorius XIII. decreverunt in Bulla Cœnæ tales excommunicationes durare, & valere donec alius Papa aliud constituat in sua Bulla: excommunicatio autem à Jure lata durat in perpetuum, quòusque illud Jus revocetur, *gloss. in cap. à nobis de sententia excommunic. D D. citati*, *Bonacina ubi suprà num.* 4. An in excommunicatione, quæ incurritur ob clerici percussionem, detur parvitas materiæ, licèt facta fuerit interiùs pravo animo, & effectu peccaminoso, *Diana p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 65.

*In §. si quis igitur.*

Agitur hîc de excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in clericum, vel monachum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd ex dispositione *tex. in cap. si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. *& in cap. unico de clericis conjugatis in* 6. privilegium introductum fuit in favorem totius ordinis clericalis, ut ille qui violentas manus injecerit in clericum, statim sit excommunicatus, idque concessum fuisse in reverentiam ordinis clericalis docet *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *disput.* 47. cùm omnes debeant clericos honorare sivè bonos, sivè malos: *cap. Dominus noster*, & ibi *glossa in cap. verb. sacrilegium* 93. *dist. glossa in cap. sacerdotibus* 11. *quæst.* 1. quæ reverentia fit officio, quod ministrant. *Carolus de Grassis de effect. cleric. in præludiis num.* 245.

Sciendum secundo est, quòd tria requiruntur copulativè ad hoc, ut clerici percussor sit excommunicatus. Primo requiritur, ut realiter manus injecerit, dicitur enim in *dict. textu* (*manus injecerit.*) Secundo requiritur animus injuriandi, cùm ibi dicatur (*suadente diabolo.*) Tertio requiritur violentia, dùm dicitur, (*violentas manus*) *Abbas lib.* 1. *de sententia excommunicationis*,

*excommunicationis*, *Carolus de Graffis de effect. cleric. effect.* 9. *num.* 311.

Adverte tamen signanter, quòd licèt violentas manus inferens in clericum, sit statim ipso jure excommunicatus, tamen ad hoc ut ab omnibus evitetur, ut excommunicatus, hodiè per extravagantem *ad evitanda scandala* Concilii Constantiensis, requiritur, ut sit notorius percussor clerici, vel nominatim denunciatus, & declaratus per Cedulones, *Squillant. de obligat. cleric. par.* 3. *num.* 5. *qui de communi testatur.*

Sciendum est tertio, hoc privilegio gaudere omnes constitutos in gradu alicujus ordinis, etiam in prima tonsura: sic colligitur ex *cap. cùm contingat de ætate, & qualitate*, quod intellige, etiamsi sit conjugatus, modò gerat habitum, & tonsuram, & non bigamus, quià bigamus privatur privilegio clericali *cap. clericus* 21. *dist. cap. unico de clericis conjugatis in* 6. & ideò erit excommunicatus percutiens clericum solùm verbaliter degradatum, secùs si percutiat clericum degradatum realiter, DD. communiter *in cap. degradatio. de pœnis in* 6.

Secundo gaudet hoc privilegio clericus irregularis, excommunicatus toleratus, vel evitandus, aut affectus aliqua censura: undè talem clericum percutiens est excommunicatus, quia per censuram non amittit privilegium Canonis. Ille verò, qui percutit clericum ordinatum antè Baptismum, non incidit in Canonem, quia non est ordinatus clericus percussus: erit tamen excommunicatus, ille, qui percutit clericum, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum contraxit matrimonium, quia dicitur reverà percutere clericum gaudentem privilegio Canonis, licèt enim hic clericus in Sacris ordinatus multas incurrat pœnas, tamen privilegium non amittit, ut latè DD. quos sequitur *Carolus de Graffis effect.* 1. *num.* 91.

Dices, percutiens clericum bigamum excommunicationem non incurrit, ut suprà ex *cap. unico de bigam. in* 6. ergo neque eam incurrit percutiens clericum, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum sit bigamus.

Respondetur, eum non esse excommunicatum, qui percutit bigamum bigamia vera, vel interpretativa, quia hic caret omni privilegio clericali *d. cap. unico*: secùs est de percutiente bigamum bigamia similitudinaria, quia hic bigamus adhuc retinet privilegia clericalia, & sic Canonis privilegium. *Gloss. in d. cap. unico tit.*

Tertio gaudet hoc privilegio clericus, qui dimisit habitum clericalem, & illum iterùm reassumpsit sine licentia Episcopi, quia semel clericus nunquàm desinit esse clericus. *Vivius decis.* 512. sic decisum in nostra Curia Archiepiscopali docet *Riccius par.* 2. *dec.* 167. testatur verò idem *Riccius*, per Constitutionem Synodalem Cardinalis Decii Carrafæ prohibitum esse clericis, qui aliàs dimiserunt habitum clericalem, illum reassumere absque ejusdem Curiæ licentia; licèt, si de facto illum assumpserint, gaudeant privilegiis clericalibus.

Quarto clericus Græcus in Sacris, vel Minoribus, qui matrimonio utitur, contracto cum unica, & virgine, privilegio clericali canonis gaudet, *c. cùm olim de clericis conjugatis, cap. quæsitum de pænit. & remiss. ubi DD.*

Quinto, gaudent hoc privilegio Canonis monachi, & moniales regulares, sivè professi sivè novitii, sivè in Sacris, sivè conversi, immò etiam mulieres, quæ non emittunt professionem, sed positæ sunt in aliquo loco, ut Deo serviant, gaudent hoc privilegio, DD. communiter apud *Carolum de Graffis de effec. cleric. effect.* 9. *num.* 73. quo etiam privilegio gaudebit monachus bigamus, cùm nullo jure constet, ipsum privari privilegio religioso, sicut privatur clericus bigamus, *Bonacina de censuris disput.* 2. *quæst.* 4. *par.* 1. *num.* 6. qui alios refert, qui etiam addit *num.* 9. gaudere tali privilegio eos monachos, qui adhibentur ad servitia monialium, & ad petendam pro eis eleemosinam, sorores verò Bizochæ, habitantes in propriis domibus, vel eorum consanguineorum, gaudent privilegio Canonis, si emittunt votum simplex castitatis, & vitam celibem ducunt, *Riccius dec.* 88. *par.* 2. cùm sint personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ. *Bartholomæus à Sancto Fausto in Thesauro religiosorum l.* 8. *qu.* 1051. Heremitæ verò, qui non sunt religiosi, sed vagi, & non firmatum modum vivendi habentes, non gaudent hoc privilegio, quo nec gaudet clericus bigamus, qui ex duplici matrimonio, vel cum vidua contraxit veram bigamiam, *d. c. unico de clericis conjugatis in* 6. *Sayrus*, & alii apud *Bonacinam ubi suprà*. Secùs dic, si clericus duxit cognitam ab alio, & non consummavit matrimonium, qua de re *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 3.

Sexto gaudent hoc privilegio Canonis milites Sancti Joannis Hierosolymitani, Milites Divi Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, equites Christi in Lusitania, Sancti Lazari in Sabaudia, Sancti Stephani Florentiæ, quià sunt personæ Ecclesiasticæ, DD. *ubi suprà*, *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 12. *num.* 46. *Mastrillus decis.* 390. *par.* 3. Calatravæ Milites, Alcantaræ, & Sancti Jacobi gaudent, *Diana par.* 1. *tract.* 6. *resol.* 23. *par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resol.* 44. Immò novitii harum religionum gaudent privilegiis Clericorum, ut ex pluribus probat *Novarius lib.* 1. *q. for. quæst.* 42. *Carlevalius lib.* 1. *tit.* 1. *de Judiciis disput.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 3. *num.* 239. *Diana par.* 5. *tract.* 1. *resol.* 18. *contrà aliquos apud eos.* Gaudet etiam Clericus mortuus, ideò inferens manus violentas in Clericorum cadavera, incideret in excommunicationem, *Carolus de Graffis effect.* 9. *num.* 149. *Episcopus Bellectus par.* 1. *disput. Cleric. fol.* 273. quia etiam mortuo fit injuria, & violentia.

Sciendum est quarto, eum dici manus violentas injecisse, qui injuriam aliquam facit contrà Clericum per actionem exteriorem, ac corporalem, ut est Clericum vulnerare, occidere, manum percutere, detinere in publica, vel privata custodia, & similia: sic eum persequi, ut in foveam, vel puteum incidat, vel manus injicere in equum, cui Clericus insidet, illum percutiendo, vel vulnerando, aut retento fræno sistendo, hæc enim omnia facere, est manus violentas in Clericum injicere, DD. communiter apud *Bonacinam de censuris disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 12. *Carolum de Graffis effect.* 1. *num.* 534. & *effect.* 9. *num.* 84. Immò addit *Bonacina*, *ubi suprà*, incidere in excommunicationem eum, qui sclopum explodit in Clericum, qui ob terrorem moritur, quamvis pila nec leviter tactus, nec læsus fuerit, quia talis actio censetur violenta, & injuriosa Clerico. Non tamen est excommunicatus ille, qui per dolum vel fraudem furatur Clerici vestes, quia non est violentiam inferre, nisi Clericus tempore, quo ei tales vestes auferuntur, se defenderet, & furanti resisteret, quia in tali casu esset furans excommunicatus, *DD. citati.* Nec est excommunicatus minister Principis, vel justitiæ, qui violenter arcendo turbam, Clericum percutit, si hoc fecerit absque animo injuriandi, quia non dicitur violenta percussio, *Riccius in praxi resol.* 636. sicut nec est excommunicatus Clericum percutiens casu fortuito, *cap.* 3. *de senten. excommunic.* quia casus fortuitus prævideri non potest, *cap. fin. cap. Joannes de homicidio*, & ideò nulla violentia, & temeritas potest tunc considerari, *Carolus de Graffis dict. effect.* 9. *num.* 301. qui addit *num.* 235. nec esse eum excommunicatum

nicatum, qui manus violentas injecit in Clericum absque deliberatione ex primis motibus, & ex subita animi passione, ità ut advertens, quod facit, manum retrahit, quia non sunt primi motus in potestate nostra. Si quis eadem actione, quæ fit tota simul, v. g. baculo percutiat duos Clericos, vel sclopo duos interficiat, non duas, sed unam incurrit excommunicationem, *Diana par. 5. tract. 9. resolut. 59.* secùs percutiens plures Clericos successivè, qui incurrit in tot excommunicationes, quot sunt Clerici percussi. *Diana dict. tract. 9. resolut. 60.*

Sciendum est quinto, eam percussionem esse sufficientem ad hanc censuram incurrendam, quæ satis est ad constituendum peccatum mortale, nam major excommunicatio non incurritur nisi ob peccatum mortale. Ideò si quis percutit leviter Clericum, ità ut talis percussio non attingat peccatum mortale, non incurrit hanc censuram, DD. communiter apud *Coninch. disput. 14. dub. 15. num. 168.* Quòd si percutiens ex mala intentione, quam habet, peccat mortaliter, sed percussio exterior sit peccatum veniale, non incidit percutiens in excommunicationem, quia excommunicatio non incurritur, nisi ob peccatum mortale externum, *Filiuccius*, qui de communi testatur *tract. 45. cap. 1. quæst. 4. num. 17.* Erit ergo gravis actio, etiamsi non lædatur graviter corpus Clerici, dummodò graviter inhonoretur ejus persona, *Laym. lib. 1. tract. 5. punct. 2. cap. 5.*

Ampliatur ut etiam sit excommunicatus per canonem *si quis suadente diabolo*: ille, qui Clericum occidit per cibum, vel potum veneno infectum, *Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 4. punct. 1. num. 15.* qui etiam docet cum *Suarez*, non incidere in hanc excommunicationem, antequàm venenum operari incipiat, quia priùs non aderat actio violenta, cùm venenum sine ulla vi fuerit exhibitum, ut supponimus in casu, etsi putet *Avila de censuris par. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 10.* contrarium. Immò occidentem veneno aliquem dicunt DD. committere crimen proditorium, nec gaudere immunitate Ecclesiastica in terminis Bullæ *Gregorii 14. Riccius par. 3. dec. 262. Diana par. 1. tract. 1. resol. 36.*

*In §. volentem.*

COnclusio hujus textûs est, in excommunicationem incidere illum, qui percutit clericum, permittentem se verberari, si verberatio sit injuriosa; nam licèt non sit violenta percussio vel potiùs coacta, est tamen injuriosa statui clericali, in cujus favorem est latus canon, cui clericus renunciare non potest. Idem docet *textus in cap. contingit, de sententia excommunicationis, Bonacina ubi suprà quæst. 4. par. 2. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. nu. 5.* & alii communiter.

Adverte tamen, quòd hoc casu clericus, qui consentit in percussione, non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus, quia in *dicto canone contingit*, dicitur (*excommunicetur*) quod verbum, cùm sit futuri temporis, indicat censuram ferendam, non verò ipso jure latam: *Bonacina, & Filiuccius locis citatis.*

Ampliatur conclusio, ut etiam clericus, qui seipsum percusserit injuriosè, & per iram, sit excommunicatus, dummodò percussio sit attingens peccatum mortale, secùs, si hoc faceret ex devotione, ut si percuteret ejus pectus pugno, vel lapide, vel si cum disciplina maceraret ejus corpus, quia tunc nedùm non peccat, sed etiam meretur, ut legitur fecisse *S. Hieronymum*, & alios Sanctos. DD. *cit.*

Dices, ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut alius sit, qui percutiat; alius verò qui sit percussus; nam in *dicto cap. si quis suadente diabolo* dicitur: *Si quis suadente diabolo clericum percusserit*, ergo non est excommunicatus clericus percutiens se ipsum.

Respondetur, quòd ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, quòd sit manus injuriosa, nedùm respectu sui, sed etiam respectu ordinis clericalis, sed percutiens seipsum lædit ordinem clericalem, ergo. Legas *Riccium in praxi resolut. 472.*

*In §. ex contrario.*

POnuntur in hoc §. tres casus, in quibus clericum percutiens non est excommunicatus.

Primus est, quandò quis percutit clericum causa defensionis, si defensio fiat incontinenti, vim vi repellendo, *cap. ex tenore, cap. si verò de sententia excommunicationis, Layman cum aliis citatis.* Ratio est, quia talis percussio non est violenta, nec cum injuria, & animo injuriandi, cùm fiat se defendendo, non aggrediendo, nec suadente diabolo: sed ratione suadente, cùm licitum sit vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Dicitur etiam percussio facta ex justa defensione, quandò mulier percutit clericum, pudicitiam suam facto aliquo tentantem, & non solis verbis. *Layman dicto lib. 1. tract. 5. cap. 5.*

Sicut etiam percussio dicitur ex justa defensione, quandò quis aggressus à clerico non potuit vitare nocumentum sine fuga ignominiosa, nisi se defendendo, & ob eam causam clericum percutit, quia cùm tunc non peccet, neque incurret excommunicationem. *Ricc. decis. 159 par. 4. nu. 20.* sic dicitur ex justa defensione, quandò clericum aufugientem, & asportantem propria bona percusserit quis, idem si clericus debitor aufugerit, & creditor eum detineat, ut superiori præsentet, ut suum debitum recuperet. *Carolus de Grassis effect. 1. n. 550.* docet etiam *Riccius ubi suprà*, quòd si laicus percussus à clerico, dictum clericum causa defensionis percusserit, cùm non adsit repercussionis timor, incideret in excommunicationem, quia non esset defensio, sed vindicta, nisi fortè timeretur geminata percussio: sic decisum in Curia Archiepiscopali docet *Riccius ubi suprà*, & ideò non debet percussus insequi suum percussorem, quandò non vult ampliùs percutere.

Secundus casus est, quandò quis manus violentas injicit in clericum repertum cum propria uxore, matre, filia, aut sorore, quia hic non est excommunicatus, *cap. si verò de sententia excommunicat.* licèt enim peccet mortaliter sic percutiens, utpotè percutiens privata auctoritate, quod intellige, quandò percutit in ipso actu inventionis, secùs, si ex intervallo, quia tunc censuram non effugiet, *Riccius decis. 147. par. 4.* non tamen est excommunicatus maritus, quandò de industria se abscondit domi, expectans clericum hoc ignorantem, ut eum in fraganti deprehensum occidat, quia adhuc dicitur occidere Clericum turpiter deprehensum cum uxore, dummodò tamen id non faciat dolosè facta conventione cum uxore, quæ illum dolo vocet, nam jura non intendunt patrocinari fraudibus; quandò autem quis percusserit Clericum inventum cum alia consanguinea, non cum matre, uxore, & filia, incideret in excommunicationem, nec comprehenditur filia adoptata, *glossa in dict. cap. si verò, & alii ubi suprà.* Comprehenditur tamen sub nomine filiæ etiam filia illegitima; non tamen est necesse, ut inveniatur in actu copulæ carnalis ipse Clericus, sed sufficit, si reperiatur in osculis, amplexibus, vel aliis actibus venereis. Immò docent, DD. *cit.* sufficere, ut maritus percutiat Clericum loquentem cum sua uxore absque alio turpi actu, quandò illum priùs ter admonuerat, & ipse noluit desistere.

Con.

Concubinarius autem occidens, vel percutiens Clericum deprehensum cum concubina, incidit in excommunicationem dicti Canonis, quia in concubina non cadit adulterium, *Riccius decis.* 147. *par.* 9. *DD. alii suprà.*

Tertius est casus, quandò quis percutit Clericum, quem ignorabat probabiliter esse Clericum, ideò si quis in nocte Clericum invenerit, vel in aliquo loco tenebroso, & eum percusserit, non erit excommunicatus, si non advertit eum esse Clericum, immò neque est excommunicatus volens percutere Titium Clericum, & percusserit Caium laicum, quia propter affectum tantùm, quem habebat percutiendi, non est excommunicatus, *glossa in dict. cap. si verò*, *Sayrus de censuris lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 20.

Quandò verò quis percutit alium Clericum, & non illum, quem volebat percutere, tunc putat *Covar. in cap. alma mater par.* 1. *§.* 10. *num.* 15. incidere in sententiam excommunicationis, quia adest voluntas quoad percussionem Clerici, & injuriam; quod sanè procedit, quandò ex errore alium Clericum percussit, & non adhibuit sufficientem diligentiam, quia hoc casu ratione diligentiæ non adhibitæ incurrit in excommunicationem, idem dic, si quis volens, & credens percutere laicum, percutiat Clericum, quia tunc si ipse percutiens adhibuisset sufficientem diligentiam, non incideret in excommunicationem.

### *In §. Item qui.*

ASsignatur hìc alius casus, in quo quis non est excommunicatus Clericum percutiens, & est, quandò quis Clericum percutit ratione correctionis, & disciplinæ habens legitimam facultatem, & potestatem ad percutiendum, dummodò non ità excedat modum in percutiendo, ut excessus pertingat ad culpam mortalem, & modò non percutiat principaliter ex odio, vel ira, *cap. ex tenore*, *cap. universitatis*, *cap. cum voluntate de senten. excommun.* quòd si excedat leviter, excusari poterit ab excommunicatione, quia excommunicatio supponit peccatum mortale: quòd si percutiat principaliter ex odio, tunc est excommunicatus, quia percussio facta dicitur suadente diabolo cum peccato mortali. secùs, si principaliter percutit causa correctionis; licèt admisceatur peccatum mortale interni odii, nam illa externa percussio non est sacrilega, sed justa, cùm principaliter fiat causa correctionis ab eo, qui potest illam infligere, quamvis ex malitia percutientis admisceatur peccatum mortale odii, *DD.* apud *Bonacinam disp.* 2. *quæst.* 4. *part.* 4. *num.* 4.

Ex quo benè sequitur primo, Magistrum percutientem Clericum causa correctionis non incurrere excommunicationem: sicut neque est excommunicatus pater filium Clericum percutiens causa disciplinæ: idem si Clericus percutitur à propinquo, ad quem pertinet cura corrigendi Clericum, modò non excedatur modus in percutiendo, etiamsi Clericus, qui percutitur, sit ordinibus sacris initiatus, quia *text. in cap. cum voluntate de sentent. excommunic.* generaliter loquitur, & nullam facit distinctionem de Clerico ordinato in majoribus, vel minoribus: immò neque submagister percutiens Clericum causa correctionis, est excommunicatus, licèt à magistro sit illi vetitum aliquem percutere, quia prohibitio magistri non aufert Jus commune, sed Jure communi conceditur superiori posse corrigere discipulos, ergo, &c.

Sequitur secundo, clericos seniores, vel alios, quamvis laicos, qui ratione sui officii ejiciunt clericum minorum ordinum, turbantem divina officia non incurrere excommunicationem; sicut possunt etiam religionum superiores clericos verberare, cùm habeant potestatem gubernandi, *Bonacina*, *& alii ubi suprà.* Hos tamen subditos debent religionum superiores per seipsos percutere *d. cap. universitatis de sentent. excommunic.* Verùm de consuetudine reservatur, ut per alios clericos eos percutiant; quæ consuetudo benè potuit introduci, cùm consentaneum sit, ut clerici, vel monachi iam vile munus per seipsos non exerceant. *Conimb. disput.* 14. *dub.* 15. *&* alii locis citatis.

Ultrà hos casus enumeratur etiam alius, quandò scilicet quis percutit clericum factum militem, vel se immiscentem negotiis sæcularibus, vel enormitatibus habitu relicto, vel quandò quis percutit clericum conjugatum, publicè per seipsum exercentem officium cauponis, vel macellarii, & ab illo officio non desistit, quia clericus conjugatus amittit privilegium clericale non desistendo à prædictis officiis, secùs, si non sit conjugatus, & gerat habitum, & tonsuram. *Clement.* 1. *de vita & honestat. clericorum.*

Alius casus est, quandò quis percutit clericum bigamum. *cap. unico de clericis conjugatis in* 6. *cap. unico de bigamis in* 6. quia verò in dictis juribus sermo est de bigamis in minoribus. consequenter bigamus in sacris privilegio canonis gaudet: Ille verò, qui percutit clericum conjugatum non bigamum, gestantem habitum, & tonsuram, incurrit excommunicationem, quia talis clericus non amittit privilegium clericale. *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *disput.* 46. *Bonacina ubi suprà num.* 14.

Ultimus casus est, quandò quis sæcularis capit clericum, illumque ponit in carcerem de mandato sui Prælati, quia concessum est Prælatis capere clericos per laicos. quandò subest causa, per quam clericus conjici possit in carcerem, *cap. si clericus, de sentent. excommunic. in* 6. *Riccius decis.* 39. *par.* 4. *Diana par.* 1. *resol. moral. tract.* 2. *resol.* 10.

An verò possit clericus privari per Judicem laicum armis prohibitis à statuto cum quibus fuit repertus, vel ad obviandum delictum duci debeat ad Episcopum, quæstio est?

Dicunt aliqui, ad Episcopum duci debere cum armis, in cujus potestate erit disponere de armis, *Bonacina de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *par.* 1. *§.* 1. *Paulus Layman. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *Antoninus Diana par.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 9. *Genuensis in praxi cap.* 92. *num.* 6. qui sic decisum fuisse testatur in Curia Archiepiscopali Neapolitana, contrarium tamen docent alii, quos refert, & sequitur *Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 862. qui docent, posse hoc casu ministros laicos spoliare clericos armis prohibitis; quod etiam docent de clericis repertis exercere prohibitam venationem, vel piscationem, qui à Judice sæculari spoliari poterunt avibus, vel canibus vel aliis instrumentis prohibitis, concedunt tamen non posse hoc casu tales clericos puniri aliqua pœna à sæculari potestate constituta, nec aliquo modo secundùm leges civiles judicari, sed secundùm Constitutiones Episcopales, quæ si non adsunt, erunt puniendi arbitrio Judicis Ecclesiastici.

Observa tamen, quòd laicus, offendens clericum, potest ab utroque Judice puniri, Ecclesiastico scilicet, & laico, nam per offensam factam clerico censetur illata injuria utrique foro, undè Judex laicus poterit punire laicum pro principali delicto, scilicet pro verberibus, homicidio, & similibus pœnis temporalibus, Ecclesiasticus verò poterit punire pro sacrilegio, imponendo pœnas spirituales, cùm pœna spiritualis non tollat temporalem, nec è contrà:

Carr.

*Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 588. *Julius Clarus in §. fin. quæst.* 36. qui sic docet servari in praxi, *Bonacina de legibus disput.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *§.* 1. *num.* 32.

Rogabis primo, an incidat in excommunicationem quis, qui dùm à suis inimicis insequitur, ejicit clericum equitantem, ut super equo equitaret, ut celeriùs, ac tutiùs fugere valeat.

Respondetur, non incidere in excommunicationem, *Navarr.* & alii, quos refert *Suarez de censuris disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 38. ex eo, quia in tali casu est in quadam extrema necessitate, in qua unusquisque habet jus re alterius utendi, nec id fit aliquo malo animo, nec suadente diabolo; arbitrabitur verò Judex necessitatem fugæ, & qualitatem offensæ factæ in deturbando, & eum ab equo ejiciendo.

Rogabis secundo, quænam aliæ personæ incidant in prædictam excommunicationem?

Respondetur, quòd licet per Canonem *si quis suadente diabolo,* soli injicientes manus in clericos sint excommunicati, tamen Summi Pontifices per alios sacros Canones statuerunt, prædictam excommunicationem contrà alios, &

Primo, contrà mandantes, consulentes manus violentas in clericum *cap. mulieres de sentent. excommunic.* quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur: *cap. qui per alium, de regul. juris in* 6. in quam excommunicationem incidunt etiam auxilium, aut favorem præstantes: *glossa in dicto cap. mulieres,* non tamen incidunt, nisi sequuto effectu percussionis, *d. cap. mulieres §. ult. de sententia excommunicationis.*

Quòd si mandans percuti clericum, pœnitentia ductus revocaverit mandatum, & revocatio pervenerit ad mandatarium antè percussionem, mandans non erit excommunicatus, licèt exequatur mandatum post revocationem, quòd si percusserit antè revocationis notitiam, incurret excommunicationem mandans, *Carolus de Grassis effect.* 9. *num.* 3. *Bellectus in disquis. clericali par.* 1. *in tit. de favor. cleric. §.* 1. *num.* 6. *Layman. lib.* 1. *tract.* 50. *punct.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. & addunt suprà dicti *DD.* quòd si mandans percuti, esset in gratia, dùm mandatarius clericum percutit, incurret adhuc censuram, quia licèt ad incurrendas censuras supponatur peccatum mortale, tamen non est necesse, ut tunc committatur, quandò incurritur censura, sed sufficit peccatum mortale prohibitum sub censura commissum antè fuisse, ut docent *Lessius lib.* 2. *de justitia, & jure cap.* 13. *num.* 17. *Bonacina de censuris disput.* 2. *quæst.* 4. *par.* 3. *Paulus Layman. loco cit.*

Quandò verò mandans percuti clericum antè mandati executionem moritur, non incidit post mortem in excommunicationem, *Carolus de Grassis loco cit. effect.* 9. *n.* 40. ratio est, tùm quia mandatum extinguitur morte mandantis, *§. rectè. institut. de mandato*: tùm quia homo mortuus, est incapax censuræ primo, & per se in eum latæ.

Eandem excommunicationem incurrit quis, quandò mandatum dat tacitum, non expressum, v. g. si quis offensus ab aliquo clerico dicat coram amicis, vel familiaribus, se desiderare vindictam de tali injuria, prævidens fore aliquos excitandos ad percutiendum clericum; nam hic est moralis causa talis percussionis, & excitat, & movet, & virtualiter mandat: *argumento textûs in cap. penult. de homicidio in* 6. ità *Suarez de censuris disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 55. & *Carolus de Grassis effect.* 9. *num.* 35. excommunicatus etiam est ille, qui mandat verberari clericum, & mandatarius illum vulneravit, *cap. fin. de homicidio in* 6. quia vulnera, & percussiones non dantur ad mensuram *DD. ubi suprà* apud *Carolum de Grassis effect.* 9. *num.* 21. Quòd si quis mandet, ut inferatur clerico verbalis tantùm injuria, & mandatarius fecerit ei injuriam realem, mandans non erit excommunicatus, mandatarius verò est excommunicatus, quia mandans jussit, fieri actum, ob quem non incurrit de natura sua pœnam excommunicationis. *Menochius de arbitr. Judic. cas.* 352. *num.* 2. *Baiardus ad Julium Clarum in §. fin. quæst.* 89. *num.* 17. sicut neque est excommunicatus mittens manus violentas in clericum de mandato sui Prælati, *cap. ut fama de sentent. excommunicat.* intellige hoc, quandò clericus nollet permittere se capi, sine resistentia, & capiens pugno aut alio modo eum percuteret, incideret in excommunicationem. *Bonacina disput.* 2. *quæst.* 4. *num.* 13.

Secundo, in pœnam excommunicationis incurrit ille, qui potest, & debet prohibere, ne clericus verberetur, & non prohibet, *cap. quanta, de sentent. excommunic.* intellige cum *gloss.* ibi de illis, qui ex justitia prohibere tenentur, ut sunt officiales, eorumque ministri, patres, tutores, Parochi, & similes, *Bonacina ubi suprà par.* 1. *num.* 6. qui etiam docet probabile esse, in hoc casu nullam incurri excommunicationem, eùm non consentiat, nec auctoritatem præstet, & excommunicatio lata ob actionem, non incurritur ob omissionem: ex quo à fortiori colligitur, eos non esse excommunicatos, qui ex charitate tenentur tantùm ad auxilium clerico percusso præstandum, *DD. citati.*

Tertio, excommunicationem hanc incurrit ille, qui ratam habet percussionem clerici suo nomine factam, licèt non suo mandato, quia talis ratihabitio æquiparatur mandato, *cap. cùm quis de sentent. excommun. in* 6. quòd si percussio non sit facta ejus nomine, licèt posteà ratam habet quis, licèt peccet, non erit excommunicatus, *gloss. in d. cap. si quis, in verbo suo nomine. Bonacina ubi suprà pun.* 1. *num.* 10. requiritur autem, ut dùm quis ratam habet percussionem, id exprimat per aliquod signum externum, puta per nutum, vel per verba; nam actus merè internus non subjacet excommunicationi, & potestati Ecclesiæ: requiritur etiam, ut ratam habens percussionem, potuerit eam mandare tempore, quo sequuta est percussio, undè approbans percussionem tempore, quo approbans erat amens, non est excommunicatus, quia tunc temporis, quo facta est percussio, non poterat eam mandare, secùs, si tunc dormiebat, quia tunc poterat a somno excitari, & interrogari, an vellet suo nomine percussionem fieri, legas *Bonac. ubi suprà.*

*In §. Quòd autem cum sex sequentibus.*

Agitur de absolutione hujus censuræ. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, regulariter ad Summum Pontificem pertinere absolutionem hujus censuræ, ut in *dicto cap. si quis suadente diabolo,* 17. *quæst.* 4. vel ad ejus legatum à latere, *cap. ad eminentiam de sentent. excommunic. cap. penult. de offic. delegati.*

Sciendum secundo est, hanc percussionem posse simpliciter considerari: quædam enim est gravis percussio, seù enormis, quædam levis, & quædam mediocris. Percussio enormis dicitur, quæ conjuncta est cum gravi læsione, vel gravi injuria, puta si occisus mutilatus, vel alio modo vulnus notabile clerico illatum sit: quandò verò sanguis è naribus effusus est, non dicitur notabilis percussio. Secundo enormis dicitur percussio, quandò fuit læsa persona Episcopi, vel Abbatis, aut Prioris, vel Sacerdotis induti sacris vestibus. Tertio, dicitur enormis, quandò officialis laicus percuteret clericum auctoritativè.

ritative. Quarto, ratione scandali, veluti si inferior percuteret superiorem. Quinto, ex irreverentia, putà si in conspectu Prælati, vel Judicis percussio fuerit facta. Sexto, ratione loci, puta si in Ecclesia, vel platea. 7. Ratione loci vulneris, putà si quis fuit vulneratus in facie, vel in oculo. 8. Ex notorietate facti, putà si tempore magnæ festivitatis. Quandò ergo percussio his modis est facta, & parit magnum scandalum, ad Sedem Apostolicam remittenda est absolutio. *Riccius*, qui de communi testatur in *praxi fori Ecclesiastici resol.* 439. *& par.* 2. *dec.* 249. *& par.* 4. *dec.* 3.

Secunda percussio dicitur levis, quæ accidit, cùm quis percutitur pugno, id est palma, baculo, vel lapide, & ubi nullum membrum abscinditur, vel dens evellitur, nec multum sanguinis emittitur; verùm hæc regula est fallax, nam levitas, vel gravitas percussionis judicari debet arbitrio boni viri, seu Judicis, qui considerare debet diversas circumstantias personarum scilicet, locorum, temporum, & modi percussionis, nam si Clerico solemniter ministranti in altari quis leviter manus intulerit, non erit levis, sed gravis injuria, quæ aliàs levis esset, sic injuria illata puero in dorso, manu, &c. Erit levis, illata verò seni erit gravis. Legas *Riccium par.* 4. *decis.* 3. *Bonacinam ubi suprà.*

Tertio, percussio est mediocris, quæ media dicitur inter levem, & enormem, & hæc ex variis circumstantiis judicanda est, nec potest de hac re certa regula tradi, sed ad Episcopum pertinet judicium, ità *Toletus lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 50. *Layman lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 6. *n.* 10.

Sciendum est tertio, posse Episcopum absolvere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici levem, ità ait Summus Pontifex *in cap. pervenit de sententia excommunic.* quam facultatem, utpotè ordinariam delegare poterit Episcopus, quam etiam facultatem habet Vicarius Generalis, utpotè ordinarius Judex, & faciens unum Tribunal cum Episcopo. Immò potest Vicarius hanc facultatem alteri delegare. *Bonacina*, & alii locis citatis.

Ampliatur, ut possit Episcopus absolvere laicum, vel Clericum, qui Monachum leviter percussit, nam ad ordinarium loci talis percussio spectat, non verò ad superiorem Monachi: sic fuisse decisum in Curia Archiepiscopali docet *Riccius in praxi resolut.* 439. legas *Barbosam de potestate Episcopi par.* 3. *all.* 105. *nu.* 50.

Ex quo habes, quòd ab enormi percussione Clerici absolvi quis non potest, nisi per Summum Pontificem: à mediocri verò potest Episcopus absolvere clericos collegialiter viventes, si fortè unus alterum percussit, licèt non possit absolvere ab enormi, *cap. quoniam de vit. & honestat. Cleric. Barbos. par.* 2. *alleg.* 41. *nu.* 6. sicut religiosi degentes in claustris à propriis superioribus sunt absolvendi, *cap. monachi de sententia excommunic. cap. religioso, eodem titulo in* 6. *DD. cit. cap. Canonici, cap. cùm illorum, de sententia excommunic.* omnes enim superiores religiosorum, ut Propositi, Guardiani, Priores, &c. ex privilegio eis concesso per sacros Canones, possunt suos subditos à levi percussione absolvere.

Sciendum est quarto, in multis casibus posse Episcopum absolvere à mediocri, & enormi percussione, & primo, quandò Clerici collegialiter viventes se mediocriter, vel enormiter percusserunt, *cap. quoniam de vita, & honest. Cleric. & in dict. cap. pervenit, de senten. excomm.* sicut etiam religiosi se invicem percutientes, ab eorum Prælatis sunt absolvendi, *dict. cap. cùm illorum, de sentent. excommunic.* quòd si religiosus unius claustri percusserit alium alterius claustri, tunc erit absolvendus ab utroque superiore, poterit tamen unus superior alteri vices suas committere, & delegare; quòd si religiosus percusserit Clericum sæcularem debet absolvi ab Episcopo, quandò percussio est levis: *cap. religiosi, de senten. excommun. in* 6.

Secundus est casus, quandò percutientes sunt impuberes, quia isti possunt absolvi ab Episcopo, non solùm ab excommunicatione ob levem, sed etiam ob enormem percussionem factam tempore impubertatis, etiamsi petant absolutionem, postquàm facti sunt puberes: *cap. ultimo de senten. excommunic.* Immò putant aliqui probabile, juventutem esse sufficientem causam excusantem aliquem, ne Romam adeat, & ideò juvenem putant, quamvis puberem posse absolvi ab Episcopo, legas *Bonac. ubi sup.*

Tertius est casus, quandò sumus in mulieribus cujuscumque ætatis, & conditionis, quia hæ possunt absolvi ab Episcopo; *cap. mulieres de sentent. excommunic.* quod verum est, etiamsi percussio fuerit cum homicidio conjuncta, *d. c. mulieres.* Ideò mulieres, si sint divites, possunt ab Episcopo absolvi, & à fortiori procedit in monialibus, *cap. de monialibus de sentent. excommunic.*

Quartus est casus, quandò sumus in illis, qui sunt impotentes ad iter faciendum, *cap. cætero. de sentent. excommun.* undè si quis ob capitales inimicitias non posset Romam ire, etiamsi inimicitias contraxerit ex sua culpa, poterit absolvi ab Episcopo ob enormem percussionem, quia non est verisimile, Summum Pontificem voluisse sibi reservare absolutionem excommunicationis cum tanto incommodo, sublato tamen periculo tenentur Summum Pontificem adire, alioquin novam contrahunt excommunicationem, qua de re *Bonacina loc. cit. num.* 10. legas *tex. in cap. ea noscitur, & cap. quamvis de senten. excommunic.*

Quintus est casus, quandò sumus in pauperibus, qui iter agendo arte sua uti nequeunt, & essent adstricti mendicare, quia non tenentur cum verecundia quærere victum in itinere, *cap. quòd de his, de sentent. excommunicat.* judicantur verò pauperes arbitrio Judicis. *Riccius dec.* 140. *par.* 4. in Curia autem Archiepiscopali nostra decisum fuit, filium-familias infrà pubertatem esse absolvendum ab Episcopo, puberem verò mittendum esse ad Curiam, *Riccius dec.* 227. *par.* 4. *&* 1. *dec.* 156.

Adverte tamen primo, quòd Episcopus posset absolvere quoscumque sibi subditos ab excommunicatione etiam propter enormem percussionem, dummodò delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, *Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *Bonacina disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 5. *nu.* 18.

Adverte secundò, quòd percussor Clerici, antequàm absolvatur, debet regulariter satisfacere Clerico, *cap. Parochianos, cap. ea noscitur, cap. quamvis, de sentent. excommun. in* 6. quæ satisfactio consistit, ut ultrà damna existimetur injuria, & satisfiat Clerico in pecunia *cap. olim de injuriis, & damno dato. Abbas in dict. cap. ea noscitur,* & Judex poterit taxare secundùm qualitatem, & quantitatem injuriæ, & personæ, *cap. quòd fieri* 3. *q.* 3.

Adverte tertio, quòd si fuisset percussus Monachus, non sufficeret satisfacere dicto monacho, sed esset necesse satisfieri Abbati, & toti monasterio, cum injuria facta monacho, censeatur facta Abbati, & toti Monasterio; *l. in personam*, & ibi *DD. ff. de pactis*, sic decisum in Curia Archiepiscopali docet *Riccius par.* 3. *decis.* 34. posset tamen Abbas remittere injuriam factam Monacho, etiam ipso ignorante, vel invito, *Gomes.* 3. *tom. variar. resol. cap.* 6. *de injuriis. num.* 6. *Surd. dec.* 89. *num.* 12. qui docet id de injuria facta filio, quam dicit posse remittere Patrem filio invito: & pro injuria facta Monacho competit actio querelandi Abbati etiam proprio nomine,

nomine, *l. injuriarum actio*, & ibi *glossa*, *& DD. C. de injuriis.*

Adverte quarto, quòd si excommunicatus, ut absolutionem obtineat, non possit satisfacere, debet præstare fidejussoriam cautionem de satisfaciendo, quandò poterit, *cap. ex parte de verb. signific. cap. solet, de senten. excommun. in 6. glossa in Clem. 2. de hæreticis, Riccius par. 3. decis. 198. Diana parte 1. tract. 11. resol. 24.* Dicitur verò impotens ad satisfaciendum ille, qui non potest commodè, putà si non possit satisfacere, nisi notabiliter viliùs vendat bona sua, & potest etiam differre satisfactionem, absque magno damno alieno, *DD. cit.*

### *In §. Judicis, cum duobus sequentibus.*

Agitur hîc de excommunicatione lata à Judice, ad cujus intelligentiam sciendum est, quòd quandò Judex sivè ordinarius, sivè delegatus ille sit, profert sententiam excommunicationis, debet præcedere monitio, *cap. pastorales, §. præterea de officio ordinarii, Navarr. cap. 27. num. 50.* & debet ferri in scriptis, & exprimi debet causa, & dari copia petenti; &, si contrarium fecerit, erit per mensem suspensus, *cap. 1. de sentent. excommunic. in 6.* quod adeò verum est, ut procedat, sivè excommunicatio feratur in personam certam, sivè incertam, ideò sine scriptis dicitur temerariè fieri excommunicatio; immò addunt *DD. in dict. c. 1. de sentent. excommunic.* quòd id procedit etiam in præcepto, quod facit Episcopus de aliquid faciendo sub pœna excommunicationis, quia in tali præcepto continetur etiam sententia excommunicationis.

Quandò verò excommunicatio fertur per vim statuti, vel mandati habentis vim statuti, tunc non requiritur scriptura; veluti si Vicarius alicujus Diœcesis præciperet sinè scriptura, quòd omnes Clerici accedant ad processionem sub pœna excommunicationis, vel suspensionis ipso facto incurrenda, *DD. hîc.*

Non tamen erit invalida, excommunicatio, quandò non posset haberi copia Notarii, vel alterius scribæ, licèt in scriptis non fieret excommunicatio, sicut neque esset invalida, quandò fieret sine scriptis, dummodò tamen periculum esset in mora, *glossa in dict. cap. 1. de senten. excommun.*

Requiritur secundo in excommunicatione quæ fertur à Judice, ut præcedat monitio, aliàs excommunicans sine ea incidit in pœnam suspensionis, *cap. sacro de sentent. excommun.* quæ monitio trina esset debet, licèt unico monitorio fieri possit, scilicet moneo te ad hoc faciendum, vel non faciendum intrà 15. dies, & assignatur quinque ejus pro prima monitione, quinque pro secunda, & quinque pro tertia monitione, quæ monitio personalis esse debet nec sufficit, si fiat ad domum nisi in quatuor casibus. primus est, quandò monitus latitat, secundus, quandò semel fuit personaliter citatus, tertius, quandò monitio, seù citatio domi facta pervenit ad notitiam citati, quartus, quandò fuit malè absolutus, *DD.* apud *Riccium hîc.*

Ex *§. sed quæri notabis*, quòd in dubio Judex excommunicans aliquem, intelligitur excommunicatio de majori ex *tex. in cap. penul. de senten. excomm.* Ratio est, quia nemo excommunicatur nisi pro mortali, & peccatum mortale per se operatur exclusionem à Sacramentis, sicut etiam excommunicatio minor, ergo ut aliquid operetur excommunicatio lata à Judice, vel à Jure, debet intelligi de majori. Non nego tamen, posse aliquem excommunicari ab homine etiam pro culpa veniali, qua de re videas *DD. hîc.*

### *In §. quorum, usque ad §. si quis tamen.*

Agitur hîc de effectibus excommunicationis majoris, præsertim de privatione humanæ conversationis seù civilis communicationis, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd cuilibet excommunicato per se loquendo est vetitum communicare cum aliis fidelibus. *cap. nuper, cap. si aliquandò, de sententia excommunication.* dixi per se, quia potest per accidens communicari cum excommunicato, putà ratione necessitatis, sicut neque peccat excommunicatus toleratus, communicando cum aliis fidelibus, quandò ipse non se ingerit spontè, sed ab ipsis invitatur, provocatur, qua de re *Filiucc. tract. 13. cap. 3. quæst. 9.* quia cùm in extravaganti ad evitanda scandala concessum sit fidelibus privilegium communicandi cum excommunicatis toleratis, per consequens fideles non possent uti hoc privilegio, nisi etiam excommunicati tolerati excusarentur à peccato, participando cum ipsis fidelibus quia alioquin fideles peccarent inducendo excommunicatos ad præstandum id, quod præstare non possunt absque peccato.

Sciendum secundo est, quòd excommunicatus venialiter tantùm peccat participando cum fidelibus voluntariè in actionibus humanis, quia facit contrà obligationem censuræ in materia levi & putant etiam *DD.* communiter. toleratum præsentantem aliquem in beneficio, peccare solùm venialiter, secùs, si sit excommunicatus vitandus, quia tunc acta facta sunt invalida, & consequenter peccat ea faciendo, *DD.* quos refert & sequitur, *Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. 6. §. 1. nu. 2.*

Quòd si excommunicatus participat cum infidelibus, nullo pacto peccat contrà censuram, neque peccant infideles participando cum excommunicato vitando, quia Ecclesia non separat excommunicatum à consortio infidelium, sed à consortio fidelium, & Christianorum *cap. omnis Christianus cap. Egeltrud. 3. qu. 4.*

Sciendum est tertio, participantem cum excommunicato vitando in actionibus humanis, & rebus civilibus, peccare solùm venialiter, quia videtur talis materia levis, communicans vero in divinis, puta in sepultura, in Sacramentis, & officiis publicè celebratis, graviter peccant, ut si quis audit Missam cum excommunicato vitando, aut cum eo assistit divinis officiis, tunc enim peccat mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ, qualis esse videtur, si quis audit principium Missæ cum excommunicato vitando usque ad Epistolam, vel si assistit cum excommunicato vitando tempore, quo canitur unus Psalmus, & observa, quòd non est eadem materia gravis in privata recitatione cum excommunicato, quæ est gravis in publica recitatione, quia excommunicatus vitandus dicens officium cum alio privatè, non peccat mortaliter, quia non videtur hoc prohibitum, sicut est prohibita participatio in divinis officiis publicis, *Coninch. disp. 14. dub. 7. num. 55.*

Quod adeò verum est, ut communicans cum excommunicato vitando, incurrat excommunicationem minorem, *cap. nuper. de senten. excommunicat. cap. ult. de Cleric. excomm. ministrante:* immò datur casus, quò excommunicatus communicans cum excommunicato, peccat mortaliter, & majorem incurrit excommunicationem, & hic casus est, quandò communicat in crimine criminoso, id est quandò cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio, *cap. si concubina, & dict. cap. nuper de sentent. excommunicat.* Ideò quandò est lata excommunicatio contrà concubinarium eo quòd noluerit concubinam de domo expellere, præbens auxilium, favorem, vel consilium,

concur-

concubinario ad retinendam domi concubinam, peccat mortaliter, & incurrit majorem excommunicationem, quia participat in crimine criminoso, sic qui dat consilium percussori Clerici denunciato excommunicato, nè exeat ab illa excommunicatione; sic qui dat consilium, vel favorem, ne consanguinei, vel affines recedant à matrimonio celebrato intrà gradus prohibitos scienter celebrato, *Clem. 1. de consanguinitate, & affinit. est excommunicatus totiès, quotiès participat in hoc crimine criminoso.* Immò putant *DD.* quos refert, & sequitur *Bonacina ubi suprà num.* 8. in eamdem excommunicationem incidere Episcopum participantem in crimine criminoso cum excommunicato, quia Episcopus ligatur excommunicatione lata in Jure Communi, ut est ista, de qua in *d. cap. nuper*, Summus Pontifex verò tali censura non ligatur, quia est suprà Jus Commune, ex quo Jure Communi talis censura dependet.

Ut autem dispositio *text. in d. cap. nuper*, procedat, requiruntur plura, primò requiritur, ut fiat participatio in crimine, postquàm criminosus contraxit excommunicationem, & ideò eam non incurrit communicans in primo actu, ob quem criminosus principalis ligatur excommunicatione, quia criminosus hoc casu non est adhuc excommunicatus, secundo requiritur, ut fiat participatio in eodem crimine, propter quod alter excommunicatus fuit, tertio requiritur, ut sciat communicans illum, cum quo participat, fuisse excommunicatum. ob tale crimen, quarto requiritur, ut ille, cum quo participat sit excommunicatus vitandus, & sit denunciatus talis; undè participans cum publico Clerici percussore, non est excommunicatus, si ille non sit ut talis denunciatus, ut in *dict. cap. nuper*, tandem requiritur, ut cooperatio non sit adeò levis, ut pro nihilo habeatur, quia ad incurrendam majorem excommunicationem requiritur materia gravis ad peccatum mortale, *DD. cit.*

Sciendum est quarto, non licere communicare cum excommunicatis vitandis in his rebus, quæ exprimuntur his versibus.

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur*
*Si quis pro delicto Anathema efficiatur.*

*Os*, per hanc particulam prohibetur confabulatio, & allocutio, sivè fiat per litteras, sivè per Nuncios, sivè per alia signa, putà per oscula, amplexus, & similes; quòd si Titius excommunicatus osculetur Caium, quem Caium etiam Seius osculatur, hic Seius non est excommunicatus, nisi fecissent simul conventionem Titius, & Seius deosculandi Caium, intelligitur etiam per hanc particulam prohibita munerum acceptio.

*Orare*, per hanc particulam censetur prohibitum orare cum excommunicato vitando. Ideò non licet audire Missam cum excommunicato vitando, nec interesse simul divinis officiis, non tamen esset communicare cum excommunicato, si dùm ego audio Sacrum, ipse per Ecclesiam obiter transeat, licèt aliquantulùm oret, vel si sit in aliqua parte Ecclesiæ negotiando, dùm ego audio Sacrum. ità *Cajetanus*, & *Armilla*, quos refert, & sequitur *Riccius hic.* Rationem assignant, quia parum pro nihilo reputatur & si est in Ecclesia negotiando, non dicitur formaliter interesse divinis, sed tantùm materialiter; poterit tamen excommunicatus toleratus, vel etiam vitandus interesse Concioni, *cap. responso de sententia excommunicationis*, nam concio non venit nomine divinorum officiorum, quæ sunt prohibita excommunicatis, neque prohibetur excommunicatis communicatio tendens ad ipsius emendationem, & salutem; latè *Alterius de censuris lib. 1. disput.* 10. *cap.* 3. immò licitum est etiam excommunicato tolerato concionari, quandò petitur ab aliis ad habendam concionem, quia hoc tendit non in favorem excommunicati, sed aliorum, qui non tenentur evitare excommunicatum non toleratum, peccaret verò excommunicatus ingerendo, & adhibendo se propria sponte ad concionandum, quamvis non incurrat irregularitatem, *Bonacina disp. 2. quæst. 2. pun. 3. §. 2. num.* 10.



*Vale*, per hanc particulam prohibetur salutatio, & resalutatio: non quidem omnis, sed quæ fit verbis expressis, vel litteris, ex quo licitum est salutare excommunicatum absque verbis, puta aperiendo caput, movendo labia, assurgendo, dando locum in sedili, vel similia signa præbendo in signum urbanitatis, aut sine animo salutandi, vel resalutandi, sed intrà se dicendo Deus te convertat, & similia, nam nomine salutationis propriè intelliguntur literæ, & verba, etsi contrarium putet probabilius *Bonacina quæst. 2. par. 6. §. 2. nu. 4. Diana par. 5. tract. 9. resolut.* 110.

*Communio*, prohibetur per hanc particulam participatio Sacramentorum activè, & passivè item participatio, quæ fit cum excommunicatis in habitatione, vel exercitio, aut contractu: ideò non licebit dormire cum excommunicato in eodem lecto, licebit tamen dormire in diversis lectis positis in eodem cubiculo, modò illi, qui sunt in eodem cubiculo, non sint ibi per modum societatis, quia tunc dicerentur simul communicare, possunt tamen excommunicatus, & non excommunicatus dormire in eodem lecto, quandò id non faciunt per modum societatis, sed ut unusquisque suam capiat quietem, & ideò si duo perveniant in eodem diversorio, & unus tantùm lectus eis conceditur, poterunt ibi dormire, etiamsi unus sit excommunicatus, alter verò, non. *Suarez de censuris dispu.* 15. *sect.* 2. *n.* 8. prohibetur etiam facere contractum cum excommunicato vitando, quamvis contractus sit validus, & alter contrahens possit agere contrà excommunicatum, licèt excommunicatus non possit agere adversùs alterum contrahentem, donec absolvatur *Coninch. disput.* 14. *dub.* 12. *nu.* 119. Prohibetur etiam gerere aliquod opus cum excommunicato, quod postulet mutuam operam, prout est simul ædificare parietem, vel cadaver lavare, aut vestire, & similia, nam hæc est quædam communicatio, & cui non communicamus vivo, non debemus communicare mortuo.

*Mensa*, per hanc particulam prohibetur quis comedere cum excommunicato, sivè invitatio fiat in una, sivè in diversis mensis. Quandò autem accumbit quis in mensa valdè distincta ab ea, in qua accumbit excommunicatus vitandus, non videtur peccare, quia non censentur moraliter simul edere in eodem convivio, *DD. citati*, quandò verò quis reperitur in aliqua caupona, ad quam divertit etiam excommunicatus vitandus, posset in eodem cubiculo, immò in eadem mensa comedere, modò quisque suum habeat cibum, nec comedat per modum societatis, sed unusquisque suæ intendat refectioni, *DD. ubi suprà.*

Sciendum est quinto, licitum esse communicare cum excommunicato vitando in his casibus, qui exprimuntur hoc carmine.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*
*Hæc anathema solvunt, ne possit abesse.*

*Utile*, per hanc particulam intelligitur utilitas tam spiritualis, quàm temporalis ipsius participantis cum excommunicato, aut ipsius excommunicati participantis cum alio, modò utilitas sit vera, & non ficta. Ideò potest Concionator habere concionem coràm excom-

excommunicato vitando, quia dirigitur concio ad utilitatem ipsius excommunicati: sicut licitum est consulere excommunicato, ut resipiscat, *cap. cum voluntate, de sententia excommunicationis.* Sic licitum est persuadere excommunicato, ut parti læsæ satisfaciat, vel Reipublicæ, sic licet petere consilium ab excommunicato pro se, vel pro aliis, dummodò non adsint alii non excommunicati, qui valeant hoc munus æquè benè præstare, sicut licet etiam petere suum creditum ab excommunicato vitando, vel prosequi societatem initam per prius; sic licet à medico excommunicato vitando petere auxilium, vel medicinas, licitum est etiam excommunicato vitando petere privatim suum creditum, licèt non in judicio, quia tunc repellitur, *cap. quia de exception. in 6.* Verùm in tribunalibus sæcularibus solent etiam petere suum excommunicati.

An verò præceptor legens lectionem coràm multis discipulis, quorum unus est excommunicatus vitandus, teneatur lectionem omittere quæstio est? Affirmant enim, teneri lectionem omittere, DD. multi, quos refert, & sequitur *Bonacina par. 3. §. 2. nu. 12.* negant verò alii, & meliùs, ut *Suarez, Henriquez, Filiuccius,* & alii apud eundem *Bonacinam*, nam hoc casu adest species utilitatis, per scientiam enim perficitur mens hominis ad divina contemplanda, & sic ad censuras aufugiendas.

Quòd si excommunicatus faceret legatum alicui, ut oretur pro ipsius anima, valebit legatum, nam interpretari debet de oratione privata, quæ potest licitè fieri pro excommunicato: immò poterit legatum recipi, licèt dictum sit, ut oretur pro excommunicato oratione publica, quia conditio turpis habetur pro non adjecta in legatis. *Avila par. 2. cap. 6. disput. 11. dub. 4.*

*Lex* per hanc particulam intelligitur lex, & jus matrimonii; appellatur enim matrimonium lex: quia sub viri jugo esse debet, *cap. 1. & 2. de secundis nuptiis*, quapropter licebit etiam excommunicatis vitandis petere, vel reddere debitum, quòd si uxor contraxerit matrimonium sciens, maritum esse excommunicatum, peccavit quidem contrahendo matrimonium, non tamen peccat petendo. vel reddendo debitum, quia,cùm sit validum tale matrimonium, *cap. quoniam multas 11. quæst. 3.* meritò tale jus oritur: hoc tamen non procedit in sponsa de futuro, quæ non potest cum marito hos actus facere, cùm ipsa nondùm sit uxor, nec obligetur ad obsequia sponsi. DD. *citati, Diana par. 3. tract. 9. resolut. 122.* etiamsi scienter contraxisset matrimonium cum viro excommunicato: & ècontrà maritus potest communicare cum uxore excommunicata, *resol. 123.* Sponsus cum sponsa per verba de præsenti, possunt, secùs si de futuro. *resol. 126.* & servi cum Domino *resol. 124. & 125.* & filii inter se, & conservi, etiam filii emancipati, naturales, &c cum Patre excommunicato possunt participare, *Diana par. 5. tract. 9. resol. 118.* nepotes, pronepotes, nurus, gener, socer, privignus, privigna, & pupillus, latè *Diana par. 5. tract. 9. resolut. 119.* & ècontrà pater cum filio excommunicato potest communicare, & cum servo excommunicato *resolut. 120.* & tandem cum excommunicato licitum est communicare in diversa mensa, *Diana ubi suprà resol. 121.*

Hoc tamen limitatur, quandò uxor communicaret cum marito in crimine criminoso, ideò si maritus sit excommunicatus, quia dubitatur,an matrimonium sit legitimè contractum, non poterit uxor petere debitum nec in divinis secundùm probabiliorem sententiam potest uxor communicare cum marito excommunicato vitando, nec quandò uxor petit divortium à viro quoad habitationem, legas *DD. citatos.*

*Humile*, per hanc particulam intelligitur licere servis, subditis, militibus, filiis, sivè adoptivis, sivè carnalibus, sivè masculis, sivè fœminis communicare cum suis superioribus, parentibus, & similibus, sic pupillus cum tutore excommunicato communicare poterit: *cap. quoniam 11. quæst. 3.* sic Clericus potest inservire Episcopo excommunicato, dùm est in ejus famulatu, alii verò Clerici non possunt, *cap. miratus, 93. dist. cap. ultimo de excess. Prælat.* intellige ut possint communicare etiam in divinis, *DD. citati per Bonacinam disput. 2. q. 2 punct. 6. §. 2. nu. 37.* Quod privilegium habent etiam Domini, ut possint scilicet communicare cum servis excommunicatis vitandis. Idem Prælati, & Patres ut possint communicare cum subditis, & filiis excommunicatis vitandis.

Non tamen possunt vasalli cum suis Principibus temporalibus communicare, si fuerint tales Principes excommunicati vitandi. *cap. Nos Sanctorum 15. quæst. 6.* Jus post sententiam declaratoriam criminis eximit vasallos ab onere, quo se adstrinxerunt ad serviendum Domino, *cap. ultimo de pœnis*, Privatur enim Princeps excommunicatus usu jurisdictionis, licèt non privetur solutione, & exactione tributorum, quæ ei debentur, quamdiù Princeps non privatur domino temporali, *Filiuccius tract. 16. cap. 6. quæst. 2.* qui alios refert.

Nec tandem habent hoc privilegium filii spirituales, ut possint communicare cum eorum parentibus spiritualibus excommunicatis, quia jura non loquuntur de tali filiatione; nec potest servus per se, & directè communicare cum alio servo excommunicato vitando, nec frater cum alio fratre, quia de his non loquitur privilegium, nec unus est alteri subjectus. Per accidens verò communicare possunt, & habitare cum eodem Patre quatenùs fratres idem Patri inservire debent, vel servi eidem domino, non desunt tamen alii docentes, fratres posse communicare inter se: qua de re, *Alterius lib. 1. disp. 15. cap. 4. dub. 1.*

*Res ignorata*, per hanc particulam datur intelligi excusari à censura, & à peccato eos, qui cum ignorantia culpabili, vel cum inadvertentia communicant cum excommunicato vitando, quia ignorantia & inadvertentia à peccato excusat, *dict. cap. quoniam multos 11. quæst. 3. cap. Apostolicæ de Clerico excommunicato*, quandò verò quis dubitat aliquem esse denunciatum, sed certò scit eum esse excommunicatum, tunc potest eum evitare si vult, licèt illum non teneatur evitare, quandò autem dubitat eum esse denunciatum & excommunicatum, non potest, nec debet illum evitare, quia evitando eum, exponeret se periculo faciendi illi injuriam, & privandi illum jure suo. *Sanchez in summa lib. 1. cap. 10. num. 69. Alterius lib. 1. disp. 15. cap. 5.*

Non potest tamen allegare ignorantiam ille, qui ex proprio ore excommunicati audivit, eum esse vitandum, nam habet moralem certitudinem, vel qui per publicam famam id cognovit, vel qui à Parocho per publicos cedulones id percepit, secùs, si Parochus mihi dixisset ore, aliquem esse denunciatum, non ostendens litteras denunciatorias, quia tunc non teneor illi credere, cùm uni testi etiam fide digno necessariò non credatur, *cap. cùm à nobis, de testibus, & attestationibus.* Putat autem *Avila* apud *Bonacinam loc. cit.* me non teneri eum evitare, qui publicè est Romæ v. gr. denunciatus, sed hìc nescitur, an sit excommunicatus, vel saltem à paucis scitur.

Quandò autem dubitat quis, an sit excommunicatus, sivè sit dubium Juris, sivè facti, poterit habere se, ut non excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum, ità *Sanchez in summa lib. 1. cap. 10. num. 4.* quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem; solùm enim in dubio facti homicidii in materia irregularitatis, judicandum esse aliquem

aliquem irregularem statuerunt jura in *cap. ad audientiam*, *& cap. significasti de homicidio.*

*Necesse*, per hanc particulam datur intelligi, necessitatem excusare aliquem à peccato, participando cum excommunicato vitando, excusat etiam excommunicatum cum aliis participantem, *dict. cap. quoniam multos* 11. *q.* 3. quod procedit sivè necessitas sit temporalis, sivè spiritualis, sivè pertineat ad victum, sivè ad vestitum, sivè ad habitationem, nec solùm sermo est de necessitate extrema, sed etiam de omni alia, in qua tenemur alium ex consilio sublevare, ex quo benè sequitur, me posse dare eleemosynam excommunicato vitando, qui ea indiget ad vitam vel ei tradere equum, quo ipse indiget ad iter faciendum, sicut potest prædicator, vel confessarius petere eleemosynam ab excommunicato vitando, etiamsi ab aliis eam possint obtinere, *dict. cap. cum voluntate, de sentent. excommunic.* sicut possunt etiam communicare cum excommunicato vitando, quandò communicatio est necessaria ad conciliandam pacem aliorum, vel ad evitandum scandalum, ratio est, quia adest sufficiens necessitas, neque teneor contractum societatis quem feci antè excommunicationem, dissolvere posteà secuta excommunicatione, DD. *ubi suprà.*

Ex quibus benè sequitur, à fortiori eum excusari ab excommunicatione, qui communicat cum excommunicato, si per metum gravem, vel per vim cogitur interesse divinis simul cum excommunicato, neque hic talis tenetur claudere oculos, vel obturare aures, ut benè *Avila de censuris disp.* 11. *dub.* 13. quia obturando aures, vel claudendo oculos non per hoc dicitur non interesse Missæ, cùm etiam surdus, & cœcus possint Missæ interesse: Nec Deus respicit actum, sed spontaneam voluntatem, *cap.* 1. 11. *quæst.* 6. *cap. si quid* 14. *quæst.* 5.

*In §. si quis tamen.*

COnclusio hujus textûs est, posse absolutionem ab excommunicato peti ad cautelam, quandò scilicet ignoratur, an contracta fuerit censura, necne, vel quandò prætenditur esse invalidam, ob majorem conscientiæ tranquillitatem, nam abundans cautela non nocet, *l. testamentum, C. de testam.*

Limitatur conclusio, ut non possit peti absolutio ad cautelam, quandò excommunicatio fuit justa, neque quandò injusta, quia ligat, *cap.* 1. 11. *quæst.* 3. sed solùm quandò dicitur nulla ex quavis causa nullitatis etiam exemptionis, & est aliquod dubium de nullitate, aliàs non conceditur, *DD. hic*, est enim magna differentia, an sit nulla excommunicatio, an verò injusta, quia nullitas non continet injustitiam, nam injustitia supponit rei existentiam, nullitas verò minimè, qua de re *Abbas in cap. cùm contingat de officio delegati.*

Limitatur conclusio secundò, ut hæc absolutio ad cautelam possit peti in sententiis censurarum latis ab homine, quia illæ possunt esse injustæ, & nullæ; non verò procedit in censuris, latis à Jure, quæ cùm sint justæ & validæ, non potest ab eis peti absolutio ad cautelam nec potest absolutio ad cautelam peti à sententiis latis in Synodo. DD. quos refert & sequitur *Ricc.* hîc.

Adverte tamen primo, quòd non potest absolvere à censuris ad cautelam ille, qui non potest directè absolvere. Secundo in absolutione ad cautelam est citanda pars. Tertiò petens absolutionem ad cautelam debet saltem summariè, & semiplenè probare nullitatem excommunicationis. Quarto, quòd hæc absolutio ad cautelam fiat cum cautione de parendo, si apparebit, eum justè excommunicatum, qua de re *Riccius in præsenti.*

*In §. Sed hoc casu.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si quis fuerit excommunicatus ab Archidiacono (in casu quo ei de consuetudine, vel permissione Episcopi concessum est, *cap. ad hæc de officio Archidiaconi ubi Doctores.*) vel ab Episcopo, non potest talis excommunicatus, omisso medio, id est Episcopo, absolutionem petere à Metropolitano, quia regulariter nullam habet Archiepiscopus, vel Metropolitanus potestatem in subditos Suffraganeorum, *cap. pastoralis de officio ordinarii*, nisi quatenùs reperitur expressum in Jure. *Abbas in cap. sicut unire, de excessib. Prælatorum*: quam verò potestatem habeat Archiepiscopus in Suffraganeos, videas *Quarantam in summa Bullarii in verb. Archiepiscopi auttoritas*, *& Genuensem in praxi cap.* 70. qui docent posse Archiepiscopum carcerare Vicarium Episcopi Suffraganei, & ad suos carceres ducere: undè malè fecit quidam Episcopus Capuanæ, Urbis Suffraganeus, dùm conquestus fuit apud Sacram Congregationem, quòd Archiepiscopus Capuanus carcerare fecisset Vicarium ipsius, dùm non curabat ad Metropolitanam Curiam acta transmittere, qua de re legas *Donatum Antonium de Marinis resolut. quotidian. cap.* 18.

Limitatur verò conclusio, quandò de consuetudine servaretur oppositum, quàpropter in dies servari docet idem de *Marinis cap.* 17. quòd à sententiis Episcopalis Curiæ omisso medio, Metropolitano scilicet, recurritur ad Sedem Apostolicam.

*In §. Sede vacante.*

COnclusio hujus textûs est posse Capitulum sede vacante ab excommunicatione eos absolvere, quos Episcopus, si viveret, poterat absolvere, *cap. unico de major. & obed.* & ratio est, quia Episcopo mortuo naturaliter, vel civiliter, puta capto ab hostibus, succedit capitulum in omnia jura ipsius tam spiritualia, quàm temporalia, præterquàm in casibus exceptuatis, quæ regula colligitur ex *text. in cap. cùm olim de major. & obed.* ubi *Abbas*, *& ex cap. unico eodem tit. in* 6. *cap. Episcopus de supplenda negligentia Prælatorum.*

*In §. Ubi verò cum quatuor sequentibus.*

PRima Conclusio horum Jurium est, quòd quandò superior videt, excommunicationem esse justam, debet eum remittere ad excommunicatorem, nec eum absolvere, nisi tamen excommunicator requisitus, dolo denegaverit absolutionem excommunicato, *cap. venerabilibus, §. sanè de excommunic. in* 6. quòd si eum absolvat, tenet absolutio: licèt injusta, ut in *dict. cap. venerabilibus.*

Secunda conclusio est, quòd si superior videat sententiam esse injustam, non debet remittere excommunicatum ad suum excommunicatorem, sed eum absolvere sine difficultate debet.

Tertia conclusio est, quòd si dubitetur, an sit justa, vel injusta excommunicatio, poterit superior illam tollere: licèt honestiùs faceret superior, remittendo eum ad excommunicatorem ab eo absolvendum, ut in *dict. cap. venerabilibus.*

Quarta Conclusio est, quòd nunquàm debet concedi absolutio, nisi præstita cautione, & juramento dato de non committendo ampliùs illud delictum, & de parendo mandatis Ecclesiæ, seù superioris absolventis, quod observandum est in atrocibus delictis, *Navarr. in summa cap.* 20. *num.* 20. debet etiam præcedere satisfactio, quandò pars est læsa, quòd si non possit neque in totum, neque pro parte præstari

præstari talis satisfactio, debet præstari cautio pignoratitia, vel fidejussoria, vel saltem juratoria; qua de re *Sayr. de censs. lib. 2. cap. 19. nu. 11.*

*In §. Multùm etiam Intererit cum sequenti.*

PRima Conclusio horum jurium est, quòd si quis petierit beneficium absolutionis à censuris, & appellaverit ad Summum Pontificem, vel alio modo conqueratur de nullitate excommunicationis, tunc debent recipi probationes ex utraque parte, scilicet Episcopi, & excommunicati, per quas probationes apparebit, an absolutione indigeat conquerens, vel potiùs sit denunciandus non ligatus.

Secunda Conclusio est, quòd si quis asserat se injustè excommunicatum, & Episcopus ostendere est paratus, quòd justè excommunicaverit, non est audiendus Episcopus, nam etiamsi probaret injustè excommunicasse, adhuc deberet absolutionem impendere: non enim debet admitti quis ad probandum quod probatum non revelat, *l. ad probationem, C. de probat. cap. per tuas, de simonia.*

*In §. Quòd si quis cum duobus sequentibus.*

PRima Conclusio horum jurium est, quòd si quis pluribus excommunicationibus innodatus, & vellet petere absolutionem ab una tantùm, & pro una solùm causa satisfacere, non erit absolvendus, quia præsumitur subreptitia absolutio. *cap. ex parte de officio ordinarii.*

Secunda conclusio est, quòd si sciat ordinarius, per surreptionem fuisse impetratam absolutionem ab Apostolica Sede, debet absolutum remittere ad Sedem Apostolicam, cùm non sit absolutus, absolutio enim obtenta per subreptionem, non prodest, *cap. cùm pro causa, & cap. officii eodem titulo*, & litteræ super hoc impetratæ non tenent. Quòd si ordinarius non cognoverit talem subreptionem, sed solùm suspicetur eam, debet absolutum cogere ad purgationem præstandam, *dict. cap. ex parte de officio ordinarii*, dummodò de hoc laboret infamia, quòd scilicet per obreptionem sententiam obtinuerit, *cap. nos inter alia; de purgatione Canonica*; & sint infamati apud bonos, & graves viros, *cap. juventute, de purgatione Canonica.*

*§. Illud etiam.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si quis per vim, vel metum petierit absolutionem à censuris, nedùm non erit à prima absolutus, sed in aliam incidit excommunicationem, qua de re *Trid.* etiam loquitur *sess. 25. de refor. cap. 3.*

Ampliatur conclusio, sivè absolutio detur à censura justa, sivè injusta, quia qualiscumque fuerit, prohibet Lex talem absolutionem per vim aut metum *DD. hic.*

Ampliatur secundò, tam in censura lata ab homine, quàm in censura lata à Jure, *S. Antoninus par. 3. tit. 25. cap. 27.*

Ampliatur tertio, sivè id faciat per se, sivè per alium, *argumento cap. mulieres de sentent. excommunic*, quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur, *cap. qui per alium, de regul. juris in 6.* mihi tamen hoc non placet, quia regula hæc non valet in pœnalibus, nisi in casibus à jure expressis, ut in *d. cap. mulieres*, at in casu nostro id non est expressum, ergo, &c.

Limitatur conclusio primo, quandò effectus absolutionis, vel revocationis non esset sequutus, quia tunc nulla adest censura: *glossa in cap. unico de his, quæ vi, metus-ve causa fiunt DD.* hic, secundò limitatur in excommunicatione minori, quia si quis cogeret ad absolvendum à minori excommunicatione, non incideret in talem pœnam, *argumento textûs in cap. si quem, de sentent. excommun.* Tertio limitatur, quandò metus non esset gravis, sed levis, quia talis metus non est propriè talis, *l. metum autem accipimus, ff. de eo, quod metûs causa.*

*In §. finali.*

COnclusio hujus textûs est, quòd si Summus Pontifex scienter participet eum excommunicato, literis fortè, verbis, & similibus, non per hoc censetur ipsum absolvisse, nisi forsitan exprimat, ipsum velle haberi pro absoluto, quod à fortiori procedit, quandò id Summus Pontifex ignoranter fecit, ignorans scilicet, an sit excommunicatus, *cap. si aliquandò, §. interdùm, eodem titulo.* Non tamen per hoc, quòd Summus Pontifex participet cum excommunicato prædicto, ligatur minori excommunicatione, cùm sit legibus solutus: *cap. nulli, ubi DD. de sententia excommunic.*

---

## TITULUS XIV.

### DE ECCLESIASTICO INTERDICTO.

TItulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est suprà de una principaliori specie censuræ, scilicet de excommunicatione, nunc recto ordine procedendo prosequitur *Paulus* de secunda specie, scilicet de interdicto. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd interdictum est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à perceptione quorumdam Sacramentorum, à divinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica, *cap. non est nobis, de sponsalibus*, & de communi docet *Alterius de censuris tom. 1. de interdicto disput. 1. cap. 1. col. 3. Bonacina de censuris disp. 2. p. 1. nu. 1.*

Sciendum secundo est, quòd interdictum primo dividitur, quòd aliud sit ipso jure, aliud Judicis sententia. Interdictum Juris contrahitur infrà scriptis modis. Primo enim Collegium, Universitas, & alii cogentes Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas solvere gabellas pro rebus propriis, incurrunt censuram, seù interdictum, *cap. quanquàm, de usuris in 6.* Secundò interdicitur universitas locans domos alienigenis usurariis, venientibus illuc ad fœnerandum, si infrà trimestrem illos ex suis terris, & locis non ejecerint. *cap. usurarum, de usuris in 6.* Tertio Universitas concedens represalias, quibus alius pro alio prægravatur in Clericos, & personas Ecclesiasticas, *cap. & si pignorationes, de injuriis & damno dato in 6.* Quarto interdicitur Universitas, vel alia Civitas occidens Cardinales per se, vel per alios, ut in *cap. felicis de pœnis in 6.* Bulla Pii V. Incipiens *Infelicis sæculi*, & hæc Bulla innovatur quolibet anno per Bullam Cœnæ. Quinto Civitates, quæ percusserint proprium Episcopum, interdicuntur *Clementina 1. de pœnis.* Sexto interdicuntur capitula, concedentia infrà annum à die vacationis ordinarii, licentiam quocumque prætextu alicui, qui non est coarctatus ad beneficium recipiendum. *Triden. sess. 7. de reformatione.* Septimo Ecclesiæ, & Cæmeteria, apud quæ sepulti fuerint illi, qui, ab eorum Ecclesiæ Clericis, vel religiosis inducti fuerunt ad promittendum, vovendum, seù jurandum, se electuros sepulturam apud eorum Ecclesias, vel jam electam, ulteriùs non immutare, *cap. animarum periculo de sepulturis in 6.* Octavo religiosi, vel seculares Clerici celebrantes, vel celebrare facientes divina in locis ab homine, vel à jure interdictis, vel admit-

admittentes excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina officia, vel Ecclesiasticam sepulturam, *c. Episcopum de Privilegiis in 6.* Nono sunt à Jure interdicti Ordinarii locorum suadentes, vel alio modo censuris inhibentes, ne Christi fideles fratribus Prædicatoribus, & Minoribus pias eleemosinas erogare præsumant, ut in Bulla Sixti IV. Quæ incipit *Sacri Prædicatorum, & Minorum.* Multos alios casus, in quibus imponitur interdictum à Jure, legas apud *Riccium in præsenti.*

Interdictum Judicis dicitur sententia Judicis competentis ex aliqua causa terram, vel homines à divinis arcendo, ex qua definitione.

Infertur primo, causam efficientem interdicti esse illam, quæ potest alias censuras ferre, undè Summus Pontifex est causa competens censuræ, *cap. tanta de excessib. Prælator.* Secundo Episcopus etiam sine capitulo, *cap. 1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli*, etiamsi sit electus, & confirmatus, licèt non sit consecratus, *cap. transmissam de electione.* Tertio capitulum sede vacante, ut colligitur, ex *tex. in cap. is qui, de major. & obed. cap. grave de officio ordin.* Quarto Prælati religiosorum, si loquamur de interdicto personali: interdictum verò locale non possunt ferre Prælati religionum, quia eorum jurisdictio potiùs cadit in personas, quàm in loca, *Filliucc. tract. 18. cap. 1. quæst. 7.*

Infertur secundo, subjectum interdicti, si loquamur de personali, esse homines subditos ei, qui fert interdictum: Idem dic de interdicto locali, ex quo Summus Pontifex potest ferre interdictum personale, vel locale in totum orbem, idem ferre potest Concilium Generale sede vacante: moraliter tamen impossibilis videtur causa ferendi interdictum per totum orbem. Sic Episcopus in sua diœcesi potest interdictum ferre, *DD. in c. si civitas, & c. si sententia, de senten. excommunicat. lib. 6.* Religiosi verò exempti & alii Clerici à potestate Episcopi exempti ab eo interdici non possunt, *cap. quanto, de privilegiis*; nisi tamen in sequentibus casibus, scilicet si religiosus vel alius exemptus habeat beneficium aliquod in diœcesi Episcopi: quia tunc non quatenùs exempti, sed tanquàm beneficiarii poterunt interdici, ut in *d. cap. quanto*, sicut possunt exempti ratione delicti, vel contractûs gesti in diœcesi, interdici.

Infertur tertio, causam materialem interdicti esse culpam, quia est interdictum pœna spiritualis, sed pœna supponit culpam, ergo; posset tamen quis ob alterius culpam interdici, quia interdictum non est maxima censura, prout excommunicatio, ut in nostro *§. sed si propter delictum.* An pro culpa veniali *Diana par. 5. tract. 10. resol. 78. & 79.*

Infertur quarto, causam finalem interdicti esse resipiscentiam, & emendationem delinquentis, ut benè *Bonacina disp. 5. p. 2. num. 6.*

*In §. Rursùs.*

Dividitur hîc secundo loco interdictum, quòd aliud sit locale, aliud verò personale, & aliud mixtum. Locale interdictum est, quandò interdicitur locus, ne audiantur in eo divina officia. Interdictum personale est, quo prohibetur populus, vel aliqua particularis persona audire divina officia ubicùmque sit. Interdictum mixtum comprehendit locale, & personale, nam interdicitur locus, & persona. *DD. citati.*

Est autem differentia inter hæc interdicta, nam interdicto loco, non censetur interdictus populus, nisi aliud exprimatur: & posito interdicto personali, non censetur positum interdictum locale, nisi hoc à Judice exprimatur, ex quo quandò est interdicta aliqua Ecclesia, possunt sacerdotes illius Ecclesiæ, in alia Ecclesia persolvere divina officia, modò ipsi non fuerint in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, quia qui dedit causam interdicti localis, nullibi potest divina officia persolvere, *cap. sicut de senten. excommun. in 6.*

Dividitur etiam tertio loco interdictum, ut aliud sit generale, aliud particulare, seù speciale. Generale est, quandò interdicitur Regnum, Provincia Universitas, Civitas, & similia, undè quandò interdicitur Parochia, est interdictum particulare, nisi una Parochia sit in tota Civitate; quia hoc casu esset interdictum generale, sic quandò interdicitur tota Civitas, una, vel duabus Ecclesiis relictis, dicitur interdictum Generale.

Quòd si interdicatur diœcesis, non censetur interdicta Civitas, quia Civitas licèt sit caput diœcesis, tamen diœcesis accipitur in sua specie, quatenùs differt à Civitate, & in materia pœnali est facienda stricta interpretatio, & quamvis caput sit diœcesis, *c. 1. de offic. ordinarii, cap. unico de rerum permutatione in 6.* tamen hoc est verum in materia favorabili, non verò pœnali, & odiosa, ut in materia nostra, quia tunc nomen diœcesis accipitur in specie, qua de re, *Bonac. punct. 1. num. 11.*

Interdictum personale duplex est, aliud generale, aliud verò particulare: generale est illud, quo interdicitur totus populus, vel tota provincia. Speciale, quandò aliqua Academia, vel Collegium interdicitur: quòd si interdicatur totus Clerus hujus Civitatis, non intelligerentur religiosi interdicti, quia religiosi in odiosus non veniunt appellatione Cleri, sicut neque interdictis religiosis, censentur Clerici interdicti, *Bonac. loc. cit. num. 14.*

An verò interdicto populo, censeatur interdictus Clerus quæstio est?

Responsio est negativa, est enim Clericorum privilegium, ut tempore Generalis interdicti localis, in Ecclesiis tamen non interdictis possint celebrare, & ibi interesse divinis officiis, Sacrificium Missæ offerre, eique inservire, secretò tamen, submissa voce Januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis, & excommunicatis, juxtà *textum in c. alma mater, de sentent. excommun. in 6.* ubi DD. communiter, quod privilegium habent omnes Clerici etiam primæ tonsuræ, dummodò non dederint causam interdicto, *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 4.* Immò hoc ipsum habent Clerici conjugati, ut si adscripti fuerint alicui Ecclesiæ, possint admitti ad divina audienda, & celebranda, docet *Paulus Layman loc. citato*, cùm verò in favorabilibus appellatione Clericorum veniant religiosi, consequenter poterunt etiam religiosi interesse divinis officiis, sicut, & novitii religiosorum, *DD. cit.* & sic Clerici, & religiosi tenentur eo tempore, Missam audire diebus festis, quia per concessionem prædictam non liberantur ab onere audiendi Missam, *Bonacina disp. 5. p. 4. num. 22.* Et possunt etiam tales personæ Ecclesiasticæ, tempore interdicti loci sepeliri in Ecclesiis cum silentio, sine pulsu Campanæ, & sine ullo officio, *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* de jure verò novo possunt sepeliri cum officio dicto *cap. Alma mater.* dummodò, fiat cum moderamine, absque pulsatione Campanarum, & poterit dici Missa pro sepeliendo defuncto Clerico, non tamen poterit officium alternis choris per plateas dici, deferendo corpus defuncti, *d. cap. Alma mater, ubi* DD.

Quandò autem interdictum est speciale in certa quadam Ecclesia, tunc sepeliendi sunt Clerici in ea absque officio, & Missa, & sine cantu, & absque pulsatione Campanarum, quia text. in dict. cap. *Alma mater*, nihil pro eo tempore concedit, sed solùm pro interdicto generali, ergo quoad interdictum speciale

speciale loci, manet dispositio Juris antiqui: *dict. cap. quòd in te, de pœnit. & remiss.* legas *Layman dict. lib. 1. tract. 50. pun. 4. cap. 2.*

*In §. & si quidem Civitas.*

Conclusio hujus textûs est, quòd si sit interdicta Civitas, censentur interdicta suburbia, id est ædificia, quæ sunt extrà muros Civitatis, etiamsi suburbia non sint subdita illi Domino, cujus causa interdicta est Civitas, *cap. si Civitas de sentent. excommunic. in 6.* & si contrarium diceremus, esset interdictum elusorium, quia possent Cives accedere ad loca vicina ad audienda Divina. Quòd si suburbia non sint subdita Episcopo interdicenti Civitatem, suburbia non censentur interdicta ab Episcopo, sed à Jure communi, ut docet *Avila par. 5. dub. 3. ex dicto cap. si Civitas.* alii verò putant censeri interdicta suburbia, quatenùs sunt connexa cum Civitate interdicta, ità *Suarez, Sayrus*, & alii apud *Bonacinam loco cit. num. 23.* prout in simili interdicta Civitate, censentur interdictæ Ecclesiæ exemptarum religionum, *Trid. sess. 25. de regul. cap. 12. & 22.* quandò interdictum est generale.

*In §. Item cum loci.*

Conclusio hujus textûs est, quòd Cives communitatis censentur omnes interdicti, quandò est communitas interdicta, ne sententia careat effectu, & violetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, quod esse non debet, *cap. cùm inter vos, cap. si civitas, cap. si sententia, de sent. excommun. in 6.*

Ampliatur, ut interdicta Civitate, censeantur interdictæ personæ absentes à Civitate, sed ejus Cives, quia sunt partes communitatis, quòd si alibi transferant domicilium, desinunt esse interdicti, quia desinunt esse partes communitatis, dummodò non dederint causam interdicti; sicut homines, qui fiunt concives populi interdicti, efficiuntur etiam interdicti, sic amentes, & infantes, qui tempore interdicti non utebantur usu rationis, acquisito usu rationis subjiciuntur interdicto, & Ecclesia interdicta, si deindè adjiciatur Capella, etiam hæc subjicitur interdicto, *Alterius disp. 10. cap. 6. col. 4. & 5.*

Limitatur conclusio, ut scilicet interdicto populo, non intelligantur interdicti exteri alterius Civitatis habitantes, cum eodem populo, quamvis habitarent ibi ad longum tempus, quia non sunt pars illius populi, vel communitatis. An interdictum personale generale cadat solùm suprà eos, qui sunt pars illius communitatis, legas *Bonac. d. disp. 5. par. 1. n. 200.*

Limitatur conclusio secundo, ut interdicta communitate, non censeantur interdicti amentes, vel pueri carentes usu rationis, quia tales non sunt capaces delicti, & culpæ, at censura interdicti fertur in capaces doli. Privantur tamen tales personæ tempore interdicti Ecclesiastica sepultura, quia hoc est interdictum locale, quod directè afficit locum, & sic prohibet quoscumque ibi sepeliri, *DD. ubi suprà.*

*In §. excepti verò.*

Agitur hîc de effectibus interdicti. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, tres esse effectus interdicti, sivè localis, sivè personalis. Primus est privatio aliquorum Sacramentorum. Secundus privatio divinorum officiorum. Tertius privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, sic dicitur *in cap. Alma mater, cap. Civitas de sententia excommunic. in 6. cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* posset tamen Episcopus interdictum mandans, hos effectus separare inter se, ut benè *DD. cit.*

Sciendum secundo est, quòd tempore interdicti localis, sivè generale illud sit, sivè particulare, possunt administrari quibuscumque parvulis, & adultis infirmis, aut sanis Sacramentum Baptismi & Confirmationis cum solemnitatibus Ecclesiæ, *cap. quoniam de sententia excommunicat. in 6. cap. Alma mater eodem tit. Alterius*, qui de communi testatur *de interdicto disp. 4. cap. 1.* Immò in Ecclesia interdicta poterit in die cœnæ Domini confici Chrisma, cum januis clausis, nec pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis, & interdictis, nam cùm concedatur posse administrari, hæc duo Sacramenta, concedi etiam videtur, confici posse tale Chrisma, quod in eis est necessarium, ex quo interdicta Parochia, non tenetur Parochus aliam Ecclesiam adire, ut Baptismum administret, quia talis Ecclesia non est interdicta, quoad hunc effectum, *Alterius ubi suprà.*

Ampliatur hoc etiam in eo, qui est interdictus personaliter interdicto generali personali, nam etiam huic potest ministrari Sacramentum Confirmationis, cùm hoc pertineat ad quandam Baptismi perfectionem, ut in *dict. cap. Alma mater, cap. quanto. & cap. responso, de sententia excommunic.* ille verò, qui dedit causam interdicto, vel qui est specialiter personali interdicto ligatus, non potest hoc Sacramentum suscipere, nisi priùs præstiterit condignam satisfactionem ab Ecclesia præscriptam. Sacramentum verò Baptismi poterit ministrari personæ specialiter interdictæ in necessitate tantùm, & privatim: solemniter verò extrà necessitatem id non licebit.

Sciendum est tertio, tempore interdicti localis posse ministrari Eucharistiam solis morientibus cum debita solemnitate, *cap. permittimus, de sententia excommunic. dicto cap. Alma mater de sententia excommunic.* quia Eucharistiæ Sacramentum est de jure divino sumendum in articulo mortis, & possunt in associatione recitari Psalmi, nam non pertinet talis recitatio ad officium divinum, sed ad excitandum populum ad divinam laudem, & potest hoc Sacramentum ministrari coràm persona interdicta. Quod verò dicimus de morientibus, intelligitur etiam de his, qui in proximo mortis periculo reperiuntur, undè poterit ministrari fœminæ vicinæ partui, dùm prima vice paritura est, vel si aliàs cum periculo peperit, item suscipienti periculosam navigationem, &c.

Ampliatur, ut possit hoc Sacramentum ministrari tempore interdicti ab omni sacerdote, qui sublato interdicto habet jus ministrandi hoc Sacramentum, dummodò ipse non dederit causam interdicto, nec sit ligatus speciali interdicto, *DD. citati.*

Limitatur conclusio præciso mortis periculo, undè tempore interdicti loci generalis, nullus tenetur in Paschate adimplere præceptum annuæ Communionis, quia interdictum privat tali susceptione, præterquàm in articulo mortis, *c. si sententia, de sent. excom. DD.* quos sequitur *Alterius disputat. cap. 4.*

Sciendum est quarto, tempore interdicti licitum esse suscipere Sacramentum Pœnitentiæ cuicumque tàm sano, quàm infirmo, ut in *d. cap. Alma mater*, dummodò tamen non sit excommunicatus suscipiens, & non dederit aliquo modo causam interdicto, aut non sit specialiter interdictus, quia specialiter interdicto non datur hoc Sacramentum, nisi satisfactionem dederit, vel juraverit, se satisfacturum, *d. cap. Alma mater.* Jure verò antiquo tempore interdicti conferebatur solùm morientibus, & peregrinis, *d. cap. quod in te, de pœnitent. & remission.*

Minister verò hujus Sacramenti tempore interdicti erit quilibet Confessarius, qui non dedit causam culpabilem interdicto locali. Confessarius ergo specialiter interdictus, ministrare non poterit hoc Sacramentum, excepto casu necessitatis, *DD. cit.*

Sciendum est quinto, non posse interdicto personaliter, vel tempore interdicti localis administrari Sacramentum Ordinis, *c. non est vobis, de sponsalibus, cap.*

*cap. responso de sentent. excommunic.* quia hoc privilegium non habet Sacramentum Ordinis, quòd si non adessent Sacerdotes, qui tempore interdicti conferrent Sacramenta: tunc posset conferri Sacramentum Ordinis.

Sciendum est sexto, non posse personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis ministrari Sacramentum Extremæ Unctionis, nisi permissum sit speciali privilegio aliquibus, *Diana par. 5. tract. 10. resolut. 77. DD. cit.* sicut neque licitum est contrahere matrimonium, nisi consuetudine oppositum servetur, putant verò aliqui, probabile esse contrahi posse matrimonium tempore interdicti, cùm sit essentialiter contractus, legas *Coninch. disput. 17. dub. 2.* Id ipsum docent *Sanchez de matrimonio, tom. 2. lib. 7. disput. 8. num. 20. Avila de censuris par. 5. disput. 4. sect. 1. dub. 6.* ob rationem assignatam, quia ea sola Sacramenta censentur tempore interdicti prohibita, quæ pura Sacramenta sunt, & omninò spiritualia, sed matrimonium est quidam naturalis contractus, cui per accidens adjecit Christus rationem Sacramenti, ergo, &c.

Mihi tamen probabilis etiam videtur opinio contraria *Basilii Ponti lib. 6. de matrimonio, cap. 9. num. 3.* quia generali prohibitione prohibitum est Sacramenta ministrari tempore interdicti, exceptis Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum Viatici, ut patet ex *dicto cap. Alma mater, de sententia excommunicat. in 6. ex cap. quoniam, eodem titul. ex cap. non est vobis, de sponsalibus, cap. quod in te, de pœnitent. & remission.* sed matrimonium est verè, & propriè Sacramentum nec à generali prohibitione censetur exceptum, ergo sub illa censetur comprehendi, *argum. text. in Clem. 1. §. porrò de verb. signif.* hanc opinionem antè Pontium docuit *Suar. tom. 5. disp. 32. sect. 1. n. 51. Filiucc. tom. 1. tract. 18. c. 2. n. 5. Reginald. tom. 2. lib. 32. tract. 2. c. 27. num. 28.*

Ad argumentum verò *Sanchez* respondetur, quòd, cùm Sacramentum matrimonii sit verè Sacramentum, & in ratione Sacramenti verè spirituale, & ecclesia prohibeat tempore interdicti ministrari Sacramenta, præter suprà dicta, non est cur ab ea generali prohibitione excludamus Sacramentum matrimonii, *Diana par. 5. tract. 10. resol. 81.*

Non per hoc tamen denegatur, quin tempore interdicti non possint fieri sponsalia, sicut possunt etiam jure novo attento fieri benedictiones super conjugatos, modò fiant januis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & modò conjugati habeant privilegium assistendi divinis, ut in *d. cap. Alma mater.*

Sciendum est septimo, tempore interdicti prohiberi officium divinum id est horas canonicas recitare publicè in Ecclesia, vasa benedicere, & alia Sacramentalia conficere, tenetur tamen Clericus tempore interdicti privatim recitare divinum officium, sicut potest etiam Lytanias dicere non solemniter, animas in extremis existentes Deo commendare, &c. de quibus *DD. citati.*

Sciendum est octavo, tempore interdicti localis generalis prohibitum esse celebrare Missas, & divina officia publicè in loco interdicto, sicut prohibetur uti sono campanarum, & organorum pro officio; licitum tamen est uti sono campanarum pro Ave Maria, vel aliis de causis. Poterit tamen secretò Missa celebrari singulis diebus, ut in *dict. cap. Alma mater,* sicut etiam licitum est celebrare divina officia tempore interdicti Januis clausis, non accendentibus illis, qui prohibentur interesse, & omnes Ecclesiæ Januæ debent esse clausæ, neque licitum est, Ecclesia interdicta, celebrare in capella ipsius clausa tantùm janua capellæ, & non Ecclesiæ, qua de re *Bonacina ubi suprà punct. 4. num. 7.* & Missa celebrari debet voce submissa, ut non possint canentes audiri ab existentibus extrà Ecclesiam, & excludi debent interdicti, & excommunicati, & sinè sono Campanarum. Quòd si interdictum sit locale speciale, non est licitum celebrare, nisi semel in hebdomada in loco ubi Sacramentum conservatur, *cap. permittimus de sent. excommunicat.* circà quod nihil disposuit Jus novum *dict. cap. Alma mater. de sentent. excommunic. Alterius disp. 5. cap. 1. num. 3.*

An verò liceat aliquandò pulsare Campanas tempore interdicti generalis quæstio est? Responsio est licere ad convocandum populum ad concionem, ad comitandam Eucharistiam, quæ ministratur infirmis, vel ad Salutationem Angelicam, vel ad indicandam populo diei festi solemnitatem, vel ad ostendendas reliquias; ad divina verò officia non licet pulsare, puta ad convocandos Sacerdotes, ad Missas celebrandas: sicut neque in sacrificio Missæ, cùm elevatur hostia, vel ad Sanctus, *dict. d. cap. Alma mater, DD. citati.* Erit ergo tempore interdicti adhibenda tabula cum matraca, vel tuba loco campanæ, quia hæc instrumenta non veniunt appellatione Campanarum, de quibus loquitur *text. in dict. cap. Alma mater.*

Sunt tamen aliqui casus, in quibus licitum est tempore interdicti generalis, non verò specialis, celebrare Missas, & divina officia publicè, & solemniter cum sono Campanarum, januis apertis, alta voce; admissis interdictis, etiam illis, quorum causa interdictum latum est; festivitates autem sunt, primo festivitas Natalis Domini, festivitas Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, dies solemnitatis Corporis Christi cum Octava, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis simul cum Octava, primæ solemnitates describuntur in *dict. cap. Alma mater,* illa Assumptionis fuit addita à Martino V. & Eugenio IV. dies solemnitatis Corporis Christi, à Leone X. fuit additus dies Conceptionis Beatæ Mariæ cum Octava.

Sciendum est nono, quòd interdictum quodcumque privat homines Ecclesiastica sepultura, *Clem. 1. de sepulturis, cap. quod in te, de pœnit. & remiss. cap. si Civitas de sentent. excommunic. cap. ut privilegia de privilegiis. cap. Episcoporum de privil. in 6.* undè laici quamvis non interdicti tempore interdicti localis non possunt sepeliri in loco sacro interdicto: laici verò, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam dederunt interdicto, possunt tempore interdicti sepeliri in loco sacro non interdicto, cùm nullum adsit impedimentum ex parte personæ, quæ sepelitur, neque ex parte loci, quin possit sepeliri: ergo sepeliri poterunt.

Poterunt autem sepeliri laici tempore interdicti in campo, vel in cemeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto, quia hæc non dicitur Ecclesiastica sepultura: possunt etiam transferri ad alium locum non interdictum; nam interdictum locale non respicit personas absolutè, sed locum interdictum.

Adverte tamen primo, laicos habentes privilegium assistendi divinis tempore interdicti, posse in Ecclesia sepeliri, licèt non exprimatur sepultura, secundo licitum esse tempore interdicti localis generalis sepelire laicos adultos in loco sacro in illis festivitatibus, in quibus diximus suprà posse celebrari divina officia, quia cui communicamus vivo, possumus communicare etiam defuncto, *cap. sanè 25. quæst. 2.* sed possumus in his festivitatibus communicare vivo in divinis officiis cum interdictis, ergo possumus etiam communicare mortuo, DD. citati, per *Bonacinam pun. 5. num. 7.* Adverte tertio, quòd laicus tempore interdicti, si sepultus sit in loco non sacro, sublato interdicto est exhumandus, & sepeliendus

sepeliendus in loco sacro, quia cessat effectus cessante causa, quarto adverte, quòd infantes, & amentes tempore interdicti localis non possunt sepeliri in Ecclesia, quia locus fit sepulturæ incapax, *Sanchez lib. 3. de matrimon. disput.* 18. neque possunt in loco sacro sepeliri tempore interdicti generalis personalis; quia videntur quodammodò partes communitatis, *Suar. verò disput.* 38. *sect.* 3. *num.* 4. putat oppositum; tempore verò interdicti personalis specialis poterunt sepeliri in Ecclesia, & loco non interdicto, quia tales personæ non afficiuntur speciali interdicto: ergo, &c.

Licèt autem priventur fideles tempore interdicti sepultura Ecclesiastica, non per hoc tamem privantur Parochi juribus Episcopalibus, & funeralibus, & oblationibus defunctorum, ità communiter *DD.* quos refert, & sequitur *Paulus Squillante de privil. Cleric. cap.* 11. *num.* 13.

### *In §. Cæteri autem.*

AGitur hîc de pœnis, in quas incidit quis violans interdictum; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd laici violantes interdictum locale, generale, vel speciale, mortaliter peccant ex suo genere secundùm *Suarez, Innocentium, Filliuccium Coninch.* & alios apud *Bonacinam punct.* 7. *num.* 11. nam faciunt contrà prohibitionem censuræ in materia gravi. *Reginaldus verò, Cajetanus, Navarrus, Valentia*, & alii apud *Bonacinam loc. cit.* putant, solùm peccare venialiter secluso contemptu, violentia, scandalo, aut aliqua alia extrinseca circumstantia peccati mortalis: violans verò interdictum personale certum est, quòd peccat mortaliter, utpotè violans excommunicationem in re gravi. Non tamen incurrunt aliquam pœnam laici violantes interdictum, cùm non sit in jure expressa: ligantur verò hi in excommunicatione, quandò cogunt aliquos ad celebrandum divina officia in loco interdicto, *Clem.* 2. *de sentent. excommuni.*. Clerici verò interdictum violantes scienter per exercitium alicujus ordinis sacri, incurrunt irregularitatem, *cap. is, cui de sentent. excommunic. in 6. cap.* 1. *de sentent. & re judic. cap.* 1. *de sentent. excommunication.* & præter irregularitatem incurrunt etiam suspensionem ab officio, & consequenter à jurisdictione violando interdictum locale, *cap. tanta*, ubi *DD. de excessib. Prælat.* quæ suspensio videtur potiùs ferenda, quàm ipso jure. Incurrunt etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ violantes interdictum locale saltem generale, *cap. Episcoporum, de privilegiis, Coninch. disputat.* 17. *dub.* 4. & violantes interdictum, possunt per sententiam privari beneficiis alisque pœnis affici, *cap. pastoralis de Cleric. excommunic. cap. Auctoritate de Privil. in 6.*

Quòd si violatur interdictum per exercitium minoris ordinis, non erit peccatum mortale, nec sufficiens ad irregularitatem, cùm non censeatur gravis materia. *Suar. disp.* 34 *sect.* 4. *num.* 10. *Bonac. par.* 7. *num.* 4. contrà multos, quos refert, sed non sequitur.

Ex quo Sacerdos celebrans tempore interdicti efficeretur irregularis, vel Diaconus canens Evangelium, Subdiaconus canens Epistolam efficerentur irregulares, sic Episcopus celebrans in loco à se interdicto, efficitur irregularis, quia non potest suspendere effectus interdicti, provenientes à Jure Communi, inter quos unus est, hic. ergo, violans verò per exercitium non ordinis sacris censuram non incurrit, ideò sepeliens mortuum Sacerdos in Ecclesia non violat interdictum per exercitium ordinis, nec violat per exercitium ordinis qui tempore interdicti pulsat campanas ad convocandum populum ad Missam, & posteà Missam non dixit, nec efficitur irregularis, qui audit Missam in loco interdicto, quia auditio Missæ non est actus ordinis sacri: nec irregularitatem incurrit celebrans coràm interdicto, quia nullibi adest talis irregularitas: peccat tamen mortaliter clericus communicans cum nominatim interdicto in iis rebus, à quibus sunt interdicti: putà si coràm illis celebrent, vel alios ad divina admittunt, vel ad sepulturam, vel ad Sacramenta. *DD. ubi suprà*, non tamen peccat communicans cum interdicto in rebus humanis.

Sciendum secundo est, interdictum posse incurri ex pluribus causis.

Primo, quandò Dominus loci impedit, ne Nuncius Apostolicus, vel Legatus de Latere, suo fungatur officio, *Extravaganti* § *per gentes, de consuetud.*

Secundo, quandò Dominus alicujus territorii percutit injuriosè Episcopum, aut capit, vel bannit, vel mandat hæc fieri, vel dat consilium, quia tunc illius territorium subjacet interdicto usque ad condignam satisfactionem, *Clement.* 1. *de pœnis cap. felicis de pœnis in 6.*

Tertio, eodem interdicto ligatur Civitas, Universitas, &c. quandò exigit per se, vel per alium, ab Ecclesiis pedagia, & gabellas, *cap. quanquàm de censibus in 6* eadem pœna punitur Ecclesia, quæ sepulturam tradit hæretico, nam remanet privata sepultura, *cap. quicumque de hæret. in 6.*

Quarto Dominus, vel Rector Civitatis, ubi Papa moritur, qui non præstat præscripta in *cap. ubi periculum, de elect. in 6.* sic idem interdictum incurrit Episcopus, vel alia persona Ecclesiastica, si locavit domos usurariis publicis ad fœnus exercendum, quod interdùm incurritur, quandò prædictæ personæ per mensem steterunt in excommunicatione, in quam inciderunt, *cap.* 1. *de usuris in 6.* ubi *DD.* multos casus, in quibus, tam interdictum locale generale, quam personale incurritur, legas per *Bonac. disp.* 5. *p.* 8. *per tot.*

Sciendum est ultimo, interdictum posse pluribus modis cessare, & primo cessat elapso tempore, vel conditione, sub qua factum fuit, *cap. non est nobis, de sponsalibus.* Quandò verò interdictum est latum simpliciter, non cessat per solum temporis lapsum, sed auferri debet per absolutionem impensam ab eo, qui illud tulit, vel ab ejus superiore, vel ab alio habente facultatem delegatam, ideò populus interdictus ob Principis delictum, non est liber ab interdicto ob mortem Principis. Non tamen cessat interdictum locale destructo loco, ideò destructa Ecclesia interdicta, non possunt sepeliri cadavera in ejus solo.

Secundo, cessat interdictum, si auferatur ab eo, qui id tulit, quia censura ligat ad nutum, & voluntatem conditoris, *DD. ubi suprà.*

Tertio cessat per absolutionem factam, ab Episcopo: potest enim Episcopus absolvere ab interdicto locali posito à Jure *cap. nuper de sentent. excommunic.* quia potest Episcopus absolvere ab omnibus, quæ non sunt reservata; at interdictum locale Juris non est reservatum, ergo ab interdicto personali Episcopus absolvere non potest, nisi sit occultum; vel quandò non est Summo Pontifici reservatum; ab interdicto tamen lato à Papa nullo modo regulariter absolvere potest, *DD. ubi suprà.*

Quarto, posset auferri per solam voluntatem à Summo Pontifice, quo casu si quis ignoraverit talem voluntatem revocatam, peccat mortaliter, sed non erit irregularis, quia non ligat censura ultrà voluntatem legislatoris, ergo, legas *Bonac. ubi suprà in fin.*

## *TITULUS XV. & Ultimus.*

### De Suspensione.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur; Visum est suprà de censuris; verùm quia ultima species Ecclesiasticæ censuræ, est suspensio. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd suspensio propriè accepta, est censura Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica impeditur, ne functiones exerceat sui beneficii, vel officii, vel ordinis, vel in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. *Coninch. disp. 15. dub. 1.*

Dicitur *censura*, loco generis, quia in hoc convenit cum aliis censuris suspensio, & quia differt ab aliis prohibitionibus, ideò dicitur Ecclesiastica: Dicitur *qua persona Ecclesiastica*, quia censura hæc non in laicis, sed in solis Clericis locum habet, & licèt laicus possit privari facultate obtinendi officium, & beneficium, tamen talis privatio est inhabilitas quædam, non verò suspensio.

Dicitur *Officii, vel beneficii, vel ordinis*, quia hic est principalis suspensionis effectus, ut infrà; Dicitur *In totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus*, quia suspensio latitudinem quandam habet, interdùm enim suspendit ab omni officio, vel ab omnibus ordinibus, aliquando à parte officii, vel pro aliquo certo tempore, aliquandò in perpetuum.

Sciendum secundo est, quòd suspensio duplex est, una totalis, altera partialis, suspensio totalis adhuc duplex est, vel simpliciter totalis, quæ simul est ab officio, & beneficio, puta si dicatur tàm ab officio, quàm à beneficio, *cap. tuarum de beneficiis, Clem. 1. de Decimis*, simpliciter etiam totalis dicitur suspensio, quandò sine limitatione imponitur, quia sermonis usus facit, ut propositio indefinita æquipolleat universali, qua de re est exemplum in *Extravaganti divina de privilegiis*, ubi intelligitur sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ipso jure contrà eos, qui conferunt, vel recipiunt beneficia, pro suis negotiis ad Curiam Romanam proficiscentium, aut aliquod in illa officium exercentium: suspensio totalis secundùm quid, seù in certo genere, est cùm suspenditur quis ab officio, vel à beneficio Ecclesiastico.

Suspensio specialis, vel est ab ordine tantùm, aut aliquo actu ordinis, v. g. à celebratione Missarum, vel actu ordinandi, vel à jurisdictione tantùm, aut à certo actu jurisdictionis, aut quasi jurisdictionis, v. g. à collatione beneficii, voce suffragii, vel denique à certo beneficio, aut parte beneficii, puta lucrandis distributionibus, dimidia parte fructuum, idque vel in perpetuum, vel ad tempus.

Secundo dividitur suspensio, ut alia sit à Jure alia ab homine, à Jure, quandò quis ipso Jure in suspensionem incidit, cujus suspensionis ponit *Riccius* in præsenti quadraginta tria exempla: quæ videre poteris apud ipsum, & apud *Bonac. disp. 3. pun. 5. §. 1.* cum pluribus sequentibus.

Suspensio verò Judicis est, quandò Judex, qui potest, subditum suspendit, de qua suspensione, & quomodò debeat Judex procedere in ea, legas *Navarrum*, & alios, quos refert *Riccius ubi suprà.*

### *In §. At si crimen.*

Agitur hìc de causis suspensionis; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd suspensio regulariter inferri solet ob crimen notorium, ideò si sit occultum crimen: est solùm quis suspensus, quòad se ipsum, non quòad alios, Ecclesia enim militans non ligat delictum occultum, sed manifestum, & externum, *cap. erubescant 32. dist. cap. vestra, & cap. fin. de cohabitatione Cleric. & mult. cap. fin. de tempor. ordin.* est ergo quis interdùm suspensus, quoad se, & non quoad alios, ut in proposito casu. Interdùm verò est suspensus, & quoad se, & quoad alios, ut in *cap. nullus 33. distin.* quandòque potest esse suspensus, quoad alios, non quoad se, veluti cùm Villa, vel Civitas est interdicta propter Civium delictum, vel potestatis sæcularis, quia tunc Clerici non sunt suspensi quoad se, quia possunt celebrare in loco non interdicto, vel clausis Januis, *cap. fin. de sentent. excommunic. in 6.* ut notavimus suprà.

Ex quo infertur, ad incurrendam suspensionem requiri propriam culpam, & quidem mortalem, quia pœna commensurata esse debet culpæ, sed pœna est gravis in materia nostra, ergo culpa antecedens debet esse mortalis, non per hoc tamen denegatur, quin ob levem culpam imponi non possit pœna suspensionis levis, puta ab uno electionis actu, à lucrandis, una vel altera vice distributionibus, Missa celebranda ad breve tempus, &c. qua de re latè post omnes agit *Laym. lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 3.*

Sciendum secundo est, suspensionem infligi posse ab eo, qui excommunicationis sententiam inferre potest. Sicut vice versa, qui potest suspensionem, poterit & excommunicationem ferre, *Summistæ in verb. suspensio*, possunt autem suspensionem incurrere solùm Clerici, etsi non improbabile putet *Henriquez*, apud *Layman loco cit. cap. 2.* etiam Abbatissam posse suspensionem incurrere; Episcopi verò habent privilegium, ut non censeantur inclusi in sententia suspensionis, nisi specialiter de ipsis dictum sit, *cap. quia periculosum, de sentent. excommun.* Idque ob dignitatem Episcopalem, *cap. compromissarius, §. hujusmodi de elect. in 6.*

Ex quo benè docet *Suarez de censuris disput. 28. sect. 2.* hoc privilegium competere Episcopo electo, & confirmato antè consecrationem, quia jam est dignitate Episcopali præditus: quemadmodùm privilegium de eligendo sibi confessorem, *cap. ultim. de pœnit. & remiss.* item privilegium de usu altaris portatilis, *cap. ult. de privileg. in 6.* competunt Episcopis confirmatis, & nondùm consecratis, quia privilegia concessa à Principe amplè sunt interpretanda, & prædictum privilegium, ut non comprehendantur Episcopi sub sententia suspensionis, extendunt etiam DD. Ad Cardinales, quæ sententia probabilis est, nam secundùm praxim Ecclesiæ privilegia concessa Episcopis ob status dignitatem, ad Cardinales extendi solent, propter eorum majorem dignitatem, ità *Henriquez*, & alii apud *Layman. cap. 2.*

Est etiam subjectum capax suspensionis, nedùm singulares personæ, sed etiam tota clericorum communitas, putà Capitulum Clericorum, *cap. quia sæpè de elect. in 6.* quæ censura ferri potest dupliciter primo collectivè, v. g. suspendendo capitulum, ut unum corpus, & privando eum potestate aliqua, & jurisdictione, si quam habebat, secundo distributivè, ut nimirùm singuli à capitulo eandem pœnam incurrant, dummodò noxii sint, ut in *d. cap. quia sæpè*, qua de re legas *Suar. & Layman. locis citatis.*

Sciendum est tertio, suspensionem tolli posse pluribus modis.

Primo, si ob delictum præteritum sit imposita ad certum tempus, puta ad triennium, vel sub conditione, donec restituit, elapso enim tempore, vel impleta conditione, per se ipsam cessat sine alia superioris declaratione, *Glossa in Clement. 1. de decimis, Suar. disp. 39. sect. 1. Avila par. 3. disp. 6. dub. 1.*

Secundo tollitur suspensio per absolutionem, præsertim si sit suspensio ob contumaciam contracta, quam

quam absolutionem impendere potest Episcopus, vel alius habens jura Episcopalia, si specialiter Sedi Apostolicæ reservata non sit, *cap. nuper de sent. excom. c. literis de constit. Suar. disp. 29. sect. 2. n.* 50. Aliqui verò putant, suspensionem latam ob contumaciam, per seipsam cessare, si reus à contumacia recessit, ut nulla opus sit absolutione, verùm opinio contraria usu recepta est, qua de re *Suar. & Layman. ubi sup.*

Tertio tollitur suspensio per relaxationem, seù dispensationem, si videlicet fuit lata ob peccatum commissum, seù præteritum tanquàm pura pœna, quod contingere potest duobus modis. Primo ad certum tempus (qui id fecerit per triennium ab officio, seù beneficiis suspensus maneat) quo casu si pœna sit antè terminum relaxanda, id fieri debet ab auctore Canonis, vel ejus successore, non autem inferiore. Secundo ferri potest suspensio ob delictum in perpetuum, & hoc casu Episcopus dispensare non poterit, nisi in casibus à jure expressis, quia auctor Canonis, dùm talem suspensionem in perpetuum imponit, eam sibi reservare censetur.

De Jure verò *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 6. ab omnibus suspensionibus potest Episcopus absolvere, etiam Papæ reservatis, dummodò proveniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, & Patres Societatis Jesu habent privilegium, ut auditis fidelium confessionibus, eos in foro conscientiæ absolvere possint à quibuscunque sententiis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, ex peccatis resultantibus, qua de re *Layman. par.* 3. *disp.* 6. *dub.* 2. *Layman cap.* 5. *nu.* 4.

*In §. Cavebunt.*

Agitur hic de pœnis violantium suspensionem. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd suspensus exercendo actum, à quo est suspensus, peccat mortaliter, quia violat præceptum Ecclesiasticum in re gravi, nisi tamen excusaretur ratione parvitatis materiæ, ut si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, parvo tempore commoretur in ea, dùm recitantur divina officia. *Avila de censuris disput.* 2. *dub.* 2. *Suarez disput.* 27. *sect.* 2. Ille verò qui cooperatur, & communicat cum suspenso tolerato, id est non adhuc denunciato, in illis rebus, & actibus, à quibus est suspensus, non peccat mortaliter, quia non tenemur eum evitare nisi denunciatum, ut suprà, ideò peccat mortaliter cooperans cum suspenso denunciato in illis actibus, à quibus est suspensus, quia concurrit ad actionem malam, & prohibitam, non tamen incurrit aliquam pœnam, vel censuram excommunicationis, aut suspensionis in tali participatione, etiamsi participet in crimine criminoso, ob quod alter est suspensus, quia nulla pœna in jure habetur. *Avila dub.* 4. *conclus.* 5. *Bonac. disp.* 3. *p.* 4. *nu.* 4.

Sciendum secundo est, quòd suspensus ex delicto, violando suspensionem per exercitium solemne majoris ordinis, à quo est suspensus, efficitur irregularis, *cap. is, cui de sentent. excommunic. in* 6. *cap.* 1. *de sentent. & re judicata in* 6. *cap. si quis, de Clerico excommunicato ministr.* quòd si exerceat actum ordinis, non solemniter, neque ex officio, non incurrit irregularitatem, undè subdiaconus suspensus ab officio subdiaconatùs, non efficitur irregularis canendo Epistolam, absque manipulo, quia non dicitur canere ex officio, &, si exerceat actum minoris ordinis etiam solemniter, nullo modo efficitur irregularis; quia tales actus etiam à laicis fieri possunt, ut ex *Sayro, Tabiena,* & aliis docet *Bonac. loc. cit. num.* 5.

Adverte tamen, quòd suspensus ab usu ordinum, exercendo actus jurisdictionis non efficitur irregularis, ideò suspensus conferendo beneficium, non efficitur irregularis, sic suspensus ab officio Diaconatùs, non efficitur irregularis prædicando, quia actus prædicationis non est ità annexus ordini sacro Diaconatùs, quia fieri potest à laicis de licentia Episcopi, etiam cum superpelliceo, & benedictione, *DD. cit.*

Ex quibus primo sequitur, suspensum ab ordine effici irregularem benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulieris post partum, juxtà Ecclesiæ solemnitatem, quia violat suspensionem per exercitium ordinis sacri, quia prædicta benedictio solemnis est actus ordinis sacri, secùs dicitur de benedictione mensæ, quia hæc est actio, quæ tam à Clericis, quàm à laicis præstari potest, *Joannes Andreas in cap.* 1. *vers. caveant, de sentent. excommunic. in* 6. *Hostiensis in cap. tanta de excessib. Prælat.*

Sequitur secundo, suspensum ab ingressu Ecclesiæ, fieri irregularem celebrando in Ecclesia, *dict. cap. is cui, de sentent. excommunicat. in* 6. quia violat suspensionem per exercitium ordinis sacri; secùs si celebraret extrà Ecclesiam ut in tentorio, vel oratorio privato, non designato ab Episcopo in perpetuum pro celebratione, quia tunc non violat suspensionem. *Majolus de irregularitate, lib.* 3. *cap.* 19. *Bonacina ubi suprà, par.* 5. Sic Episcopus suspensus à Pontificalibus fit irregularis conficiendo chrisma, conferendo ordines, consecrando calices, & similia; Alii verò docent, Episcopum faciendo hos actus non effici irregularem, quia Episcopatus non est ordo, & ideò Episcopus suspensus ab ordine, non censetur à Pontificalibus suspensus, qua de re *Sylvester in verb. suspensio, §.* 5. *vers. cùm autem.*

Sequitur tertio, suspensum à susceptione Sacramentorum non incidere in irregularitatem, ea suscipiendo, quia non violat suspensionem per exercitium ordinis sacri, sicut neque in irregularitatem incidit suspensus à beneficio, percipiendo fructus ipsius, licèt enim peccet contrà justitiam percipiendo sibi fructus, ad quos non habet jus, ob censuram suspensionis, non tamen ligatur irregularitate, quia hæc in nullo textu exprimitur.

Sciendum est ultimo, quòd omnia gesta per suspensum, qui non est nominatim denunciatus, valida sunt, quia talis suspensus toleratur ab Ecclesia, ergo non ei adimitur jurisdictio. Quandò verò est nominatim denunciatus, sunt invalida; ex quo non valet absolutio data ab eo, qui est denunciatus, ut suspensus ab officio, quia caret talis suspensus usu jurisdictionis. *DD. cit.*

*Finis Libri Quarti & ultimi Institutionum Canonicarum.*

Ad laudem SANCTISSIMÆ TRINITATIS, B. MARIÆ Virginis & omnium Sanctorum, ac SS. Francisci, atque Antonii, Amen.

INDEX

# INDEX
## RERUM ET MATERIARUM.

Quæ in duobus Tomis continentur.

Ordine Alphabetico digestus, Triplicique decoratus *Numero*, quorum Primus *Tomum*, Secundus *Columnam*, Tertius verò *Paginam* indicat.

### A

Sun.

An

Neque

Raymundus

Vide

Donans

ELEEMOSYNA.



EMPHYTEUSIS.



EMPTIO.



EPISCOPUS.



In

ERROR.



EVANGELISTA.



EVANGELIUM.



EUCHARISTIA.



EVICTIO.

Casus,

FALSITAS.



FAMA.



FAMILIARES EPISCOPI.



FERIÆ, FESTIVITAS, FESTUM.



FEUDUM.







FIDEJUSSIO, FIDEJUSSOR.



FIDES.



FILIUS.



FORNICATIO.



FORUM.



FRAUS.



FRUCTUS.

HONOR.

Judæus

Ordin

## JUS.



## JUS PATRONATUS.



## JUSTITIA.



## L.

## LABOR.



## LAICUS.



## LANCELLOTUS.



Error

LAUDEMIUM.



LECTOR.



LEGATUM.



LEGATUS APOSTOLICUS



LEGITIMA.



LEGITIMATIO, LEGITIMATUS.



LEX.



LIBELLUS.



LIBELLUS FAMOSUS.



LIMBUS.



LIS.



Error

Summus

Dividi-

Quæ

Confes-

SOBRIETAS.



SODOMIA.



SOLLICITARE, SOLLICITATIO.



SOLUTIO.



SOMNIUM.



SORTILEGIUM.



SPOLIUM.



SPONSALIA.



STOLA.



STUPRUM.



SUBDIACONUS.



SUCCESSIO.



SUFFRAGIUM.



SUPERIOR.



SUPERSTITIO.



SUSPEN-

*FINIS.*